
ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN III
PERIODUS TERTIA

PARS VI
CONGREGATIONES GENERALES CXII-CXVIII



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXV

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI
VATICANI SECUNDI

ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI SECUNDI

Vol. I: Periodus prima

Pars I: *Sessio publica I. Congregationes generales I-IX*
Pars II: *Congregationes generales X-XVIII*
Pars III: *Congregationes generales XIX-XXX*
Pars IV: *Congregationes generales XXXI-XXXVI*

Vol. II: Periodus secunda

Pars I: *Sessio publica II. Congregationes generales XXXVII-XXXIX*
Pars II: *Congregationes generales XL-XLIX*
Pars III: *Congregationes generales L-LVIII*
Pars IV: *Congregationes generales LIX-LXIV*
Pars V: *Congregationes generales LXV-LXXIII*
Pars VI: *Congregationes generales LXXIV-LXXIX. Sessio publica III*

Vol. III: Periodus tertia

Pars I: *Sessio publica IV. Congregationes generales LXXX-LXXXII*
Pars II: *Congregationes generales LXXXIII-LXXXIX*
Pars III: *Congregationes generales XC-XCV*
Pars IV: *Congregationes generales XCVI-CII*
Pars V: *Congregationes generales CIII-CXI*
Pars VI: *Congregationes generales CXII-CXVIII*


Vol. IV: Periodus quarta

CURA ET STUDIO
ARCHIVI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN III
PERIODUS TERTIA

PARS VI
CONGREGATIONES GENERALES CXII-CXVIII



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXV

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS CXII

29 octobris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CXII

29 octobris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Celebratur hodie, Patres venerabiles, congregatio generalis 112, in qua moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Petrus Gregorius Agagianian.

Et durante congregatione distribuetur fasciculus continens modos a Patribus conciliaribus propositos, et a commissione doctrinali examinatos, super cap. II « De populo Dei », schematis *de Ecclesia*. Etiam hi modi suffragationi subiicientur crastina. Ergo crastina habebitur duplex suffragatio. Prima circa modos respicientes cap. I; altera circa modos respicientes cap. II schematis *de Ecclesia*. Et responsio ad quaestiones quae crastina proponentur erit vel *placet* vel *non placet*.

Hodie vero, postquam relatio lecta fuerit et quaestio proposita, fiet suffragatio super cap. VIII schematis *de Ecclesia*, « De Beata Maria Virgine ». Et in hoc casu, ut dicemus suo loco et suo tempore, responsio erit per triplicem formulam: *placet, non placet, placet iuxta modum*.

Ecce nunc nomina eorum qui verbo uti petierunt de schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Sunt (quoad cap. IV, nn. 19 et 20): exc.mi DD. Ioseph Stimpfle, ep. Augustan. Vindelicorum in Germania; Sanctus Quadri, ep. aux. Pineroliensis in Italia; Augustinus Frotz, ep. aux. Coloniensis in Germania; Aegidius Barthe, ep. Forejuliensis in Gallia.

Deinde fit transitus ad cap. IV, n. 21, circa quod loqui postulaverunt: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Mauritius Feltin, arch. Parisiensis in Gallia; Paulus Léger, arch. Marianopolitanus in Canada; Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis in Belgio; beat. D. Maximus IV Saigh, patr. Antiochenus et totius Orientis Alex. et Hier. Melchitarum; exc.mi DD. Eugenius Beitia, ep. Santanderiensis in Hispania; Tullius Botero, arch. Medellensis in Columbia; Paulus Rusch, ep. Oenipontanus in Austria; Rodulfus Staverman, ep. vic. ap. Sukarnapuraënsis in Indonesia; Ioseph M. Reuss, ep. aux. Moguntinus in Germania; Ioseph Urtasun, arch. Avenionensis in Gallia; Abilius del Campo, ep. Calagurritanus in Hi-

spania; Ioseph Nkongolo, ep. Bakwangaensis in Congo; Franciscus Rendeiro, ep. Algarbien. in Lusitania; Petrus Fiordelli, ep. Pratensis in Italia; Ioannes Hervás, ep. prael. null. Clunien. in Hispania; Bernardus Yago, arch. Abidjanensis in Africa Occid.; Antonius Cardoso, ep. aux. Beien. in Lusitania; Christophorus Butler, sup. gen. Congr. Anglicae O.S.B.; Narcissus Jubany, ep. Gerunden. in Hispania.

Moderator: Exc.mus D. Mauritius Roy, arch. Quebecensis, velit legere relationem super emendationes cap. VIII *de Ecclesia*: de Beata Maria Virgine Deipara in Mysterio Christi et Ecclesiae.

[3] 1 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DE ECCLESIA

Caput VIII *
(vel cap. VII)

DE BEATA MARIA VIRGINE DEIPARA IN MYSTERIO CHRISTI ET ECCLESIAE

Textus prior

52. Prooemium

[*De B. Virgine in mysterio Christi*]. (A). Benignissimus et sapientissimus Deus, mundi redemptionem complere volens, « ubi venit plenitudo temporis, misit Filium suum, factum ex muliere, ... ut adoptionem filiorum reciperemus » (*Gal.* 4, 4-5). « Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine » (1). Quod salutis divinum mysterium nobis revelatur et continuatur in Ecclesia, quam Dominus ut corpus suum constituit, et in qua fideles Christo Capiti adhaerentes atque cum omnibus sanctis Eius com-

Textus emendatus

I. Prooemium

52. [*De B. Virgine in mysterio Christi*]. Benignissimus et sapientissimus Deus, mundi redemptionem complere volens, « ubi venit plenitudo temporis, misit Filium suum, factum ex muliere, ... ut adoptionem filiorum reciperemus » (*Gal.* 4, 4-5). « Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine » (1). Quod salutis divinum mysterium nobis revelatur et continuatur in Ecclesia, quam Dominus ut corpus suum constituit, et in qua fideles Christo Capiti adhaerentes atque cum omnibus sanctis Eius com-

* Hic fasciculus Patribus distributus est in congregatione generali CX, die 27 octobris 1964.

Textus prior

municantes, memoriam etiam venerentur oportet « in primis gloriosae semper Virginis Mariae, Genitricis Dei et Domini nostri Iesu Christi » (2).

[*De B. Virgine et Ecclesia*] (B). Virgo enim Maria, quae Angelo nuntiante Verbum Dei corde et corpore suscepit et Vitam mundo protulit, ut vera Mater Dei ac Redemptoris agnoscitur et honoratur. A Filio suo sublimiore modo redempta Eique arcto et indissolubili vinculo unita, hoc summo munere ac dignitate ditatur ut sit Genitrix Dei Filii, ideoque praedilecta filia Patris necnon sacrarium Spiritus Sancti, quo eximiae gratiae dono omnibus aliis creaturis, caelestibus et terrestribus, longe antecellit. Simul autem cum omnibus hominibus salvandis in stirpe Adam invenitur coniuncta, immo « cooperata est caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui huius Capitis membra sunt » (3). Quapropter etiam ut supereminens prorsusque singulare membrum Ecclesiae necnon eius in fide et caritate typus et exemplar spectatissimum salutatur eamque Catholica Ecclesia, a Spiritu Sancto edocta, filiali pietatis affectu se prosequi semper professa est.

[*Intentum Concilii*] (C). Ideo Sacrosancta Generalis Synodus, doctrinam de Ecclesia, in qua divinus Redemptor salutem operatur, exponens, illustrare sedulo intendit tum munus Beatae Virginis in mysterio Incarnati Verbi et Corporis Mystici, tum hominum redemptorum officia erga Deiparam, matrem Christi et fidelium, quin tamen in animo habeat completam de Maria proponere doctrinam, neque quaestiones labore theologorum nondum ad plenam lucem perductas dirimere. Servantur ita-

Textus emendatus [3]

municantes, memoriam etiam venerentur oportet « in primis gloriosae semper Virginis Mariae, Genitricis Dei et Domini nostri Iesu Christi » (2).

53. [*De B. Virgine et Ecclesia*]. Virgo enim Maria, quae Angelo nuntiante Verbum Dei corde et corpore suscepit et Vitam mundo protulit, ut vera Mater Dei ac Redemptoris agnoscitur et honoratur. A Filio suo sublimiore modo redempta Eique arcto et indissolubili vinculo unita, hoc summo munere ac dignitate ditatur ut sit Genitrix Dei Filii, ideoque praedilecta filia Patris necnon sacrarium Spiritus Sancti, quo eximiae gratiae dono omnibus aliis creaturis, caelestibus et terrestribus, longe an- [4] tecellit. Simul autem cum omnibus hominibus salvandis in stirpe Adam invenitur coniuncta, immo « cooperata est caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui huius Capitis membra sunt » (3). Quapropter etiam ut supereminens prorsusque singulare membrum Ecclesiae necnon eius in fide et caritate typus et exemplar spectatissimum salutatur eamque Catholica Ecclesia, a Spiritu Sancto edocta, filiali pietatis affectu *tanquam matrem amantissimam prosequitur.*

54. [*Intentum Concilii*]. Ideo Sacrosancta Generalis Synodus, doctrinam de Ecclesia, in qua divinus Redemptor salutem operatur, exponens, illustrare sedulo intendit tum munus Beatae Virginis in mysterio Incarnati Verbi et Corporis Mystici, tum hominum redemptorum officia erga Deiparam, matrem Christi et *matrem* fidelium, quin tamen in animo habeat completam de Maria proponere doctrinam, neque quaestiones labore theologorum nondum ad plenam lucem perductas dirimere. Servantur

[4] *Textus prior*

que in suo iure sententiae, quae in scholis catholicis libere proponuntur de Illa, quae in Sancta Ecclesia locum occupat post Christum altissimum nobisque maxime propinquum (4).

53. De munere B. Virginis in oeconomia salutis (A)

[*De Matre Messiae in Vetere Testamento*] (B). Sacrae Litterae Veteris Novique Testamenti et veneranda Traditio munus Matris Salvatoris in salutis oeconomia modo magis magisque dilucido describunt et veluti conspiciendum proponunt. Et quidem ab initio historiae salutis in libris Veteris Testamenti descriptae, qua Christi in mundum adventus lento gradu praeparatur, clarius pedetentim in apricum profertur figura Mulieris, matris Redemptoris, si primaeva documenta, ut oportet, sub
[5] luce ulterioris et plenae revelationis considerantur, qualiter in Ecclesia leguntur. Ita iam prophetice adumbratur in promissione, lapsis in peccatum primis parentibus data, de victoria super serpentem (cf. *Gn.* 3, 15). Haec est Virgo quae concipiet et pariet Filium, cuius nomen vocabitur Emmanuel (*Is.* 7, 14; *Mt.* 1, 22-23; cf. *Michea,* 5, 2-3). Ipsa praecellit inter humiles ac pauperes Domini, qui salutem cum fiducia ab Eo sperant et accipiunt. Cum Ipsa tandem, post diuturnam exspectationem promissionis, complentur tempora et nova instauratur Oeconomia, quando Filius Dei humanam naturam assumpsit, ut mysteriis carnis suae hominem a peccato liberaret.

[*De Maria in Annuntiatione*] (C). Voluit autem misericordiarum Pater, ut acceptatio praedestinatae matris incarnationem praecede-

Textus emendatus

itaque in suo iure sententiae, quae in scholis catholicis libere proponuntur de Illa, quae in Sancta Ecclesia locum occupat post Christum altissimum nobisque maxime propinquum (4).

II. De munere B. Virginis in oeconomia salutis

55. [*De Matre Messiae in Vetere Testamento*]. Sacrae Litterae Veteris Novique Testamenti et veneranda Traditio munus Matris Salvatoris in salutis oeconomia modo magis magisque dilucido *ostendunt* et veluti conspiciendum proponunt. Et quidem ab initio historiae salutis in libris Veteris Testamenti descriptae, qua Christi in mundum adventus lento gradu praeparatur, clarius pedetentim in *lucem* profertur figura Mulieris, matris Redemptoris, si primaeva documenta, ut oportet, sub luce ulterioris et plenae revelationis considerantur, qualiter in Ecclesia leguntur. Ita iam prophetice adumbratur in promissione, lapsis in peccatum primis parentibus data, de victoria super serpentem (cf. *Gn.* 3, 15). *Similiter haec* est Virgo quae concipiet et pariet Filium, cuius nomen vocabitur Emmanuel (*Is.* 7, 14; *Mt.* 1, 22-23; cf. *Michea,* 5, 2-3). Ipsa praecellit inter humiles ac pauperes Domini, qui salutem cum fiducia ab Eo sperant et accipiunt. Cum Ipsa tandem *praecelsa Filia Sion,* post diuturnam exspectationem promissionis, complentur tempora et nova instauratur Oeconomia, quando Filius Dei humanam naturam *ex ea* assumpsit, ut mysteriis carnis suae hominem a peccato liberaret.

56. [*De Maria in Annuntiatione*]. Voluit autem misericordiarum Pater, ut acceptatio praedestinatae matris incarnationem praecede-

Textus prior

ret, ut sic, quemadmodum femina contulit ad mortem, ita etiam conferret ad vitam. Quoniam autem Beatissima Virgo haud minor poterat esse quam Dei Matrem decebat (5), mirum non est apud Sanctos Patres usum invaluisse quo Deiparam appellarunt totam sanctam et ab omni peccato naevo seu labe immunem, quasi a Spiritu Sancto plasmatam novamque creaturam formatam (6). Singularis prorsus sanctitatis splendoribus a primo instante suae conceptionis ditata, Nazarethana Virgo ab Angelo nuntiante, Dei mandato, ut « gratia plena » salutatur (cf. *Lc.* 1, 28), et caelesti nuntio ipsa respondet: « Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum » (*Lc.* 1, 38). Ita Maria, filia Adam, verbo divino consentiens, facta est mater Iesu, unici Mediatoris, ac salvificam voluntatem Dei, pleno corde et nullo retardata peccato, complectens, semetipsam ut Domini ancillam personae et operi Filii sui totaliter devovit, sub Ipso et cum Ipso, omnipotentis Dei gratia, mysterio redemptionis inserviens. Merito igitur SS. Patres Mariam non mere passive a Deo adhibitam, sed libera fide et oboedientia humanae saluti cooperantem censebant. Ipsa enim, ut ait S. Irenaeus, « oboediens et sibi et universo generi humano causa facta est salutis » (7). Unde Patres antiqui in praedicatione sua asserere solebant: « Hevae inoboedientiae nodum solutionem accepisse per oboedientiam Mariae; quod alligavit virgo Heva per incredulitatem, hoc virginem Mariam solvisse per fidem » (8); « per virginem Hevam mortem, per Virginem vel de virgine Maria vitam apparuisse » (9), et comparatione cum Heva instituta, Mariam « matrem viventium » appellare (10), et quasi in proverbium proferre: « mors per Hevam, vita per Mariam » (11).

Textus emendatus [5]

ret, ut sic, quemadmodum femina contulit ad mortem, ita etiam conferret ad vitam. *Quod praecellentissime valet de Matre Iesu, quae ipsam vitam, omnia renovantem, mundo effudit. Unde nil mirum* apud Sanctos Patres usum invaluisse quo Deiparam appellarunt totam sanctam et ab omni peccati labe immunem, quasi a Spiritu Sancto plasmatam novamque creaturam formatam (5). Singularis prorsus sanctitatis splendoribus a primo instante suae conceptionis ditata, Nazarethana Virgo ab Angelo nuntiante, Dei mandato, ut « gratia plena » salutatur (cf. *Lc.* 1, 28), et caelesti nuntio ipsa respondet: « Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum » (*Lc.* 1, 38). Ita Maria, filia Adam, verbo divino consentiens, facta est mater Iesu, ac salvificam voluntatem Dei, pleno corde et nullo retardata peccato, complectens, semetipsam ut Domini ancillam personae et operi Filii sui totaliter devovit, sub Ipso et cum Ipso, omnipotentis Dei gratia, mysterio redemptionis inserviens. Merito igitur SS. Patres Mariam non mere passive a Deo [6]
adhibitam, sed libera fide et oboedientia humanae saluti cooperantem censebant. Ipsa enim, ut ait S. Irenaeus, « oboediens et sibi et universo generi humano causa facta est salutis » (6). Unde *non pauci* Patres antiqui in praedicatione sua *libenter asserunt*: « Hevae inoboedientiae nodum solutionem accepisse per oboedientiam Mariae; quod alligavit virgo Heva per incredulitatem, hoc virginem Mariam solvisse per fidem » (7); et comparatione cum Heva instituta, Mariam « matrem viventium » appell*ant* (8), *saepiusque affirmant*: « mors per Hevam, vita per Mariam » (9).

[6] *Textus prior*

[*De B. Virgine et Iesu infante*] (D). Haec autem Matris cum Filio in opere salutari coniunctio a tempore virginalis conceptionis Christi ad Eius usque mortem manifestatur; in primis quidem cum Maria, exsurgens cum festinatione ad visitandam Elisabeth, ab ea ob fidem suam in salutem promissam beata salutatur et praecursor in sinu matris sanctificatur (cf. *Lc.* 1, 41-45); in nativitate vero, cum Deipara Filium suum primogenitum, qui virginalem eius integritatem non minuit sed sacravit (12), pastoribus et Magis laetabunda ostendit. Cum vero Eum in templo, dono pauperum oblato, Domino praesentavit, audivit Simeonem simul praenuntiantem Filium futurum contradictionis signum et matris animam gladium pertransiturum, ut revelarentur ex multis cordibus cogitationes (cf. *Lc.* 2, 34-35). Puerum Iesum deperditum ac cum dolore quaesitum, parentes eius in templo invenerunt in his quae Patris Eius erant occupatum; verbaque Eius non intellexerunt, sed mater Eius omnia haec in corde suo meditabunda conservabat (cf. *Lc.* 2, 41-51).

Textus emendatus

57. [*De B. Virgine et Iesu infante*]. Haec autem Matris cum Filio in opere salutari coniunctio a tempore virginalis conceptionis Christi ad Eius usque mortem manifestatur; in primis quidem cum Maria, exsurgens cum festinatione ad visitandam Elisabeth, ab ea ob fidem suam in salutem promissam beata salutatur et praecursor in sinu matris *exsultavit* (cf. *Lc.* 1, 41-45); in nativitate vero, cum Deipara Filium suum primogenitum, qui virginalem eius integritatem non minuit sed sacravit (10), pastoribus et Magis laetabunda ostendit. Cum *autem* Eum in templo, dono pauperum oblato, Domino praesentavit, audivit Simeonem simul praenuntiantem Filium futurum contradictionis signum et matris animam gladium pertransiturum, ut revelarentur ex multis cordibus cogitationes (cf. *Lc.* 2, 34-35). Puerum Iesum deperditum ac cum dolore quaesitum, parentes eius in templo invenerunt in his quae Patris Eius erant occupatum; verbaque *Filii* non intellexerunt. Mater *vero* Eius omnia haec in corde suo meditabunda conservabat (cf. *Lc.* 2, 41-51).

[7] [*De B. Virgine in ministerio publico Iesu*] (E). Durante vita publica Iesu, Mater Eius signanter apparet, in initio quidem, cum ad nuptias in Cana Galilaeae, misericordia permota, primum signum effusionis gratiae messianicae intercessione sua induxit (cf. *Io.* 2, 1-11). In decursu praedicationis Eius accepit verba, quibus Filius, Regnum ultra rationes et vincula carnis et sanguinis extollens, audientes et custodientes verbum Dei, sicut ipsa fideliter faciebat (cf. *Lc.* 2, 19 et 51), beatos proclamavit (cf. *Mc.* 3, 35 par. *Lc.* 11, 27-28). Maxime vero Matris cum Filio indesinens unio tunc enituit, cum iuxta crucem non sine divino con-

58. [*De B. Virgine in ministerio publico Iesu*]. *In* vita publica Iesu, Mater Eius signanter apparet, in initio quidem, cum ad nuptias in Cana Galilaeae, misericordia permota, primum signum effusionis gratiae messianicae intercessione sua induxit (cf. *Io.* 2, 1-11). In decursu praedicationis Eius accepit verba, quibus Filius, Regnum ultra rationes et vincula carnis et sanguinis extollens, audientes et custodientes verbum Dei, sicut ipsa fideliter faciebat (cf. *Lc.* 2, 19 et 51), beatos proclamavit (cf. *Mc.* 3, 35 par. *Lc.* 11, 27-28). *Ita etiam B. Virgo in peregrinatione fidei processit, suamque unionem cum Filio fideliter sustinuit usque*

Textus prior

silio stetit (cf. *Io.* 19, 25), vehementer cum Unigenito suo condoluit, sacrificio Eius se materno animo sociavit, victimae de se genitae immolationi amanter consentiens: cumque demum ab eodem Christo Iesu in cruce moriente uti mater discipulo, fidelium figurae, data est (cf. *Io.* 19, 26-27) (13).

[*De B. Virgine post Ascensionem Iesu*] (F). Cum vero Deo placuerit humanae salutis sacramentum non ante manifestare quam promissum a Christo Spiritum effunderet, Apostolos videmus ante diem Pentecostes « perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Iesu et fratribus Eius » (*Act.* 1, 14), Mariam quoque precibus suis implorantem donum Spiritus, qui in Annuntiatione ipsam iam obumbraverat. Denique Immaculata Virgo, ab omni originalis culpae labe praeservata immunis (14), expleto terrestris vitae cursu, corpore et anima ad caelestem gloriam assumpta est (15), ac tamquam universorum Regina a Domino exaltata, ut plene conformaretur Filio suo, Domino dominantium (cf. *Apoc.* 19, 16) ac peccati mortisque victori (16).

Textus emendatus [7]

ad crucem, ubi non sine divino consilio stetit (cf. *Io.* 19, 25), vehementer cum Unigenito suo condoluit *et* sacrificio Eius se materno animo sociavit, victimae de se genitae immolationi amanter consentiens; *ac* demum ab eodem Christo Iesu in cruce moriente uti mater discipulo, fidelium figurae, data est (cf. *Io.* 19, 26-27) (11).

59. [*De B. Virgine post Ascensionem Iesu*]. Cum vero Deo placuerit humanae salutis sacramentum non ante manifestare quam promissum a Christo Spiritum effunderet, Apostolos videmus ante diem Pentecostes « perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Iesu et fratribus Eius » (*Act.* 1, 14), Mariam quoque precibus suis implorantem donum Spiritus, qui in Annuntiatione ipsam iam obumbraverat. Denique Immaculata Virgo, ab omni originalis culpae labe preservata immunis (12), expleto terrestris vitae cursu, corpore et anima ad caelestem gloriam assumpta est (13), ac tamquam universorum Regina a Domino exaltata, ut plen*ius* conformaretur Filio suo, Domino dominantium (cf. *Apoc.* 19, 16) ac peccati mortisque victori (14).

54. De Beata Virgine et Ecclesia

[*De Maria ut ancilla Domini Redemptoris*] (A). Unicus est Mediator noster secundum absolutam verborum Apostoli significationem: « Unus enim Deus, unus et Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus » (*1 Tim.* 2, 5-6). Mariae autem maternum munus hanc Christi unicam mediationem nullo modo obscurat nec minuit, sed extollit. Omnis enim

III. De Beata Virgine et Ecclesia [8]

60. [*De Maria, ancilla Domini, in opere redemptionis et sanctificationis*]. Unicus est Mediator noster secundum verb*a* Apostoli: « Unus enim Deus, unus et Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus » (*1 Tim.* 2, 5-6). Mariae autem maternum munus *erga homines* hanc Christi unicam mediationem nullo modo obscurat nec minuit, sed *virtutem eius*

[8] *Textus prior*

salutaris Beatae Virginis influxus in homines non ex aliqua rei necessitate, sed ex beneplacito divino exoritur et ex superabundantia meritorum Christi profluit, Eius mediationi innititur, ab illa omnino dependet, ex eademque totam virtutem haurit; directam vero unionem credentis cum Christo in uno corpore nullo modo impedit sed fovet.

(B) Cum itaque Beata Virgo ab aeterno una cum divini Verbi incarnatione tamquam Mater Dei et Mater hominum praedestinata, divinae Providentiae consilio, his in terris pro Christo Redemptore fuerit humilis « ancilla Domini » et singulariter prae aliis generosa socia, hanc ob causam mater nobis in ordine gratiae exstitit. Christum concipiendo, generando, alendo, in templo Patri offerendo, Filioque suo in cruce morienti compatiendo, operi Salvatoris singulari prorsus modo cooperata est, oboedientia, fide et flagrante caritate, ad vitam animarum supernaturalem restaurandam.

(C) Eius autem in gratiae oeconomia maternitas indesinenter perdurat, inde a consensu quem in Annuntiatione fideliter praebuit, quemque sub cruce incunctanter sustinuit, usque ad perpetuam omnium electorum consummationem. In caelis enim assumpta salutiferum hoc munus non deposuit, sed multiplici intercessione sua mirum in modum pergit in aeternae salutis donis nobis conciliandis (17). Ma-
[9] terna sua caritate de fratribus Filii sui adhuc peregrinantibus et contra peccatum luctantibus curat, donec ad felicem patriam perducantur. Propterea B. Maria Virgo in Ecclesia, praeterquam aliis, etiam titulo Mediatricis condecorari consuevit. Quod tamen ita intelligendum est, ut dignitati et efficacitati Christi unius Mediatoris nihil deroget, nihil superaddat (18).

Textus emendatus

ostendit. Omnis enim salutaris Beatae Virginis influxus in homines non ex aliqua rei necessitate, sed ex beneplacito divino exoritur et ex superabundantia meritorum Christi profluit, Eius mediationi innititur, ab illa omnino dependet, ex eademque totam virtutem haurit; *unionem autem immediatam credentium cum Christo* nullo modo impedit sed fovet.

61. Beata Virgo, ab aeterno una cum divini Verbi incarnatione tamquam Mater Dei praedestinata, divinae Providentiae consilio, his in terris *fuit* pro Christo Redemptore humilis « ancilla Domini » et singulariter prae aliis generosa socia. Christum concipien*s*, generan*s*, alen*s*, in templo Patri *sistens,* Filioque suo in cruce morienti compatien*s*, operi Salvatoris singulari prorsus modo cooperata est, oboedientia, fide, *spe* et flagrante caritate, ad vitam animarum supernaturalem restaurandam. *Quam ob causam mater nobis in ordine gratiae exstitit.*

62. *Haec* autem in gratiae oeconomia maternitas *Mariae* indesinenter perdurat, inde a consensu quem in Annuntiatione fideliter praebuit, quemque sub cruce incunctanter sustinuit, usque ad perpetuam omnium electorum consummationem. In caelis enim assumpta salutiferum hoc munus non deposuit, sed multiplici intercessione sua pergit in aeternae salutis donis nobis conciliandis (15). Materna sua caritate de fratribus Filii sui adhuc peregrinantibus et contra peccatum luctantibus curat, donec ad felicem patriam perducantur. Propterea B. Maria Virgo in Ecclesia, *titulis Advocatae, Auxiliatricis, Adiutricis, Mediatricis invocatur* (16). Quod tamen ita intellig*itur,* ut dignitati et efficacitati Christi unius Mediatoris nihil deroget, nihil superaddat (17).

Textus prior

(D) Tale autem munus Mariae Ecclesia profiteri non dubitat, iugiter experitur et fidelium cordi commendat, ut hoc materno fulti praesidio Mediatori ac Salvatori intimius adhaereant.

[*De Maria, Ecclesiae typo ut Virgine et Matre*] (E). Beata autem Virgo divinae maternitatis dono et munere, quo cum Filio Redemptore unitur, suisque singularibus gratiis et muneribus, etiam cum Ecclesia intime coniungitur: Deipara, ut iam docebat S. Ambrosius, est Ecclesiae typus in ordine fidei, caritatis et perfectae cum Christo unionis (19). In mysterio enim Ecclesiae, quae iure mater vocatur et virgo, Beata Virgo Maria praecessit, eminenter et singulariter tum virginis tum matris exemplar praebens (20). Credens enim et oboediens, ipsum Filium Patris in terris genuit, et quidem viri nescia, Spiritu Sancto obumbrata, tamquam nova Heva, non serpenti antiquo, sed Dei nuntio praestans fidem, nullo dubio adulteratam. Filium autem peperit, quem Deus posuit primogenitum in multis fratribus (*Rom.* 8, 29), fidelibus nempe, ad quos gignendos et educandos materno amore cooperatur.

Iamvero Ecclesia, eius arcanam sanctitatem contemplans et caritatem imitans, voluntatemque Patris fideliter adimplens, per verbum Dei

Textus emendatus [9]

Nulla enim creatura cum Verbo incarnato ac Redemptore connumerari unquam potest; sed sicut sacerdotium Christi variis modis tum a ministris tum a fideli populo participatur, et sicut una bonitas Dei in creaturis modis diversis realiter diffunditur, ita etiam unica mediatio Redemptoris non excludit, sed suscitat variam apud creaturas participatam ex unico fonte cooperationem.

Tale autem munus *subordinatum* Mariae Ecclesia profiteri non dubitat, iugiter experitur et fidelium cordi commendat, ut hoc materno fulti praesidio Mediatori ac Salvatori intimius adhaereant.

63. [*De Maria, Ecclesiae typo ut Virgine et Matre*]. Beata autem Virgo divinae maternitatis dono et munere, quo cum Filio Redemptore unitur, suisque singularibus gratiis et muneribus, etiam cum Ecclesia intime coniungitur: Deipara *est Ecclesiae typus,* ut iam docebat S. Ambrosius, in ordine *scilicet* fidei, caritatis et perfectae cum Christo unionis (18). In mysterio enim Ecclesiae, quae *et ipsa* iure mater vocatur et virgo, Beata Virgo Maria praecessit, eminenter et singulariter tum virginis tum matris exemplar praebens (19). Credens enim et oboediens, ipsum Filium Patris in terris genuit, et quidem viri nescia, Spiritu Sancto obumbrata, tamquam nova Heva, non serpenti antiquo, sed Dei nuntio praestans fidem, nullo dubio adulteratam. Filium autem peperit, quem Deus posuit primogenitum in multis fratribus (*Rom.* 8, 29), fidelibus nempe, ad quos gignendos [10] et educandos materno amore cooperatur.

64. Iamvero Ecclesia, eius arcanam sanctitatem contemplans et caritatem imitans, voluntatemque Patris fideliter adimplens, per verbum

[10]

Textus prior

fideliter susceptum et ipsa fit mater: praedicatione enim ac baptismo filios, de Spiritu Sancto conceptos et ex Deo natos, ad vitam novam et immortalem generat. Et ipsa est virgo, quae fidem Sponso datam integre et pure servat, et « imitans Domini sui matrem, quoniam corpore non potuit, mente tamen et mater est et virgo » (21).

[*De Mariae virtutibus, ab Ecclesia imitandis*] (F). Dum autem Ecclesia in Beatissima Virgine ad perfectionem iam attingat, qua sine macula et ruga existit (cf. *Eph.* 5, 27), Christifideles nituntur, ut devincentes peccatum in sanctitate crescant; ideoque oculos suos ad Mariam attollunt, quae toti electorum communitati tamquam exemplar virtutum praefulget. Ecclesia de Ea pie recogitans Eamque in lumine Verbi hominis facti contemplans, in summum incarnationis mysterium venerabunda penitius intrat, Sponsoque suo magis magisque conformatur. Maria enim, quae, in historiam salutis intrinsecus ingressa, maxime fidei placita in se quodammodo unit et reverberat, cum praedicatur, ad Filium suum Eiusque sacrificium atque ad amorem Patris credentes advocat. Ecclesia vero, gloriam Christi prosequens, praecelsae suae Figurae similior efficitur, continuo progrediens in fide, oboedientia, caritate, patientia, imprimis autem in divina voluntate exquirenda et obsequenda.

Textus emendatus

Dei fideliter susceptum et ipsa fit mater: praedicatione enim a baptismo filios, de Spiritu Sancto conceptos et ex Deo natos, ad vitam novam et immortalem generat. Et ipsa est virgo, quae fidem Sponso datam integre et pure servat, et imitans Domini sui matrem, *et virtute Spiritus Sancti virginaliter servans integram fidem, solidam spem, sinceram caritatem* (20).

65. [*De Mariae virtutibus, ab Ecclesia imitandis*]. Dum autem Ecclesia in Beatissima Virgine ad perfectionem iam *pertingit,* qua sine macula et ruga existit (cf. *Eph.* 5, 27), Christifideles *adhuc* nituntur, ut devincentes peccatum in sanctitate crescant; ideoque oculos suos ad Mariam attollunt, quae toti electorum communitati tamquam exemplar virtutum praefulget. Ecclesia de Ea pie recogitans Eamque in lumine Verbi hominis facti contemplans, in summum incarnationis mysterium venerabunda penitius intrat, Sponsoque suo magis magisque conformatur. Maria enim, quae, in historiam salutis *intime* ingressa, maxima fidei placita in se quodammodo unit et reverberat, dum praedicatur *et colitur,* ad Filium suum Eiusque sacrificium atque ad amorem Patris credentes advocat. Ecclesia vero, gloriam Christi prosequens, praecels*o* su*o* *Typo* similior efficitur, continuo progrediens in fide, *spe et* caritate, *ac* divina*m* voluntate*m* *in omnibus quaerens et obsequens. Unde etiam in opere suo apostolico ad Eam merito respicit, quae genuit Christum, ideo de Spiritu Sancto conceptum et de Virgine natum, ut in cordibus quoque fidelium nascatur et crescat. Quae Virgo in sua vita exemplum exstitit materni illius affectus,* [11] *quo cuncti in missione apostolica Ecclesiae cooperantes ad regenerandos homines animari oportet.*

Textus prior

51. De cultu Beatae Virginis in Ecclesia

[*De natura et fundamento cultus*] (A). Maria, per gratiam Dei post Filium prae omnibus angelis et hominibus exaltata, utpote Dei Mater, quae mysteriis Christi non adfuit tantum, sed interfuit, speciali cultu ab Ecclesia merito honoratur. Et sane ab antiquissimis temporibus Beata Virgo sub titulo « Deiparae » colitur, sub cuius praesidium fideles in cunctis periculis suis deprecantes confugiunt (22). Inde praesertim ab Ephesina Synodo cultus populi Dei erga Mariam mirabiliter crebruit in veneratione et dilectione, in invocatione et imitatione, secundum ipsius verba prophetica: « Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est » (*Lc.* 1, 48). Qui quidem cultus, prout in Ecclesia semper exstitit, singularis omnino quamquam est, essentialiter differt a cultu adorationis, qui Verbo incarnato aeque ac Patri et Spiritui Sancto exhibetur, eidemque potissimum favet. Variae enim formae pietatis erga Dei Genitricem, quas Ecclesia intra limites sanae et orthodoxae doctrinae, pro temporum et locorum conditionibus et pro indole ingenioque fidelium approbavit, id efficiunt ut, dum Mater honoratur, Filius, propter quem omnia (cf. *Col.* 1, 15-16) et in quo aeterno Patri complacuit omnem plenitudinem inhabitare (*Col.* 1, 19), rite noscatur, ametur, glorificetur, Eiusque mandata serventur. Et per Christum, qui « via et veritas et vita » est (*Io.* 14, 6), homines ad Dei Patris cognitionem supremamque adorationem perducuntur.

[*De spiritu praedicationis et cultus*] (B). Hanc catholicam doctrinam Sacrosancta Synodus consulto docet, simulque omnes Ecclesiae

Textus emendatus [11]

IV. De cultu Beatae Virginis in Ecclesia

66. [*De natura et fundamento cultus*]. Maria, per gratiam Dei post Filium prae omnibus angelis et hominibus exaltata, utpote Dei Mater, quae mysteriis Christi interfuit, speciali cultu ab Ecclesia merito honoratur. Et sane ab antiquissimis temporibus Beata Virgo sub titulo « Deiparae » colitur, sub cuius praesidium fideles in cunctis periculis suis deprecantes confugiunt (21). Inde praesertim ab Ephesina Synodo cultus populi Dei erga Mariam mirabiliter crebruit in veneratione et dilectione, in invocatione et imitatione, secundum ipsius verba prophetica: « Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est » (*Lc.* 1, 48). Qui cultus, prout in Ecclesia semper exstitit, singularis omnino quamquam est, essentialiter differt a cultu adorationis, qui Verbo incarnato aeque ac Patri et Spiritu Sancto exhibetur, eidemque potissimum favet. Variae enim formae pietatis erga Dei Genitricem, quas Ecclesia intra limites sanae et orthodoxae doctrinae, pro temporum et locorum conditionibus et pro indole ingenioque fidelium approbavit, id efficiunt ut, dum Mater honoratur, Filius, propter quem omnia (cf. *Col.* 1, 15-16) et in quo aeterno Patri complacuit omnem plenitudinem inhabitare (*Col.* 1, 19), rite noscatur, ametur, glorificetur, Eiusque mandata serventur.

67. [*De spiritu praedicationis et cultus*]. Hanc catholicam doctrinam Sacrosancta Synodus consulto docet, simulque omnes Ecclesiae

[12]

Textus prior

filios admonet, ut cultum catholicum, praesertim liturgicum, erga Beatam Virginem generose foveant, praxes autem et exercitia pietatis erga Eam saeculorum cursu a Magisterio commendata magni faciant et ea quae anteactis temporibus de cultu imaginum Christi, Beatae Virginis et Sanctorum decreta fuere, religiose servent (23). Theologos autem verbique divini praecones enixe exhortatur, ut ab omni falsa superlatione, quemadmodum et a nimia mentis angustia, in singulari Deiparae dignitate consideranda sedulo abstineant (24). Studium Sacrae Scripturae, Sanctorum Patrum Ecclesiaeque Doctorum sub ductu Magisterii excolentes, recte illustrent munera et privilegia Beatae Virginis, quae semper Christum spectant, totius veritatis, sanctitatis et pietatis originem. In proponenda veritate talia adhibeant verba, quae Beatam Virginem nullatenus Filio suo aequalem, Eam tamen, Deo sic volente, Filio suo inter omnes Sanctos simillimam praedicent. Sedulo arceant quaecumque sive in dictis sive in factis fratres seiunctos in errorem circa veram Ecclesiae doctrinam inducere possent. Meminerint porro fideles veram devotionem neque in sterili et transitorio affectu, neque in vana quadam credulitate consistere, sed a vera fide procedere, qua ad Dei Genitricis excellentiam agnoscendam adducimur, et ad filialem erga Matrem nostram amorem eiusque virtutum imitationem excitamur.

Textus emendatus

filios admonet, ut cultum, praesertim liturgicum, erga Beatam Virginem generose foveant, praxes autem et exercitia pietatis erga Eam saeculorum cursu a Magisterio commendata magni faciant et ea quae anteactis temporibus de cultu imaginum Christi, Beatae Virginis et Sanctorum decreta fuere, religiose servent (22). Theologos autem verbique divini praecones enixe exhortatur, ut *aeque* ab omni falsa superlatione, quemadmodum et a nimia mentis angustia, in singulari Deiparae dignitate consideranda sedulo abstineant (23). Studium Sacrae Scripturae, Sanctorum Patrum Ecclesiaeque Doctorum sub ductu Magisterii excolentes, recte illustrent munera et privilegia Beatae Virginis, quae semper Christum spectant, totius veritatis, sanctitatis et pietatis originem. Sedulo arceant quaecumque sive in dictis sive in factis fratres seiunctos *aliosve* in errorem *vel aversionem erga* veram Ecclesiae doctrinam inducere possent. Meminerint porro fideles veram devotionem neque in sterili et transitorio affectu, neque in vana quadam credulitate consistere, sed a vera fide procedere, qua ad Dei Genitricis excellentiam agnoscendam adducimur, et ad filialem erga Matrem nostram amorem eiusque virtutum imitationem excitamur.

56. Maria, signum certae spei et solatii peregrinanti populo Dei

(A) Interim autem Mater Iesu, quemadmodum in caelis corpore et anima iam glorificata, imago et initium est Ecclesiae in futuro saeculo consummandae, ita his in terris, quoad-

V. Maria, signum certae spei et solatii peregrinanti populo Dei

68. Interim autem Mater Iesu, quemadmodum in caelis corpore et anima iam glorificata, imago et initium est Ecclesiae in futuro saeculo consummandae, ita his in terris, quoad-

Textus prior

usque advenerit dies Domini (cf. *2 Pt.* 3, 10), tamquam signum certae spei et solatii peregrinanti populo Dei praelucet.

(B) Sacrosanctae huic Generali Synodo magnum affert gaudium et solatium, etiam inter fratres separatos non deesse, qui Matri Domini ac Salvatoris debitum afferunt honorem, speciatim apud Orientales, qui ad cultum Deiparae semper Virginis fervido impulsu ac devoto animo concurrunt (25). Universi christifideles supplicationes instantes ad Matrem Dei et Matrem hominum effundant, ut Ipsa, quae primitiis Ecclesiae precibus suis adstitit, nunc quoque in omnium Sanctorum Communione apud Filium suum intercedat, donec cunctae familiae populorum, sive christiano nomine decorantur, sive Salvatorem suum adhuc ignorant, cum pace et concordia in unum Populum Dei feliciter congregentur.

Textus emendatus **[12]**

usque advenerit dies Domini (cf. *2 Pt.* 3, 10), tamquam signum certae spei et solatii peregrinanti populo Dei praelucet.

[13] 69. Sacrosanctae huic Generali Synodo magnum affert gaudium et solatium, etiam inter fratres separatos non deesse, qui Matri Domini ac Salvatoris debitum afferunt honorem, speciatim apud Orientales, qui ad cultum Deiparae semper Virginis fervido impulsu ac devoto animo concurrunt (24). Universi christifideles supplicationes instantes ad Matrem Dei et Matrem hominum effundant, ut Ipsa, quae primitiis Ecclesiae precibus suis adstitit, nunc quoque in omnium Sanctorum Communione apud Filium suum intercedat, donec cunctae familiae populorum, sive christiano nomine decorantur, sive Salvatorem suum adhuc ignorant, cum pace et concordia in unum Populum Dei feliciter congregentur, *ad gloriam Sanctissimae et individuae Trinitatis.*

NOTAE

Caput VIII

De Beata Maria Virgine Deipara in Mysterio Christi et Ecclesiae

Ad n. 52.

(1) *Credo* in Missa Romana: Symbolum Constantinopolitanum: MANSI 3, 566. Cf. CONC. EPHESINUM, *ibid.* 4, 1130 (necnon *ibid.* 2, 665 et 4, 1071); CONC. CHALCEDONENSE, *ibid.* 7 111-116; CONC. CONSTANTINOPOLITANUM II, *ibid.* 9, 375-396.

(2) *Canon* Missae Romanae.

(3) S. AUGUSTINUS, *De S. Virginitate*, 6: *PL* 40, 399.

(4) Cf. PAULUS PP. VI, *Allocutio in Concilio,* die 4 dec. 1963: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 37.

Ad n. 53.

(5) Cf. S. GERMANUS CONST., *Hom. in Annunt. Deiparae*: *PG* 98, 328 A; *In Dorm.* 2: col. 357. - ANASTASIUS ANTIOCH., *Serm. 2 de Annunt.,* 2: *PG* 89,

[13] 1377 AB; *Serm.* 3, 2: col. 1388 C. - S. ANDREAS CRET., *Can. in B. V. Nat.* 4: *PG* 97, 1321 B. *In B. V. Nat.,* 1: col. 812 A. *Hom. in dorm.* 1: col. 1068 C. - S. SOPHRONIUS, *Or. 2 in Annunt.,* 18: *PG* 87 (3), 3237 BD.

(6) S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 22, 4: *PG* 7, 959 A; HARVEY, 2, 123.

(7) S. IRENAEUS, *ibidem*; HARVEY, 2, 124.

(8) S. EPIPHANIUS, *Haer.* 78, 18: *PG* 42, 728 CD - 729 AB.

(9) S. HIERONYMUS, *Epist.* 22, 21: *PL* 22, 408. Cf. S. AUGUSTINUS, *Serm.* 51, 2, 3: *PL* 38, 335; *Serm.* 232, 2: col. 1108. - S. CYRILLUS HIEROS., *Catech.*
[14] 12, 15: *PG* 33, 741 AB. - S. IO. CHRYSOSTOMUS, *In Ps.* 44, 7: *PG* 55, 193. - S. IO. DAMASCENUS, *Hom. 2 in dorm. B. M. V.,* 3: *PG* 96, 728.

(10) Cf. CONC. LATERANENSE anni 649, Can. 3: MANSI 10, 1151. - S. LEO M., *Epist. ad Flav.*: *PL* 54, 759. - CONC. CHALCEDONENSE: MANSI 7, 462. - S. AMBROSIUS, *De instit. virg.*: *PL* 16, 320.

(11) Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), pp. 247-248.

(12) Cf. PIUS IX, Bulla *Ineffabilis,* 8 dec. 1854: *Acta Pii IX,* 1, I, p. 616: DENZ. 1641 (2803).

(13) Cf. PIUS XII, Const. Apost. *Munificentissimus,* 1 nov. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950); DENZ. 2333 (3903). Cf. S. IO. DAMASCENUS, *Enc. in dorm. Dei genitricis,* Hom. 2 et 3: *PG* 96, 722-762, speciatim col. 728 B. - S. GERMANUS CONSTANTINOP., *In S. Dei gen. dorm.* Serm. 1: *PG* 98 (3), 340-348; Serm. 3: col. 362. - S. MODESTUS HIER., *In dorm. SS. Deiparae*: *PG* 86 (2); 3277-3311.

(14) Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Ad coeli Reginam,* 11 oct. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 633-636; DENZ. 3913 ss. Cf. S. ANDREAS CRET., *Hom. 3 in dorm. SS. Deiparae*: *PG* 97, 1090-1109. - S. IO. DAMASCENUS, *De fide orth.,* IV, 14: *PG* 94, 1153-1168.

Ad n. 54.

(15) Cf. KLEUTGEN, textus reformatus *De mysterio Verbi incarnati,* cap. IV: MANSI 53, 290. Cf. S. ANDREAS CRET., *In nat. Mariae,* sermo 4: *PG* 97, 865 A. - S. GERMANUS CONSTANTINOP., *In ann. Deiparae*: *PG* 98, 322 BC. *In dorm. Deiparae,* III: col. 362 D. - S. IO. DAMASCENUS, *In dorm. B. V. Mariae,* Hom. 1: *PG* 96, 712 BC - 713 A.

(16) Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Adiutricem populi,* 5 sept. 1895: *A.S.S.,* 15 (1895-96) p. 303. - S. PIUS X, Litt. Encycl. *Ad diem illum,* 2 febr. 1904: *Acta,* I, p. 154; DENZ. 1978 a (3370). - PIUS XI, Litt. Encycl. *Miserentissimus,* 8 maii 1928: *A.A.S.,* 20 (1928), p. 178.

(17) S. AMBROSIUS, *Epist.* 63: *PL* 16, 1218.

(18) S. AMBROSIUS, *Expos. Lc.* II, 7: *PL* 15, 1555.

(19) Cf. PS.-PETRUS DAM., *Serm.* 63: *PL* 144, 861 AB. - GODEFRIDUS A S. VICTORE, *In nat. B. M.,* Ms. Paris, Mazarine, 1002, fol. 109 r. - GERHOHUS REICH., *De gloria et honore Filii hominis,* 10: *PL* 194, 1105 AB.

(20) S. AMBROSIUS, *l. c.* et *Expos. Lc.* X, 24-25: *PL* 15, 1810. - S. AUGUSTINUS, *In Io.* Tr. 13, 12: *PL* 35, 1499. Cf. *Serm.* 191, 2, 3: *PL* 38, 1010; etc. Cf. etiam Ven. BEDA, *In Lc. Expos.* I, cap. 2: *PL* 92, 330. - ISAAC DE STELLA, *Serm.* 31: *PL* 194, 1863 A.

Ad n. 55. [14]

(21) « Sub tuum praesidium ».

(22) CONC. NICAENUM II, anno 787: MANSI 13, 378-379; DENZ. 302 (600-601). - CONC. TRIDENT., sess. 25: MANSI 33, 171-172.

(23) Cf. PIUS XII, *Nuntius radioph.,* 24 oct. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), p. 679. Litt. Encycl. *Ad coeli Reginam,* 11 oct. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), p. 637.

Ad n. 56.

(24) Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Ecclesiam Dei,* 12 nov. 1923: *A.A.S.,* 15 (1923), p. 581. - PIUS XII, Litt. Encycl. *Fulgens corona,* 8 sept. 1953: *A.A.S.,* 45 (1953), pp. 590-591.

2 – RELATIO [15]

PARS GENERALIS

1. In hac relatione considerantur plura *documenta* iam ante Sessionem III Concilii ad Secretariam transmissa, tum *Orationes Patrum,* numero circiter 70, sive pronuntiatae in Aula sive scriptis traditae in hac sessione, quae 266 magnas paginas implent. Sedulo omnia elementa consignata sunt in schedulis quae ad 400 ascendunt.

Schema a pluribus diserte *laudatur,* v. gr. E/2600, 2635, 2651, 2697, 2699 (+ 39 P.), 2723, 2730, 2829 et aliquando valde commendatur, v. gr. E/2518, 2644. Optat E/2819 ut textus remaneat immutatus ne, ut notat E/2733, maiores nascantur difficultates. Secundum E/2839 ulteriores quaestiones non sunt dirimendae. Immo proponit E/2732, et praesertim E/2717, cui plurimi alii accesserunt, ut textus admittatur sine Modis, cum solis correctionibus styli.

Ex altera parte nonnulli aestimant *nimis parum* de B. Virgine affirmari, quod E/2657 et 2734 modo satis severo exprimunt; alii vero, E/2668, 2722, 2787 mitius loquuntur.

Expressit Em. Frings (E/2655 et 2806) ideam quod textus inter duo extrema *viam mediam* prosequitur, quae ab omnibus ex corde admitti deberet, ut unanimitas Patrum de B. Virgine obtineri posset. Cui consentit E/ 2699 (+ 39 P.). Similiter E/2698 (+ 90 P.). Non est, ut addidit E/2884 (+ 124 P.), cur de maximalismo et minimalismo disputetur, ubi omnes funditus de ipsa doctrina concordant.

2. Unus Pater, E/2835, proponit *textum omnino novum*; duo vero alii, E/2602 et 2709, *novam structuram* suadent. Quod in datis circumstantiis irrealizabile videtur. Alii quidam, E/2736, 2777, 2820 (6 Patres), 3077 (+ 10 P.), et dubitative etiam 2668, optant ut Caput *De Beata* in schemate immediate post Caput I, de Mysterio Ecclesiae, reponatur. Quod pariter, propter rationes practicas, exsecutioni mandari nequit.

[15] Quidam, v. gr. E/2822 (+ 21 P.), 2835, 2839, serio revidendas esse aestimant *citationes scripturisticas,* quas E/2642 cum citatione Apoc. 12 compleri vellet. Alii *parvas additiones* exoptant, de quibus suo loco in relatione particulari agetur.

3. Quaestio specialis movetur *de titulo Capitis.* Desiderant enim multi ut ad titulum *De Maria Matre Ecclesiae* redeatur: E/2573 (+5 P.), 2611, 2623, 2717, 2726, 2735 (+ 80 P.), 2860 (+ 83 P.), 2830 (+ 16 P.), 2831, 2835. Alii, e contra, multum insistunt ut titulus maneat sicut nunc est et non adhibeatur titulus *Mater Ecclesiae*: E/2602,
[16] 2697, 2778, 2781 (+ 40 P.), 2822 (+ 21 P.), 3041, 3130, quibus accedunt 40 Patres ex Brasilia, cum 15 aliis qui varias regiones repraesentant. Titulus actualis a quaestione controversa de conceptione christotypica vel ecclesiotypica totaliter praescindit.

E/2935 valde commendat titulum *Mater fidelium,* qui in textu ceterum adhibetur (in pag. 198, lin. 16) et qui videtur intentionem melius exprimere. « Ecclesia » enim, in expressione « Mater Ecclesiae », evidenter intelligitur de Pastoribus et fidelibus simul sumptis, non vero de ipsa institutione Christi. Unde melius dicitur « Mater fidelium »; ad « fideles » autem evidenter etiam Pastores pertinent. Expressio « Mater Ecclesiae », licet aliquando apud scriptores ecclesiasticos occurrat, est tamen admodum rara, neque dici potest « traditionalis ». Ceterum aliquando completur per additas voces « filia et soror », unde patet quod agitur de comparatione. Oecumenice certo non commendatur. Licet ergo titulus theologice admitti possit, videtur tamen Commissioni sufficere ut modo aequivalente exprimatur, nempe pag. 198, lin. 9.

De particularibus

Ad num. 52

Pag. 197, linn. 9-17 (quae de Ecclesia loquuntur): secundum E/2791 essent omnino omittenda. Sed necessariae sunt ut annuntietur pars de relationibus B. Virginis ad Ecclesiam et de cultu. Requiruntur insuper ut appareat nexus cum capitibus praecedentibus.

Pag. 197, linn. 22-23: E/2781 vellet auferre incisam « *sublimiori modo redempta* », quam dicit controversam; E/2730 addere vellet « in unico salutis opere ». Quod videtur superfluum. Affirmatio « sublimiori modo redempta » desumpta est ex Bulla *Sollicitudo* Alexandri VII. Cf. V. Sardi, *La solenne definizione del dogma dell'Immacolato Concepimento,* Romae 1905, II, p. 306. Ex contextu ibidem omnino clarum est quod agitur de unico opere Christi, diversimode applicato.

Pag. 198, lin. 9: plures proponunt ut addatur: « ... filialis pietatis [16]
affectu se *tanquam matrem amantissimam* prosequi... »: ita E/2635, 2639, 2772, 2836. Opponitur vero insertioni: E/2822 (+ 21 P.).

Loco « prosequi semper professa est », plures, nempe E/2822 (+21 P.), 2826 (+4 P.), 2839 (+10 P.), rogant ut simpliciter scribatur « prosequitur », quia cultus B. Virginis tribus prioribus saeculis vix apparet. Quod a Commissione admittitur. Ulterius E/2635 postulat ut loco « Ecclesiae » scribatur « *populus christianus* ». Videtur servan-
da expressio « Ecclesia Catholica », quia « *populus christianus* » pos- [17]
set habere latiorem interpretationem, in qua forsan subaudirentur etiam Protestantes. Admittitur autem additio « tanquam matrem amantissimam »; quae verba occurrunt in Bulla aurea *Gloriosae Dominae* BENEDICTI XIV, 27 sept. 1748 (cf. *Documentos Marianos,* n. 210).

Pag. 198, lin. 16: rogant plures, inter quos E/2581, 2635, ut scribatur « Mater Christi et *Mater* fidelium ». Ratio enim maternitatis in duabus istis applicationibus diversa est.

Pag. 198, linn. 17 ss.: proponit E/2697 ut auferantur illa quae dicuntur de intentione Concilii non omnia exponendi. Similiter E/2791 delere vult ea quae dicuntur de sententiis scholarum catholicarum. Plurimi, e contra, i. a. E/2699 (+39 P.), textum servare volunt sicut iacet. Quibus Commissio satisfaciendum esse statuit.

Ad num. 53

Proponunt E/2655, 2822, 2826 ut totus numerus abbrevietur. Abbreviatio autem defectum claritatis induceret.

Pag. 198, linn. 26-31: proponunt plures Patres ut loco phraseos introductoriae, indolis sat generalis, introducatur thema de B. Virgine, *Filia Sion*: ita E/2826, 2627 (*Zach. Mal.*), 2822 (+39 P.), 2580. Statuitur ut pag. 199, lin. 10 addatur: « Ipsa tandem *praecelsa filia Sion,* post diuturnam... », sine tamen referentia biblica.

Pag. 198, lin. 29: proponit E/2635 ut de testimonio Veteris Novique Testamenti potius dicatur: « *innuunt* et veluti conspiciendum proponunt » (potiusquam « describunt », quod esset exaggeratum relate ad V. T.). Statuit Commissio ut scribatur « *ostendunt* »; subiectum enim huius phraseos est: « Sacrae Litterae... et veneranda Traditio ».

Pag. 198, linn. 34 ss.: aestimant E/2640 et 2791 verba « *in apricum* profertur » esse parum intelligibilia; E/2791 insuper rogat ut addatur textus biblicus. Scribatur loco « *in apricum* »: « pedetentim *in lucem* profertur ». Textus autem biblici immediate postea in eadem alinea citantur.

[17] Pag. 199, lin. 2: proponunt E/2835, 1575 et 2836 ut loco « *adumbratur* » dicatur « praevidetur », quod tamen peritis in re biblica e commissione doctrinali non placuit.

Pag. 199, lin. 4. Propositio generalis, de legendis primaevis documentis sub luce plenae revelationis atque in ambitu Ecclesiae, valet pro tota paragrapho et non tantum pro citatione *Gen.* 3, 15. Ideo lin. 4 scribitur: *Similiter* haec est Virgo...

Pag. 199, lin. 13: proponit E/2635 ut dicatur: « quando Filius Dei humanam naturam *ex ea* assumpsit », ut ratio appareat cur superius dicatur instaurari cum Maria nova oeconomia. Admittitur.

Pag. 199, lin. 13: E/2791 rogat quid significet « mysteriis carnis
[18] suae »? Agitur evidenter de *incarnatione* Verbi secundum *Io.* 1, 14 et de mysteriis quae in Christo incarnato effecta sunt atque in sacramentis velut continuantur et applicantur. Expressio « mysteria carnis Christi » oritur a S. Thoma. Intentio totius textus est insistere in realitatem incarnationis ex Maria.

Pag. 199, linn. 18 ss.: citetur « *desponsata Ioseph* » in paragrapho de Annuntiatione vel in sequenti: ita E/2820, 2627, 2779.

Pag. 199, linn. 22 ss.: plures Patres, v. gr. E/2822 (+23), 2826, 2828, proponunt ut deleantur verba « quoniam autem B. Virgo haud minus poterat esse quam Dei Matrem decebat », quia de liceitate applicationis huius adagii theologici in singulis casibus certitudinem non habemus nisi praehabita divina revelatione; in ipsa autem citatione S. Ambrosii verba sensum non habent qui in textu schematis supponitur. Etenim, ut patet ex Relatione, pag. 211 in fine, agit S. Ambrosius de casu particulari: fugientibus nempe Apostolis, Mater Christi stabat sub cruce. Admittitur ergo modificatio sequens: « ... conferret ad vitam. *Quod praecellentissime valet de Matre Iesu, quae ipsam Vitam, omnia renovantem, mundo effudit.* Unde nil mirum apud Sanctos Patres... ».

Pag. 199, lin. 27: proponunt E/2791 et 2640 ut verbum « naevo » deleatur, quia vox illa vix intelligitur. Admittitur.

Pag. 199, lin. 32: proponunt E/2839 (+10), 2826 et 2627 ut loco « gratia plena » dicatur sive « summe Deo grata », sive « summe Deo grata seu gratia plena ».

Remanet « *gratia plena* » propter usum in Ecclesia maxime diffusum, quidquid sit de controversia philologica exegetarum de « Kecharitômenè », de qua quaestione nihil in textu dirimitur. Aliquis Pater proponit ut ad « Nazarethana Virgo » addatur: « *desponsata Ioseph* ». Quod non requiritur in contextu.

Pag. 199, lin. 33: proponit E/2791 ut textus dicat quid Angelus B. V. annuntiaverit; quare proponitur ut dicatur: « et caelesti nuntio

ipsam fore Matrem Messiae et Filii Dei " oboedienter " (E/2791) respondet ». Quod non est necessarium, quia res patet ex contextu. [18]

Pag. 199, lin. 37: proponit E/2835 ut auferantur verba « unici Mediatoris ». De facto haec incisa non requiritur in contextu, et deletur.

Pag. 199, lin. 40: proponitur ut deleantur verba « *et operi* Filii sui ». Quae tamen verba iustificantur ex tenore narrationis de Annuntiatione, ideoque servantur.

Pag. 200, lin. 7: proponit E/2822 (+ 39) ut dicatur « *nonnulli* Patres ». Dicatur: « Unde *non pauci* Patres... ». Proponunt E/2697 et 2822, ut minuatur numerus citationum in textu. Deletur propterea citatio (9) « per virginem Hevam mortem, per Virginem vel de Virgine Maria vitam apparuisse », servata tamen referentia in Notis.

Pag. 200, lin. 8: pluribus Patribus, e. g. E/2828, 2627, 2782, 2839 (+10), formula « asserere solebant » difficultatem facit (nam non videntur tam multi Patres hoc dixisse); dicatur ergo: « *libenter* asserunt ». [19]

Pag. 200, lin. 17: proponit E/2627 ut deleatur illud « in proverbium proferre ».

Scribatur: « *saepiusque affirmant...* ».

Pag. 200, lin. 22: proponit E/2791 ut loco « manifestatur » dicatur « identidem innuitur ».

Statuitur tamen servandam esse expressionem textus.

Pag. 200, lin. 26: proponunt E/2829 et 3171 (+2 P.) ut deleantur verba: « et praecursor in sinu matris *sanctificatur* », quia sana exegesis textus hanc interpretationem non sustinet: agitur potius de munere *prophetico* Praecursoris quam de eius sanctificatione.

Loco « sanctificatur » scribatur cum ipso textu Evangelii « *exsultavit* ».

Pag. 200, lin. 28: proponunt E/1575 et 2635 ut expungatur verbum « primogenitus ».

Servatur vocabulum « *primogenitum* », quod in textu Evangelii occurrit, et insuper suadetur ex contextu de servata virginitate.

Pag. 200, lin. 31: loco « *Cum vero* » scribatur « *Cum autem* ».

Pag. 200, lin. 40: proponit E/2734 ut loco « verbaque eius » dicatur, claritatis causa, « verbaque Filii ».

Quod admittitur. Propter fidelitatem erga textum biblicum punctuatio ita corrigitur: « ... verbaque *Filii* non intellexerunt. *Mater* vero Eius... ». E/3107 proponit textum modificatum, qui tamen non videtur clarior.

Pag. 201, lin. 2: Proponunt E/2734 et 3078 ut loco « *durante*

[19] vita publica Iesu » dicatur « *in* vita publica Iesu », quia adverbium « durante » in latinitate desideratur. Admittitur correctio.

Pag. 201, lin. 7: proponit E/3107 ut addatur « In decursu praedicationis Eius *B. Virgo aliquo modo a Filio separata apparet* et verba audivit... ». Idea haec, licet mitius, exprimitur linn. 8-9: « Regnum ultra rationes et vincula carnis extollens ». Ideo propositio non admittitur.

Ulterius proponit idem ut linn. 12 ss. scribatur: « Ita *etiam B. Virgo in peregrinatione fidei processit,* suamque unionem *cum Filio fideliter* sustinuit usque ad crucem, ubi non sine divino consilio stetit, *et sic vere mater fidei omnium nostrum effecta est* (*Rom.* 4, 11), *quia et ipsa in fide illa* nos praecessit, qua renascimur et sumus filii Dei ». Cetera deinde tolluntur, quia recurrunt pag. 202, linn. 23-30.

Admittitur prima pars huius correctionis, non vero altera: « et sic... ». Ita satisfactio praebetur etiam E/2698.

Pag. 201, lin. 17: instat E/2822 (+25 P.) ut verba « victimae de se genitae immolationi amanter *consentiens* » omnino retineantur.

Pag. 201, lin. 21: proponit E/ 2635 ut addatur: « simulque ei ut filius vicissim datus est discipulus ».

[20] Quod non est necessarium.

Pag. 201, lin. 24: proponit E/2791 ut loco « non manifestare » dicatur « non antea solemniter et plene manifestare ».

Additio rursus non est necessaria.

Pag. 201, linn. 32-33: proponunt E/2967 (+21 P.), et 2620 ut deleantur « ab omni originali culpae labe praeservata immunis » sive ob motiva oecumenica (R. P. Janssens) sive quia incisa, ob contextum immediate sequentem, videretur immortalitatem Mariae et consequentiam Immaculatae Conceptionis proponere.

Incisa de definitione Immaculatae Conceptionis consulto a Commissione hic apposita est. Textus ceterum nihil docet de « demonstratione » Assumptionis ex Immaculata Conceptione. Aliqua tamen analogia fidei in textu subaudiri potest, sicut in Const. *Munificentissimus.*

Pag. 201, lin. 36: opponitur ab uno Patre quod nulla creatura *plene* cum Christo conformari potest. Dicatur: *plenius.*

Ad num. 54

Pag. 202, lin. 1: aestimant E/2697, 2833 et 2611 titulum « De Maria ut *ancilla Domini Redemptoris* » non bene sonare: secundum testimonium N. T. Maria se dixit ancillam Domini, id est non Verbi incarnandi sed Patris.

Ut titulus accuratim textui paragraphi correspondeat, ita exprimi-

tur: « *De Maria, ancilla Domini, in opere redemptionis et sanctificationis* ». [20]

Pag. 202, lin. 2: instant E/2644 et 2518 ut affirmatio de unico Mediatore in textu servetur. Similiter E/2699 (+39 P.).

Pag. 202, lin. 2: secundum E/2635 et 2697 auferenda esset vox « absolutam », quia non omnibus exegetis pateret verba S. Pauli significationem absolutam habere. Vox « absolutam » deletur, utpote non necessaria.

Pag. 202, lin. 7: proponunt E/2822 (+25 P.), 2627, 2826 (+4 P.) et alii ut dicatur: « maternum munus *erga homines* », ut sensus verborum clarius appareat. Quod omnino placet.

Pag. 202, lin. 9: pluribus Patribus verbum « *extollit* » difficultatem facit: proponunt ut dicatur: « clarius ostendit » (2822 + 22 P.), « supponit » (E/2635), « clarissime manifestat » (E/2828).

Dicatur: « ... non obscurat, *sed virtutem eius ostendit* ». Haec ratio adducitur a S. Thoma, quando loquitur de causalitate creaturarum, quae ostendit virtutem Causae transcendentis. Cui solutioni omnes consentiunt.

Pag. 202, linn. 15-17: proponunt plures Patres: E/ 2839 (+10 P.), 2826 (+4 P.), 2627 ut dicatur « ipsamque nullo modo mediatam reddit ». Ita melius locus Christi indicatur et nullo modo innuitur Mariam esse aliquod intermedium inter Christum adhuc remotum et homines, [21]
qua sola mediatione Christus primum nobis proximus fieret. Cf. etiam E/2699 (+39 P.).

Proponitur sequens solutio: « unionem autem *immediatam credentium* cum Christo nullo modo impedit sed fovet ». Unio scilicet hominis iusti cum Christo est ontologica et nihil habet interpositum. Ut autem realizetur, B. Virgo caritate cooperatur. Quae solutio admittitur, secundum verba S. Augustini, in n. 52 citata.

Pag. 202, linn. 18-25: proponit E/2639, ut textus ita emendetur: « Cum itaque B. Virgo, divinae Providentiae consilio, *Mater Dei ita effecta sit ut Verbum Dei incarnatum humani generis perfectus Mediator Redemptorque fieret,* hanc ob causam mater nobis in ordine gratiae extitit » (ad melius indicandum fundamentum maternitatis spiritualis). Cui consentiunt omnino E/2836 et 2839.

Eodem loco, E/2822, linn. 18-38 sequenti modo simplificat: Consensus quem ancilla Domini in Annuntiatione fideliter praebuit *operi salutis incipientis,* quemque sub cruce incunctanter sustinuit, indesinenter perdurat usque ad perpetuam omnium electorum consummationem. In caelis assumpta, *sollicitudinem operis Christi,* qui vult omnes homi-

[21] nes salvos fieri, non deposuit, sed *in Dei claritate* intercessione sua mirum in modum... ».

Re mature perpensa, admittitur sequens levis modificatio, propter clariorem connexionem idearum:

« Beata Virgo, ab aeterno una cum divini Verbi incarnatione tanquam Mater Dei praedestinata, divinae Providentiae consilio, his in terris *fuit* pro Christo Redemptore humilis " ancilla Domini " et singulariter prae aliis generosa socia. Christum concipi*ens,* gener*ans,* al*ens,* in templo Patri *sistens,* Filioque suo in cruce morienti compat*iens,* operi Salvatoris singulari prorsus modo cooperata est, oboedientia, fide, spe et flagrante caritate, ad vitam animarum supernaturalem restaurandam. *Quam* ob causam mater nobis in ordine gratiae exstitit ».

Mutationes sequentes sunt:

a) lin. 20 delentur verba « *et Mater hominum* », quia haec idea prius introducenda est per « cooperationem ».

b) lin. 23 *dividitur phrasis,* ob claritatem, et incisa de maternitate gratiae reponitur in fine, ob rationem iam indicatam.

c) lin. 26 ponitur *sistere,* pro *offerre,* propter fidelitatem erga vocabularium Evangelii.

Pag. 202, lin. 23: E/2627, 2778, 2806,3107 proponunt ut deleatur « generosa socia ». Non tamen adest difficultas, quia dicitur « *singulariter prae aliis* generosa socia ».

Pag. 202, linn. 31 ss.: proponit E/2822 ut deleatur lin. 31 et dicatur simpliciter: « consensus... perdurat », et lin. 37, loco « *salutiferum munus* » dicatur: « sollicitudo operis Christi qui vult omnes homines
[22] salvos fieri... ». E contra E/2791, linn. 32-33, de « consensu » auferre desiderat, quia constituunt repetitionem.

Videtur tolli difficultates per textum supra exscriptum. Lin. 31 scribendum erit: « *Haec* autem in gratiae oeconomia maternitas Mariae... ». Ita simul patet connexio idearum. Proponit E/3107 ut tollantur verba « *mirum in modum* ». Quod admittitur.

Pag. 203, linn. 4-5: plures advertuntur tendentiae:

Prima vult ut retineatur *affirmatio de Mediatrice,* vel imo fortius enuntietur: E/2721, 2723 (+82 vel 70 P.), 2727, 2728, 2742, 2771 (+ 1 P.), 2777, 2780, 2814, 2817 (+ 5 P.), 2830 (+ 16 P.) et praesertim 2611 et 2870. Duo volunt loqui de mediatione omnium gratiarum: E/2623 et 2797. Immo E/2737 petit « definitionem ». Alius vult titulum « distributrix gratiarum », nempe E/2797.

Secunda sententia vult *auferre titulum Mediatricis*: E/2518, 2581, 2620, 2697, 2698, 2725, 2778, 2780, 2791, 2839 (+10 P.), 3041,

E/2935 et 3130 (40 Epp. Bras. et plures alii). Similiter: 2884 (+124 P.), 2936, 3107, 3113. [22]

Tertia sententia vult servare titulum Mediatricis, sed eum ponere simul cum aliis titulis Advocatae, Auxiliatricis, Adiutricis, Mediatricis, cum expressione « condecoratur » (E/2668): ita i. a. 2782, 2816, 2822 (+30 P.) et forsan etiam 2620. E/2519 vult dicere: mediatricem in Christo per intercessionem. Lin. 8 unus Pater (E/2627) addere proponit: « cum omnis gratia ex Christo Capite defluat ». E contra E/1575 vult supprimere verba « nihil superaddat », invocando textum *Col.* 1, 24 (adimpleo ea...).

Prima sententia invocat usum tituli in pietate et in documentis ecclesiasticis (non tamen apud Pium XII et postea). Plures Patres ablationem tituli aegre ferrent et putant exinde exorituram mirationem populi.

Secunda sententia nititur in hoc quod titulus in usu communi est satis recens (inde praesertim a saeculo XX incipiente), — quod involvit systema theologicum, — et quod non oportet difficultatem oecumenicam adhuc augere. Addunt Patres, i. a. E/3107, quod vox *Mediator* in Novo Testamento de Christo solo adhibetur et ad alios non transfertur. Unitatem Mediatoris universalis etiam docent Conc. Florentinum et Tridentinum, Denz. 711 et 790. De quo ceterum nemo dubitat.

Tertia sententia servat titulum, sed non in sensu systematizationis theologicae. Quod exinde patet quod titulus simul enuntiatur cum aliis invocationibus, de quibus non datur controversia. Hoc modo titulus etiam apud Orientales adhibetur, qui in orationibus liturgicis B. Mariam Adiutricem, vel immo Mediatricem appellant, quia nobis dedit Christum et omnia beneficia cum Eo, nosque protegit etc. Non tamen exinde construunt systema theologicum. Neque censent talia placita conciliariter esse docenda.

Cum tertia sententia vitatur incommodum quod timet sententia prima, et videtur etiam satisfieri secundae sententiae, quae praesertim timet technicum usum vocabuli, cum adnexis disputationibus. [23]

Patres qui iuxta 2^{am} sententiam vocabulum « Mediatrix » auferre volunt, timent ne apud fideles minus excultos confusio oriatur inter munus Christi et munus B. Virginis. Talis autem confusio non tam ab usu vocabuli « Mediatrix » videtur proficere quam ex deficientia accuratae et clarae instructionis populi de munere Mariae. Cui deficientiae obviandum est per aptiorem praedicationem doctrinalem et meliorem institutionem pietatis et cultus.

Commissio, disceptatione instituta, fere unanimiter elegit *tertiam*

[23] *propositionem,* quae scilicet enumerat varios titulos sub quibus B. Virgo invocatur. Haec autem ultima expressio « *invocatur* », ab omnibus libenter accipitur loco vocabuli « *condecoratur* », quod nimis ad decorationem exteriorem videtur alludere. Similiter longe maior pars Commissionis statuit inserendam esse explicationem: « Nulla enim creatura... ex unico fonte cooperationem ». Ita autem, ut patet, in materiam inter theologos controversam non intratur, sed simpliciter clarificatur idea secundum analogiam fidei, scilicet comparatione facta cum uno sacerdotio Christi et una bonitate Dei.

Pag. 203, linn. 15 ss.: E/2611 postulat amplificationem de B. Virgine ut « Sponsa, Regina et Sanctissima ».

Quod videtur superfluum, datis illis quae alibi dicuntur, scilicet de *sanctitate* passim, et de *regalitate,* pag. 201, lin. 36. Thema autem de *Sponsa* sat intricatam exigeret explanationem.

Pag. 203, linn. 19-20: postulat E/2791, pro fidelitate citationis S. Ambrosii, ut scribatur: « Ecclesiae typus, ut iam docebat S. Ambrosius (17), in ordine quidem fidei... ». Certo admittendum.

Pag. 203, lin. 22: petit E/2635 pro claritate, ut scribatur: « quae *et ipsa* iure mater vocatur... ». Admittendum similiter.

Pag. 203, linn. 32-33: E/2697 (+21 P.) difficultatem movet contra « *gignendos* » quia haec vox in mentem vocat baptismum. Ideo scribi posset: « suscitandos ». Alii proponunt: *pariendos.* Recolenda est citatio S. Augustini, pag. 198, linn. 2-4, de Maria quae cooperatur caritate ut filii in Ecclesia nascerentur, utique non sine baptismo. Unde stet textus impressus.

Pag. 203, lin. 40: proponit E/2635 additionem: « generat, sacramentis, praesertim Eucharistiae, alit, praedicatione educat », quod hic versatur extra materiam.

Pag. 204, linn. 1-3: E/2822 (+11 P.) postulat omissionem citationis S. Augustini ibi allatae, quia non est valde dilucida. Alludendo ad aliam citationem S. Augustini (cf. pag. 215 in medio), scribi posset: « imitans Domini sui matrem *et virtute Spiritus Sancti virginaliter servans integram fidem, solidam spem, sinceram caritatem* ». Sic etiam
[24] citaretur Spiritus Sanctus, secundum desiderium plurium. Haec solutio admittitur.

Pag. 204, lin. 3: proponit E/2730 sat longam ampliationem; similiter facit E/2732. Quod non videtur acceptandum.

Pag. 204, lin. 5: suggerit E/2635 ut loco: « *Dum...* » scribatur: « Sicut... ita... ». Sed hoc modo in textu deperditur oppositio intentionalis. Stet igitur textus, addito verbo « Christifideles *adhuc* nituntur », pro claritate.

Pag. 204, lin. 6: praefert E/2791 « *per*tingit » loco « *at*tingit ». [24]

Pag. 204, lin. 11: rursus proponitur amplificatio ab E/2967 (+21 P.). Quae non admittitur.

Pag. 204, lin. 17: plures, e. g. E/2791, 2822, 2826, delere volunt « intrare *intrinsecus* » utpote superfluum. Placet.

Pag. 204, lin. 18: suggerit E/2635 ut dicatur « *dum* praedicatur *et colitur* »; alius autem E/2828 clarius vult dicere: « quando praedicatio instituitur de Maria ».

Admissa correctione: « *dum* praedicatur *et colitur* », textus videtur clarus.

— lin. 17, legendum est maxim*a*.

— lin. 22, loco *Figurae suae,* legatur: *praecelso suo Typo.*

Pag. 204, linn. 23-24: E/2627, 2822, 2826 (+4 P.), 2828 proponunt ut hae lineae inter se invertantur. De quibus posset sat longe disputari. Scribatur: « ... progrediens in fide, *spe* et caritate, *ac div*inam voluntatem in omnibus quaerens et obsequens ».

Pag. 204, post lin. 25: Em. Suenens cum insistentia proponit additionem de apostolatu. En textus: « ... obsequens. Unde etiam in opere suo apostolico ad Eam merito respicit, quae genuit Christum, ideo de Spiritu Sancto conceptum et de Virgine natum, ut in cordibus quoque fidelium nascatur et crescat; quae Virgo in sua vita exemplum exsistit materni illius affectus, quo cuncti in missione apostolica Ecclesiae cooperantes ad regenerandos homines animari oportet ». Prima pars sententiae alludit ad thema de nativitate Christi in corde fidelium. Quod thema praesertim inde ab Origene in Ecclesia diffunditur. In altera parte effertur B. Virgo ut exemplar ardoris apostolici. Additio admittitur.

Ad num. 55

Pag. 204, lin. 29: secundum suggestionem E/2822 (+30 P.), delentur verba « non adfuit tantum sed », utpote superflua.

Pag. 205, lin. 4: secundum E/2782 deletur « quidem », ob motivum stylisticum.

Pag. 205, lin. 4: proponit E/2668 ut scribatur: « qui cultus, *plerumque hyperduliae dictus,* prout in Ecclesia... » « Simili locutione » ait, « orientales non offendi existimo et ab historia minime receditur ». Expressio tamen, utpote satis technica, a Commissione non censetur [25]
adhibenda.

Pag. 205, lin. 5: proponit E/2822 ut scribatur, loco « essentialiter differt »: *infinite distat.*

[25] « *Essentialiter differt* » est intentionaliter a Commissione positum, quia expressio accuratior est quam « infinita distantia ».

Pag. 205, linn. 18 ss.: proponit E/2791 ut hae lineae omittantur quia inutiles. Ideo delentur.

Pag. 205, lin. 26: rogat E/2791 quid significat « cultum *catholicum* ». Sufficit « cultum » sine addito.

Pag. 205, lin. 30: proponunt E/2651, 2736, 2840, 2954 (+113 P.) ut addatur: « *quorum eminet rosarium* ».

Recolitur tamen quod Concilium *particularia et determinata* exercitia non videtur enumerare debere, necnon quod Rosarium apud Catholicos Orientales non est in usu. Ideo verba proposita non inseruntur.

Pag. 205, lin. 34: proponit E/2791 ut dicatur: « ut *aeque* ab omni falsa... ». Quod admittitur.

Pag. 205, lin. 42: textus valde approbatur ab E/2620 et etiam ab E/2518, 2602. Proponit E/2961 ut addatur post ultimam lineam: « ... originem *et praecipue mirabilem adimpletionem in Ipsa spiritus evangelicarum beatitudinum, quibus Dei Genitrix hominumque Mater absolutissimam christianae perfectionis exemplum existit* ».

Ratio: ut sensus paragraphi magis positivus evadat et orientatio detur de contento praedicationis. Quia tamen tota alinea ultima numeri 54 de Maria ut exemplari virtutum agit, additio non censetur admittenda.

Pag. 206, lin. 6: proponit E/2688 ut scribatur: « ... fratres seiunctos *aliosve* in errorem *vel aversionem* erga... ». Ita etiam loquuntur E/2699 (+39 P.), 2697, 2698. Correctio admittitur.

Proponitur ut pag. 206, linn. 1-4 auferantur, ne impressio oriatur talem aequalitatem inter Christum et Mariam de facto aliquando praedicari. Propositio admittitur. Ita simul tonus fit magis positivus, ut optavit i. a. Em. Léger, E/2697.

Ad num. 56

Proponit E/2731 ut mentio fiat de *Apoc.* 12, 1 ss., ubi describitur signum magnum in caelo apparens. Commissio propositionem non admisit, ne intrare videatur in interpretationem controversam huius loci.

Pag. 206, linn. 25 ss.: proponit E/2791 ut addatur: « afferunt honorem, *ac gaudet speciatim* Orientales ad cultum Deiparae semper Virginis fervido impulsu ac devoto animo concurrere ».

Haec idea clare iam adest in textu, qui consequenter stare potest.

Pag. 206, lin. 37: proponit E/2822 (+30 P.) ut addatur: « *ad*
[26] *gloriam Sanctissimae et individuae Trinitatis* ». Haec suggestio admit-

titur, quia accipitur propositio statim sequens, de delenda exhortatione finali. [26]

Etenim, pag. 207: proponunt E/2627, 2724, 2782, 2791, 2822 (+30 P.), 2839 (+10 P.), 2967 (+21 P.) ut deleatur exhortatio finalis, quia textui conciliari non convenit. Proponit E/2724 ut loco invocationum litanicarum exponatur doctrina de patrocinio et auxilio Deiparae Virginis.

Quod tamen iam fit alibi.

Deleta autem praedicta exhortatione finali, cadunt sequentes propositiones.

Pag. 207, linn. 8-11: proponit E/2730 formulam: « Virgo igitur fidelis intercedat apud Filium Suum, ut Ipsa per Spiritum Sanctum augeat in nobis fidem et spem futurorum bonorum. Beata Virgo exemplo suo nos erigat ad caelestia desideria... ».

E/2728 quoque postulat mentionem de Spiritu Sancto.

Pag. 207, lin. 26: legatur: « gaudio totius societatis caelestis... » (E/2635).

Finitur itaque Caput VIII et ultimum cum mentione de SS. Trinitate, a qua totum Schema initium sumpsit.

3 – Exc.mus P. D. MAURITIUS ROY
Archiepiscopus Quebecensis

RELATIO
SUPER EMENDATIONES
CAPITIS VIII DE ECCLESIA
DE BEATA MARIA VIRGINE DEIPARA
IN MYSTERIO CHRISTI ET ECCLESIAE

Venerabiles Patres,

Cum gaudio e ore Patrum in hac Aula audivimus multas laudes et aliquando explicitas commendationes de schemate proposito pro Capite VIII nostrae Constitutionis De Ecclesia, nempe *de Beata Maria Virgine Deipara in Mysterio Christi et Ecclesiae.* Nonnisi pauci omnino Patres aestimaverunt schema in extollenda figura B. Virginis aliquatenus deficere. Apparuit autem in tota disceptatione fundamentalis concordia circa doctrinam in Schemate expositam; pro qua concordia Deo gratias agimus.

Plures tamen Patres correctiones proposuerunt, praesertim de prae-

sentatione et modo dicendi, necnon de accuratissima fidelitate servanda in citandis textibus Sacrae Scripturae et documentis Traditionis. De his omnibus emendationibus Commissio sedulo rationem servavit, et hac data occasione gratum suum animum pandit erga omnes qui quovis modo ad meliorem textum conficiendum operam suam contulerunt.

Nunc autem, Venerabiles Patres, praecipuas emendationes in schemate introductas recensemus.

1) In prima paragrapho explicitius exprimit Concilium quod Ecclesia, a Spiritu Sancto edocta, B. Virginem filiali pietatis affectu *tanquam matrem amantissimam* prosequitur, mutuatis scilicet verbis ex *Bulla Aurea* Benedicti XIV. Ita aequivalenter exprimitur munus maternum Mariae erga Ecclesiam, id est erga omnes eius Pastores atque fideles.

2) Sub numero 54, doctrina de hac *maternitate Mariae in ordine gratiae* modo aptiore et magis ordinato explanatur.

3) In eadem paragrapho, Commissio fere unanimi consensu statuit edicere: « Propterea B. Virgo in Ecclesia titulis *Advocatae, Auxiliatricis, Adiutricis, Mediatricis invocatur* », et longe maior pars membrorum Commissionis in eodem contextu explicationem theologicam inserendam decrevit, de sensu quo haec cooperatio Virginis in ordine salutis ab Ecclesia intelligitur, in perfecta scilicet fidelitate erga affirmationes Sacrae Scripturae. Ita autem in problemata inter theologos disputata non intramus, sed factum latissime diffusum asserimus invocationis, qua populus noster sub variis titulis auxilium et protectionem Beatae Virginis in ordine ad salutem implorat. Ita sane unica mediatio Christi Redemptoris non offuscatur, sed virtutem suam peculiariter ostendit.

4) In fine eiusdem paragraphi addita est explanatio de modo quo *omnis activitas apostolica* in Ecclesia ad Matrem Dei et Matrem hominum respicit, tanquam ad perfectum suum exemplar.

5) Denique in duabus ultimis paragraphis quaedam effectae sunt *opportunae abbreviationes,* ut documentum tenorem profunde doctrinalem in omnibus suis partibus servet et manifestet.

Venerabiles Patres,

Coram illo spiritu concordiae et conciliationis, qui tum in Aula tum in Commissione feliciter, Deo dante, apparuit, liceat in memoriam revocare praeclara verba, ab Em.mo Card. Frings coram Vobis prolata: « Humiliter rogo, Fratres, ut omnes sint parati aliquid sacrificare de suis ideis etsi iustis, ... et assentiamus huic Schemati optimo, ut credo, inter possibilia, exarato cum multo labore et sudore Commissionum competentium et Peritorum.

Ut verbis utar Apostoli Pauli, ... omnes simus unanimes, (quia) unum Corpus, una fides, unus Deus et Pater omnium, ut et hoc Decretum fiat in gloriam Dei et Eius, quem misit, et in honorem Deiparae Virginis Mariae, quam omnes, Patres, Observatores, Auditores tenerrime amamus ».

Huic exhortationi non expedit ut plura addamus. Ut clarum est omnibus in quaestionibus de theologica explicatione, Schema propositum simpliciter affirmat illud quod communiter admittitur, ita ut cunctorum oculis veritas doctrinae manifeste pateat et cunctorum corda eam cum gaudio amplecti possint. Quia autem singulae partes Decreti plenum et accuratum sensum suum non produnt, nisi quando in toto complexu explanationis considerantur, velint Patres diversas partes Schematis non separatim et a totali expositione velut avulsas ponderare: secus enim singulae paragraphi internum suum aequilibrium cum aliis partibus patefacere non possent.

Quapropter optamus ut Venerabiles Patres de toto Capite, quod de Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae, unum suffragium complexivum exprimere velint. Quod suffragium speramus fore quasi unanime et non nimia mole Modorum oneratum. Ita enim coram tota Ecclesia et omnibus hominibus testimonium sollemne proferemus de fide nostra invincibili in Christum Filium Dei, ideo de Spiritu Sancto conceptum et ex Virgine natum, ut in cordibus quoque fidelium omnium nascatur et crescat, necnon honorem et amorem pandemus quo concorditer circumdamus Deiparam, Virginem et Matrem, quae ut Typus Ecclesiae in fide et dilectione iure celebratur.

Ipsa enim, ut textus noster cum S. Augustino dicit, cooperata est caritate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui summi Capitis Christi membra sunt et fratres Filii sui. Faxit Deus ut Ipsa etiam in hoc Concilio semper magis magisque appareat ut causa nostrae laetitiae!

Moderator: Iteratas gratias magnas agimus tibi, exc.me Pater, pro accurata relatione ac universae commissioni, quae diligentissime curavit definitivam redactionem huius Schematis « De Beata », quod a Sacrosancta Synodo unanimi, ut in votis est, voce approbatum omni dulcedine replet corda nostra ac corda omnium filiorum Ecclesiae.

Loquitur nunc exc.mus secretarius generalis.

Secretarius generalis: Lego vobis, Patres venerabiles, textum suffragandum. Lego initium, amplissime quidem, et finem huius capitis quod inscribitur: De Beata Maria Virgine Deipara in Mysterio Christi et Ecclesiae.

Videatis latus dexterum [*cf. pag. 10-21*]. Porro, Patres venerabiles, placetne vobis hic textus, non placet, an placet iuxta modum? Respondeatis. Et qui forte modos apponunt, possunt eos deferre etiam crastina. Gratias.

PATRUM ORATIONES

(*de Ecclesia in mundo huius temporis*: cap. IV)

1

EXC.MUS P. D. IOSEPH STIMPFLE

Episcopus Augustanus Vindelicorum

Venerabiles Patres et Fratres,

Animadversio mea respicit pag. 22, linn. 25-27, n. 20 schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Ne repetam, quae pluries iam ...[1] de argumento libertatis ...[2] personae humanae dicta sunt, me limito ad unam tantum observationem, quae tamen magni momenti esse mihi videtur:

Lin. 25 christifideles adhortantur, ut « intrepide... libertatem et responsabilitatem personae humanae... quacumque ratione et actione vindicent, maxime renovando condiciones vitae... ». Quomodo conditiones vitae renovari queant, ex historia Christi et Ecclesiae edocemur.

Institutum v. g. servitutis tempore Domini et Ecclesiae primaevae vigens, non tam monitionibus vel legibus disparuit quam exemplo Christi communitatumque christianarum, in quibus florere coepit « sensus Christi » ...[3], seu libertas illa, qua Christus nos liberavit...[4]

Neque ipse Dominus neque apostoli directe et immediate impugnaverunt institutum servitutis, quamvis tunc temporis servi incredibili in miseria vitam degerent; econtra S. Petrus servos adhortatur: « Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. Haec est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste... In hoc enim vocati estis: quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius » ...[5]

Et S. Paulus ...[6] Philemoni servum fugitivum Onesimum remittere non dubitavit; at simul Philemonem admonuit, ut Onesimum ab apostolo baptizatum « iam non ut servum, sed pro servo carissimum fratrem » ...[7] reciperet.

Apostoli evangelizant dignitatem regiam populi Dei ...[8] perfectam-

que libertatem Filiorum Dei ...[9] quam adipiscuntur per fidem seu oboedientiam erga veritatem ...[10]. Redempti a servitute peccati, legis et mortis christifideles « iam non sibi vivunt, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit » ...[11]. Inter baptizatos iam « non est Iudaeus neque Graecus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina. Omnes enim vos unus estis in Christo Iesu » ...[12]. Et caritas, effusa in cordibus fidelium per Spiritum Sanctum, eos ad perfectam libertatem ducit, uti in communitate Hierosolymitana factum est, in qua « multitudo fidelium erat cor unum et anima una » ...[13]

Hac [14] nova ratione convivendi conditiones vitae mutabantur, non tantum inter christianos, sed sensim sine sensu etiam in mundo. Et tali modo etiam institutum servitutis evanuit.

Quibus perspectis concludere licet: ubi genuina libertas Filiorum Dei, ibi conditiones vitae mutantur. His ergo nostris temporibus, in quibus dignitas personae humanae ultra modum conculcata fuit, et hominibus inest desiderium fruendi libertate perfecta, quid melius Ecclesia Christi mundo praestare potest servitium quam exemplum libertatis Filiorum Dei.

Liceat afferre pauca exempla:

a) in campo educativo libertas magni habeatur. In scholis, institutis religiosis, seminariis etc. concedatur spatium sufficiens libere eligendi, ut evitetur periculum legalismi;

b) in campo scientifico investigationi scientificae plena libertas relinquatur, cum scientia vera ad revelationem profundius intelligendam multum valeat conferre;

c) denique in campo administrativo et legislatione ecclesiastica vita spiritus quam maxima gaudeat libertate. Nimia limitatio vel restrictio libertatis plus damni affert quam periculum abusus eiusdem libertatis *afferre potest!* [15]

Ne perperam intelligatur dignitas personae humanae, quam christifideles promovere studeant, inseratur in textum schematis mentio libertatis illius, quam Spiritus Sanctus efficit.

Concludendo propono ut textus in pag. 22, lin. 27 hoc vel simili modo perficiatur: « ... maxime renovando conditiones vitae *genuino spiritu libertatis filiorum Dei...* ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] et optime. [2] dignitatisque. [3] (*1 Cor.* 2, 16). [4] (cf. *Gal.* 4, 31). [5] (*1 Pt.* 2, 18-21). [6] christiano cuidam nomine. [7] (*Phil.* 16). [8] (cf. *1 Pt.* 2, 4-10). [9] (cf. *Rom.* 8, 2. 15; *2 Cor.* 3, 17; *Gal.* 3, 26 ad 5, 25). [10] (cf. *Io.* 8, 31 s.). [11] (*2 Cor.* 5, 15). [12] (*Gal.* 3, 28). [13] (*Act.* 4, 32). [14] Qua. [15] deest.

2

Exc.mus P. D. SANCTUS QUADRI

Episcopus tit. Villanovensis, aux. Pineroliensis

Quattuor animadversiones circa n. 20 vel circa numeros qui ex 20 nascentur.

I. In initio n. 20 vel ante n. 20 brevis descriptio esset facienda de natura doctrinae socialis Ecclesiae; de doctrina sociali Ecclesiae non est agendum in numero de vita oeconomica et sociali ...[1], quia doctrina socialis christiana latius patet quam vita oeconomico-socialis; est enim doctrina generalis hominis et societatis.

Haec inter alia memoranda essent. Doctrina socialis Ecclesiae non est scientia, ideologia, systema vel programma ordinis temporalis; non est solutio praefabricata, ut aiunt, omnium problematum. Ecclesia docet fideles vias securas ut ad Deum, etiam per res temporales, perveniant.

Ipsa praebet principia ordinis naturalis et supernaturalis quae, in quavis aetate ac regione, valent ac debent conferre scientiis, systematibus, programmatibus et activitatibus temporalibus, eorum valore proprio cognito ac servato, vim et dignitatem humanam completam.

Nulli systemati est alligata et tamen omnia systemata tangit; immo praebet hominibus fundamentalia principia ut ipsi, in decursu historiae et in diversis regionibus, plura systemata, semper meliora, quantum fieri potest, suscitent, dummodo recte ac debita competentia et praeparatione agant.

Ecclesia dialogum instituens cum omnibus hominibus exponit elementa recti ordinis naturalis, ostendens quoque fontem supernaturalem a quo ordo naturae firmatur.

II animadversio. In n. 20 aequalis dignitas mulieris, qua personae et filiae Dei adoptivae simul cum eius indole propria fusius declaretur ut vitentur scholia sic dicti feminismi et antifeminismi, in familia, in labore et in vita sociali. Exstant duo capita in veteri schemate *de apostolatu laicorum* quae forsan ad hoc inservire possunt.

III animadversio. Totum cap. IV melius fundandum videtur in doctrina personae humanae; persona enim est subiectum, obiectum et finis universae vitae socialis. Ita melius patebit logica intima doctrinae socialis christianae et augebitur efficacitas suggestionum quas in cap. IV exhibemus.

Persona est subiectum subsistens, sui iuris, a natura ratione et

libera voluntate praeditum, cum iuribus et officiis ...[2] propriis. Ipsa condit familiam, societatem necessariam cum structura originaria, a iure naturae promanante.

Persona libere condit liberas consociationes; ipsas quoque praeditas originaria ratione vel ordine, qui correspondet finibus pro quibus assequendis consociationes conduntur.

Persona condit communitates territoriales, cuiusvis generis sint, a pago usque ad rempublicam et ad societatem internationalem...[3]

Necessaria pluralitas societatum et ordinum (italice ordinamenti) ad unitatem redigitur ex eo quod, natura sua, unaquaeque societas ordinatur ad servitium personae humanae ...[4]

In visione completa personae humanae,[5] coordinatio activitatum diversarum societatum effici potest ac debet iuxta cognitam et agnitam hierarchiam valorum.

Ad quod attendendum est praesertim hodie, in societate ideologice pluralistica et in plurimis dispersa consociationibus secundariis, ut sociologi aiunt.

Haec considerans, opportunum mihi videretur in cap. IV, universum complexum societatum ex persona dimanantium breviter exponendum esse, sicuti actum est in primo schemate *de apostolatu laicorum* a commissione centrali praeparatoria probato et in schemate olim XVII a commissione mixta probato die 25-5-63.

IV et ultima animadversio. Modo speciali esset loquendum de consectario doctrinae circa personam, et non tantum quando agitur de vita oeconomica et sociali, de coetibus et de coetuum consociationibus, de eorum relationibus et *collaboratione*[6] inter se ac inter se et rempublicam et societatem internationalem, scil. de eorum habitudine ad bonum commune nationale et internationale.

Optima audivimus ab em.mo Caggiano et ab exc.mis Civardi et aliis de iustitia sociali. Puto aliquid addendum esse; quod certe erat in mente Patrum qui locuti sunt: nempe iustitiam socialem ab omnibus hominibus et consociationibus, in libertate et responsabilitate, procurandam esse et ideo non solum a moderatoribus reipublicae et ab operum conductoribus sed a consociationibus quoque opificum vel laboratorum.

Velint denique Patres, praesertim ex Africa et Asia, benigne audire. Hodie, sicut heri in quibusdam regionibus Europae et Americae, omnes ad autonomiam nationalem recte attenditis; sed iam patet necessarium esse, etiam pro vobis, opinor, mundum laboris pressius considerare, sive in exorienti, *etiam apud vos, exorienti*[7] industria sive in agricul-

tura; oportet considerare eius evolutionem (agitur enim de motu historico), et eius consociationes syndacales, sociales, culturales, educativas et apostolicas.

Ita ut experientia, aliquando apud europaeos dolorosa, constat, erroribus diversi generis, tempestive, positive et efficacius obsistimus. Quod faxit Deus in toto orbe. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] uti v. g. fit in adnexis. [2] originariis et. [3] Persona humana, in sua completa natura considerata, omnibus istis societatibus praebet significationem et robur. [4] a Deo creatae, intra ordinem moralem obiectivum positae et ad ordinem supernaturalem elevatae. [5] In tali visione. [6] cooperatione. [7] deest.

3

Exc.mus P. D. AUGUSTINUS FROTZ

Episcopus tit. Coradenus, aux. Coloniensis

Venerabiles Patres,

Loquor ad n. 20: de dignitate personae fovenda et quidem de dignitate personali mulieris in societate moderna et Ecclesia.

Sed quia heri in congregatione generali rev.mus D. Gerardus Coderre partem quandam huius argumenti iam optime proposuit, pauca tantum et nova, ...[1] ut mihi videtur, addere velim.

Intentio meae interventionis praecise in hoc consistit, ut *totum problema mutationis conditionum vitae mulierum* profunde et accurate perscrutemur et ope mulierum peritarum partem nostram ad has quaestiones tam arduas solvendas praebere valeamus.

Problema enim totaliter novum est et eius extensio super totum mundum et eius momentum pro futura evolutione societatis civilis et Ecclesiae vix sufficienter attenditur.

Ex una parte mulieres familiae necessitatibus obligatae sunt et ex altera parte ius et officium habent, vitam socialem omnibus suis formis, participare. Aequilibrium sanum inter officia familiaria et professionalia nondum invenitur, qua de causa — inter alias — permultae mulieres in crisi quadam humana et religiosa, numquam decursu temporum experta, versantur et cura pastorali Ecclesiae plus quam tempore praeterito indigent.

Dici possit: Tempora mutantur et mulieres etiam in illis! *Quid dicendum ad hoc?* [2] Duo praesertim, ...[3] mihi videtur:

1. Ecclesia hoc « phaenomenon mundiale » non tantum *non* [4] ignorare non potest, sed omnino necesse est, ut hanc evolutionem bene observet, opinionem suam aperte manifestet et directionem pastoralem novam et adaequatam proponat.

2. Ecclesiam hanc evolutionem fovere et promovere *deberet, ut* [5] heri iam dictum est. Et hac de causa formatio intellectualis et spiritualis-religiosa poscenda est, quae ad altiorem culturam mulierum spectat et duplicem effectum obtinere intendit: *a*) ut mulieres de momento vere fundamentali familiae etiam in societate moderna bene instructae, capaces reddantur ad vitam familiarem nova cum aestimatione familiae ...[6] excolendam. Et *b*) ut mulieres, praesertim non-coniugatae, omnibus positionibus et ministeriis in societate civili et Ecclesia fungi possint, pro quibus dotes suas speciales et requisitas habent et in quibus iura et officia sua ad bonum proprium et ad bonum commune exercere valent.

Hoc modo mulieres, etiam in Ecclesia, praesertim in eius apostolatu optimae cooperatrices, sive propria vi initiativa sive de mandato speciali fieri possunt.

Tales mulieres — per transennam *saltem* [7] dicatur — ut Ecclesiae filiae adultae habeantur, quae dignae sunt, ut proprio sui sexus nomine vocentur, non autem simpliciter ut « filii Ecclesiae » vel « fratres », uti fieri solet.

Effectus inde exspectandus, sic, *ut mihi videtur,*[8] circumscribi potest:

Mulieres totius mundi Ecclesiam ut veram protectricem et promotricem dignitatis personalis mulieris grato animo agnoscent.

Mulierum navitates, praesertim pro suis ipsius causis tractandis et defendendis magis ac magis crescent.

Vocationes spirituales, sive ad vitam religiosam sive ad vitam evangelicam in mundo degendam, augmentabuntur,

Generatim autem divitiae dotum specialium *tam* [9] naturalium *quam* [10] supernaturalium, quas Deus Creator et Salvator mulieribus divinis ut imaginibus non minus quam viris dare dignatus est, mensura uberiore et sublimiore in vitae evolutionem meliorem, a nobis tam desideratam, influent.

His praemissis sequentia pro schemate elaborando proponere mihi liceat.

1. Mutatio conditionum vitae mulierum in schemate nostro non tantum nominetur, sed ut signum temporis sensu verborum Ioannis Papae XXIII, p. m. ...[11] proponatur.

2. Addatur, quod Ecclesia hanc evolutionem summo studio fovere et suis mediis promovere intendit.

3. Explicite dicatur, Sacrae Synodus fiduciam et spem habere, fore, ut mulieres ipsae, responsabilitatem et audaciam suam augentes, dignitatem personalem mulieris, praesertim in vita publica, viribus etiam in institutionibus internationalibus catholicis et non-catholicis unitis, defendant et influxum suum bonum et specialem in toto vitae nostrae ambitu exerceant.

4 et ultimo. Mundo moderno autem iterum in memoriam revocetur, quod ascensus vel descensus populorum, augmentum vel interitus verae culturae hominum summo gradu a positione mulieris in conscientia et habitudine populi dependet et proinde *societates civiles*[12] et Ecclesia tales conditiones vitae creare debent, quae revera dignitatem personalem mulieris *et eius maiorem aestimationem, praesertim in vita publica,*[13] tuentur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] saltem. [2] Sed quid faciendum? [3] ut. [4] deest. [5] debere. [6] conditionibus modernis adaequatae. [7] deest. [8] forse. [9] et. [10] et. [11] (Litt. Enc. *Pacem in terris*). [12] societas civilis. [13] deest.

4

EXC.MUS P. D. AEGIDIUS HENRICUS ALEXIUS BARTHE

Episcopus Forojuliensis-Tolonensis

Venerabiles Fratres,

In articulo « de dignitate personae fovenda » schema nostrum inquirit conditiones sociales, quarum ratio habenda est, ut persona humana nitescere, et propriam dignitatem vindicare possit. Attamen non sufficienter determinat in quo consistit hanc dignitatem. Nunc autem, huiusmodi determinatio pro nobis maximi momenti est, quia si persona humana necessario honoranda est ab aliis in iuribus suis, multo magis ipse homo in sese honorare debet id quod fons est suae praestantiae et dignitatis.

Atqui homines hodierni volunt plene homines esse, et omnes nationes conantur ad hoc scopum assequendum: scil., ut civibus miorem valorem humanum praebeant; sed non consentiunt de plenitudine humanitatis ad quem tendunt: dum alii hominem tantum merum productionis instrumentum considerant, alii tantum beatitudinem in fruitione copiarum quam maximarum ponunt. Si de dignitate personae loquuntur, eadem elementa quae eam debent constituere non accipiunt, et hoc sub multiplicibus aspectibus: v. g. de bono intelligentiae quod est

veritas, de bono cordis quod est certa felicitas, de bono voluntatis quod est libertas... Verba saepe eadem sunt, sed non unum sonant.

Attentis signis temporis,[1] necesse est *ergo*[2] ut dicamus clare quod pro nobis christianis haec verba significent. Brevitatis causa tantum de libertate loquor.

Libertas magis magisque tanquam aliquid absolutum effecta est. In campo rationis *seu philosophiae*[3] sicut in vita practica, homo huius temporis quamvis dominationem reiicit, quae eum debilitat. Dignitatem suam ponit in autonomia...[4]

Sed quomodo hanc autonomiam intelligere?[5]

In inquisitione veritatis, scientia et ars technica progrediuntur quia iterum atque iterum revisuntur notiones iam acquisitae, plane posthabendo auctoritatem traditionalem, utpote saepius mancam. Hic modus procedendi valde est proficuus ...[6] in novis veritatibus cito citius adipiscendis, sed cum assidua cura, per experientiam et rationem verificandi quidquid pro vero habeatur. Etiamsi vir doctus solum problemata pertractare vult, quorum solutio vitam commodiorem procurat et dominium in naturam confirmat, non est absolute liber in suis cogitationibus, i. e. solutus ab omni norma. Immo ex eo quod semper intimius investigationes perducunt, gravissimi et doctissimi in mysterium incidunt et ad supremum dispositorem omnium accedunt, *cui fides*[7] libertatem inquisitionis minime impedit, *conferendo*[8] ultra campum phaenomenorum lucem ...[9] spiritui.

Si de libertate agendi nunc loquimur, autonomiam completam impossibilem esse similiter videmus. Saepe saepius libertas aliquorum fit malum aliorum. Ipsi enim profectus, qui humanitatem liberaverunt a timore naturae, magis magisque cognitae, aliud genus timoris, et quidem maioris, nobis attulerunt. Cur? Quia, quo maiores sunt profectus, eo violentiores sunt instinctus dominationis et egoismi. ...[10] Homo, qui naturae vim minus timet, plus timet vim libertatis hominum, *quam moderare per conventiones et aptas organisationes requirit.*[11] De facto semper crescunt numero in omnibus campis, in vita professionali, in vita politica, in vita internationali. Agitur de communi ethica inquirenda, de normis statuendis, ut antecedenter determinentur iura et officia omnium, et sic ordinentur conflictus libertatum, *v. g. « Declaratio de iuribus hominum »*.[12]

Bonus est hic conatus; sed efficacior certe erit, si leges humanae in conscientia acceptae sunt, non ut normae ethicae ab hominibus solis edictae, sed in subiectione auctoritatis, quae homines transcendat. Tum lex, non coercitio sed liberatio est.

Plena libertas tantummodo invenietur in voluntaria dependentia

a Deo « cui servire regnare est ». Ita pro aliis naturalibus bonis personae. Quaerens plenitudinem suam homo, sub omnibus aspectibus, ad superius principium se subiicit, quod scimus esse Deum.[13]

Itaque, inter varia signa temporis, nullum tam clarum est quam aspirationes universales tot hominum et populorum ad dignitatem *personae.*[14] Etiamsi nobis incompletae, forsan a peccato deviae videntur, in his aspirationibus opus continuum Spiritus Sancti agnoscere debemus, qui eos impellit ut veritatem conditionis suae inveniant et faciant.

Attamen quis est qui non videret has aspirationes fauste compleri per lumen Evangelii, si tamen, tam pro nobis quam pro aliis, Evangelium est, i. e. Bonus Nuntius apto et congruente modo ostensus, non doctrina extranea spei hominum...[15]

Concludo: oportet, meo iudicio, includere in art. 20 paragraphum describentem criteria notionis dignitatis hominis tamquam personae secundum doctrinam catholicam, attentis tamen notionibus in mundo hodierno vigentibus.

Emendationes meas propositas secretariatui tradam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] Omnes pro certissimo habent, quod sine libertate homo diminuitur. [5] Quod desiderium optimum est. Sed de qua autonomia agitur? Modus eam intelligendi multiplex est. [6] intelligentiam adiuvat. [7] cuius praesentia. [8] quinimmo. [9] confert. [10] Homo suae libertatis malum usum facit. [11] Itaque suam spem dedit duobus bonis quae alia bona omnia antecellunt, scil. Pax et Iustitia. Pax ad evitandum periculum conflictus inter nationes, et Iustitia ad tollendas discrepationes in ordine sociali. Qua ratione obtinenda sunt illa bona? Necessario per limitationem immoderatae libertatis; ergo per conventiones et aptas organizationes. [12] Ex his conventionibus characterem quam maxime generalem habet recens « Declaratio de iuribus hominum » et « Declaratio de iuribus infantium » ab omnibus nationibus recepta. [13] Quaerens plenitudinem suam homo, sub omnibus aspectibus, ad superius principium se subiicit, quod scimus esse Deum. Ipsum enim fundamentum dignitatis hominis est dignitas personae, cuius ultimum fundamentum est libertas; sed nunquam libertas cum independentia absoluta confundi potest. Plena libertas tantummodo invenietur in voluntaria dependentia a Deo « cui servire regnare est ». [14] et libertatem. [15] Sicut dixit Pascal: « Non seulement nous ne connaissons Dieu que par Jésus Christ, mais nous ne nous connaissons nous-mêmes que par Jésus Christ... Hors de Jésus Christ nous ne savons ce que c'est, ni que notre vie, ni que notre mort, ni que Dieu, ni que nous-mêmes » (*Pensée* 548).

Moderator: Cum em.mus D. card. Mauritius Feltin, arch. Parisiensis, mox ex Urbe profecturus sit, petiit ut verbum facere possit iam nunc circa n. 25 « de pace firmanda ». Moderatores perlibenter huic desiderio annuerunt. Loquatur em.mus card. Mauritius Feltin.

5

EM.MUS P. D. MAURITIUS CARD. FELTIN
Archiepiscopus Parisiensis

Inter munera a christianis nostrae aetatis implenda, nemo est qui negare auderet pacem maxima cura attendendam esse. Quis nostrum oblivisci posset quanto et quam insolito omnium hominum favore litterae *Pacem in terris* acceptae sunt. Pax enim ab omnibus desideratur, et quidem in omnibus relationibus, familiae scil., civitatis et mundi.

Hic tamen, solum modo agitur de pace inter nationes. De qua optime tractatur in nostro capite. Pro qua nonnulli christiani orationi, studio et labori instantes sunt, sub lumine Ecclesiae, pacem Christi veram statuere quaerentes. Circa tria insistere vellem.

1. Opinio publica sperat fore ut Concilium non minus progrediatur ac Epistola *Pacem in terris,* sed suam faciat doctrinam huius documenti, praebens *et* [1] indolem et pondus constitutionis conciliaris. Quae quidem doctrina, Benedicti XV et Pii XII hereditatem accepit, et a Paulo VI, quotidie, verbo et opere, approbatur et amplificatur.

2. Opinio publica praesertim exspectat — aliquando modo nimis exclusivo et magico —, definitivam belli damnationem, singulariter belli moderni. Haec autem universalis anxietas facile intelligitur. Sicut schema optime in memoriam refert, nostris atomicis temporibus, « semper magis fit alienum a ratione bellum instrumentum aptum esse ad violata iura sarcienda ». Recte quoque schema nostrum suo nomine iterat proscriptionem armorum sic dictorum A.B.C., scil. atomicorum, biologicorum, et chimicorum, cuius vis destructiva nec temperari nec aestimari potest.

Sed ad bellum e nostra terra tollendum, non satis est — sicut multi candide putant —, ut Ecclesia loquatur. Ecclesia quidem loqui debet, ut testimonium perhibeat veritati; sed hoc verbo in primis actio congruens audientium excitanda est. Non solum pax dicenda est, sed facienda. Sic intendebat Ioannes XXIII, et sic Concilio post eum progrediendum est.

Cum Pax sit donum Dei, simul ac opus hominum, omnium christianorum est Dominum deprecari ut pacem suam nostris concedat temporibus. Quod perpetuum munus totius populi Dei potest specialiter exaltari, ut iam fit in aliquibus regionibus, quotannis una die dominicali, vel die festi, vel etiam tempore liturgico magis apto.

Ad actionem autem et certamen contra bellum quod attinet, tria

operantur officia, quibus omnes homines bonae voluntatis, ac omnes populi terrae ad communia agenda haud dubio convocandi sunt.

a) *Arma exstirpare*: non autem qualicumque modo, sed, sicut semper indicavit magisterium, suppressione generali, *tam*[2] gradatim, *tam*[3] simul peracta, inspectionis et institutionis cautione praedita.

b) *Fovere incrementum nationum sic dictarum progredientium*: non obstantibus enim laudabilibus conatibus, inaequalitas inter nationes progressas et nationes progredientes semper crescit. Exinde oriri possunt et de facto semper minantur contentiones, et praelia: « la guerre froide et les conflits armés ». Maxime optandum videtur ut quaestio de hoc populorum incremento locum habeat in ipsa quaestione de pace construenda, ut feliciter fit in Adnexo quinto. Pax et incrementum inter se reciprociter connectuntur: Nulla pax absque incremento, nec ullum incrementum absque pace. Hodiernis diebus, pax — ut ita dicam — incrementum nuncupatur.

c) *Corroborare institutiones internationales*: Hac de re, necessarium videtur opinionem publicam advocare ad conatus Organisationis Nationum Unitarum (O.N.U.) adiuvandos, et ad structuras eius emendandas.

3. *Pax inserenda est in opus pastorale.* Pax enim intime connectitur cum Ecclesiae missione et christianorum vocatione. Nonne Ecclesia, ipsa sua natura, ad hoc tendit ut omnes homines sub Christo Capite unum Corpus efficiantur, et, Spiritu Ipsius moti, in Filio filii fiant Patris caelestis, et in Fratre universorum inter se fratres inveniantur?

Idcirco actio christianorum ad pacem firmandam non est solummodo opus conveniens aliquibus proponendum, sed officium eorum vocationi intrinsecum, omnibus christianis praebendum.

a) *Prius inserenda est in actione pastorali ordinaria.* Sic in institutione, ut fieri solet per praedicationes dominicales, et per catechesim, tum puerorum, tum adultorum, oportet omnes docere tum de propria patria potissimum diligenda, tum de unitate humani generis aspicienda, et de communitate omnium nationum construenda. Similiter omnes erudiendi sunt ut officia assument in rebus publicis gerendis, ut superent nationales offensiones, et spiritum caritatis servent etiam erga actualem adversarium.

Alioquin denuo videbimus, sed hac vice quoad res internationales, hoc ipsum divortium quod, inde a saec. XIX, inter doctrinam a Pontificibus traditam et mores sociales catholicorum saepe denunciatum est.

Ita etiam fermenta pacis, quae inveniuntur in Verbo Dei, et praesertim in Mysterio sacramentali et liturgico, fideliter christianis osten-

denda et praebenda sunt, ut eos inducant in verum spiritum pacis et eos impellant ad pacem Christi promovendam.

b) *Secundo inserenda est pax in actione pastorali missionaria.* Est autem verus apostolatus pacis. Pax enim hodie est locus prae plurimos propitius dialogo et cooperationi cum non-christianis. Ea tamen conditione ut scrupulose serventur regulae huius dialogi, quales inveniuntur in formam redactae in litteris *Pacem in terris,* et *Ecclesiam suam.*

Conclusio. 1. Peto ut adoptetur textus huius partis schematis, post factas necessarias emendationes, et insertis in eo aliquibus textibus ex Adnexo desumptis, v. g. de obiectamine conscientiae et de tormentis (Adnexum V, n. 12, secundo et quinto).

2. In quantum possibile est, et ut iam plures Patres petierunt, postulo ut instituatur commissio theologis necnon peritis in diversis scientiis composita, cui munus sit sequi progressum status quaestionum in schemate XIII tractatarum. Sic iudicia moralia elici poterunt sine quaerentium despectu, nec inquisitionum intermissione, et quin res istae, complexissimae, includantur intra theses caducas, in quantum praematuras.

3. Opto tandem, venerabiles Fratres, ut nos omnes ita sociologicos effectus huius conciliaris coetus, assequi sciamus, ut, sub impulsu omnium episcoporum universae terrae, moveatur catholicorum mundus, et laboret ad unam eamdemque pacem cum omnibus christianis, immo et cum omnibus hominibus bonae voluntatis construendam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ei. [2] tum. [3] tum.

Secretarius generalis: Notum facio exitum suffragationis peractae.

Praesentes votantes		2.091
Dixerunt	*placet*	1.559
	non placet	10
	placet iuxta modum	521
suffragium nullum		1

Textus igitur est in congregatione generali probatus, attamen modi ut moris est examinabuntur.

Moderator: Gradus nunc fit ad disceptationem circa n. 21 et audiatur imprimis exc.mus D. Ioannes Dearden, arch. Detroitensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis a commissione designatus, facere verba per modum introductionis.

EXC.MUS P. D. IOANNES FRANCISCUS DEARDEN
Archiepiscopus Detroitensis

RELATIO
(*de Ecclesia in mundo huius temporis,* c. IV, n. 21)

Venerabiles Patres,

Nemini latet momentum tum pro persona tum pro societate eorum quae paucis tantum paragraphis exponuntur sub titulo « de Matrimonio et Familia ». Apud quaestiones quae torquent mundum huius temporis adnumerari oportet plures hanc materiam respicientes.

Titulo praesenti mens non fuit proponere plenam tractationem doctrinae de matrimonio. Consiliis tum peritorum tum laicorum coniugatorum adhibitis, ab illis petitum est quid de hac re ab Ecclesia audire vellent. Exinde orta est dispositio materiae. Nihil aliud est nisi quaedam doctrinae synthesis quae adiuvare potest christifidelibus hodiernis ut profundius comprehendant naturam et dignitatem vitae matrimonialis et domesticae simulque efficacius prosequantur vocationem suam ad sanctitatem.

En praecipua lineamenta textus. Matrimonium est institutum sacrum; eo vel magis in dispensatione christiana quia sacramentum est. Unione stabili et permanente coniuges, sese sociantes operi Dei, prolem gignunt et instruunt, se invicem in gratia sustinentes. Matrimonio inde adsunt origo et finis sacer, ordinatio ad glorificationem Dei, communitas amoris omnino specifica, essentialisque ordinatio ad prolem. Porro in matrimonio christiano invenitur fundamentum firmissimum spiritualitatis et moralitatis familiaris.

Hoc contextu intelligi debet verus amor coniugalis. Nexus profundissimus est qui communitatem maritalem et familiarem perficit et nobilitat. Ille amor, fide et caritate fulcitus, plene superat omnem affectionem labilem. Quo melius perpenditur natura amoris coniugalis, eo plenius comprehenditur eius momentum in vita matrimoniali.

Ex ipsa amoris coniugalis natura elucet eius ordinatio ad foecunditatem non solum pro hoc mundo sed etiam pro vita aeterna, et manifestatur matrimonii ordinatio essentialis ad prolem procreandam et educandam. Inde parentes — et verbis utor ex cap. V schematis *de Ecclesia* — « ... exemplum indefessi et generosi amoris omnibus praebent, fraternitatem caritatis aedificant, et foecunditatis Matris Ecclesiae te-

stes et cooperatores exsistunt, in signum illius dilectionis, qua Christus Sponsam suam dilexit Seque pro ea tradidit »...[1]

Agendo de foecunditate matrimonii opportune enucleatur principium generosae et consciae procreationis. Inde occurrit quaestio sat crucialis, ut ita dicam, de qua textus silere nequivit — quaestio nempe de *formatione conscientiae* quoad problema responsabilitatis consciae in vocatione paternitatis et maternitatis. Imprimis, asseritur quod propter rationes sat graves ipsi coniuges conscientiam sibi formare possunt de numero prolis. Iudicium hac de re competit coniugibus, qui tamen tenentur iudicium ferre, amore vero coniugali ducti, sub lumine conscientiae recte formatae et cum prudentia christiana. Attamen methodi seu media ad hunc finem assequendum — et hoc notatu dignum est — *methodi ad hunc finem assequendum*[2] oportet iudicare iuxta doctrinam et mentem Ecclesiae. Eo quod ipsi coniuges de numero prolis procreandae iudicare debent, minime sequitur quod coniuges sibi quascumque methodos quoad actum regulationis prolis eligere possint. Nullo modo igitur admittitur quicumque interventus qui ordinationi naturali actus coniugalis obstat vel ipsam expressionem amoris coniugalis vel actum coniugalem qua opus personae corrumpit vel vitiat. Nullus hic datur locus subiectivismi.

De consulto schema (necnon adnexum) evitarunt omnem allusionem ad problema pillularum progestinicarum, de qua quaestione Summus Pontifex sapientissime sibi iudicium reservavit: quod problema per disceptationes in aula conciliari certe non solveretur.

Modo pastorali S. Synodus alloquitur christianis coniugibus de eorum dignitate et problematibus, simulque adhortatur theologos necnon « omnes in scientiis anthropologicis, psychologicis, medicis, sociologicis peritos et ipsos sponsos experientia et virtute edoctos » ut communi conamine studia necessaria faciant de quaestionibus tam urgentibus solvendis.

Subcommissio mixta quae de hac materia tam opportuna simulque tam difficili egit, aperte fatetur rem esse sat imperfectam, et redactione denuo egere. Attamen scit etiam materiam posse in formam meliorem redigi post animadversiones a Patribus factas. Ideoque maxima cum fiducia res prudenti iudicio Patrum *humillime*[3] submittitur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (n. 41). [2] deest. [3] deest.

Moderator: Gratias, exc.me Pater.

6

Em.mus P. D. ERNESTUS card. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres,

Rogo ut parcatis mihi si quid adiicio iis quae iam innui initio disceptationis de praesenti schemate.

Sub n. 21 pergravis agitur quaestio, quae neque clare proponitur neque satis caute, ne pravae interpretationis occasio praebeatur neve perniciosis abusibus via sternatur.

Quaestio — inquam — est *de prolis numero et de filios procreandi officio in matrimonio.*

In primis, cum sit sermo de matrimonii dignitate, mirum est quod silentio fere praetereatur nobilissima natura matrimonii christiani, quod ad sublimitatem sacramenti a Christo Domino erectum est, eidem imprimendo efficax signum seu signaculum coniugii sacratissimi quod inter Christum et Ecclesiam per incarnationis mysterium est contractum.

Propterea, Paulus apostolus, stupens, clamat: « sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo et in Ecclesia »...[1]

Ex qua mystica significatione necessario consequuntur essentiales matrimonii christiani proprietates, numquam obliviscendae et maximi momenti etiam hodie, nempe unitas et indissolubilitas. Etenim res sacra in matrimonio significata consistit in uno Christo et una Ecclesia perpetuo inter se coniunctis. Inde liquido effluit etiam amor coniugum inter se, qui fovendus est valde.

Etenim[2] si sponsus est figura Christi, ipse tenetur diligere uxorem sicut Christus diligit sponsam suam, quae est Ecclesia. En verba S. Pauli: « Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea ». ...[3] Vicissim fundamentum solidissimum exhibetur amori quo *uxor* virum suum prosequi debet; nam Ecclesia, cuius *uxor*[4] est figura, amorem erga sponsum suum, Christum, ab origine per saecula praeclare demonstravit et continuo demonstrat.

Ne mihi obiciatur — quaeso — schema respicere omnes homines vitam degentes in mundo nostrae aetatis; argumenta autem fidei christianae penes non christianos minime valere. Satis enim superque in disceptationibus nostris affirmatum est Concilium Oecumenicum Vaticanum II esse pastorale et sibi proposuisse ut Ecclesia cunctis populis terrae vultum suum candide manifestet. Ast si Ecclesia doctrinam quam

a Christo per apostolos accepit et incorrupte servat, non docet aperte, quomodo gentes omnes eam ipsam agnoscere possunt?

Notandum est insuper, sine genuinae et immutabilis doctrinae Ecclesiae praedicatione eiusdemque ministerio, vix et ne vix quidem persuaderi posse hominum plerisque illicita esse polygamiam, divortium, abortum voluntarium, aliasque corruptelas et turpitudines sexuales.

2. *Transeo ad alteram animadversionem.* In pag. 24, linn. 8-12 scriptum invenimus: « Qua in re (scil. quod ad numerum prolis attinet) sponsi non sine precibus et communi conatu iudicium prudentiae sibi efformabunt non semel pro semper, sed suo quoque tempore, dignoscentes condiciones paedagogicas, oeconomicas, salutem quoque mentis et corporis et, praeter bonum ipsius familiae et Ecclesiae, etiam necessitudines societatis ».

Paulo post, eadem pag. 24, linn. 28-36 asseritur: « etiamsi proles augeri nequeat (non dicitur quanam causa), servandum esse tamen tenerum amoris cultum »; sed ex textu nullo modo colligitur quonam modo sponsi istum tenerum amoris cultum alere possint si, e. g., prolem vitare velint. Profecto secundum ethicen catholicam in hoc casu matrimonii usus prohibetur.

Inde a lin. 26 et deinceps asseritur conflictus oriri inter legem et difficultates concretas, quas sacrorum ministri solvere nesciant, donec omnes in scientiis anthropologicis, psychologicis, medicis, sociologicis periti et ipsi sponsi, sua experientia et virtute edocti, una cum theologis adlaborantes, ordinem a Providentia naturae inditum exploraverint. Interea autem iudices essent ipsi sponsi, ut declaratur in pag. 29 linn. 18 s.: « quod autem ad numerum prolis attinet — ita legimus — ultimum iudicium ad ipsos solos coniuges spectat ». Vere durus est hic sermo, obscurus et ambiguitatibus, valde periculosis, refertus.

Nolo nunc res tangere quas prudentia et honestas vetant; loquatur parumper praeclarissimus Doctor Ecclesiae S. Augustinus, episcopus Hipponensis: « Aliquando eo usque — inquit — pervenit libidinosa crudelitas vel libido crudelis ut etiam sterilitatis venena procuret, et si nihil valuerit, conceptus fetus aliquo modo intra viscera extinguat ac fundat (contra finem primarium matrimonii)...

Prorsus — pergit Augustinus — si ambo sponsi tales sunt, coniuges non sunt: et si ipsi ab initio tales fuerunt, non sibi per connubium sed per stuprum potius convenerunt, si autem non ambo sunt tales, audeo dicere: aut illa est quodammodo meretrix mariti, aut ille adulter uxoris »...[5]

Patet, venerabiles Patres, tempora Augustini non multum a nostris fuisse diversa; etiam tunc luxuria ac libido saeviebant, sed Sanc-

tus Doctor, Ecclesiae praeco fidelissimus, severam reprobationem non tacuit; nos quoque, dum ad homines mundi hodierni loquimur, ne abstineamus a vitiis contra sanctitatem matrimonii coercendis.

Denique, sinite mihi, ad instar conclusionis, laudare duo Acta S. Sedis, quae perennem Ecclesiae sapientiam quam maxime collustrant et in quaestionem nostram opportune cadunt; ea sunt: Litterae Encyclicae *Casti connubii,* datae a Pio XI die 31 decembris a. 1930 ...[6], et Allocutio a Pio XII habita Romae ad obstetrices die 29 octobris a. 1951 ...[7]. Ibi sunt omnia, optima quidem ratione digesta, quae exponere voluissem de prole amanter suscipienda et religiose a primo conceptionis momento tuenda, atque de castitate in matrimonio semper servanda.

Spero viros egregios quibus onus incumbet schematis retractandi reficiendique secuturos esse haec magisterii vivi et ordinarii Ecclesiae splendidissima monumenta. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Eph.* 5, 32). [2] deest. [3] (*Eph.* 5, 25). [4] deest. [5] (AUGUST., *De Nupt. et Concupiscentia,* cap. XV). [6] (*A.A.S.,* 22 [1930], pp. 539-592). [7] (PIO XII, *Discorsi e Radiomessaggi,* XIII, 1951-52, p. 333-353).

7

EM.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Venerabiles Patres,

Inter problemata quae hodie Ecclesiae *acute*[1] ponuntur, sine dubio eminent illa quae sanctitatem matrimonii respiciunt.

Anxietates et dubia circa matrimonium in multis regionibus et apud homines omnium conditionum exprimuntur. Fideles — et etiam ferventiores — quotidianis difficultatibus premuntur, solutiones cum fide sua consentaneas quaerunt sed responsiones usque adhuc allatae conscientiam eorum non pacant. Pastores, praesertim confessarii, dubii et incerti facti sunt, multisque in casibus, nesciunt quid fidelibus respondere possunt et debent. Theologi multi necessitatem in diem magis percipiunt, profundius et noviter investigandi fundamentalia principia doctrinae de matrimonio.

Illae anxietates et dubia grave problema constituunt et Ecclesiam sollicitant ut maxima cum cura pastorali doctrinam de matrimonio inspiciat.

Illa autem problemata triplici sub aspectu respici possunt: nempe theologico, casuistico et pastorali. Mihi liceat de aspectu theologico disserere. Nova enim investigatio principiorum theologicorum omnem renovationem matrimonii prius regit.

Quidam theologicam renovationem de re matrimoniali timent, sicuti ex opportunismo procederet: nempe ex desiderio accommodandi doctrinam requisitis popularibus. Illa autem renovatio theologica, a fidelium anxietatibus merito suscitata, tamen apud theologos potius procedit ex subtiliori analysi rerum exque non antiquis inventionibus in campo biologiae, psychologiae et sociologiae. Scopum ultimum alium non habet quam sanctitatem matrimonii, secundum Dei consilium, fovere.

Multi sunt theologi qui opinant difficultates quae doctrinam matrimonii afficiunt originem trahere ex inadaequata expositione finium matrimonii. Etenim, sub influxu non Scripturarum nec Traditionis sed philosophiarum saeculorum praeteritorum, quaedam praevaluit habitudo pessimistica et negativa erga amorem humanum, ita ut momentum et legitimitas amoris coniugum in matrimonio obumbrata sint.

Illi qui schema scripserunt renovare voluerunt formulationem de finibus matrimonii. Curam habuerunt de amore coniugali et mutuo adiutorio conspicuiori modo tractandis. Item feliciter vitaverunt modum procedendi quo opponuntur sic dicti finis primarius et finis secundarius.

Attamen schema, etsi bonam viam ingrediens, hodiernis difficultatibus plene non respondet quia amorem coniugalem et mutuum adiutorium finem esse matrimonii affirmare vitat, quia etiam nullo modo loquitur de finalitate expressionum amoris in matrimonio.

Itaque observationes quasdam de modo exponendi fines matrimonii nunc proponere vellem:

1. Foecunditas ut finis matrimonii sat bene exponitur in schemate quod optime affirmat hoc munus prudentia et generositate moderandum esse. Opportune tamen dici posset officium illud potius totum statum matrimonii afficere quam unumquemque actum. Praeterea mihi placeret ut singularis dignitas paternitatis meliorem in lucem poneretur. Paternitas enim participatio creationis est in suo digniori opere. Habet enim quid infiniti, cum personam ad Dei visionem ordinatam gignit.

2. Omnino oportet proponere amorem humanum coniugalem — amorem humanum dico, involvens ergo animam et corpus — oportet proponere, dico, amorem illum ut *aliquem verum finem* matrimonii constituens, ut quid per se bonum habensque suas proprias exigentias et leges.

Materiam illam exponendo schema speciem dat timiditatis. Non multum prodest schema vocabulum « finis secundarius » vitare, si postea amorem non proponit nisi ut quid ad foecunditatem ordinatum. Hac in re momentosa, clara principia proponere debemus. Nam aliter permanere posset iste erga amorem coniugalem timor qui iam diu theologiam matrimonii pervadit. Bonus et sanctus est, in seipso, ille amor et a christianis, sine formidine, assumi potest immo et debet cum suis exigentiis et legibus propriis. Nonne coniuges sese mutuo promittunt amorem et adiutorium mutuum quando matrimonium contrahunt?

Tandem, nisi amor ut finis matrimonii aperte affirmetur, clare non patebit relatio quae inter coniuges viget. Coniuges enim, in matrimonio, sese mutuo considerant non mere ut procreatores sed etiam ut personas quae propter seipsas diliguntur.

3. Non autem sufficit doctrinam stabilire de finibus status matrimonii. Etenim, ne insoluta remaneant dubia theologica quae sponsos et pastores praeoccupant, neque impossibilis remaneat renovatio profunda et adaequata praeceptorum practicorum in re matrimoniali, necessarium est problema de fine ipsarum actionum in generalioribus principiis tangere.

Praeterea oporteret affirmare intimam unionem coniugum verum finem etiam habere coniugalem amorem. Et quidem hic finis dici potest « finis ipsius operis » legitimus in seipso, etiam quando non ordinatur ad procreationem. Illa declaratione Concilium nonnisi affirmaret in ordine principiorum, id quod praxis Ecclesiae — uti scimus — a multis saeculis approbat. Iam ab antiquitate enim, ut legitima habetur unio coniugum etiam quando procreatio evidenter impossibilis est.

Haec sanctio principiorum quam propono, si nihil novi involvit, non minoris momenti tamen erit, uti patet, ad moralitatem casuum aptius investigandam.

Concludo. Utinam ergo Sacrum Concilium, sine timore nec dissimulatione ambos fines matrimonii clare ut ex se bonos et sanctos proclamet. Hac doctrina stabilita enim, moralistae, medici, psychologi et alii periti officia tum foecunditatis tum amoris etiam quoad particulariora melius determinare poterunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] arcte.

8

Em.mus P. D. LEO IOSEPH card. SUENENS
Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

Venerabiles Patres,

Scimus[1] quam crucialis sit pro mundo et pro Ecclesia quaestio matrimonii et in specie regulationis procreationis. Ideo:

1. Mihi omnino necessarium videtur textum perficere punctis quibusdam in adnexis explicatis ...[2] ita ut synthesis doctrinalis ...[3], magis cohaerens ac biblica conficiatur. In scriptis trado adumbrationem talis synthesis.

2. Etiam necessarium videtur quod commissio conciliaris arcte collaboret cum commissione a Summo Pontifice feliciter instituta ad amplum et profundum examen horum problematum.

3. ...[4] Ut commissio illa sciat quonam spiritu Concilium problemata haec tractare intendat, essentiale duco aliqua fundamentalia principia exponere ad felicem exitum laboris eius.

A. ...[5] Labor primarius istius commissionis in linea fidei procedit, et in hoc consistere debet: inquirere utrum omnes aspectus doctrinae Ecclesiae quoad matrimonium in sufficienti luce usque nunc posuerimus.

Sane ...[6] Evangelium semper idem est ac immutabile. Sed nullum est tempus quod gloriari possit ininvestigabiles divitias Christi funditus perspexisse. Et Spiritus Sanctus promissus est nobis ut progressive nos « inducat in omnem veritatem ». Sic Ecclesia numquam repudiat veritatem quam semel *authentice*[7] docuit sed, in dies progrediendo in intimiorem scrutationem Evangelii, potest et debet hanc veritatem in ditiore synthesi integrare, et uberiorem foecunditatem eorundem principiorum patefacere. Sic Ecclesia profert de thesauro suo nova et vetera.

Hoc praesupposito, examinare oportet utrum in perfecto aequilibrio varios aspectus doctrinae christianae de matrimonio retinuerimus. Forsan fieri potuit quod accentum ita posuimus super verbum Scripturae « Crescite et multiplicamini » ut aliud et ipsum divinum sermonem, paulisper in umbra reliquerimus: « Et erunt duo in carne una ». Utraque veritas centralis est, utraque a Scriptura prolata; ideo ambae mutuo sese illuminant, sub luce veritatis plenioris in Domino Ipso revelatae.

S. Paulus enim ipsum amorem Christi pro Ecclesia exemplar docuit pro matrimonio christiano. Hoc « duo in unum » mysterium est communionis interpersonalis ...[8] sanctificatum per sacramentum matrimo-

nii. Et haec *unio* [9] tam arcta est ut numquam divortium separare possit illos quos Deus ipse coniunxit.

Proinde commissionis erit investigare utrum officium procreationis urgerimus ut alius finis aeque imperativus, progressus *nempe* [10] communionis coniugalis, iam aliquo modo in discrimine sit positus.

Commissionis quoque erit responsum afferre ad ingens problema ortum ex expansione demographica hodierna et superpopulatione in multis regionibus terrae. Prima vice ad tale examen sub luce fidei debemus procedere. Res difficilis est, sed mundus expectat, plus minusve conscie, quod, et in hoc campo, Ecclesia suam mentem aperiat et « lumen sit gentium ».

Et ne dicatur quod sic viam panderemus laxismo morali. Problema nobis sese imponit non quia fideles egoistice voluptati indulgent sed quia meliores ex ipsis cum anxietate conantur duplicem fidelitatem vivere ...[11]: fidelitas ...[12] erga doctrinam Ecclesiae, et fidelitas erga requisita amoris coniugalis et parentalis.

B. ...[13] Secundus labor commissionis procedere debet in linea progressus scientiae et accuratioris cognitionis ethicae naturalis. Commissio examinare *debet* [14] utrum doctrina classica, praesertim manualium, rationem sufficienter habeat inventionum scientificarum hodiernarum. Ex tempore Aristotelis *et etiam ex tempore S. Augustini* [15] quaedam saltem didicimus. Complexitatem naturae in dies melius cognoscimus cum interferentiis inter biologiam et psychologiam, inter corpus et spiritum. Possibilitates etiam hominis in cursum naturae dirigendum semper novae deteguntur. Ex hoc sequitur profundior cognitio unitatis hominis, tum in suo esse tamquam spiritus incarnatus, tum in dynamismo totius vitae suae, quae unitas est quasi cardo anthropologiae *S. Thomae* [16] — et aestimatio accuratior dominii eius rationalis super mundum ipsi concreditum. Quis non videt quod sic forsan ducimur ad ulteriorem investigationem illius quod est « secundum naturam vel contra naturam ». Sequamur progressum scientiae.

Adiuro vos, Fratres. Vitemus novum « processum Galilei ». Unus enim sufficit pro Ecclesia.

Commissionis erit elementa nova haec integrare in expositione synthetica et submittere *conclusiones* [17] Magisterio Supremo.

Et ne dicatur *sic* [18] indulgeremus sic dictae Ethicae situationis. Convenit quod expositio doctrinae, immutabilis in principiis suis, rationem habeat factorum contingentium et in decursu historiae sese evolventium. Nonne hoc fecerunt ipsi Summi Pontifices qui successive *Rerum Novarum, Quadragesimo Anno* et *Mater et Magistra* conscripse-

runt ut eadem principia accuratius propter nova tempora determinarent et exprimerent.

Concludendo mihi liceat votum exprimere quod commissio illa ad latissimam disquisitionem procedat apud moralistas optimae notae et ex toto universo apud scientificos et facultates universitarias variarum disciplinarum apud laicos viros et mulieres, apud coniuges christianos. Optandum est quod nomina membrorum illius commissionis publici iuris fiant ita ut abundantissimae informationes recipere possint et sic totum populum Dei vere repraesentant.[19]

Venerabiles Patres, ius tacendi non habemus. Ne timeamus studia de hac re. Agitur de salute animarum et familiarum nostrarum nec non *de*[20] ipsius mundi. *Memores simus verbi Domini:*[21] Veritas — et quidem naturalis et supernaturalis — veritas tota et vitalis — veritas liberabit Vos. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Ad n. 21 quod attinet, de dignitate matrimonii ac familiae, quaedam animadvertere vellem. Scimus omnes. [2] Quod retractationem textus postulat. [3] profundior. [4] Mihi liceat votum exprimere quod commissio illa ad latissimam disquisitionem procedat apud moralistas optimae notae, et ex toto universo, apud scientificos et facultates universitarias variarum disciplinarum, apud laicos viros ac mulieres, apud coniuges christianos. Optandum est quod nomina membrorum illius commissionis publici iuris fiant ita ut abundantissimas informationes recipere possint et sic totum populum Dei vere repraesentent. 4. [5] *In linea fidei.* [6] nemo cogitat doctrinam vere traditionalem Ecclesiae modificare vel in dubium vocare. Absonum esset! Sed scire oportet utrum nos corda nostra Spiritui Sancto plene aperiamus ad intelligentiam veritatis divinae. [7] deest. [8] sancitum et. [9] communio. [10] deest. [11] et conciliare. [12] dico. [13] *In linea ethicae naturalis et veritatis scientificae.* [14] debebit. [15] deest. [16] thomisticae. [17] deest. [18] per integrationem hanc. [19] deest. [20] deest. [21] Oboediamus Spiritui Sancto acceptando simul et integre omnes radios veritatis, quod Ipse suggeret nobis, sciendo quod secundum verbum Domini.

9

BEAT.MUS P. D. MAXIMUS IV SAIGH
Patriarcha Antiochenus Melchitarum

Vénérables Pères,

Aujourd'hui, je voudrais attirer l'attention de votre vénérable Assemblée sur un point spécial de la Morale: « La régulation des naissances ».

La vertu primordiale qui s'impose à nous, Pasteurs réunis dans ce Concile qui se veut pastoral, est le courage d'aborder les problèmes de l'heure en face, dans l'amour du Christ et des âmes. Or, parmi les problèmes angoissants et douloureux qui agitent *la masse humaine* [1] aujourd'hui, émerge celui ...[2] des naissances. Problème urgent s'il en fut, car il est à la base d'une crise grave de la conscience *chrétienne*.[3] Il s'agit d'un décalage entre la doctrine officielle de l'Eglise et la pratique contraire de l'immense majorité des foyers chrétiens. L'autorité de l'Eglise est remise en question sur une grande échelle. Les fidèles se trouvent acculés à vivre en rupture avec la loi de l'Eglise, loin des sacrements, dans une angoisse constante, faute de pouvoir trouver la solution viable entre deux impératifs contradictoires: conscience et vie conjugale normale.

D'autre part, sur le plan social, la poussée démographique dans certains pays, surtout de grandes agglomérations, s'oppose dans les circonstances actuelles à toute élévation du niveau de vie, et condamne des centaines de millions d'êtres humains à une misère indigne et sans espérance.

Le Concile doit y apporter une solution valable. C'est de son devoir pastoral. Il doit dire si vraiment Dieu veut cette impasse déprimante et antinaturelle.

Vénérables Pères, conscients dans le Seigneur, mort et ressuscité pour le salut des hommes, de la crise de conscience douloureuse actuelle de nos fidèles, ayons le courage de l'aborder sans biais.

Franchement, les positions officielles de l'Eglise en la matière, ne devraient-elles pas être révisées à la lumière de la science moderne, tant théologique que médicale, psychologique et sociologique?

Dans le mariage, l'épanouissement de la personne et son intégration au plan *du créateur* [4] sont un tout. La finalité du mariage ne doit ...[5] pas être disséquée en finalité première et finalité seconde. Cette considération ouvre l'horizon sur des perspectives nouvelles concernant la moralité du comportement conjugal considéré dans son ensemble.

Et puis, ne sommes-nous pas en droit de nous demander si certaines positions officielles ne sont pas tributaires de conceptions dépassées et, peut-être aussi, d'une psychose de célibataires étrangers à ce secteur de la vie? Ne sommes-nous pas, sans le vouloir, sous le poids de cette conception manichéenne de l'homme et du monde, pour qui l'œuvre de la chair, viciée en elle-même, n'est tolérée qu'en vue de l'enfant?

La rectitude biologique externe des actes est-elle *une loi, est-elle* [6] ici le seul critère de la moralité, indépendamment de la vie du foyer, de

son climat moral, conjugal et familial, et des impératifs graves de la prudence, règle de base de toute notre activité humaine?

D'autre part, l'exégèse d'aujourd'hui ne nous engage-t-elle pas à plus de prudence dans l'interprétation de deux passages de la Genèse: « Croissez et multipliez-vous », et celui d'Onan, utilisés pendant *de*[7] longtemps comme témoignages scripturaires classiques de la réprobation radicale de l'anti-conception?

Comme la conscience chrétienne s'est sentie soulagée quand S. S. Paul VI annonçait au monde que le problème de la régulation des naissances et de la morale familiale « est à l'étude, une étude aussi large et profonde que possible, c'est-à-dire aussi grave et honnête que le requiert la grande importance de cette matière » ...[8]

Là-dessus, étant donné l'étendue et la gravité de ce problème *et dans la ligne de ce que viennent de dire les Cardinaux Léger et Suenens,*[9] nous demandons que cette *question qui interesse l'humanité entière soit étudiée,*[10] soit menée par des théologiens, des médecins, des psychologues et des sociologues, en vue de trouver la solution normale qui s'impose. La collaboration de chrétiens mariés exemplaires semble aussi nécessaire. En outre, n'est-il pas dans la ligne œcuménique de ce Concile d'entamer un dialogue sur ce sujet avec les autres Eglises chrétiennes, et même avec les penseurs des autres religions? Pourquoi nous replier sur nous-mêmes? Ne sommes-nous pas devant un problème commun à l'humanité entière? L'Eglise ne doit-elle pas s'ouvrir au monde aussi bien chrétien que non-chrétien? N'est-elle pas le levain qui doit faire lever la pâte? Aussi il faut qu'elle arrive, dans ce secteur comme dans tous les autres secteurs intéressant l'humanité, à des résultats positifs donnant la paix *à la*[11] conscience.

Loin de moi de minimiser la délicatesse et la gravité du sujet, ainsi que les abus éventuels; mais ici comme ailleurs, le devoir de l'Eglise n'est-il pas d'éduquer le sens moral de ses enfants, de les former à une ...[12] morale personnelle et communautaire, profondément mûre dans le Christ, plutôt que de les envelopper d'un réseau de prescriptions et de commandements, et de leur demander purement et simplement de s'y conformer les yeux fermés. Nous-mêmes, ouvrons les yeux et soyons pratiques. Voyons les choses telles qu'elles sont et non pas telles que nous voudrions qu'elles soient. Autrement, nous risquerions de parler dans un désert. Il y va de l'avenir de la mission de l'Eglise dans le monde.

Mettons donc loyalement et effectivement en pratique la déclaration de S. S. Paul VI à l'ouverture de la 2[e] session du Concile: « Que le monde sache: l'Eglise le regarde avec une profonde compréhension,

avec une admiration sincère, sincèrement disposée non à le subjuguer, mais à le servir; non à le déprécier, mais à le mettre en valeur; non à le condamner, mais à le soutenir et à le sauver ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] les masses humaines. [2] de la régulation. [3] catholique. [4] créateur de Dieu. [5] donc. [6] deest. [7] si. [8] L'Eglise devra proclamer cette loi de Dieu à la lumière des vérités scientifiques, sociales et psychologiques qui, ces derniers temps, ont fait l'objet d'études et de documentations (*Doct. Cath.*, 5 Juillet 1964). [9] qui intéresse le monde entier. [10] étude à faire. [11] de. [12] responsabilité.

10

Exc.mus P. D. EUGENIUS BEITIA ALDAZÁBAL
Episcopus Santanderiensis

Venerabiles Patres conciliares, ceterique benevoli adstantes,

Hoc schema — XIII — praeclara continet monita, pro hodierno tempore opportunissima, immo et necessaria. Habeant haec nostra prima verba vim, in quantum possumus maxime expressivam, gratitudinis erga commissionem et sub-commissiones, Patres et peritos, sacerdotes et laicos, qui indefesso labori se tradiderunt ut haec communicatio et dialogus deveniret verum exemplar intelligibile et clarum, sensu actualitatis plenum, ubique et semper sua directione (impostazione, ut dicitur) certum, proximum cordibus omnium, animos erigens ad quotidianam actionem apostolicam.

Christiana gens etiam in hac peregrinatione futuram inquirens civitatem « exaltat huius vitae humanae, in hoc mundo, dignitatem et momentum ». Laudandus quidem labor, sed perficiendum opus. Faxit Deus ut his observationibus quantumvis minimis progrediamur in hac perfectionis via.

Si liceat quid opinari in tam praecellenti materia, eligam ea quae matrimonium et familiam spectant.

Tangit n. 21 rem gravissimam, quotidianae applicationi obnoxiam, in toto orbe, quae et cleri et populi vel maxime interest. Non agitur de tractatu theorico scribendo, nec in schemate nec in adnexis, sed de normis proferendis ea securitate quam materia patitur, quin appareat via clausa ad ulteriora in futuro enucleanda. Ideo — ut putamus — opportuna esset maior concinnitas, praecisio et perspicuitas ut ab omnibus facile et recte intelligi ac retineri criterium iustum valeat.

Sic in pag. 23, nn. 3 et 4 ubi de *matrimonii* [1] foecunditate agitur, optaremus ut res exprimatur simplicius et non per tot circumlocutiones, quae difficiles captu sunt et sententiam principalem obscurant.

Ac in primis problema ipsum modo positivo aggrediamur. Fiat in limine ipso laus familiae larga foecunditate a Deo signatae. Tot christiani parentes, qui cum gaudio suscipiunt filios, bene meriti de regno caelorum, de Ecclesia et eius servitio in seminariis, institutionibus de perfectione acquirenda, ...[2] pietatis, caritatis et apostolatus associationibus, bene meriti *etiam* [3] de societate terrena in pace et, proh dolor, etiam in bello; parentes christiani, qui praecise propter filios lectionem continuam praebent de intensiori labore, de luxu vitando, forsan de vera paupertate, sine dubio de modestia et aequilibrato usu rerum temporalium.

Liceat nobis proponere Concilio disertam quamvis brevem salutationem *in schemate* [4] pro talibus familiis in hoc dialogo, qui instauratur non solum cum lontanis et a nobis distantibus, sed etiam cum proximis, qui devote nos respiciunt.

Dicatur insuper simpliciter qua intentione sponsi in vitam matrimonialem in genere et in opus generationis duci debeant; addantur regulae prudentiae in filiorum numero, secundum conditiones physicas, paedagogicas, sociales, oeconomicas *etc.*[5] Proferatur Ecclesiae doctrina, iusta simul et maternalis. Condemnetur positio egoistica illorum sponsorum, qui absque praevalenti ratione, reiiciunt onus naturale et magnificum filiorum. Statuantur autem criteria positiva ad componendam vitam coniugalem cum responsabilitate prolis ad tempus non augendae, datis determinatis adiunctis. Forsan in tali delicatissima materia sit sufficiens, quod in schemate ipso dicitur. Sed aestimo quod in adnexis — *ut iam pluries dictum est in aula* [6] — ad conciliarem vim aliquo modo appropinquandis, aliquid amplius sit dicendum. Scripto proponam uberius meum consilium.

Absque dubio non omnia solvi poterunt, etiam posita scientia peritorum in quaestionibus anthropologicis, medicis et sociologicis, posita etiam experientia sponsorum et aequilibrato iudicio moralistarum et theologorum. Oportet ergo ut nupturientes et coniuges sciant se forte in quibusdam difficillimis conditionibus versari, ubi ad divinam legem servandam sacrificia paene heroica requirantur, quibus sacrificiis obviam eundum *est* [7] animo forti et spe in Deum erecta.

In pag. 23, linn. 18 et 19 dicitur: « parentum ius educandi prolem in sacra religione, secundum propriae conscientiae praecepta omnino in tuto ponatur ». Mallem ut diceretur « parentum ius... secundum *rectae* conscientiae propriae praecepta ». Accedimus sic ad mentem et expres-

sionem Papae Ioannis XXIII in notissima paragrapho Encyclicae *Pacem in terris,* ubi legimus: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut Deum ad rectam conscientiae suae normam venerari possit ».

Plura alia desiderantur quae potius in schemate « voti de matrimonii sacramento » addi expediret. At hic quaedam innuam quae vel uno verbo oporteret indicari in praesenti schemate.

Non desunt hodie canonistae qui quorumdam cultorum iuris civilis vestigia prementes, *negent* [8] vel in dubium *vocent* [9] quod matrimonium sit verus « contractus »; asserentes illud esse tantummodo « institutum », vel « institutionem » *quod est verum.*[10] Ex hac autem doctrina *exclusiva* [11] possunt derivari perniciosa consectaria.

Quod sit contractus quem facit partium consensus, clare apparet in doctrina theologorum cuiuscumque scholae, in Encyclicis Romanorum Pontificum, passim apud Sacras Congregationes, et Rotam Romanam, denique in Codice Iuris Canonici.

Mirum ergo sane videri potest, in re tam aperta, quod neque in schemate, neque in adnexis appareat verbum substantivum « contractus », ne semel quidem. E contra longe lateque sermo fit de amore coniugali, de amoris foedere, ita ut posset intelligi omnia in matrimonio, ex doctrina conciliari, ab amore pendere.

Ultro recognoscimus momentum « amoris » in matrimonio, quod est « unio animorum », antequam sit unio corporum. Scimus etiam ex hac mutua traditione per amorem multa et praeclara consectaria prodire, quae sagaces et bene ponderati moralistae in *regulatione* [12] vitae coniugalis bene vertent.

Sed a « contractu » eiusdemque elementis iuridicis multa et quidem pretiosa bona pendent. Matrimonium non est mera quaedam coniunctio affectus maritalis, quae cessare potest, sed aliquid amplius ab amore actuali independens, a contractu naturali et sacramento Novae Legis, specialiter firmatum. Sit ergo, *humiliter peto, sit ergo* [13] locus vere et patens in nostro schemate verbo, vel vocabulo « contractus ».

Concludo. In hac perdifficili materia sunt et alia multa, quae anxios tenent etiam peritissimos moralistas et iuristas. Praesertim ea quae spectant ad notionem ipsam consummationis in matrimonio, unde pendet quoque solutio gravissimarum quaestionum. *Circa quas quaestiones et alias pressius iuridicas, ut illae quae legitimitatem vel illegitimitatem filiorum attingunt, et eius consectaria iuridica potius scripto apud commissionem erit agendum.*[14]

Eritne *igitur* [15] aliquibus ex dictis locus in nostro schemate, vel in adnexis? Servabitur eis specialis attentio in voto conciliari ...[16]? Amandabitur simpliciter quaestio ad commissionem de reformatione Iuris

Canonici? Sufficiet ut interveniat Sanctum Officium, erga quod in hac re de morali ponderatione matrimonii, tot magnifica criteria debemus?

Videant Patres: hoc tamen unum scio, nullatenus silentio sunt praetereundae quaestiones, quae et iurisdictionem gubernativam exercentes, et iudicialia iura decernentes et in confessionali sedentes et tot fideles patientes vehementer angunt. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] matrimoniali. [2] in. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] negant. [9] vocant. [10] deest. [11] deest. [12] regulationem. [13] deest. [14] de impedimento dirimenti impotentiae, eorum qui vasectomiam duplicem passi sunt aut epidydimiti laborant. Adde his rem totam de liceitate aut illiceitate quarumdam operationum chirurgicarum et de usu remediorum recentium, quibus prolis generatio retardari potest aut impediri aut simpliciter ordinari. Denique conveniret ut opportunae innovationes inducantur in legislationem canonicam circa prolis legitimationem atque huius effectus iuridicos, et circa filios illegitimos non legitimatos. Ita ut ipsa legislatio simplicior et suavior fiat et condicio prolis illegitimae quoad plura mitigetur. Nam proh dolor, hodie innumeri sunt filii illegitimi, et haec nota in multis regionibus fere nihili reputatur, et tandem ipsae leges civiles non adeo severe se gerunt erga illegitimos ac temporibus anteactis. [15] deest. [16] de matrimonio.

11

Exc.mus P. D. TULLIUS BOTERO SALAZAR
Archiepiscopus Medellensis

Venerabiles Patres conciliares, carissimi Fratres,

Eo quod de hac re, iam nobis praemonuit em.mus praeses moderator, magno cum timore et tremore, de argumento sub n. 21 contento, loqui vobis audeo. Ad prudentiam petendam, maxima qua potui devotione, illam consuetam orationem recitavi: « Pone, Domine, custodiam ori meo ...[1] ». Mihi liceat igitur, aliquas observationes proponere, circa argumentum « de limitatione natalis ».

Exc.mus relator nobis dixit, coetum peritorum adlaborare, ex mandato Summi Pontificis, in studio liceitatis aliquorum processuum vel medicinarum, quae ad regulandam foecunditatem inservire possunt. Filiali devotione ac veneratione Christi Vicarii decisionem omnes spectamus, et qua par est Supremo Pastori oboedientia, illam acceptabimus. Sed in quaestione apud Concilium disputatam, non agitur proprie de liceitate vel non liceitate alicuius processus vel medicinae particularis; hoc certo pertinet ad veros peritos. Nos, examinare debemus utrum

schema, quod Concilium mundo huius temporis proponit doctrinam Ecclesiae circa gravissimum problema « de limitatione natalis », fideliter interpretetur; utrum id quod schema dixit, vel id quod schema tacuit, sit adaequata responsio gravissimo problemati quod, de facto, mundus nobis proponit.

Ante omnia: valde periculosum esset agnoscere difficultatem conciliandi doctrinam cum difficultatibus practicis, quin aliqua solutio detur. Animarum pastores, nec non et ipsi fideles, enixe *atque enixe*[2] desiderant ut Sacrosancta Synodus, aliquam solutionem pastoralem et practicam praebeat. Non sufficit ergo, ut Concilium quaestionem simpliciter remittat ad studium peritorum, « ut complexus ordo a Providentia naturae inditus, altius in dies exploretur », et adhuc minus, talis quaestionis solutionem conscientiae coniugum relinquere.

Quando in schemate, confectum quidem « con lungo studio e grande amore » ...[3], de hoc difficillimo problemate agitur, adaequatae doctrinae et principiorum fundamentalium absentia advertitur. Talis omissio iustificari nequit, cum in Ecclesiae magisterio, praecipue apud Pontifices Pium XI et Pium XII, venerandae memoriae, abundans et clarissima exstet doctrina circa talem materiam. *Ut iam dictum est,*[4] e. g., in Encyclica *Casti connubii* ...[5]; in Allocutione ...[6] ad medicos catholicos ...[7]; ad obstetrices ...[8], etc.

Cum certissimum sit sponsos, propter circumstantias in quibus versantur, a sua voluntate omnino alienis, gravissimis difficultatibus concretis gravari, tum socialibus, tum sociopsychologicis, tum civilibus, Sancta Ecclesia, Mater et Magistra, legis divinae custos et interpres, enixe quaestionem dilucidare tenetur. Ipsa est enim « civitas supra montem posita » quae abscondi non potest ...[9] iura divina reapse propugnans, memor tamen coniugum humanae conditionis.

Quaestio haec difficillima, spinosa, delicata, frequenter studiis polemicis, tum a sociologis, tum a nationum moderatoribus, tum a scriptoribus scientia morali profanis, hodie divulgatur. Fere omnes, vel partialiter tantum problema proponunt, vel, erratis suppositionibus, solutionem propugnant, quae humanum commodum consuluit, sed iura divina, matrimonio insita, spernunt.

Ratio praecipua ad filiorum limitationem propugnandam est: ratio oeconomica. Sed minime admittendum est, eius influxum talem esse ut sola oeconomia apta sit ad normas convenientes coniugum felicitati statuendas. Si felicitas familiaris unica a temporalium bonorum copia penderet, qui talibus bonis fruuntur, neque prolem reicerent, neque alias difficultates in vita communi experirentur, quod, experientia teste, affirmari nequit. Insuper, quamvis aspectus oeconomicus difficultates non

paucas coniugibus offert, illae tamen, non quidem copiosae proli, sed iniustae divitiarum distributioni, et iustitiae socialis oblivioni, tribuendae sunt. Recte igitur in schemate affirmatur: « Difficultates enim saepe oriuntur ex gravibus defectibus socialibus et fragilitate vel malitia hominum » ...[10]

Dolendum est etiam, quod non paucos solutionem quaerere velint, hoc falso supposito innixi: sexus appetitum, in homine, irrefrenabilem esse et ideo, illi subiicere teneri, rationem et conscientiam. Verba S. Pauli, in Epistola I ad Thessalonicenses, hic sufficiant: « Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore: non in passione desiderii, sicut et gentes, quae ignorant Deum » ...[11]

Harmonia et felicitas coniugalis non in satisfactione inconsulta passionis fundatur, sed potius in mortificatione, in abnegatione suipsius, in generoso affectu, in conscientia dignitatis naturalis et supernaturalis coniugum, a Deo cooperatores electi in opus creationis.

Cum Deus disposuerit humani generis propagationem coniunctione hominis et mulieris in matrimonio fieri, voluit, absque dubio, ut haec unio exerceretur sub influxu prudentiae et consilio capacitatis parentum, ita ut non tantum nudam existentiam filiis praeberent, sed existentiam consonam personae humanae dignitati. Etiam prae oculis habendum est Divinam Providentiam difficultates ad generationem praevidisse, et ita clare apparet quomodo coniugibus licitum sit foecunditate uti, intra limites ab ipsius personae humanae dignitate signatos.

Cum res ita sint, normae quas populus christianus suppliciter et instanter exorat, consulere debent legi divinae matrimonio insitae, simulque humanae sponsorum conditioni, qui non in abstracto, sed in concreto difficultates experiuntur. Expedit proinde ut principia fundamentalia licitae regulationis declarentur, et, sine timore, illi modi reiciantur quibus sponsi, primum locum appetitui dantes et propriam satisfactionem unice degustantes, foecunditatem generosam et nobilem amorem despiciunt, nec non sanctitati et honori sacramenti iniuriam faciunt.

Pro conclusione proponitur: 1. Relate ad aspectum stricte pastoralem; in can. 1033 parochis datur praescriptio de instructione facienda sponsis circa sanctitatem et diversas obligationes status coniugalis. Tamen, talis instructio non modo satis obligatorio praescribitur et, diversis ex causis, in facto, fere semper ad nihilum vel quasi nihilum reducitur. Cum experientia teste, in re tanti momenti, ignorantia sit, magna ex parte, causa innumerabilium aberrationum moralium, opportunum videtur *fortius* praeceptum dare, omnibus qui curam animarum habent, ita ...[12] ut numquam omittatur ...[13]

2. Valde commendetur sponsis ita dictus « Motus Familiaris Christianus », qui familiae christianae valores propugnat et fructus superabundantes habet. Etiam commendetur sponsis *oratio communis in familia,* quae optimum vinculum unionis constituit.

Demum.[14] Quod attinet ad doctrinam, attentis considerationibus praecedentibus et ab omnibus Patribus factis, pro par. 21, novus omnino textus schematis elaboretur, in quo, claris verbis, catholicae Ecclesiae positio circa quaestionem « de limitatione natalis » enuntietur, scil.: In genere: limitatio natalis ab Ecclesia admitti potest, et quaenam? — In specie: *Quibus principiis regulatur usus mediorum* ad talem limitationem? ...[15]

Ipsi theologi et periti, fideles omnes et praecipue sponsi, talia principia ardenter desiderant, et nos Pastores, illis negare non possumus hoc verbum veritatis, quod est verbum vitae.

In textu scripto tradito: [1] et ostium circumstantiae labiis meis. [2] deest. [3] (Dante). [4] ita. [5] (n. 37, DENZ. 2241). [6] Pii XII. [7] die 29 septembris 1949 (*A.A.S.,* 41, pp. 556-560). [8] die 29 octobris 1951 (*A.A.S.,* 43, pp. 855-860). [9] (*Mt.* 5, 14). [10] (21, 4). [11] (4, 5). [12] quidem. [13] et in hac praeparatione ad matrimonium, praescriptum sit expressum de instructione circa « natalis limitationem ». Si talis praeparatio gravissimo modo praescribitur pro receptione sacramentorum paenitentiae, confirmationis et primae Communionis (can. 1330, C.I.C.), cur non eodem modo praescribitur pro receptione sacramenti matrimonii, quod habet magnum momentum sociale? [14] 3. [15] Quaestio quidem difficillima est, sed dato eius momento, non satis est illam vitare, vel solutionem ad conscientiam coniugum remittere. Si quaestio haec ad studium peritorum remittitur, saltem principia moralia fundamentalia dentur, quibus principiis innixi, theologi et periti ad ulteriores investigationes viam apertam habeant.

12

EXC.MUS P. D. PAULUS RUSCH
Episcopus Oenipontanus

Venerabiles Patres et Fratres carissimi,

In cap. IV de praecipuis muneribus a christianis implendis agitur, sed nonnulla non indicantur, quae tamen consideratione digna *sunt.*[1] Ex hisce non tractatis aliqua tangere velim.

1. *Respectus valoris non sufficienter exponitur.* Leges christianae et ecclesiasticae, praesertim in causis matrimonialibus hominibus mo-

dernis durae esse videntur. Unde necessarium est eas non tantum proponere, sed sub respectu valoris repraesentare.

Textus noster loquitur, ...[2] n. 21, de matrimonio et de obligationibus cum eo coniunctis. Iam vero indissolubilitas hominibus nostri temporis aliquid duri esse videtur. Unde respectus valoris est introducendus. Quod sequenti modo fieri potest: infantes parentum separatorum secundum sociologiam orphanis fere aequiparandi sunt. *Nunc autem*[3] in mundo sunt multoties decies centena milia infantium, qui non propter mortem parentum, sed propter eorum divortium orphani sunt, et inde in periculis multis constituti et, quoad maiorem partem, *etiam*[4] infelices. Unde perspicuum fit, legem indissolubilitatis maximi valoris esse pro innumeris infantibus.

Quare propono, ut ad finem n. 21 addatur: Leges autem Christi et Ecclesiae profundum habent sensum, quia in maximum bonum hominum se vertunt. Momentum indissolubilitatis etiam in eo consistit, ne innumeri infantes per divortium parentum infelices reddantur.

2. *Fere nihil dicitur de iuventute in nostro mundo.* Quare propono ut post n. 21 novus addatur numerus: de iuventute in nostro mundo, cum sequenti fere textu:

Condiciones iuventutis, saltem in statibus industrialisatis, hodie omnino diversae sunt relate ad tempora anteacta. Iuventus vivit vitam extrafamilialem; versatur in officinis, in tempore recreationis, in itineribus etc. Ipsi iuvenes disponunt de salario suo, vivunt in societate aperta, ut dicunt sociologi, ubi influxus in varias et oppositas partes exercentur. Quae condiciones vitae supra vires morales iuvenum sunt. Quare necessarium est ut in parvis communitatibus ad excolendum characterem iungantur. Unde Ecclesia offert diversos motus iuventutis, ut homines iuvenes certum et bonum inveniant medium vitae ad sese excolendum ad hominem perfectum, ad similitudinem et imaginem Dei.

3. ...[5] *Iterum ad iuventutem spectans*[6] nihil dicitur de tempore recreationis libero.

Quare propono, ut addatur *ad n. 23*[7]: Hodie innumeri homines gaudent de tempore recreationis libero. Saepe vel dicitur, nos in societate recreativa vivere. Quod tempus recreationis iterum duplicem habet aspectum, est simul adiumentum et periculum. Multi homines in divitiis de novo acquisitis sese gubernare non possunt. Mensuram rectam non inveniunt, immo ex perverso usu divitiarum pro multis periculum degenerationis adest, cui periculo permulti iam subiacerunt. Unde iterum scientia moralis nostra docere vult, et rectum usum et rectam mensuram pro utendis mediis vitae. Hinc etiam medicos *nostros*[8] invitamus, ut secundum eorum artem magis magisque explorent, quales sint leges

vitae biologicae et quomodo hisce legibus bene utamur in adhibendo tempore recreationis, ut homines per tale tempus non infirmiores, quod saepe accidit, sed saniores reddantur. Hoc enim solo modo impletur mandatum Dei: « replete terram et subiacete eam »...[9]

4 et ultimo, ad n. 20 spectans.[10] Parum concrete agitur de homine in discrimine huius temporis. Mundus noster est mundus « in fieri ». Omni die superveniunt novae inventiones unde condiciones vitae aliae et aliae fiunt. Sed et homo est homo « in fieri »: *scil.*[11] initio historiae vixit homo naturalis, deinde homo culturalis, nunc autem fit homo potens, i. e. homo potentiis technicis instructus. Unde sequitur nos in discrimine temporis vivere (quod germanice dicitur Wendepunkt der Geschichte, gallice autem tournants de l'histoire). In tali discrimine temporis necessarius est homo, in quo virtutes activae specialiter excultae sunt, ergo virtus iudicii, ad diiudicandas res et distinguendam viam rectam, virtus initiativae et fortitudinis, ad suscipiendum novum opus, et virtus responsabilitatis quia ab homine potenti talia ac tanta dependunt.

Insuper omne tempus vel omnis aetas continet sensum specialem, a Deo datum, qui evolvi et consumi potest. Forsitan est sensus nostrae aetatis, ut una et unica humanitas solidarietate coniuncta fiat. Sed humanitatem destrui aeque possibile est. In hoc statuitur crisis nostrae aetatis.

Unde officium Ecclesiae est, ut educat hominem, qui virtutibus talibus instructus sit, ergo virtute iudicii, fortitudinis et responsabilitatis, qui insuper habeat virtutem recte ducendi *sese et alios*[12] in omni campo vitae, ne unquam terribilis possibilitas destruendi humanitatem ad effectum eveniat, sed positiva opportunitas uniendi et christianitatem et humanitatem magis magisque ad felicem exitum deducatur.

Quare rogo ut ad n. 20 addatur: « Ecclesia autem parata est, ut homines excolat tales, qui virtutes necessarias habeant ad solvenda problemata nostri temporis ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] essent. [2] pag. 24. [3] Iamvero. [4] deest. [5] *Nihil concreti dicitur de artibus technicis.* Quare addendum esse puto, pag. 26, n. 23 post 1: Nostro tempore artes technicae miro modo evolutae sunt. Iamvero fere omnes inventiones technicae duplicem habent aspectum, prosperum unum, periculosum alterum. Artes technicae hominibus novam dant potentiam. Potentia autem possumus uti et abuti. E. g. institutiones modernae technicae guberniis facultatem dant administrandi homines quasi essent mere numeri. Ne ergo abutamur nova potentia, ideo Ecclesia evolvere coepit scientiam moralem de arte technica, ut in singulis videri possit qualis sit rectus usus potentiae de novo acquisitae, quo modo recte utamur mediis technicis non ad destructionem, sed

ad aedificationem societatis. Sic docetur simul, non dari evolutiones inevitabiles, sed omnia posita esse in hominis libertate, qui cum bona voluntate multa in bonum vertere potest. 4. [6] deest. [7] pag. 27, n. 23 ad 6. [8] deest. [9] (*1 Mos.* 1, 28). De cetero idem valet pro condicionibus opificum in officinis. Medici saepe dicunt, laborem nocturnum contra leges vitae esse, unde postulandum est ut condiciones laboris humaniores fiant, adiuvantibus omnibus ad quos pertinet, medicis, patronis, technicis. Per transennam notetur, maximi valoris esse, doctrinam ecclesiasticam de labore evolvere. Labor enim iam non tantum est medium ad vitam sustinendam, sed ultra tendit et vel extramundana apprehendit. Qualis est sensus huius laboris? Mundus exspectat responsum Ecclesiae et theologiae nostrae. [10] 5. [11] deest. [12] deest.

13

Exc.mus P. D. RUDOLFUS IOSEPH STAVERMAN

Episcopus tit. Mosynopolitanus, vic. ap. Sukarnapuraensis

Venerabiles Fratres,

Nomine etiam aliorum Patrum ...[1] sequentia proferre velim.

Matrimonium et familia tam in magna vita Ecclesiae quam in vita parva uniuscuiusque hominis tanti ponderis et tantae actualitatis sunt, ut Concilium de iis non possit non loqui. Sed ...[2] quando legimus quae ...[3] hoc schemate dicuntur *et attendimus ad ea quae hodie in hac aula dicta sunt,*[4] persuasum nobis est, quod Concilium nunc iam in via est iudicium clarius sibi efformandi. Hoc schema *vere*[5] videtur gressus in bonam directionem.

Modus quo *schema*[6] loquitur de matrimonio est vere salutaris ac liberans. Magni valoris sunt regulae 39-41 in pag. 23: « Talis est amoris coniugalis indoles, ut matrimonium natura sua ordinetur ad prolis procreationem et educationem ». Recte amor coniugalis ponitur in initio vitae matrimonialis ut mandatum et principium quod omnia dirigere et pervadere debet. Est enim amor coniugalis qui in et per actionem totaliter personalem tendit ad foecunditatem ac communionem familiarem.

Magni momenti etiam sunt ea quae dicuntur et quae non dicuntur, quando agitur de numero prolis. Schema tacet — et mea opinione recte — de lege naturali ac de finalitate biologica naturali actus coniugalis. Sed feliciter dicitur quod sponsi christiani sese gerere debent « secundum Dei dona verique amoris normam » et quidem « dignoscentes condiciones paedagogicas et oeconomicas, salutem quoque mentis et corporis, et praeter bonum ipsius familiae et Ecclesiae etiam necessitudines societatis » ...[7]. En verba salutanda!

Nihilominus hoc documentum deficere videtur et hoc probabiliter

quia adhuc nimis initium sumit a matrimonio ut instituto immutabili ...[8]. Schema quidem loquitur de « formis mutabilibus » ...[9] familiae, sed nimis vagum manet et influxus insufficienter apparet in expositione ipsa ulteriore.

Iamvero, tota realitas humana est aliqua realitas historica, semper sese evolvens. Et hoc etiam valet pro matrimonio. Salva vera eius identitate in historia longaeva generis humani, matrimonium tamen ut pertinens ad historicitatem generis humani et ideo ut realitas evolutiva recognoscenda est. Matrimonium differt secundum varietatem culturarum et temporum, sed tendentia adesse videtur qua matrimonium sese evolvit ad formam semper magis authenticam. Ecclesia rationem habeat cum matrimonio ut realitate sese evolvente et etiam gaudeat de hac evolutione, quia vere prospera potest esse pro « aggiornamento » doctrinae christianae de matrimonio huius temporis. Matrimonium enim in societate moderna ex una parte privatur pluribus functionibus, uti e. g. functionibus oeconomiae et instructionis, ex altera parte clarius apparet ut centrum kat'exochen humanitatis et amoris in societate nostra technica.

Propter hanc continuam evolutionem reflectio etiam continua necessaria est. Ecclesia contenta non sit solummodo repetendo ea, quae antea dicta vel scripta sunt. Nam tali modo doctrina Ecclesiae privatur vi sua pastorali.

Vera pastoralitas enim non consistit in mera applicatione doctrinae fixae ac immutabilis sed in continua actualisatione huius doctrinae. Praedicatio nostra tantum movet corda hominum, quantum tangit vitam eorum.

Ideo proponimus ut etiam hoc documentum denuo elaboretur et commissio hunc in finem laicos peritos in maiore numero sibi assumat, non tantum ut consultores, sed ut collaboratores. Et hoc quidem non ut gestus fiat erga laicos, etiam non solum quia periti-laici melius quam episcopi et sacerdotes repraesentare possunt ipsos coniugatos, sed praesertim quia illi periti et philosophi melius cognoscunt haec duo, scil. primo evolutionem cognitionis nostrae circa matrimonium, circa amorem coniugalem, circa foecunditatem, etc., ac secundo evolutionem ipsius matrimonii uti realitatis historicae.

Magnus numerus peritorum laicorum nuperrime nuntium misit ad Concilium, problema familiae tractans; documentum cui debemus aestimationem et gratitudinem propter eius argumentum, sapientiam et mentalitatem. Revera nuntius ille auxilium salutare praebet ad mutuam interpenetrationem doctrinae Christi et realitatum huius saeculi. Quando schema nostrum fructus fieret talis interpenetrationis, tunc, sed etiam solummodo tunc, correspondebit iustis exspectationibus huius temporis.

Una cum subsignatoribus huius nuntii dispositi sumus ad credendum munus spirituale *adhuc* [10] implendum indigere tempore maturationis, quod tempus fructuosum erit tum pro reflectione de doctrina Ecclesiae, tum pro formatione conscientiarum ipsorum coniugum... [11]

Spero autem fore ut interstitium non praeter duos annos provehatur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] praesertim Indonesiae. [2] quomodo? Sine dubio magna discretio requiritur, non solum propter formulationem traditionalem doctrinae Ecclesiae, quae periclitari videtur, sed etiam propter ipsam materiam, quam magna cum prudentia ac reverentia appropinquare nos oportet. Puto tamen hanc discretionem non necessario excludi per discussionem oralem in hac aula, dummodo materia optimo quo possit modo praeparata sit. [3] in. [4] deest. [5] deest. [6] documentum. [7] (linn. 4-11 pag. 24). [8] (cf. « immutabilemque eius naturam » lin. 38, pag. 22). [9] (lin. 2 pag. 23). [10] deest. [11] (cf. Address to the Second Vatican Council on the subject of the problems of the family, pag. 15).

[*Subscripserunt etiam*] N. Schneiders, arch. Makassar; Quint. Pessers, praef. ap. Kiangchow; A. Djajasepoetra, arch. Djakarta; J. Darmajuwana, arch. Semarang; A. Sol, ep. Amboina; E. Tillemans; N. Geise, ep. Bogor; P. van Diepen.

Moderator: Proxima congregatio generalis crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CXIII
30 octobris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CXIII

30 octobris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 113 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Gregorius Petrus Agagianian.

Durante hac congregatione, Patres venerabiles, procedetur ad duas suffragationes, ut iam nuntiatum est; prima erit super modis quoad primum caput schematis *de Ecclesia* quod inscribitur « de Ecclesiae mysterio »; alia suffragatio erit super modis, circa cap. II eiusdem schematis, quod inscribitur « de Populo Dei ».

In hac pariter congregatione, distribuetur fasciculus continens *Schema decreti de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia.* Habetur nempe textus emendatus et relationes. Suffragatio circa hoc schema incipiet die 4 novembris, nempe in congregatione generali proxima, iuxta rationem quam explicabo durante hac congregatione. Interea lego nomina eorum qui verbum facere postulaverunt circa n. 21 cap. IV, schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis*: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Bernardus I. Alfrink, arch. Ultraiecten. in Neerlandia; Alfredus Ottaviani; Michael Browne; exc.mi DD. Ioseph M. Reuss, ep. aux. Moguntin. in Germania; Ioseph Urtasun, arch. Avenion. in Gallia; Abilius Del Campo, ep. Calagurritan. in Hispania; Ioseph Nkongolo, ep. Bakwangaen. in Congo; Franciscus Rendeiro, ep. Algarbien. in Lusitania; Petrus Fiordelli, ep. Praten. in Italia; Ioannes Hervás, ep. prael. null. Clunien. in Hispania; Bernardus Yago, arch. Abidjanen. in Africa Occid.; Antonius Cardoso, ep. aux. Beien. in Lusitania; Narcissus Jubany, ep. Gerunden. in Hispania; Thomas Pearson, ep. aux. Lancastren. in Anglia; Eugenius D'Souza, arch. Bhopalen. in India; Thomas Holland, ep. Salforden. in Anglia; Ioseph Souto-Vizoso, ep. Palentin. in Hispania; Anicetus Fernandez, sup. gen. O.P.; Franciscus Franić, ep. Spalaten. et Macarscen. in Jugoslavia; Raphael García, arch. Granaten. in Hispania; Hannibal Muñoz, arch. Neo-Pampilonen. in Columbia; Ioannes Van Cauwelaert, ep. Inongoen. in Congo.

Ergo Patres, procedamus ad suffragationem faciendam quoad modos propositos a Commissione Conciliari circa cap. I schematis *de Ecclesia* « de Ecclesiae, scil., mysterio ».

[3] SCHEMA CONSTITUTIONIS DE ECCLESIA

Cap. I: DE ECCLESIAE MYSTERIO

MODI

a Patribus Conciliaribus propositi
a Commissione Doctrinali examinati

Hic fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali CXI die 28 octobris 1964.

Relatio generalis

In suffragatione de integro Capite I Schematis de Ecclesia, die 17 septembris 1964, sequens exitus apparuit:

Praesentes votantes	2.189
Placet	2.144
Non placet	11
Placet iuxta modum . . .	63

Omnes modi, a Patribus introducti, diligenter examinati sunt a Secretariis Commissionis Doctrinalis, praesente Exc.mo Charue, relatore Capitis I. Non absolute omnes illi Modi hic referuntur, sive quia omnino de minoribus agunt, immo de mendis typographicis, sive quia normis generalibus non conformantur. Etenim, quia integrum Caput a Concilio definitive approbatum est, Modi qui textui *contradicunt* admitti nequeunt. Ex altera parte, mutationes, nisi evidenter meliorationem constituunt, admittendae non sunt; quae regula magis valet quando de quaestione proposita iam antea facta fuerit discussio et decisio.

Pauci omnino Patres rogaverunt quasdam *additiones* vel *transpositiones.*

Resp.: Commissio decernit textum non esse ampliandum, neque structuram esse mutandam, nec scilicet in re quae de se semper perfectibilis est, in indefinitum abeatur.

Nunc per ordinem Modos recensemus et Responsum proponimus.

Relatio de particularibus [4]

1. *De Titulo.*

Totum inscribatur: *Constitutio de Ecclesia.*

Deinde ponatur: 1. *Prooemium.*

Postea: Caput I. *De Ecclesiae Mysterio,* inde a n. 2.

Pauci Patres proponunt *mutationem tituli* Capitis I in *De natura Ecclesiae.* Titulus autem *De mysterio Ecclesiae* est a Commissione post serium examen statutus et a Concilio approbatus.

Resp.: Commissio stat priori decisioni.

Ad num. 1

2. Sub n. 1, p. 7, lin. 7: Critica movetur contra particulam *vero,* quia sententia haec relate ad praecedentem non est adversativa.

Resp.: Correctione grammaticali ponatur *autem,* loco *vero.*

Ad num. 2

3. Sub n. 2, p. 7, lin. 26: unus Pater proponit suppressionem verbi *suam,* ad vitandas difficultates de doctrina trinitaria.

Resp.: Consentit Commissio.

4. Sub n. 2, p. 8, lin. 4, similiter observatur contra particulam *vero,* quod phrasis non est adversativa.

Resp.: Substituatur *vero* per *autem.*

Ad num. 3

5. Sub n. 3, p. 8, linn. 23-25, proponitur ut scribatur: « Christus ideo ut voluntatem Patris impleret, regnum caelorum, *iam antea in terris inchoatum,* in mysterio suae vitae adimplevit, oboedientia sua redemptionem efficiens ».

Resp.: Vetus Testamentum Regnum quidem praeparavit et per Regem Messiam introducendum esse praenuntiavit. Ideo Commissio statuit textum non esse mutandum.

6. Sub n. 3, p. 8, linn. 25-33 *expurgentur!*

Resp.: Commissio iam antea statuit agi debere de « aqua et sanguine », quae sacramenta significant.

Alius Pater proponit ut linn. 27-31 ita legantur: « Quod exordium et incrementum significantur sanguine et aqua ex aperto latere

[4] Iesu crucifixi exeuntibus (cf. *Io.* 19, 34), ac praenuntiantur verbis Domini de morte sua in cruce... ».

Resp.: Correctio, ratione claritatis, admittitur.

[5] *Ad num. 4*

7. Sub n. 4, p. 9, lin. 23: voci *dirigit* substituatur *instruit.*

Resp.: Dicatur unum et alterum.

Sub n. 4, pag. 9, linn. 22-23: aliquis Pater timet ne perperam aequiparentur dona *hierarchica* et *charismatica.*

Resp.: Locutio adhibita accuratim modo loquendi S. Pauli correspondet.

Ad num. 5

8. Sub n. 5, p. 10, linn. 2 ss.: exponatur clare *Regnum Dei.*

Resp.: Commissio hoc in textu fieri iudicat.

9. Sub n. 5, p. 10, lin. 13: aliquis, loco *in Persona* proponit ut scribatur: *in ipso Christo.*

Resp.: Structura huius alineae successive agit de *verbis* Christi, de Eius *miraculis,* et deinde de tota manifestatione Eius *Personae,* a. v. de illo quod dixit, de illo quod fecit, de illo quod est. Unde textus videtur clarus. Vox « Persona » clarificatur etiam expressione in lin. 1 adhibita, nempe « praesentia Christi ». Statuit Commissio in lin. 13 scribendum esse: « in ipsa Persona Christi, Filii Dei et Filii hominis, qui... ».

10. Sub n. 5, p. 10, linn. 17-22: datur *repetitio* illorum quae iam alibi dicuntur. Quod etiam de aliis pericopis aliquando observatur.

Resp.: Saepius eadem res sub diversis aspectibus exponenda est; unde non resultat formalis repetitio.

11. Sub n. 5, p. 10, linn. 27-28: duo Patres quaedam addere vellent de societate *visibili,* mediis instructa, etc.

Resp.: Oportet legere affirmationes in toto suo contextu. Iamvero idea proposita loco suo explicitis verbis enuntiatur.

Ad num. 6

12. Sub n. 6, p. 11, lin. 20: proponit aliquis Pater ut addatur logion *de Petro* ut petra aedificii.

Resp.: Textus petrinus passim iam adducitur.

13. Post n. 6, p. 12, lin. 20: addatur numerus specialis *de familia.*

Resp.: De familia Dei hic agitur, p. 11, lin. 29, et in aliis tribus locis ex professo de familia fit sermo. Unde hoc loco nihil est addendum.

Ad num. 7 [5]

14. Sub n. 7, pp. 12-13, lin. 1 paginae 13, loco *participantes*, scribatur: *sumentes,* quia « participare corpus » est expressio durior.

Resp.: Scribatur: *de* corpore Domini realiter participantes.

15. Sub n. 7, p. 14, lin. 13: ponatur *in Illum,* loco *in Illo,* secundum [6]
textum originalem.

Resp.: Admittitur, adiecta indicatione *gr* (= graece).

16. Sub n. 7, p. 14, linn. 23-25: tres Patres observant quod in *Eph.* 5, 25-28 Christus ponitur ut exemplar viri et *non e converso.*

Resp.: Scribatur, ad difficultatem tollendam: « Christus vero diligit Ecclesiam ut sponsam suam, exemplar factus viri diligentis uxorem suam ut corpus suum; ipsa vero Ecclesia... ».

Ad num. 8

17. Sub n. 8, p. 15, linn. 1-2, addatur: « ... unam realitatem complexam *quamvis sub diversis rationibus efformant* ».

Resp.: Diversitas aspectuum iam in initio phraseos indicatur per verba « Ecclesia terrestris et Ecclesia caelestibus donis ditata ». Unde nihil immutandum.

18. Pro numero 8, unus Pater declarat *revisionem* esse necessariam, quia n. 3 Ecclesia dicitur « Regnum Christi iam praesens in mysterio », et n. 5: « Regni in terris germen et initium constituit ».

Resp.: Nulla apparet contradictio.

19. Sub n. 8, p. 15, linn. 19-21, proponunt 19 Patres ut scribatur: « ... subsistit *integro modo* in Ecclesia catholica ». Alii 25 Patres volunt addere: « *iure divino* subsistit ». Rursus alii 13 Patres, loco « subsistit in » petunt ut scribatur « est ». Unus vero proponit ut, loco *subsistit,* dicatur *consistit.* Ut patet, duae manifestantur tendentiae, una quae sententiam aliquatenus extenderet, altera quae vellet eam restringere. De qua re Commissio iam antea post largam disceptationem, elegit vocem « subsistit in »; cui solutioni omnes praesentes adhaeserunt. Quod attinet ad additionem *integro modo,* respiciatur textus sub n. 14, p. 36, linn. 4 ss. Quod spectat ad additionem *iure divino,* ex contextu paragraphi patet sermonem esse de institutione Christi.

Resp.: Standum est textui admisso.

Ibid., p. 15, lin. 22: quidam proponunt ut addatur: « elementa plura sanctificationis, *ordinationis* et veritatis ... ».

Resp.: Res planius exhibetur sub n. 15, ubi etiam memoratur *Episcopatus.* Ceterum vox « ordinatio » non est valde clara. Si intelligitur

[6] de sacramento Ordinis, iam continetur sub termino « sanctificationis ». Unde nihil immutandum.

20. Sub n. 8, p. 15, lin. 42: optant 4 Patres ut addatur: « Ecclesia *Evangelium perprius ad pauperes enuntiat et omnes infirmitate...* ».

Resp.: Satis provisum in contextu, qui lin. 39 de pauperibus loquitur. Ceterum « prioritas » pro pauperibus videtur de paupertate spirituali intelligenda, secundum sensum vocis biblicae « anawim ».

[7] EMENDATIONES ADMISSAE

SECUNDUM MODOS A PATRIBUS INTRODUCTOS

N. 1 Prooemium, p. 7, lin. 7: Cum *autem* Ecclesia sit in Christo...

N. 2, p. 7, linn. 25-26: ... homines ad vitam divinam elevare decrevit.
p. 8, lin. 4: Credentes *autem* in Christum...

N. 3, p. 8, linn. 27-31: Quod exordium et incrementum significantur sanguine et aqua ex aperto latere Iesu Crucifixi exeuntibus (cf. *Io.* 19, 34), ac praenuntiantur verbis Domini de morte sua in cruce...

N. 4, p. 9, lin. 23: donis hierarchicis et charismaticis *instruit ac* dirigit...

N. 5, p. 10, lin. 13: ... manifestatur *in ipsa Persona Christi, Filii Dei et* Filii hominis...

N. 7, p. 12, lin. 41: de *corpore* Domini realiter participantes...
p. 14, lin. 13: ... crescamus in *Illum* per omnia, qui est Caput nostrum (cf. *Eph.* 4, 11-16, *gr*).
p. 14, linn. 23-25: « Christus vero diligit Ecclesiam ut sponsam suam, *exemplar factus viri diligentis* uxorem suam ut corpus suum; ... ».

QUAESITUM

An placeat expensio facta a Commissione Doctrinali circa Modos Caput I respicientes, cum supradictis correctionibus?

Secretarius generalis: Vos, Patres venerabiles, omnes explicationes habetis in fasciculo et iam legistis. Ergo lego tantum elenchum emendationum admissarum, qui est in pag. 7, deinde proponam quaestionem [*cf. supra*].

Iam vero, Patres venerabiles, quaeritur a vobis an placeat expensio facta a commissione doctrinali circa modos cap. I respicientes, cum supradictis correctionibus? Responsio est *placet* vel *non placet.*

Moderator: Continuatur disceptatio circa n. 21 cap. IV schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

1

EM.MUS P. D. BERNARDUS IOANNES CARD. ALFRINK
Archiepiscopus Ultraiectensis

Venerabiles Patres,

Omnibus sacerdotibus in cura pastorali positis obviam veniunt anxietates et permagnae difficultates vitae matrimonialis multorum fidelium bonae quidem voluntatis, qui obligationes morales sui status generose complere desiderant. Non raro hae difficultates ansam praebent alicui alienationi ab Ecclesia. Insuper pugna spiritualis potest esse quam defatigans, quod diu tolerari nequeat absque detrimento valorum humanorum, quodque ipsa summa valor matrimonii, nempe bonum fidei seu fidelitatis, in periculum deducatur.

Firmiter constat Ecclesiam, custodem legis divinae, ob difficultates humanas, etsi maximas, numquam legem divinam mutare posse, adaptantem eam incapacitati humanae. Insuper evidens est, quod analyses sociologicae harum difficultatum nihil dirimere possunt quod attinet ad characterem moralem actuum humanorum. Ecclesia non potest indulgere Ethicae sic dictae Situationis, qua vere absoluta norma moralis in determinatis circumstantiis vim suam perdere putatur. Insuper semper Ecclesia profitetur sacrificium et exinanitionem pertinere ad ipsam essentiam vitae *humanae.*[1]

Attamen,[2] non solum Crux, sed etiam gaudium Resurrectionis ad essentiam vitae christianae pertinet, atque Deus non laetificatur pressuris hominum. Re quidem vera, difficultates vitae matrimonialis non raro talis indolis sunt, quod de facto anxius conflictus conscientiae adsit inter duas valores matrimoniales, scil., ex una parte valor procreationis et, ex altera parte, valor educationis humanae et christianae, quae tunc tantum possibilis evadit quando adest inter parentes amor coniugalis, qui normaliter per commercium carnale alitur et augetur. Hic conflictus non est conflictus inter duas valores separatas. Etenim, sine amore et fidelitate

coniugum, recreata per « cultum amoris » (ut recte schema *nostrum*[3] dicit), ipsum motivum procreationis moraliter periclitatur. Proinde quaestio praecisa haec est: datur conflictus moralis in ponendo unum eumdemque actum: si enim in hoc actu coniuges velint salvare finalitatem biologicam, laeditur officium educationis humanae christianae prolis futuri et prolis iam praesentis; sin autem velint salvare bonum fidei et bonum educationis, tunc, praeter continentiam periodicam, quae a multis coniugatis cum magna virtute christiana exercetur sed saepius non sine gravibus incommodis tentatur, aut praeter continentiam completam, quae tamen — ut de aliis sileamus — a coniugatis maiorem vim moralem exigit quam normaliter adesse supponitur, unica solutio patet nempe in ponendo actum debiti coniugalis excludendo prolem, saltem in hoc concreto actu.

Evidens est, quod si hoc accidit usu mediorum, qui absque dubio *intrinsece* mala essent, Ecclesia sacrificium valoris particularis ut salvetur valor ut ita dicam, totalis matrimonii, numquam admittere potest.

Sed, renovata cognitione anthropologica, praesertim crescente cognitione distinctionis essentialis inter sexualitatem mere biologicam et sexualitatem humanam, de facto apud multos coniuges, necnon apud homines scientiis deditos atque nonnullos theologos *dubium honestum* surgitur relate saltem ad argumenta adhibita ad demonstrandum quod talibus in conflictibus in vita coniugali fidelium bonae voluntatis continentia completa vel periodica esset unica solutio omnimode efficax, moralis et christiana. Situatio seu condicio problematis nimii momenti est quam quod Ecclesia *praecitato*[4] ac forsan praematuro modo hunc conflictum realem solvat decernendo. Ecclesia sollicita debet esse de puritate legis divinae servandae; sollicita etiam de problematibus humanis. Ecclesia debet *semper*[5] et diligenter inquirere, ita ut omnes christifideles scire valeant Ecclesiam, quidquid responsum esse debeat, rem magna cum caritate *exquisit*[6] cum omnibus mediis quae diversi scientiarum campi afferre possunt. Quam ob rem, se gaudere fas est, de institutione commissionis selectorum peritorum, quae cum hac materia se occupet.

Etenim, tantummodo si detur certitudo vera relate ad cognitionem veri contenti legis divinae, Ecclesia potest et debet ligare aut liberare conscientias suorum fidelium.

Demum quaestio poni potest, annon propter celerrimum progressum scientiarum — praesertim medicinae et aliarum scientiarum quae circa vitam humanam versantur — qui processus scientificus de die in diem nova problemata ethica et moralia oriri facit, quaeri potest annon Ecclesia hodierna revera indiget quadam commissione permanente peri-

torum in campo philosophico et theologico necnon in campo scientiarum, quae intuitu sollicitudinis pastoralis evolutionem illarum scientiarum illico et statim comitetur, ne Ecclesia umquam nova problemata tardius inspiciat et solvere conetur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] christianae. [2] Ast. [3] deest. [4] praecipitato. [5] sancte. [6] exquisisse.

2

EM.MUS P. D. ALFREDUS CARD. OTTAVIANI

Em.mi ac exc.mi Fratres,

Excusatis mihi si ex abrupto debeam loqui: quia putabam esse locuturum in proxima sectione. Sed quod in mente iam habebam, vobis humiliter proferam.

Non mihi placet quod in n. 21 habetur de studio seu de officio quasi quod omnes debent coniuges ad mensurandum numerum prolis. Hoc inauditum fuerat anteactis saeculis usque ad tempora nostra. Numquid obliviscimur ea quae dicta sunt in S. Scripturis « Crescite et multiplicamini » cui non contradicit illud « erunt duo in carne una » quia illud est non tantum indicatio amoris inter coniuges sed etiam functionis generativae.

Quid ergo? Abolemus psalmum « Beati omnes qui timent Dominum ». « Uxor tua sicut vitis abundans... filii tui sicut novelli olivarum in circuitu mensae tuae » (Vulgata refert *novellae* olivarum...)?

Loquitur vobis aliquis qui factus est sacerdos ex familia 12 filiorum; 11us ipse erat et pater eius erat operarius, opificius, non dominus opificii sed operarius, et tamen numquam dubitavit de Providentia, numquam cogitavit de limitanda prole etiamsi difficultates essent.

Numquid obliviscimur ea quae dixit Dominus « respicite volatilia caeli, respicite lilia campi », igitur Providentiam Domini obliviscimur?

Em.mi ac rev.mi Patres, ego relinquo ut em.mus card. Browne vobis dicat quae magis doctrinaliter ipse cum sua competentia nunc dicet. Sed rogo ne cogitetis ut dictum est, esse aliquid dubium quod Ecclesia erravit anteactis saeculis.

O vos, membra Commissionis Doctrinalis qui adlaboratis his diebus in exaranda declaratione de inerrantia Ecclesiae et de episcoporum inerrantia cum Summo Pontifice, debebitis igitur revidere vestrum schema,

quia nunc iam datur dubium quod Ecclesia fortasse erravit in doctrina matrimoniali, quod mihi videtur abnorme. Dixi.

Textus scripto traditus:

Non placet quod in schemate sub n. 21 dicatur numerum prolis procreandae esse limitandum a coniugibus.

Id sane est contra finem matrimonii qui in prole procreanda non ponit limites; ceterum difficultates de quibus in schemate agitur, si excipias quaestionem salutis seu valetudinis, superari possunt praesertim si imbuimur spiritu crucis Christi, sicut ceterum ipsum schema profitetur dicendo « parentes nunquam sequelam Christi evacuare » posse.

Quid ergo? Abolemus psalmum « Beati omnes qui timent Dominum... » « Uxor tua sicut vitis abundans... filii tui sicut novelli olivarum... »? An non Evangelium praefert Christi verba quae causam laetitiae adducunt ortum unius hominis « mulier enim ingemiscit in partu sed postea gaudet de filio nato »? Ceterum non debemus agere tantummodo principiis technicis aut oeconomicis, ne oblivioni demus verba Christi: « Quid solliciti estis... respicite volatilia caeli et lilia campi... ».

Loquitur vobis sacerdos qui est undecimus filius in familia duodecim filiorum et pater erat operarius, et nunquam parentibus venit in mentem metus multiplicis prolis quia in Providentia fiduciam habebant; puto autem inter patres Concilii maximam partem venire ex elemento populari seu ex familiis non divitibus et in quibus proles fuit numerosa, ex qua facilius vocationes sacerdotales colliguntur, dum in familiis in quibus una vel duae proles tantum habentur, vocationes oppugnantur. O pulchrae familiae canadenses in quibus abundant illae quae habent inter decem et quindecim liberos ex quibus frequenter duae vel tres vocationes habentur!

Demum miror dictum fuisse in Concilio hesterna die, esse dubium utrum temporibus hucusque actis recte fuerit de principiis circa matrimonium iudicatum. Numquid inerrantia Ecclesiae in dubium vocanda erit? Aut Spiritus Sanctus non adfuit Ecclesiae suae anteactis saeculis mentes illustrando circa hoc doctrinae punctum? Haec sane non est sententia Patrum qui in commissione doctrinali praecise his diebus adlaborant in exponenda doctrina de inerrantia episcoporum seu Ecclesiae docentis cum Romano Pontifice prouti exponetur in cap. III de episcopis in schemate *de Ecclesia*.

3

EM.MUS P. D. MICHAEL CARD. BROWNE

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

Non fuit intentio mea ut peterem facultatem interveniendi in discussione conciliari de nostro schemate. Membrum enim fui commissionis mixtae quae adlaboravit in eius praeparatione.

Unde potius expectabam ulteriorem lucem ex discussione Concilii circa problemata gravia et difficilia de quibus schema agit.

Si nunc facultatem petii ut verbum facerem, motivum meum fuit ut, modesta quadam mensura, adiuvarem, non docendo sed solum testimonium humiliter reddendo circa ea de quibus forte discussio utiliter fieri posset, aliis quae certa videntur sepositis.

In doctrina de matrimonio haec quae sequuntur certa sunt sive ex doctrina magisterii sive ex illa theologorum scholarum classicarum:

1. finis primarius i. e. finis *primarius*[1] operis uti dicitur, est proles generanda et educanda;

2. finis secundarius duplex est: *a*) mutuum auxilium, seu mutuum obsequium coniugum in societate domestica; *b*) remedium concupiscentiae praestare.

Sed, dicit aliquis, oportet quoque locum tribuere amori coniugali.

Ita sine dubio est, sed, ut iste locus assignetur, oportet distinguere inter amorem amicitiae secundum quem aliquis amico ut alteri ego bonum appetit et procurat, et amorem concupiscentiae, secundum quem aliquis sibi ipsi bonum appetit et procurat.

In societate matrimoniali amor ille qui summopere desideratur ut haec ipsa societas firma, stabilis et profunde iucunda sit, est amor coniugalis amicitiae viri et mulieris ad invicem.

Invenitur quoque in conversatione matrimoniali, maxime in eius actu, delectatio sensibilis quam coniux sibi appetere potest, in quantum coniungitur actui honesto coniugali et quam comparti similiter appetere potest ut coniunctam actui honesto coniugali ex parte eiusdem compartis exercito.

Cursus *tamen*[2] naturalis ...[3] est ut quanto magis in vita coniugali uni parti constet alteram partem magis moveri amore sensibili concupiscentiae quam amore amicitiae erga suam compartem, eo magis ex parte ipsius *i. e. ipsius compartis*[4] diminuitur amor coniugalis amicitiae.

Cauti ergo esse debemus dum vindicamus iura amoris coniugalis. Distinctiones quaedam faciendae sunt ad hoc ut amor coniugalis plene constituatur in sua honestate.

Ut haec honestas habeatur in vita ipsa matrimoniali sponsi diriguntur attentione facta ad ita dicta matrimonii bona, quae sunt proles generanda et educanda, fides servanda in reddendo debitum, et sacramentum quo inter coniuges christianos ipsa vita coniugalis naturaliter honesta redditur quoque sancta.

Ut actu coniugalis naturaliter licitus sit, sufficit bonum fidei servandae in reddendo debitum. Recta vero debiti redditio praesupponit et

quidem[5] ex sua natura actum coniugalem naturalem, sed non exigit ut actus *iste*[6] unice exerceatur tempore actualis fertilitatis compartis. Potest quoque exerceri, *legitime exerceri*[7] tempore dicto ageneseos, *et honestatur bonum fidei.*[8]

Nullum dubium dari potest de his omnibus, quae pertinent ad thesaurum communis doctrinae magnorum theologorum, et quae nobis proponuntur, quoad eorum elementa essentialia, in documentis magisterii, quae sunt praecipue *celeberrimae*[9] Encyclicae Litterae *Arcanum* Leonis XIII, *Casti connubii* Pii XI et allocutiones Pii XII ad obstetrices et ad medicos.

Difficultates quaedam manent *sine dubio*[10] respicientes periodum ageneseos, quae tamen pro parte, *sed pro parte tantum*[11] iam solvuntur, non a theologis sed a medicis gynecologis, et quae, pro alia parte, adhuc sunt sub studio virorum doctorum. Theologus *et ipsa Ecclesia*[12] nil aliud facere potest nisi expectare exitum eorum laboris.

Quoad alia quaedam adinventa scientiae de quibus hodie sermo fit in universo mundo, et quae tangunt vitam matrimonialem, hic nihil dico.

Audivimus a relatore ipsum Summum Pontificem de his gravibus problematibus curam habere. Si, de consensu Summi Pontificis, Concilium Oecumenicum deberet se de eisdem problematibus occupare, hoc — ut aestimo — non posset fieri nisi per commissionem restrictam quae suas conclusiones nobis proponeret. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] rerum. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest.

4

Exc.mus P. D. IOSEPH REUSS

Episcopus tit. Sinopenus, aux. Moguntinus

Venerabiles Patres,

Em.mis cardd. Léger et Suenens et Alfrink pro eis quae dixerunt gratias agendum est. Em.mus Alfrink ...[1] optime exposuit difficilem statum quaestionis et propositiones omni consideratione dignas *fecit.*[2] De cetero certe quaestio finalitatis matrimonii, quam em.mus Léger heri tetigit, quaestio difficilis et accuratius et profundius investiganda est. Accedunt quaestiones quam em.mus Suenens indicavit et quae maximi momenti sunt. Qua de causa iis quae em.mus Suenens de commis-

sione et de laboribus a commissione praestandis postulavit, omnino *consentiendum* [3] est. Quanto magis investigationibus et discussionibus quaestiones fundamentales respectu sexualitatis humanae, matrimonii et actus coniugalis solventur, tantum in tractatione casuistica talia singularia quae a non paucis ut quodammodo indecentia sentiuntur, evitabuntur.

Haec proprio nomine dixi. Et nunc verbotenus legam ea quibus subscripserunt 145 Patres ex diversis nationibus et partibus terrae. Quidquid dicatur contra schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* n. 21 certe in eo laudandus est, quod magnum momentum amoris coniugalis pro matrimonio premit. Sed hoc potest et — ut mihi videtur — etiam debet profundius confirmari.

1. Sexualitas humana non mere biologice consideranda est et essentialiter etiam differt ab omni sexualitate non humana. Sexualitas humana semper ad totam personam humanam redundat et hominem ad hominem alterius sexus ordinat; hoc modo simul vir et femina ad specificam formam communitatis personarum et mutui amoris apti fiunt.

2. Matrimonium ut talis societas personalis amorem coniugalem non solum postulat, sed etiam in amore coniugali ut fundamento suo posita est salva validitate matrimonii partium consensu legitimo.

3. Hic amor coniugalis, quo coniuges etiam coalescunt et procreationi et educationi prolis inserviunt, ad totam vitam matrimonialem cotidianam se extendere et eam adimplere debet. Talis amor coniugalis, qui crescit in quantum « non quaerit quae sua sunt » ...[4] est maximi, immo decisivi ponderis pro quocumque matrimonio.

4. Insignis dignitas atque difficultas amoris coniugalis maritos ad talem amorem appetendum et servandum et augendum incitare debet.

5. Ex dictis sequitur, omne matrimonium bonum ex structura sua semper etiam arduum esse. Ratio huius est, quod homo caritate in omnibus formis manifestationibusque suis ultime in Deum tendit et ut creatura creatori similis fit, quod etiam elevante et adiuvante gratia semper difficile est.

6. Schema his considerationibus de amore coniugali prolatis augeatur, ut matrimonium dilucide tamquam via, qua mariti se invicem diligentes ad Deum gradiantur, ostendatur.

7. In hac via coniugum ad Deum sine dubio habitudo sese parandi ad liberos suscipiendos et educandos magni momenti est. Sciant coniuges se ex mandato divino ...[5] ad procreationem prolis vocatos esse nec sibi licere, ut egoistice et arbitrarie hoc munus negligant.

8. Quod autem ad numerum infantium attinet, non negandum est,

hanc quaestionem primo et — etiam consiliariis competentibus adhibitis — responsabiliter ab ipsis coniugibus decidendum esse.

9. Sin autem schema nostrum relate ad omnia problemata, quae cum hac quaestione connexa sunt, tam caute et moderate loquitur, in hoc puncto certissime laudandum est. Nam schema non plus dicit quam hodie dici potest. *Ne quis dicat, ulteriores investigationes superfluas esse! Negari enim non potest, in hac quaestione non omnia tam clara esse quam saepe dicuntur et proponuntur.*

10 et ultimo. Sed sine dubio distinctiores responsiones iure merito a nobis *Patribus conciliaribus etiam*[6] exspectantur, quas tamen respectu lati ambitus et magnae difficultatis harum quaestionum Concilium brevi tempore dare non potest.

Ideoque ex officio nostro ulteriores investigationes curae nobis habendae sunt. Profunde ac exacte enim inquiri oportet, quaenam hac in re vere sint praecepta Dei et quomodo coniugibus in difficultatibus constitutis sine ulla laesione praeceptorum Dei auxilium feratur. Concilii ergo nostri est magnopere incitare, ut coetus vere peritorum theologorum, philosophorum, medicorum, psychologorum, sociologorum has quaestiones difficillimas diligentissime examinet.

Obligatio nostra talem investigationem scientificam urgendi ex officio nostro ...[7] veritatem quaerendi patet. Si huic officio imbuentes sincere veritatem et non opportunitatem — sive hanc sive illam — quaerimus, sincere Deum quaerimus. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] hodie. [2] exhibuit. [3] assentiendum. [4] (*1 Cor.* 13, 5). [5] (*Gn.* 1, 28). [6] deest. [7] ut Patres conciliares.

[*Subscripserunt etiam*] J. C. van Miltenburg, arch.-ep. Hyderabad Pakistan; J. de Lange, ep. tit. Photicensis; Ioannes van Engelen, sup. gen. Congr. Cist. Belga; Paul Verschuren, coad. Helsinki; Ioannes H. J. Tielbeek, ep. tit. Tipasae in Numidia; Henricus De Cocq, ep. tit. Aquae in Byzacena; Antoine Demets, ep. tit. Cadossenus; Pedro Paolo Koop, ep. Linensis; J. W. Holterman, ep. Gulielmopolitanus; Arnold Boghaert, ep. Rosensis; Herman van Elswijk, ep. Morogoroensis; J. de Reeper, Kisumuensis; Cornelio de Wit, Antiqua; Th. v. d. Tillaart, ep. Atambua; H. Te Riele, praef. ap. Malakal; J. Boerkamp, praef. ap. Kashmir et Jammu; A. Thyssen, ep. Larantuka; A. v. d. Hurk, arch. Medan; W. Bekkers, ep. Buscoducensis; J. Bluijssen, ep. aux. Buscoducensis; Jac. Romeijn, ep. Samarinda; G. W. Sillekens, ep. Ketapang; A. Albers, ep. Malang; Dan. Stuijvenberg; A. Konings; H. v. d. Burgt, arch. Pontianak; P. van Diepen; Clementinus a Vlissingen, min. gen. ofm cap.; G. Demarteau, ep. Bandjarmasin; C. G. Kramer, ep. Luanfu; H. Tillemans, vic. ap. Merauke; St. Kuijpers, ep. Paramaribo; W. van Hees, mag. gen. O.S.C.; J. Soudant, ep. Palembang; A. Hermelink, ep. Tandjang-Karang; G. Legeland, praef. ap. Weetebala; Raimundus Bogarin; Eugenius, ep. Santander; Grimm, ep. Zinceuvensis; Alcides Mendoza

Castro, ep. Abancayensis; F. X. Thomas, ep. Geraldtonensis; Ignacio Arbulú Pineda; Maurice Pourchet, ep. S. Flori; Guillelmus Sedlmeier, ep. tit. Aulona; Ioseph Stangl, ep. Herbipolitanus; Alf. Kempf, ep. tit. Limira; Adolfus Bolte, ep. Fuldensis; H. Aufderbeck, ep. aux. Fuldensis; Ed. Schick, ep. aux. Fuldensis; J. Baaken, ep. tit. Gordo; H. Tenhumberg, ep. aux. Münster; Jos. Höffner, ep. Münster; J. Buchkremer, ep. tit. Aggar; J. Rüth, ep. tit. Amandarsi; Blasius Kurz, ep. tit. Terenuti; E. Häring, ep. Shohchow; Bertold Bühl; Julius Angerhausen, ep. aux. Essen.; Paul Schulte, arch. Indianapolis; Paul Ioseph Schmitt, ep. Metz; J. F. Fresno, ep. Copiapó; Petrus M. Rougé, ep. Nîmes; Ugo Poletti, ep. tit. Medelitanus; Salvador Martinez Aguirre, ep. tit. Arcensis; Gerardus Huijghe, ep. Atrebatensis; H. Donze, ep. Tulle; E. Courtois, ep. Kayes; G. M. Riobé, ep. Orléans; F. Kervéadou, ep. S. Brieuc; Maurice Rigaud, ep. Pamiers; H. Gufflet, ep. coad. Limoges; L. A. Elchinger, coad. Argentoratensis; Claude Fusin, ep. S. Claude; Ernest Primeau, ep. Manchester; Philip Fr. Hannan, aux. Washington; Bernardus L. Fey S., ep. tit. Philadelphia minor; Marcel Chauvin, ep. Fada N'Gourma; Vladimir Malanczuk, ep. tit. Epiphania in Siria; José, bispo de Propriá; A. Van den Bosch, ep. Matadiensis; Carlos Brown, ep. tit. Vallis; Bernardus J. Nolker, ep. Paranaguá; A. Macedo; José A. Tscherrig, ep. tit. Nefeli; José Cl. Maurer, arch. Sucrensis; Winnibaldus Talleur, ep. tit. Magido; Quir. A. Schmitz, ep. Teófilo Otoni; Filipe Tiago Broers, ep. Carabellensis; N. Geise, ep. Bogor; Jaime Schuck, ep. prael. Cristalandia; A. Djajasepoetra, arch. Djakarta; A. Sol, coad. Amboina; M. De Keijzer, aux. Brugensis; P. Schoenmaekers, aux. Mechliniensis; J. De Kesel, aux. Gandavensis; J. B. Musty, aux. Namurcensis; J. Heuschen, aux. Leodiensis; J. V. Daem, ep. Antverpiensis; L. Van Peteghem, ep. Gandavensis; Em. De Smedt, ep. Brugensis; G. Van Zuijlen, ep. Leodiensis; Ch. Himmer, ep. Tornacensis; Em. Pereira da Costa, ep. Campinensis Grandis; Fr. Austregesilo Mesquita, ep. Afogadensis de Ingazeira; J. A. L. de Castro Pinto, aux. Rio de Janeiro; David Picâo, coad. Santos; Walmor Battú Wichrowski, ep. tit. Felbes; Clemens José Carlos Isnard, ep. Nova Friburgo; Acacio Alvea, ep. Palmares; José Lamartine Soares, ep. tit. Fussala, aux. Olinda et Recife; Valdir Calheiros, aux. Rio de Janeiro; Helder Câmara, arch. Olinda et Recife; Edmundo Kunz, ep. tit. Ptolemaide in Fenicia; José Vicente Távora, arch. Aracajú; Augusto Petró, bispo Uruguaiana; Claudio Colling, bispo Passo Fundo; A. Zattera, ep. Pelotas; Alb. Ramos, arch. Belem; Milton Pereira, aux. Bethlemensis; Joâo Resende Costa; Belchior da Silva Neto, adm. ap. Luceatinus; José Costa Campos, ep. Valentinus in Brasilia; Joâo José, arch. Sâo Luis do Maranhâo; José, ob.; Antonio Fragoso, bispo Crateús; Iosephus, arch. Fortalexiensis; Jorge Manrique, ep. Ororú; Pedro Filipak, ep. Jacarézinho; Iosephus Thurler, ep. tit. Capitoliade; Augustus Carvalho, ep. Casuarú; Severino de Aguiar, ep. Pesqueira; Adriano Hypolito, ep. tit. Diospoli di Tracia; Climerio A. de Andrade, ep. Conquista; José Gonçalves da Costa; Bernardus Iosephus Bueno Miele, ep. tit. Bararo; Joâo Batista da Mota e Albuquerque, arch. Vitória.

[3] # SCHEMA CONSTITUTIONIS DE ECCLESIA

CAP. II: DE POPULO DEI

MODI

A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI
A COMMISSIONE DOCTRINALI EXAMINATI

Hic fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali CXII die 29 octobris 1964.

RELATIO GENERALIS

Die 17 septembris factae sunt suffragationes de partibus Capitis II *De Ecclesia, cum sequenti exitu.*

Prima suffragatio, de numeris 9, 10, 11 et 12:

Praesentes votantes	2.210
Placet	2.173
Non placet	30
Vota nulla	7

Secunda suffragatio, de numero 13:

Praesentes votantes	2.202
Placet	2.186
Non placet	12
Vota nulla	3

Tertia suffragatio, de numeris 14, 15 et 16:

Praesentes votantes	2.099
Placet	2.048
Non placet	48
Vota nulla	3

Quarta suffragatio, de numero 17:

Praesentes votantes	2.174
Placet	2.106
Non placet	67
Votum nullum	1

De integro capite II facta est suffragatio, die 18 septembris: [3]

Praesentes votantes	2.190
Placet	1.615
Non placet	19
Placet iuxta modum . . .	553

Integrum ergo caput, cum omnibus suis partibus, est igitur a Concilio approbatum.

MODI AD CAPUT II DE ECCLESIA [4]

Etiam pro hoc capite, omnes Modi, nullo excepto, a Patribus introducti praevie examinati sunt, praeside Exc.mo Charue, a Praeside Commissionis Doctrinalis delegato, a secretariis Commissionis una cum Exc.mo Garrone, utpote huius capitis relatore.

In seligendis Modis, quattuor examinatores applicaverunt principia, in prima sessione super Modos a membris Commissionis approbata, quae forsan iuvabit in memoriam revocare:

1° Textus a duobus e tribus partibus in aula probatus, gaudet possessione: ideoque nullus Modus accipi potest qui textui probato contradicat.

2° Eadem de causa non possunt admitti notabiles expunctiones vel mutationes ordinis.

3° Idem admitti nequeunt longiores additiones, etiam si in se sint pulchrae. Nam nullus numerus est qui non augeri possit pulchris citationibus vel ampliationibus.

4° E contra admitti possunt breves additiones, transpositiones, mutationes, quibus clarius et melius apparet sensus textus, vel etiam expunctio superflui.

5° Non tangi debent ea quae scripta sunt post serias discussiones in Commissione. Textus enim probatus a Commissione debet manere in decisis, nisi ab altiore auctoritate nova discussio imponatur.

6° Fieri potest, maxime in rebus ordinis positivi, ut irrepserit unus alterve error. Quod si ille clare indicatur, error erit corrigendus, ut clarius apparebit in ulteriore relatione. V. gr. « filii Ismael » habet sensum controversum; non omnes pagani colunt idola; non *omnes* baptizati gaudent iis qualificationibus de quibus in textu.

[4] RELATIO DE PARTICULARIBUS

Ad num. 9

1. Pag. 29, lin. 5: proponitur sat longa *ampliatio de Deo cognoscendo,* sive ab individuis, sive a populis.

Resp.: Spectata materia tractata, ampliatio non est opportuna.

2. Pag. 29, lin. 10: Suggeritur: « foederis illius novi, perfecti *et universalis* ».

Resp.: Non videtur necessarium, quia universalitas in sequentibus diserte asseritur. Cf. n. 13.

3. Pag. 29, lin. 19: Suggeritur ut addatur citatio *Gal.* 3, de foedere cum Abraham.

Resp.: Videtur superfluum.

[5] 4. Pag. 29, lin. 30: Scribatur: « Habet pro lege *speciali* mandatum *novum* diligendi sicut Christus dilexit nos ». Alius autem suggerit additionem: « diligendi *Deum super omnia et proximum sicut seipsum,* sicut ipse Christus ... ».

Resp.: Additio *speciali* textum potius debilitaret. Accipitur additio: mandatum *novum.* Ultima additio videtur superflua, et sufficit referentia ad textum *Io.* 13, 34: « mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos ».

5. Pag. 30, lin. 4: Compleatur expositio per descriptionem *consummationis* finalis, secundum *1 Cor.* 15, 24-28.

Resp.: Providetur in Capite VII.

P. Pag. 30, lin. 13: Loco *aliquando* ponatur: *iam.* Vocabulum enim *Ecclesia Dei* in Vetere Testamento rarissime occurrit; generatim sermo est de Ecclesia *Domini.*

Resp.: Admittitur, cum referentia: *2 Esdr.* 13, 1; cf. *Num.* 20, 4; *Deut.* 23, 1, 2, 3, 8.

7. Pag. 30, linn. 16-17: Dicatur: « Ecclesia *Dei et speciatim Ecclesia* Christi nuncupatur ». In Novo Testamento enim expressio *Ecclesia Dei* 13-es occurrit; *Ecclesia Christi* autem nonnisi semel et quidem indirecte, *Mt.* 16, 18.

Resp.: Intentio textus praecise est super differentiam inter Antiquum et Novum Testamentum insistere, ex eo quod Ecclesia Dei nunc est Ecclesia Christi. Hoc autem *Mt.* 16, 18 modo omnino solemni affirmatur. Idem dicendum est de citatione *Act.* 20, 28. Recolatur insuper doctrina de Ecclesia ut Corpore *Christi.* Scribatur autem: « ... *etiam* Ecclesia Christi ».

8. Pag. 30, linn. 18-20: Quaedam addantur de activitate *actuali* Christi in Ecclesia, quam nempe *sustentat, vivificat,* etc.

Resp.: Haec vera et pulchra additamenta alibi iam exprimuntur. [5]

9. Pag. 30, linn. 19-20: Dicatur: « aptisque mediis *etiam* unionis visibilis et socialis instruxit ».

Resp.: Additio *etiam* est superflua, quia media « invisibilia » iam indicantur per incisam « suo Spiritu replevit ».

10. Pag. 30, lin. 20: Critica movetur contra *definitionem*: « Congregatio ... est Ecclesia ». Plures similiter hic adiicere vellent varias restrictiones et praecisiones.

Resp.: Ad praecavendas omnes difficultates, evitetur forma « definitionis », quae ceterum non intenditur, et scribatur: « *Deus* congregatio*nem* eorum qui in Iesum, salutis auctorem et unitatis pacisque principium, credentes aspiciunt, *convocavit et constituit Ecclesiam,* ut sit universis et singulis sacramentum visibile huius salutiferae unitatis ».

11. Pag. 30, lin. 27: Loco: « ipsa supra tempora et fines populorum existens », scribatur: « ipsa *simul* tempora et fines populorum *transcendens* ».

Resp.: Scribatur: « *dum tamen simul* tempora et fines populorum [6]
transcendit ».

12. Pag. 30, linn. 28-35: Haec lineae *deleantur,* quia idea iam in fine n. 8 exprimitur.

Resp.: Textus iste consulto hic a Commissione servatus est.

Ad num. 10

13. Pag. 30, lin. 36: Scribatur: De sacerdotio communi, seu *metaphorico,* seu *regali,* seu *laudatorio.*

Resp.: Stet textus. Commissio consulto abstinuit a quaestione de indole metaphorica, analogica, propria, etc.

14. Pag. 31, lin. 3: Addatur: consecrantur *et Christo coniunguntur.*

Resp.: Non necessarium, quia alibi dictum.

15. Pag. 31, lin. 10: Addantur « *hostiae spirituales* » secundum *1 Pt.* 2, 5.

Resp.: Iam dicitur in Cap. *De Laicis,* n. 34.

Ibid. Addatur: seipsos *in Christo* hostiam exhibeant, cum referentia ad *Col.* 1, 24.

Resp.: Non necessarium. Edicitur in Cap. 7, n. 49.

16. Pag. 31, ante lin. 16: Agatur imprimis de sacerdotio proprii nominis seu *ministeriali.*

Resp.: De sacerdotio ministeriali *satis providetur,* tum in altera alinea huius numeri, tum in decursu Capitis III. Non est ratio cur *hoc*

[6] *loco* de ministris in specie agatur, quia totum caput agit de illis rebus quae ad Populum Dei *in genere* spectant.

17. Pag. 31, linn. 20-21: Transponantur haec verba ad lin. 17, hoc modo: « Sacerdotium autem commune fidelium et sacerdotium ministeriale seu hierarchicum, *licet* essentia et non gradu tantum differant, ad invicem *tamen* ordinantur: unum *enim* et alterum suo peculiari modo de uno Christi sacerdotio participant ».

Resp.: Haec correctio stylistica *placet.*

18. Pag. 31, lin. 23: Loco « efformat ac regit », ponatur: « *praedicatione gignit* ».

Resp.: Stet textus, ne excludatur baptismus.

19. Pag. 31, lin. 24: Addatur: « sacrificium eucharisticum *in persona Christi* conficit, illudque nomine totius populi Deo offert ».

Resp.: Admittitur. Ita clarius patet diversitas utriusque sacerdotii.

Ad num. 11

20. Pag. 31, lin. 34: Scribatur: « per sacramentorum *susceptionem* et virtutum *exercitium* ».

Resp.: Quia agitur in hac phrasi de *exstructione* communitatis, magis placet textus receptus.

[7] 21. Pag. 31, lin. 40: Proponitur ut addatur: « Per confirmationem *Christo* et Ecclesiae perfectius vinculantur ».

Resp.: Non est necessarium.

Ibid.: Redeatur ad *textum priorem.*

Resp.: Textus emendatus diserte insistere intendit super vinculum « *sociale* » confirmationis.

22. Pag. 32, lin. 11: Dicatur: « Populi *filiorum* Dei », quia « Populus Dei » est Israël Antiqui Testamenti. Eadem additio suadetur in variis aliis locis.

Resp.: Sub n. 9 explicatur notio Populi Dei *antiqui et novi.* Omnia sub hac luce legantur. Expressio « populus *filiorum* Dei » adhibetur p. 34, lin. 25.

23. Pag. 32, lin. 16: Addatur: « reconciliantur cum Ecclesia, *quam peccando vulneraverunt* et quae eorum ... ».

Resp.: Additio admittitur. Addatur: veniam *offensionis Deo illatae ab Eius* misericordia obtinent.

Ibid.: Obiicitur quod de poenitentia *devotionali* omnino siletur.

Resp.: Affirmatio indolem specificam sacramenti poenitentiae exprimit et proportionaliter ad confessionem devotionalem applicanda est.

24. Pag. 32, lin. 20: Loco « patienti » scribatur « *passo* », quia passio Domini iam est praeterita.

Resp.: Stet textus, quia unio spiritualis transcendit tempus. [7]

25. Pag. 32, linn. 25-28: Fusius dicatur de sacramento ordinis.

Resp.: Provisum est in Capite III.

26. Pag. 32, lin. 32: Addatur: « *Sibi invicem sacramentum matrimonii ministrant* et se invicem ... adiuvant ».

Resp.: Non est opportunum, quia non ab omnibus, in specie ab Orientalibus, admittitur coniuges esse *ministros* sacramenti.

27. Pag. 32, lin. 34: Supprimatur « acquirendam », quia sacramentum datur ad *perficiendam* sanctitatem.

Resp.: Admittitur.

28. Pag. 32, lin. 39: Loco *Populum Dei,* scribatur *Familia Dei.*

Resp.: Non expedit, quia vox *Familia* in contextu aequivocationem cum familia humana inducere posset.

29. Pag. 33, lin. 3: Sententia exprimatur non modo *optativo,* sed indicativo seu imperativo.

Resp.: In fine scribatur: « foveant *oportet* ».

Ad num. 12

30. Pag. 33, lin. 20: Observatur quod vox *fidelium* intelligere posset de solis laicis, dum tamen hic etiam respiciuntur membra Hierarchiae.

Resp.: Inter « fideles » cointelliguntur evidenter membra Hierarchiae. Cf. linn. 24-25: « ab Episcopis usque ad extremos laicos-fideles ».

Ibid.: Sensus fidei *efficitur* per Magisterium et *passive* accipitur a [8] fidelibus. Ut praecaveatur « instinctus » ad modum modernistarum, insistere oportet super munus Hierarchiae.

Resp.: Commissio hanc sententiam iam olim expresse consideravit, et censet satis provisum esse in textu, v. g. linn. 29 ss.

31. Pag. 33, lin. 24: loco « *exercet* », scribatur « *manifestat* ».

Resp.: Admittitur.

32. Pag. 33, lin. 29: Addatur: sub ductu *sacri* Magisterii.

Resp.: Admittitur.

33. Pag. 34, lin. 11: Intensificetur affirmatio de munere Hierarchiae.

Resp.: Satis provisum est in textu, ut iam in Responso ad Modum 30 dicitur.

Ad num. 13

34. Pag. 34, lin. 18: Scribatur: Ad *novum* Populum Dei cuncti vocantur.

Resp.: Admittitur.

35. Pag. 34, lin. 20: Loco: « propositum voluntatis Dei », scribatur simplicius: « *voluntas Dei* ».

[8] *Resp.*: Stet textus, propter allusionem ad *Eph.* 1, 5.

36. Pag. 34, linn. 23-24: Citatio *Hebr.* 1, 2 recurrit infra lin. 39. Ideo hic substituatur per *aliam citationem*: « in quo Sibi complacuit omnia instaurare ».

Resp.: Stet textus, et lin. 39 auferatur referentia ad *Hebr.* 1, 1 (2) quae ibi non est necessaria.

37. Pag. 34, lin. 24: Deleatur vox « *noster* », quia totus textus in tertia persona plurali conscribitur et non in prima.

Resp.: Scribatur: « Magister, Rex et Sacerdos *omnium* ».

38. Pag. 34, lin. 27: Addatur de Spiritu, quod est principium *invisibile.*

Resp.: Inutile, quia ex ipsa re patet.

39. Pag. 34, lin. 30: Loco « Regni quidem non terrestris, sed caelestis », scribatur: « *quorum municipatus non in terris sed in caelis est* » (*Phil.* 3, 20 gr.).

Resp.: Citatio *Phil.* 3, 20 in contextu non adaptatur. Scribatur: « Regni quidem *indolis* non terrestris sed caelestis ».

40. Pag. 34, lin. 34: Deleantur verba: « *seu Populus Dei* ».

Resp.: Potius serventur, quia totum caput de Populo Dei inscribitur.

41. Pag. 34, linn. 35-36: *Tollantur* hae lineae, quia repetunt illa quae infra dicuntur sub n. 17, pag. 38, linn. 34 ss. de bonis variorum populorum.

Resp.: Non datur realis repetitio, quia hic praevalenter agitur de
[9] bonis *temporalibus* (lin. 35), dum sub n. 17 potius est sermo *de ritibus et culturis* (pag. 38, lin. 35). Ergo stet textus.

42. Pag. 34, linn. 37-38: Tollatur vox *consecrat,* quia ambigua.

Resp.: Scribatur: « *purificat,* roborat et elevat ».

43. Pag. 35, lin. 1: Addatur: « Populum Dei condecorat, *consecrandum* et recapitulandum ».

Resp.: Videtur superfluum.

44. Pag. 35, linn. 4-22: *Omittatur* tota alinea.

Resp.: Integer textus est a Concilio approbatus.

45. Pag. 35, lin. 4: Loco « *partes* », dicatur « *membra* ».

Resp.: Consulto electa est vox *partes,* quia sensum generaliorem, et non tantum individualem habet.

46. Pag. 35, lin. 12: Addatur indicatio *de coniugatis.*

Resp.: Satis provisum est in toto Schemate, in quo *tres* occurrunt explicitae tractationes de coniugatis. Hic autem implicite indicantur, per oppositionem ad Religiosos.

47. Pag. 35, linn. 14-15: Loco « primatu Petri Cathedrae », scribatur « primatu *successoris Petri* ». [9]

Resp.: Remaneat textus. « *Cathedra* » praecise successionem evocat, et requiritur eius mentio propter allusionem ad textum S. Ignatii *ad Rom.*: « quae universo caritatis coetui praesidet ».

48. Pag. 35, lin. 24: Loco « *asciscuntur* », scribatur « *vocantur* ».

Resp.: Admittitur.

49. Pag. 35, lin. 25: Vocabula « *pertinent vel ordinantur* » sunt nimis generalia.

Resp.: Statim infra *specificantur,* sub num. 14-16.

50. Pag. 35, post lin. 25: Addatur consideratio *de statu reali* plurium, qui in peccatis versantur, ut vitetur superficialis optimismus.

Resp.: De peccato etiam catholicorum agitur expresse sub n. 14, pag. 36, linn. 16-20. Ceterum hic in quaestione dogmatica versamur, non in descriptione phaenomenologica.

Ad num. 14

51. Pag. 35, linn. 36-38: Plures (fere 20) Patres quaerunt ut addatur: « ... necessitatem *fidei et* baptismi expressis verbis inculcando ... ». Petitur insuper ut addatur lin. 38: « ... necessitatem Ecclesiae, *in qua una Christus ... perfecta fide creditur* et in quam homines ... ».

Resp.: Admittitur additio « *fidei et* baptismi », secundum citationem *Mc.* 16, 16. Altera amplificatio non est necessaria.

52. Pag. 35, linn. 39-40: Inserantur verba: « *voto saltem implicito* ».

Resp.: Haec incisa hic non est ad rem, quia de *catholicis* agitur. Casus de non-christianis exponitur concrete in n. 16.

53. Pag. 35, linn. 40 ss.: Casus consideratus, de illis nempe qui, Ecclesiam cognoscentes, in eam intrare nolunt, *non est irrealis.* Unde [10] scribatur, lin. 40: *possunt,* et pag. 36, lin. 3: *nolunt.*

Resp.: Huiusmodi mala fides certe non potest dici frequens. Stet ergo textus, cum sola correctione: *noluerint,* loco « nollent ».

54. Pag. 36, linn. 4-12: Proponitur *arctior constructio phraseos*: « ... incorporantur qui integram eius ordinationem omniaque media salutis in ea instituta *recipientes,* in eiusdem compage visibili ... *iuncti sunt,* vinculis nempe ». Incisa autem lin. 5 « Spiritum Christi habentes » transferatur in fine phraseos: « *et Spiritum Christi habent* ».

Resp.: Commissio praedictum textum olim post largam disceptationem ita statuit. Qui modus dicendi, cum explicita enumeratione conditionum, etiam hodie ei videtur clarior. Unde non admittitur mutatio neque translatio verborum.

[10] 55. Pag. 36, linn. 18-20: Adhibeatur *tonus minus durus.*

Resp.: Haec seria commonitio, secundum spiritum Evangelii, consulto a Commissione apposita est.

Ad num. 15

56. Pag. 36, linn. 34 ss.: Plures Patres (circiter 75) dicunt hanc affirmationem de vinculis cum christianis acatholicis esse *exaggeratam,* ideoque omittendam. Non valet enim de pluribus quorum coetus formam sectae prae se ferunt. Praeterea affirmatio posset interpretari ut approbatio proselytismi, v. gr. Protestantium in America Latina.

Ex altera parte plures Patres (circiter 70) dolent quod praevalenter de *individuis* christianis acatholicis agitur, ideoque petunt ut linn. 36-37 addatur: « cum eorum *Ecclesiis* vel *communitatibus ecclesiasticis* ».

Resp.: In toto textu agitur *de elementis obiectivis* quae nexum quemdam cum Ecclesia Catholica constituunt, et sermo evidenter est generalis; ideoque singula non de singulis achristianis intelligenda sunt. Itaque in genere servatur textus. Neque additur linn. 36-37 incisa de « Ecclesiis vel communitatibus », quippe quae paulo infra edicitur, nempe lin. 41. Admittuntur tamen sequentes correctiones:

lin. 29: « *Cum illis* ... »; omittendo scilicet « omnibus », quia etiam hoc modo nemo excluditur.

lin. 34: Scribatur: « *Sunt enim multi qui* Sacram Scripturam ... », ne res de omnibus et singulis videatur dicta.

lin. 36: Loco « zelum *apostolicum* » scribatur « *sincerumque* zelum *religiosum* ».

57. Pag. 36, lin. 40: Ad verba: « baptismo Christo coniunguntur » addatur: « *si in sua ad Eum adhaesione pergunt* ».

Resp.: Res de se patet. Ergo adiunctio inutilis.

58. Pag. 37, lin. 9: Loco *usque ad martyrium* scribatur: *usque ad sanguinis effusionem,* ne disputetur de sensu stricte theologico martyrii.

[11] *Resp.*: Admittitur.

59. Pag. 37, lin. 13: Non apparet utrum « *unus Pastor* » indicat Christum aut Romanum Pontificem.

Resp.: Textus, secundum *Io.* 10, 16, indicat Christum. Christus autem, secundum doctrinam catholicam, instituit unum pastorem visibilem; cf. *Io.* 21, 16-17.

Ad num. 16

60. Pag. 37, linn. 28-34: Circa 230 Patres, praesertim in Oriente degentes, difficultatem movent contra illa quae de « filiis Ismael » dicuntur. Sequentes invocant rationes:

a) Sententia inde a lin. 31 occurrens: « Si quidam Patrem Iesu Christi ignorantes ... », pro Musulmanis esset offensiva, quia Christum ut prophetam agnoscunt. — Observamus tamen quod haec sententia non amplius de Musulmanis agit, sed de illis in genere qui Deum creatorem agnoscunt. [11]

b) Titulus « filii Ismael » controvertitur.

c) Musulmani non habent obiective puram revelationem Patribus factam.

d) Addatur quod Musulmani credunt in iudicium finale seu Deum remuneratorem, qui per prophetas locutus est. — Observamus tamen quod per hanc ultimam incisam facile intelligeretur Deum etiam per Mahomet locutum esse.

Patres praedicti sequentem proponunt modificationem:

« Sed propositum salutis et eos amplectitur qui Creatorem agnoscunt, inter quos imprimis Musulmani qui, fidem Abrahae se tenere profitentes, nobiscum Deum adorant unicum, misericordem, homines (per prophetas allocutum) die(que) novissimo iudicaturum. Neque ab aliis, qui in umbris et imaginibus Deum ignotum quaerunt, Deus ipse longe abest, cum det omnibus ... ».

Resp.: Modificatio admittitur, dempta incisa de prophetis.

61. Pag. 37, lin. 33: Scribatur: vel *si qui* in umbris ..., scilicet ut clarius appareat agi de nova categoria.

Resp.: Admissa correctione 60ª, difficultas ruit.

62. Pag. 37, lin. 40: Addatur: « ... et Eum ut *remuneratorem* agnoscunt ».

Resp.: Non videtur necessarium.

63. Pag. 38, linn. 1-2: Asserenda est etiam necessitas *fidei.*

Resp.: Fides sub voce « sub *gratiae* influxu » continetur.

64. Pag. 38, lin. 9: Loco « ab *Illo* datum », scribatur: « a *Patre* datum ».

Resp.: In contextu « Ille qui illuminat omnem hominem » intelligitur de *Christo* secundum *Io.* 1, 9.

65. Pag. 38, lin. 11: Deleatur incisa « *a Maligno decepti* ».

Resp.: Remaneat indicatio, propter testimonium i. a. S. Pauli. [12]

66. Pag. 38, lin. 21: Addatur exhortatio *ad orationem* pro Missionibus.

Resp.: Observatio hoc loco, ubi *de describendo statu* non christianorum agitur, non est ad rem.

[12] *Ad num. 17*

67. Pag. 38, linn. 22 ss.: Patres, numero circiter 120, proponunt sat longam *ampliationem,* in qua *mandatum* Christi de praedicando Evangelio solemnius enuntietur, necessitas inculcetur ut Missiones ad constituendas *novas Ecclesias* complete exstructas perducantur, et denique doceatur etiam has novas Ecclesias ad opus missionale *pro aliis conferre debere.*

Resp.: Ut huic observationi satisfactio praebeatur, quin textus valde amplietur, statuuntur sequentia:

a) Lin. 24, *complete exscribuntur* verba *Mt.* 28, 18-20: « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis: et ecce Ego vobiscum sum ... »;

b) linn. 26-27: loco « Quam missionem » scribitur: « Quod *solemne Christi mandatum* ... »;

c) lin. 28 *adduntur* sequentia: « ideoque in mittendis praeconibus indesinenter pergit, usquedum novellae Ecclesiae plene constituantur atque opus evangelizandi et ipsae continuent ».

68. Pag. 38, lin. 26: Loco « Ecclesia *ab* Apostolis recepit », scribatur « *in* Apostolis ».

Resp.: Maneat textus: « *In* Apostolis » enim difficile intelligeretur.

69. Pag. 38, lin. 31: Repetatur vox *Ecclesia,* ut clarius appareat subiectum phraseos.

Resp.: Admittitur.

70. Pag. 38, lin. 32: Deleantur verba « *et idolorum* », quia vix apparent homines qui idola vere adorent.

Resp.: Admittitur. Sed servatur « a servitute erroris ... ».

71. Pag. 38, lin. 33: Pro claritate repetatur obiectum phraseos: « *eosque* Christo incorporat ».

Resp.: Admittitur.

[13] CORRECTIONES ADMISSAE

IN CAPITE II DE POPULO DEI

N. 9, pag. 29, linn. 30-31: Habet pro lege mandatum *novum* diligendi sicut ipse Christus dilexit nos (cf. *Io.* 13, 34).

pag. 30, linn. 13-16: Sicut vero Israel ... Dei Ecclesia *iam* appellatur (2 *Esd.* 13, 1; cf. *Num.* 20, 4; *Deut.* 23,

1 ss.), ita novus Israel ... *etiam* Ecclesia Christi nuncupatur. [13]

pag. 30, linn. 20-24: *Deus* congregationem eorum qui in Iesum salutis auctorem et unitatis pacisque principium credentes aspiciunt, *convocavit et constituit Ecclesiam,* ut sit universis et singulis sacramentum visibile huius salutiferae unitatis.

pag. 30, lin. 27: Ad universas regiones extendenda in historiam hominum intrat, *dum tamen simul* tempora et fines populorum *transcendit.*

N. 10, pag. 31, linn. 20-21: Sacerdotium autem commune fidelium et sacerdotium ministeriale et hierarchicum, *licet* essentia et non gradu tantum differant, ad invicem *tamen* ordinantur: unum *enim* et alterum suo peculiari modo de uno Christi sacerdotio participant.

pag. 31, lin. 24: Sacrificium eucharisticum *in persona Christi* conficit, illudque nomine totius populi Dei offert.

N. 11, pag. 32, linn. 14-18: Qui vero ad sacramentum poenitentiae accedunt, veniam *offensionis Deo illatae* ab *Eius* misericordia obtinent et simul reconciliantur cum Ecclesia, *quam peccando vulneraverunt* et quae eorum conversioni caritate, exemplo, precibus adlaborat.

pag. 32, linn. 32-34: Coniuges ... se invicem ... ad sanctitatem adiuvant.

pag. 33, lin. 3: Parentes verbo et exemplo sint pro filiis suis primi fidei praecones, et vocationem unicuique propriam, sacram vero peculiari cura, foveant *oportet.*

N. 12, pag. 33, lin. 20: Universitas fidelium ... hanc suam peculiarem proprietatem mediante sensu fidei totius populi *manifestat.*

pag. 33, lin. 29: Populus Dei sub ductu *sacri Magisterii* ...

N. 13, pag. 34, lin. 18: Ad *novum* Populum Dei cuncti vocantur homines. [14]

pag. 34, lin. 28: Magister, Rex et Sacerdos *omnium.*

pag. 34, lin. 30: Populus Dei, cum ex omnibus (gentibus) mutuetur suos cives, Regni quidem *indolis* non terrestris sed caelestis ...

pag. 34, linn. 37-38: Ecclesia ... copias moresque (populorum), quantum bona sunt, fovet et assumit, assumendo vero *purificat,* roborat et elevat.

[14] pag. 34, lin. 39: *Delenda* est referentia: *Hebr.* 1, 1.

pag. 35, lin. 25: (Ad Populum Dei) omnes *vocantur* homines.

N. 14, pag. 35, linn. 35-36: Ipse autem necessitatem *fidei et* baptismi expressis verbis inculcando, necessitatem Ecclesiae ... simul conformavit.

pag. 36, lin. 3: ... in eam intrare, vel in ea perseverare *noluerint.*

N. 15, pag. 36, linn. 29 ss.: *Cum illis* qui, baptizati, christiano nomine decorantur, integram autem fidem non profitentur, ... Ecclesia semetipsam novit plures ob rationes coniunctam. *Sunt enim multi* qui Sacram Scripturam ... in honore habent, *sincerumque* zelum *religiosum* ostendunt ...

pag. 37, lin. 9: (Spiritus Sanctus) quosdam illorum usque *ad sanguinis effusionem* roboravit.

N. 16, pag. 37, linn. 28-34: *Sed propositum salutis et eos amplectitur* qui Creatorem agnoscunt, *inter quos imprimis Musulmani qui, fidem Abrahae se tenere profitentes, nobiscum Deum adorant unicum, misericordem, homines die novissimo iudicaturum. Neque ab aliis,* qui in umbris et imaginibus Deum ignotum quaerunt, Deus ipse longe abest, cum det omnibus ...

N. 17, pag. 38, lin. 24: « Euntes ergo docete omnes gentes, *baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Et ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 28, 18-20). *Quod sollemne Christi mandatum* annuntiandi veritatem salutarem Ecclesia ab Apostolis recepit adimplendum usque ad ultimum terrae (cf. *Act.* 1, 8). Unde sua facit verba Apostoli: « Vae ... mihi est si non evangelizavero! » (*1 Cor.* 9, 16), *ideoque in mittendis praeconibus indesinenter pergit, usquedum novellae Ecclesiae plene con-*
[15] *stituantur atque opus evangelizandi et ipsae continuent.* A Spiritu Sancto enim ...

pag. 38, lin. 31 ss.: Praedicando Evangelium, *Ecclesia* audientes ad fidem confessionemque fidei allicit, ad baptismum disponit, a servitute erroris eripit, *eosque* Christo incorporat, et per caritatem ...

QUAESITUM [15]

An placeat expensio facta a Commissione Doctrinali circa Modos, Caput II respicientes, cum correctionibus supra indicatis?

Secretarius generalis: Procedimus, venerabiles Patres, ad suffragationem super modis circa cap. II schematis *de Ecclesia*: « De Populo Dei ». Videatis correctiones admissas pag. 13 fasciculi [*cf. supra pag. 102-104*].

Ergo quaeritur a vobis Patres: an placeat expensio facta a commissione doctrinali circa modos, cap. II respicientes, cum correctionibus supra indicatis? Responsio est *placet* vel *non placet*; interea lego vobis, Patres venerabiles, exitum suffragationis ante peractae:

Erant praesentes et votantes Patres		1.924
Dixerunt	*placet*	1.903
	non placet	17
	placet iuxta modum	3
Suffragium nullum		1

Ergo haec expensio placuit congregationi generali.

5

EXC.MUS P. D. IOSEPH URTASUN
Archiepiscopus Avenionensis

Venerabiles Patres,

Non loquor de quaestione maximi momenti heri et hodie agitata, sed nomine proprio assentio libenter dictis em.mi D. Alfrink.[1]

In hoc schemate ...[2] plus videntur in memoriam revocari coniugum et parentum officia quam humani et christiani amoris valores.

Paternitate humana, sponsi coniunguntur Paternitati Dei « ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur » (*Eph.*[3]).

Vinculo amoris, i. e. exercitio christianae caritatis « ligamina multiplicantur » inter coniuges, in tota communitate familiae, parentum scil. et filiorum. Secundum missionem homini in societate constituto assignatam, talia « ligamina » firmantur inter personas simul ac inter diversas familias, quae ligamina praestant numero et pondere.

In principio schematis stipulatur iuste, quod « melius hodie na-

tura discernitur ». Hoc valet, de natura tam in materialibus quam in spiritualibus considerata. Eadem dicantur de amore humano, de matrimonio et de familia, ubi indivisibiliter iunguntur aspectus duo, corporis et animae. Similiter valent quae de creatione et usu creaturarum affirmantur, et humano amori applicari possunt.

Sed quando de amore agitur, per Incarnationem, Ecclesiam et sacramenta, coniunctio fit inter humanum amorem et Dei Amorem. Divinus Amor est « sui diffusivus ». Similiter coniugalis fides « duos unicos » iungit amore, in ordine divinitus prae electo ad perfectionem singularum personarum necnon totius humanae familiae.

Haec omnia audacter et rite in adnexis enunciantur. In schemate autem non inveniuntur. Sed illa ab omnibus viris et feminis expectantur et a melioribus pro liberatione ab anxietatibus conscientiae sub oboedientia legi Dei in luce, gaudio et pace. Simili modo notatur, ut signum temporum bonum ac positivum, hodierna omnium conscientia de unitate humanae familiae: unus Deus, stirps una et familia filiorum Dei unica. Haec autem hominum communitas non augetur et amplificatur nisi mediante matrimonio et familia.

Praesens aetas triplicem responsabilitatem assumit: 1. ad tuitionem vitae contra pericula « pestis, famis et belli », 2. ad regulandas experimentationes in « vivis », et 3. ad continendos excessus perversae *sexualitatis*.[4]

Haec triplex responsabilitas praecise viget in hereditaria transmissione vitae sanitatisque quae a Deo per parentes efficitur. Omnis humanitatis, i. e. singulorum virorum aut feminarum qui nati aut nascituri sunt, oportet nos causam totam gerere. De eorum etenim vita tractatur, tam in paternitatis maternitatisque prosecutione, quam in demographica « planificatione ». Matrimonii et familiae momentum tandem melius affirmaretur, si castitas pacifica et benefica adulescentium promoveretur, in omnibus gentibus et opinionis publicae instrumentis. Foveatur fortiter ad maiorem libertatem in selectione totius vitae consortis, et ad firmiorem perennitatem fragilis amoris.

Divortium, praesertim post bella, est maxima plaga hodiernae conditionis humanae. Sed nihil de ista plaga in schemate invenitur. Stabilitas familiae positive omnibus prodest: matri et sponsae imprimis necnon viro sponso ad quietam mentem et laborem: filiis ad securitatem educationis et affectionis; communi bono totius societatis ad tranquillitatem ordinis et oeconomicam soliditatem. Tam ex legibus quam e moribus exstirpetur divortium eiusque funestae consequentiae sic efficietur regeneratio humanae familiae in ordine dignitatis puerorum et parentum.

Sacra Synodus vigilanti attentione prosequitur meliorem in terris promotionem « ordinis » Dei et hominis.

Sed tantus labor evanesceret, si praecipuae intentiones Dei non melius notantur in rebus sexualitatis, matrimonii ac familiae.

Fundamentalis Dei voluntas est ut singuli homines sociati et congregati sint in unica Dei filiorum familia, vinculo fraternitatis et amoris. Illud autem vinculum, in matrimonio et familia, sacramentaliter specificatur per coniunctionem personarum. Isto etiam vinculo, ad quandam imaginem Sanctae Trinitatis ordinato, efficitur communio cum Deo Creante. Et cum Christo Redemptore, humanus amor non effugit suae propriae vitae sacrificium ad proximorum salutem. Ita prosequitur voluntas Dei.

Divisio sexuum et diversae cuiusque proprietates huic unitati et communioni maxime favent. Per castitatis virtutem enim, perfecta integratio sexualitatis magis ac magis apparet in adulta aetate tanquam signum possessionis suimetipsius ac verae personalitatis. Oportet vero, hodierna die, ut iungantur omnes vires educationis, totius societatis et peritorum in artibus technicis ad tales capacitates promovendam.

Christifideles, *in*[5] matrimonio, multiplicant Dei filios et Filii Sui imagines. Sic, in Ecclesia aedificatur Corpus Christi. Sed ad roborandam familiae et sponsorum missionem simul ac in eadem Regni Dei prosecutione, non minus valet activa, fervens et orans virginum seu caelibatorum consecratorum praesentia in medio christianae communitatis.

In hac sacra missione ad commune totius humani generis bonum, omnes et singulae familiae plus minusve cooperant matrimonio et procreatione, christifidelibus magis ac magis praestantibus qualitate amoris et contubernii.

Utinam in hoc schemate, a thesauris fidei nostrae explicite affirmarentur: 1. Humana divinaque dignitas amoris coniugalis et paternalis. Feminae aequalis dignitas modo diverso et promotio, quae apparere debet non tanquam instrumentum unice et genitrix, sed ut vera mater...[6]

Moderator: Exc.me Pater, exhaustum est tempus tuum, valde doleo.

In textu scripto tradito: [1] Multa in hoc schemate placent. Sed magis placent, in spiritu et in littera, Adnexa. [2] etenim. [3] (*Eph.* 3, 15). [4] sensualitatis. [5] mediante. [6] 2. Pueri intentio et amor fidelis, a primo instante vitae suae. 3. Inter graves difficultates physicas, morales et oeconomicas quae laedunt parentes in mundo huius temporis, communio fraterna et activa

solidarietas omnium membrorum societatis, e fonte familialis amoris orientis. Quod nobis et toto humano generi obtineat Sacra Familia, B. Dei Mater Christum infantem, adulescentem deinde plenitudine aetatis fulgentem perenniter omnium oculis ostendens.

6

Exc.mus P. D. ABILIUS DEL CAMPO Y DE LA BÁRCENA

Episcopus Calaguritanus et Calceatensis-Logrognensis

Venerabiles Patres,

Problema de quo in n. 21 agitur gravissimum et delicatissimum est; tanti momenti tantaeque periculositatis ut mallem non loqui. Puto enim haec omnia non in aula sed in commissione quadam particulari secreto et privatim agenda fuisse. Timere enim mihi licet magni et mihi timoris motivum quot et quot commentaria inter nostros producta fideles praecise hac nostra publicitate conciliari. Attamen quoniam in aula iam sumus, liceat mihi breves quasdam animadversiones praecise *in textum* nobis *oblatum* [1] propositum afferre.

1. In n. 21 frequentissime mentio fit de « amore coniugali ». Adeo frequenter ut tamquam idea centralis in schemate appareat eiusque valor, necessitas et influxus in familia tanti extollitur, ut *simplici* lectori — et tot simplices lectores habebimus — praedicari et proponi videatur tanquam *primum bonum,* cardo et fundamentum, forte etiam meta, finis et norma cui alia in matrimonio submittenda et a quo cetera omnia derivanda et mensuranda sint. Quid dicendum hac de re? forte idea *ut idea* certe pulcherrima est. Eritne etiam accurate et undequaque vera?

Amor coniugalis magni quidem momenti est in matrimonio et ab omnibus, enixe commendandus, fovendus et curandus, at caute simul et prudenter, ne ... quid nimis. Etenim etiam in re matrimoniali recta dari debet hierarchia valorum et, quod ego sciam, in eius cuspide fortasse nequeat collocari amor coniugalis, ac si meta sit et finis cui alia ordinari, forte et sacrificari debeant.

Amor coniugalis erit utique vis motiva, impulsus psychologicus et, quatenus ad consensum libere praestandum movet, principium et causa *matrimonii in fieri* — indulgite mihi terminum scholasticum — at nec primum bonum, nec finis, nec *terminus ad quem* totius vitae matrimonialis.

2. Frequentissime, ut dixi, sermo fit de « amore coniugali », at, quod sciant, vix explicatur quae ...[2] eius natura intima, quid importet

et exigat, quaeque sit illius ordinatio. Phrasis, ergo nimis impraecisa et generica in textu apparet, quin sufficienter explicetur illius pondus et contentum, quod sine dubio habet vel habere debet. Hinc textus noster confusioni et subiectivismo in interpretatione *et applicatione practica* [3] ansam dare potest.

Sermo utique occurrit de « vero amore coniugali, de amore coniugali fideli atque puro, de tenero amoris cultu etc. ». Haec omnia, tamen, non videntur sufficere ad aequivocationes et possibiles errores praecavendos, eo vel magis quod:

a) in ambiente et commercio sociali hodierno saepissime utique de « amore », *sermo fiat at non semper de amore sancto et sensu sancto* [4];

b) in textu nostro silentium fere absolutum servetur *obiectum, finem et qualitates essentiales,* [5] quae in traditione christiana ad nostros usque dies ab ordinatione naturali facultatis generativae derivantur.

Nihil ergo mirum si ab hominibus huius temporis, qui, certe in peccato originis concepti, ...[6] et ad peccatum proni sunt, « amor coniugalis », in mundo abstracto idealis et realitas pulcherrima, hodiedum, in mundo nostro, deturpari et de passione sensuali et amore hedonistico proh dolor! sumi possit. Ulterior ergo explicatio et opportunior ponderatio in textu desideratur.

3. « Matrimonium — legitur in textu — non est merum procreationis instrumentum » ...[7]. Certe quidem, nullaque, ut puto, datur difficultas in admittendo huiusmodi propositionem. De cetero verum est posse dari « prolis limitationem », datis sub conditionibus et circumstantiis, cogita casus *mutuae continentiae voluntariae etiam diuturnae.*

Difficultas vero occurrit, quando quaestio movetur de conciliando usu matrimonii cum voluntaria et *data opera* [8] quaesita exclusione novae conceptionis in casu unionis de se fecundae et certo certius non sterilis.

En problema, cui in proposito systemate morali de « amore coniugali » solutio, ultra quod iustum *videtur,* [9] facillima datur, cum coniugibus usus concedatur matrimonii et praecise « ad fovendum amorem coniugalem mutuamque fidem firmiter servandam ». Fateor concessionem hanc nimis generosam videri *prima fonte.* [10] Qua de re *haec velim suggerere* [11]:

a) clarius explicandam ...[12] doctrinam hucusque *ni fallor* [13] traditionalem de « fine primario » matrimonii;

b) mirum ...[14] esse nullatenus memorari Enc. *Casti connubii* de qua in schemate *nec verbum, in Annexu autem correspondente aliquando citatur, — sed hoc est curiosum — opportuna mutatione verborum introducta* [15];

c) nimis absolutam videri affirmationem illam schematis: « Quod autem ad numerum prolis attinet ultimum iudicium ad ipsos solos coniuges spectat » ...[16]. Norma enim quadantenus obiectiva stabilienda videtur, quin, meo iudicio, sufficiat loqui de « conscia responsabilitate secundum Dei dona verique amoris normam »...[17]

4. ...[18] Agendo de difficultatibus matrimonialibus e diversis motivis — oeconomicis, sociopsychologicis, civilibus, etc. — provenientibus, affirmatur amoris coniugalis intimam vim « aegre servari posse nisi ab iis, qui iam magnis dotibus personalibus ornati sunt ». Tacite, ergo, supponi videtur, pro vero amore coniugali in casibus ordinariis servando, necessarium omnino esse usum matrimonii. Hac de re haec solummodo audeo notare:

a) ex tali affirmatione practica funestissimas ortas fuisse consequentias extra Ecclesiam catholicam ante aliquot decennia, non sine scandalo quorundam etiam acatholicorum. Caveamus igitur ne similia nunc parentur, saltem indirecto, etiam inter fideles nostros;

b) mirum videtur vix mentionem fieri de aliis auxiliis — v. g. oratio, sacramenta, gratia — quae coniugibus christianis semper praesto sunt;

c) dum explicite asseritur vim amoris coniugalis absque usu matrimonii non posse servari nisi « ab iis qui iam magnis dotibus personalibus ornati sunt », implicite probari videtur opinio *de impossibilitate servandi secundum ordines ex recti ordinis exigentiis,*[19] nisi ab illis qui ad superiora stadia iam pervenerunt *quidquid dicendum de pauperibus hominibus.*[20]

Concludo. Plurima adhuc dici possent etiam de minimis in n. 21 contentis. Quia vero res, quae in illo tractatur, valde periculosa est, opportunius *iterum dico*[21] erit eam studio « specializato » et secreto commissionis particularis transferre. *Unum tantum brevissime addam.*[22] Methodus in argumento tractando in schemate adhibita apparet nimis « practicista, pragmatica et sociologica », a phaenomeno sociali ad principia arguendo, ac si, cum de ordinatione morali stabilienda sermo sit, *facta leges* et non e converso *leges facta mensurare debeant.* Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] sit. [3] deest. [4] sensu, ut plurimum, non sancto sermo fiat. [5] de obiecto, fine et qualitatibus essentialibus. [6] sub concupiscentiae influxu. [7] (pag. 23, lin. 36). [8] deest. [9] est. [10] deest. [11] velim notare. [12] fore. [13] deest. [14] certe. [15] nequidem mentio fit, dum in Annexo, quando citatur, verba illius — et hoc est curiosum — aliquatenus mutantur. [16] (pag. 29, linn. 18-19). [17] (pag. 24,

linn. 7-8). [18] In pag. 24, linn. 13-17. [19] ab aliquibus iam insinuata, sed ut puto omnino reprobanda, secundum quam vita supernaturalis gratiae stadia admittit evolutiva, eamque plane et plene degi non posse, secundum omnes recti ordinis exigentias. [20] Huiusmodi principio sic absolute admisso, dicendum foret ordinem moralem nonnisi pro hominibus magnis dotibus personalibus ornatis valorem et vigorem habere hincque diversa praecepta moralia facillime tanquam pro maiore parte hominum impossibilia aut saltem inadaptata reiicienda esse. V. In eadem pag. 24, linn. 17-23 conflictus inter rationabilem regulationem prolis et tenerum amorem coniugalem iterum declarantur iterumque opus coniugale necessarium affirmatur, ad vitandum quod coniuges sibi velut extranei fiant, cum periculo pro fide coniugali et pro ipsa prole. Quid dicendum? Fortasse integra paragraphus tono nimis absoluto decurrit et quidem tam in difficultatibus et periculis indicandis quam in exclusivo remedio proponendo. Altum enim silentium fit: *a*) de aspectu psychico et spirituali veri amoris coniugalis; *b*) de valore « castitatis » in vita matrimoniali; *c*) de mediis spiritualibus adhibendis ad difficultates carnis superandas. Difficultates utique erunt et coniugibus christianis obviam venient, matrimonium enim non est « paradisus recuperatus », at non ideo *onera coniugibus neganda sunt vel imminuenda.* Pari enim iure alia quoque praecepta excludenda forent et neganda. [21] deest. [22] deest.

DE PASTORALI EPISCOPORUM MUNERE IN ECCLESIA [4]

Hic fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali CXIII die 30 octobris 1964.

1. – Ordo suffragationum

1) nn. 1-3: Prooemium.
2) n. 4: Potestatis Collegii Episcoporum exercitium.
3) nn. 5-7: Consilium Centrale; Episcopi sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes; operosa caritas erga Episcopos vexatos.
4) n. 8: Episcoporum in propria dioecesi potestas.
5) nn. 9-10: Romanae Curiae Dicasteria, Membra et Officiales...
6) nn. 11-18: Episcoporum munera.
7) nn. 19-20: Episcoporum libertas eorumque nominatio.
8) n. 21: Episcoporum a munere renuntiatio.
9) nn. 22-24: Dioecesium circumscriptio.
10) nn. 25-26: Episcopi Coadiutores et Auxiliares.
11) nn. 27-29: Curiae dioecesanae ordinatio et Consilium pastorale; Sacerdotes dioecesani; Sacerdotes operibus supraparoecialibus addicti.

[4] 12) nn. 30-32: Parochorum munera; Parochorum nominatio, translatio, amotio et renuntiatio; Paroeciarum erectio et innovationes.

13) nn. 33-35: Religiosi et apostolatus opera; Religiosi cooperatores Episcopi in apostolatu; Principia de apostolatu Religiosorum in dioecesibus.

14) nn. 36-37: Synodi et Concilia particularia; Conferentiarum Episcoporum notio.

15) n. 38: Conferentiarum structura, competentia et cooperatio.

16) nn. 39-41: Provinciarum ecclesiasticarum circumscriptio et Regionum ecclesiasticarum erectio.

17) nn. 42-43: Episcopi munere interdioecesano fungentes.

18) n. 44: Mandatum generale.

[5] 2. – Schema Decreti – Textus emendatus

PROOEMIUM

Textus prior

1. Christus Dominus, Filius Dei vivi, qui venit ut salvum faceret populum suum a peccatis utque omnes homines sanctificarentur, sicut Ipse missus est a Patre, ita et misit Apostolos suos, quos ideo sanctificavit, tradens eis Spiritum Sanctum, ut et ipsi glorificarent Patrem super terram et animas salvas facerent, « in aedificationem Corporis Christi » quod est Ecclesia.

2. In hac Christi Ecclesia, Romanus Pontifex, successor Petri, cui oves et agnos suos pascendos Christus concredidit, suprema, plena et universali in curam animarum, ex divina institutione, gaudet potestate. Qui ideo, cum

Textus emendatus *

1. [*Prooemium*]. Christus Dominus, Filius Dei vivi, qui venit ut salvum faceret populum suum a peccatis [1] utque omnes homines sanctificarentur, sicut Ipse missus est a Patre, ita et misit Apostolos suos,[2] quos ideo sanctificavit, tradens eis Spiritum Sanctum, ut et ipsi glorificarent Patrem super terram et animas salvas facerent, « in aedificationem Corporis Christi » (*Eph.* 4, 12) quod est Ecclesia.

2. In hac Christi Ecclesia, Romanus Pontifex, successor Petri, cui oves et agnos suos pascendos Christus concredidit, suprema, plena et universali in curam animarum, ex divina institutione, gaudet potestate. Qui ideo, cum

---

* Emendationes introductae a Commissione litteris *inclinatis* seu *italicis* significantur.

Textus prior

ad bonum commune Ecclesiae universae et ad bonum singularum Ecclesiarum procurandum missus sit, super omnes Ecclesias ordinariae potestatis obtinet principatum.

Episcopi autem et ipsi, positi a Spiritu Sancto, in Apostolorum locum succedunt ut animarum pastores, atque, una cum Summo Pontifice et sub Eiusdem auctoritate, ad Christi opus perenne reddendum missi sunt. Christus enim Apostolis eorumque successoribus dedit mandatum atque potestatem ut docerent omnes gentes, hominesque sanctificarent in veritate atque pascerent. Episcopi itaque, per Spiritum Sanctum qui datus est eis, veri et authentici effecti sunt fidei Magistri, Pontifices ac Pastores.

3. Hoc suum episcopale munus, quod per consecrationem episcopalem susceperunt, Episcopi, sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes, in communione et sub auctoritate Summi Pontificis exercent omnes uniti in Collegio seu corpore quoad universam Dei Ecclesiam.

Illud quoque exercent singuli quoad assignatas sibi dominici gregis partes, unusquisque Ecclesiae peculiaris sibi commissae curam gerens aut quandoque aliqui coniunctim necessitatibus quibusdam diversarum Ecclesiarum communibus providentes.

Quare Sacrosancta Synodus, attentis condicionibus hominum consociationis, quae, nostra hac aetate, ad novum fertur rerum ordinem, pressius determinare intendens pastorale Episcoporum munus, haec quae sequuntur statuit.

Textus emendatus

[5]

tamquam omnium fidelium pastor ad bonum commune Ecclesiae universae et ad bonum singularum Ecclesiarum procurandum missus sit, super omnes Ecclesias ordinariae potestatis obtinet principatum.

Episcopi autem et ipsi, positi a Spiritu Sancto, in Apostolorum locum succedunt ut animarum pastores,[3] atque, una cum Summo Pontifice et sub Eiusdem auctoritate, ad Christi, *aeterni Pastoris,* opus perenne reddendum missi sunt.[4] Christus enim Apostolis eorumque successoribus dedit mandatum atque potestatem ut docerent omnes gentes, hominesque sanctificarent in veritate atque pascerent. Episcopi itaque, per Spiritum Sanctum qui datus est eis, veri et authentici effecti sunt fidei Magistri, Pontifices ac Pastores.

3. Hoc suum episcopale munus, quod per consecrationem episcopalem susceperunt,[5] Episcopi, sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes, in communione et sub auctoritate Summi Pontificis exercent omnes uniti in Collegio seu corpore quoad universam Dei Ecclesiam. [6]

Illud exercent singuli quoad assignatas sibi dominici gregis partes, unusquisque Ecclesiae *particularis* sibi commissae curam gerens aut quandoque aliqui coniunctim necessitatibus quibusdam diversarum Ecclesiarum communibus providentes.

Quare Sacrosancta Synodus, attentis *etiam* condicionibus hominum consociationis, quae nostra hac aetate, ad novum fertur rerum ordinem,[6] pressius determinare intendens pastorale Episcoporum munus, haec quae sequuntur statuit.

[7]

NOTAE

Prooemium

[1] Cf. *Mt.* 1, 21.

[2] Cf. *Io.* 20, 21.

[3] Cf. CONC. VAT. I, Sessio IV, Const. dogm. I *de Ecclesia Christi,* c. 3, DENZ. 1828: « Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui *positi a Spiritu Sancto* (cf. *Act.* 20, 28) in Apostolorum locum succedunt, tanquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti GREGORII MAGNI: " Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur " ».

[4] Cf. CONC. VAT. I, Sessio IV, Const. dogm. *de Ecclesia Christi,* Prooem., DENZ. 1821: « *Pastor* aeternus *et episcopus animarum nostrarum* (*1 Pt.* 2, 25), ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, *rogavit Patrem non pro* Apostolis *tantum, sed pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt* (*Io.* 17, 20 sq.). Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, *misit, sicut ipse missus erat a Patre* (*Io.* 20, 21): ita in Ecclesia sua pastores et doctores *usque ad consummationem saeculi* (*Mt.* 28, 20) esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum PETRUM ceteris Apostolis praeponens in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cuius fortitudinem aeternum extrueretur templum, et Ecclesiae caelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgeret ».

[5] Cf. CONC. VAT. II, Constitutio *de Ecclesia,* Cap. III, n. 21.

[6] IOANNES XXIII, Const. Apost. *Humanae salutis,* 25 dec. 1961: *A.A.S.,* 54 (1962), pag. 6.

[8]

RELATIO GENERALIS

Venerabiles Patres,

Schematis « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia » vobis proponitur textus emendatus, iuxta Patrum vota, quae admittenda censuit Commissio de Episcopis ac de dioecesium regimine. Omnes animadversiones factae, minores quoque, diligenter consideratae sunt, tum quae ante disceptationem schematis in Aula, tum quae huius occasione prolatae sunt.

Antequam in Urbem convenirent, unus et triginta Patres, quorum tres nomine plurium scripserunt, optata sua per litteras ad Secretariam Generalem Concilii miserunt.

Perdurante vero hac Sessione, in Aula triginta tres Patres locuti sunt [8]
et duodesexaginta in scriptis animadversiones vel propositiones exhibuerunt.

Summam eorumdem computando, centum viginti duo Patres quadringenta vota protulerunt.

Commissionis nostrae diligens cura fuit priorem textum perficere, clariorem atque pleniorem reddere, quin tamen notabiliter longior fieret.

Optata Patrum, quantum potuit, Commissio plurimum excipienda curavit; quae vero reponenda censuit, particulares plerumque quaestiones respiciebant.

Normae enim servandae erant a competenti Auctoritate iam praestitutae, de non inserendis schemati peculiaribus praescriptis, quae rectius et aptius in recognoscendo Codice Iuris Canonici determinabuntur vel latius ac diffusius in Directoriis Pastoralibus exponentur.

Imprimis diversae Subcommissiones animadversiones perpenderunt solutionisque propositiones, allegatis rationibus, perfecerunt. Deinde, per plures conventus, ipsa Commissio easdem examini subiecit, nullam quidem earum praetermittens. Quod ut fieri posset, omnes Patrum emendationes a Secretaria Commissionis in duo volumina collectae sunt, quorum exemplar omnes Commissionis sodales ac periti receperunt.

Licet non iterum affirmanda sint quae in priore relatione super schema « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia » dicta sunt, in memoriam revocare iuvat quaedam generalia quae in hoc schemate attendenda sunt principia; ita iam ab initio apparebunt rationes ob quas una ex parte nonnullae quaestiones, quas aliqui Patres tractandas aestimaverunt, revera non considerantur, atque alia ex parte textus quidam, [9]
quos certi Patres amovendos censuerunt, reapse in schemate servantur.

a) Uti in dicta priore relatione affirmatur, maximi momenti est ut synthetice integrum Episcoporum pastorale munus consideretur, quod hucusque a nullo umquam anteriore Concilio factum est. Quamobrem id intendit hoc schema ut munerum, quibus in Ecclesia funguntur Episcopi, *principia altiora* tradantur et figura Episcopi nostra hac aetate sui ipsius officia in Ecclesia navantis componatur. Quae ergo nimis particularia Commissioni visa sunt, praetermittenda duxit.

b) Pro indole pastorali Concilii Vaticani II, de *pastorali* Episcoporum munere in Ecclesia tractatur. Hac ratione omittendas censuit Commissio quaestiones, quae a pastorali hac indole munerum Episcoporum prorsus sunt alienae.

c) Schema hoc firmiter in doctrina theologica de Episcopatu innitatur atque nexus hoc schema inter et schema Constitutionis « De Ec-

[9] clesia » manifeste appareat oportet. Quapropter in schemate retinendas aestimavit Commissio illas quae in eodem habentur propositiones et conclusiones theologicas, quae, iuxta doctrinam in schemate « De Ecclesia » traditam, fundamentum praebent theologicum, quo munus eorum pastorale innititur, quaeque simul nexum cum schemate « De Ecclesia » manifestant.

Hisce dictis, ad animadversiones generales de schemate factas transeamus, ut deinde illas consideremus quas Patres aliqui de titulo et de ordine in schemate servato, atque tandem de schematis Prooemio protulerunt.

I - *Animadversiones generales.*

1) Iuxta animadversionem ab uno Patre factam, optandum esset ut ex hoc schemate et schemate « De Ecclesiis Orientalibus » unum conficeretur schema, in quo principia generalia de Episcopis enuntiarentur. Respondet Commissio hoc schema servandum esse uti est, cum de Episcopis cuiuscumque sint ritus principia tradat altiora cumque schema « De Ecclesiis Orientalibus » de aliis quaestionibus etiam, Episcopos non directe respicientibus, agere debeat.

2) Nexus schema hoc inter et schema « De Ecclesia » ut manifeste appareret plures Patres rogarunt. Consentit omnino Commissio, quae ideo emendandos censuit quosdam textus schematis, qui scilicet de Episcopis, de sacerdotibus et de diaconis agunt, ita ut doctrinam schematis « De Ecclesia » fideliter referant.

Nexus insuper cum Constitutione « De Sacra Liturgia », quod ut fieret duo Patres rogarunt, et ipse apparebit, cum pluries ad hanc Constitutionem remittatur in notis.

3) Maior pars ut reservaretur curae animarum exoptarunt aliqui Patres, ideo merito rogantes ut alii etiam numeri prioris schematis « De cura animarum » breviter in hoc schemate assumerentur. Eorum voto
[10] satisfecit Commissio in textu emendato, quippe qui non paucis completur textibus ex dicto schemate « De cura animarum », uti legentibus Caput II huius schematis apparebit. Declaratio autem generalis de cura animarum, huius tradens definitionem, quam quidem aliquis Pater inserendam proposuit, tradenda non videtur, cum notio haec in toto schemate, speciatim vero in Capite II, appareat et declaretur.

4) Modus dicendi ut esset magis biblicus, minus autem iuridicus, ab aliquo Patre petitum est. Quantum id materiae tractatae congruum visum est, et huius desiderii Commissio rationem habuit.

5) Ab uno etiam Patre rogatum est ut de quibusdam quaestionibus praestantioribus traderentur normae sufficienter concretae, ita ut Commis-

sio postconciliaris debita gauderet auctoritate ut ad mentem Concilii quaestiones tractaret. Quantum fieri potuit, Commissio in textibus recognoscendis et huic voto obsecundavit. [10]

6) Votum expresserunt multi Patres ut Episcopi Coadiutores et Auxiliares titulis decorarentur non Ecclesiarum antiquarum, sed dioecesium in quarum auxilium constituti fuerint. Commissio tamen censuit in schemate tractandam non esse hanc quaestionem, quippe quae particularis sit, liturgicos habeat aspectus, atque munus pastorale directe non respiciat.

7) Quaedam alia etiam argumenta, de quibus, iuxta animadversionem alicuius Patris, in schemate normae determinatae tradendae essent, praetermissa sunt. Ita in schemate non determinantur modi quibus cognosci debent candidati ad Episcopatum apti, neque affirmatur necessitas consulendi Episcoporum Conferentias, immo et Superiores religiosos, uti ab aliquo Patre petitum est. Nec habentur in schemate normae quae Legatos respiciunt, quos ad civilia Gubernia aut ad Episcopatum alicuius nationis mittit Apostolica Sedes. Has enim considerationes ad Decretum conciliare de pastorali Episcoporum munere non ...[1] pertinere censuit Commissio...[2]

II - *Titulus et ordo schematis.*

1) Titulus schematis, scilicet « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia », qui longe plerisque Patribus placet, servandus est. Eidem contrarii sunt tantum duo Patres, quorum alter alium titulum non proponit, alter vero aestimat melius convenire titulum « De episcopalium munerum exercitio ». Sed, ad mentem Commissionis, titulus, uti iacet, omnino respondet non solum materiae de qua in schemate agitur, sed etiam pastorali indoli Concilii Vaticani II; praeterea, ut in priore relatione iam dictum est, desiderabatur hucusque tractatio conciliaris quae de Episcopatu agat, ita ut modo de ipso munere pastorali Episcoporum quaestio esse debeat, non tantum de eiusdem exercitio, de quo in Directorio normae tradentur.

2) Ordo etiam schematis, uti est, servandus est, in specie eiusdem
divisio in tria Capita, quorum primum agit de Episcopis quoad universa- [11]
lem Ecclesiam, secundum de Episcopis quoad particulares Ecclesias, tertium denique de Episcopis in plurium Ecclesiarum bonum cooperantibus. Nullus enim inter Patres contra hunc ordinem difficultatem movit, nisi unus: ad huius mentem, perspectiva, quae ex ordine schematis apparet, innuit Episcopos prius relationem dicere ad Ecclesiam universalem, et secundario tantum ad Ecclesias particulares ipsis commissas, quae quidem perspectiva evidenter fundatur super theoriam collegialitatis; prae-

[11] terea, de sententia eiusdem Patris, quemadmodum prius exsistunt personae et postea ex iis conflantur earum communitates, sic prius exsistunt Episcopi et postea eorundem communitas. Commissio aestimavit ordinem schematis servandum esse, cum doctrina collegialitatis a Patribus admissa sit, cumque certum sit Christum condidisse Ecclesiam suam, i. e. universalem, in qua postea tantum constitutae sunt particulares Ecclesiae seu dioeceses.

III - *Prooemium.*

Ad Prooemium quidam propositi sunt modus loquendi diversi a modis dicendi in Prooemio adhibitis, qui vero communius ad substantiam eorum quae in Prooemio habentur non pertinent. At Commissio omnibus inspectis rationibus allegatis, aestimavit textum schematis aptius convenire.

Addita tamen sunt quaedam verba, quibus aliquorum Patrum votis satisfit. Ita in n. 2, alinea 2 addita sunt verba: « Qui ideo, *cum tamquam omnium fidelium pastor* ad bonum Ecclesiae universae et ad bonum singularum Ecclesiarum procurandum missus sit »: his enim verbis clarius indicatur potestatem Summi Pontificis esse immediatam in omnes fideles. Item in eodem n. 2, alinea 2, ubi agitur de Episcopis qui mittuntur ad Christi opus perenne reddendum, adduntur verba « Christi, *aeterni Pastoris* », quae aliqui Patres addenda censuerunt: ita enim affirmatur in Ecclesia omnem pastorem esse ministrum aeterni Pastoris. In n. 3, alinea 3 additur verbum « etiam », cum condiciones hominum consociationis non sint sola ratio ad quam in Episcoporum munere pressius determinando attendit Sacrosancta Synodus.

Mutatum est in n. 3, alinea 2, verbum « Ecclesiae peculiaris » in « Ecclesiae *particularis* », ad indicandam dioecesim, uti ab aliquibus Patribus rogatum est. Revera vox « *particularis* » opponitur voci « universalis », atque modus dicendi « Ecclesia particularis » rationi dicendi in schemate Constitutionis « De Ecclesia » adhibitae conformis est.

Suppressum tandem est in n. 3, alinea 2, verbum « *quoque* », quod quidem necessarium non videtur. Distinguuntur in hoc n. 3 munus quod omnes Episcopi *uniti* in Collegio exercent quoad universalem Ecclesiam et munus quod *singuli* — sive singillatim sive coniunctim — exercent quoad assignatas sibi dominici gregis partes. Noluit autem Commissio lo-
[12] co huius verbi « quoque » adhibere verbum « praesertim », quod ab uno Patre rogatum est: Episcopi enim aequali ratione consecrantur ad bonum Ecclesiae universalis et bonum Ecclesiae particularis sibi commissae.

Supprimenda non esse Commissio censuit verba quae ad munus Episcoporum sese referunt, et quae habentur in n. 3, alinea 1: « munus,

quod per consecrationem episcopalem susceperunt », quorum suppressio a 6 Patribus rogata est. Haec enim verba, quae exprimunt doctrinam a Patribus admissam, Episcopis ipsis fundamentum praebent eorum munerum atque nexum schematis cum schemate Constitutionis « De Ecclesia » manifestant, quod multi Patres petierunt. [12]

Venerabiles Patres,

Quae in hoc schemate habentur propositiones et conclusiones theologicae, iuxta doctrinam in schemate Constitutionis « De Ecclesia » enuntiantur. Quod si post suffragationem ultimam super schema « De Ecclesia » quaedam in eodem schemate mutanda statuerentur, eorundem ratio habebitur in recognoscendo textu huius nostri schematis. Haec regula in memoriam revocari debet.

Quibus dictis, confidenter Vobis ad suffragationem Commissio proponit hoc apte recognitum schema « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia » Vosque rogat ut imprimis adprobare velitis eiusdem Prooemium, in quo breviter declaratur fundamentum universi Episcoporum muneris.

† PETRUS VEUILLOT
Archiepiscopus tit. Constantiensis in Thracia

In oratione: [1] explicite. [2] sicut dicitur in relatione de cap. I.

RELATIO DE SINGULIS NUMERIS [13]

Ad n. 1

P. 5, linn. 5-6: ab uno Patre, nomine etiam aliorum duorum, propositum est ut loco verborum in fine huius numeri « in aedificationem Corporis Christi », quod est Ecclesia, alia verba adhiberentur. Textu autem, qui in schemate habetur, in quo de Ecclesia sermo est, magis logice transitus fit ad determinationem regiminis Ecclesiae, ita ut Commissio aestimaverit textum schematis esse servandum.

Ad n. 2

P. 5, linn. 7-9: a duobus Patribus alii textus propositi sunt, quibus, de eorum sententia, magis unitas manifestaretur Petrum inter et Apostolos. Verba autem schematis distincte hanc unitatem manifestant et ideo servata sunt.

P. 5, linn. 8-9: potestatem Summi Pontificis quod attinet, ab uno

[13] Patre rogatum est ut haec diceretur non solum suprema, plena et universalis, sed etiam immediata. Sane Summi Pontificis potestas est immediata in omnes fideles, sed, sicut in schemate Constitutionis de Ecclesia, tres illae qualitates potestatis Summi Pontificis indicantur expresse, dum indoles immediata huius potestatis sat clare affirmatur verbis nunc in hoc numero introductis « cum tamquam omnium fidelium pastor ».

P. 5, linn. 11-12: ab uno Patre petitum est ut affirmaretur Summum Pontificem habere potestatis principatum « super cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles...; », dum ab alio Patre rogatum est ut diceretur Eundem esse omnium fidelium pastorem et rectorem. Magis logicum visum est Summi Pontificis potestatem definire ex eiusdem fine, et ideo affirmare Eum ad bonum commune Ecclesiae universae et ad bonum singularum Ecclesiarum missum esse. Eum esse omnium fidelium pastorem in textu emendato affirmatur.

Ab uno Patre, nomine etiam aliorum 22, propositum est ut post verba « sub Eius auctoritate, ad Christi... » adderentur verba « aeterni Pastoris ». Huic voto satisfactum est.

Ad n. 3

P. 5, lin. 21: a sex Patribus rogata est suppressio verborum « quod per consecrationem susceperunt ». Servata sunt haec verba, ob rationes in Relatione generali indicatas.

[14] P. 5, linn. 21-24: ab uno Patre propositus est textus diverso modo redactus, sed eandem doctrinam continens. Servatus est textus schematis, cum modus proponendi doctrinam uti fit in schemate magis logicus videatur et maiorem ostendat connexionem cum propositione praecedenti.

P. 5, lin. 24: ab uno Patre quaesitum est ut tollerentur verba « omnes uniti in Collegio ». Uti dictum est in Relatione generali, servantur haec verba, quibus praecise indicatur modus quo Episcopi quoad universam Ecclesiam potestatem suam exercent.

P. 5, lin. 25: ab uno Patre petitum est ut loco verbi « quoque » poneretur verbum « praesertim ». Ut iam dictum est in Relatione generali, sublatum est verbum « quoque », sed non admissum est verbum « praesertim ».

P. 5, lin. 25: ab uno Patre, nomine etiam 33 aliorum loquente, rogatum est ut loco verborum « dominici gregis partes » ponerentur « dominici gregis oves ». Servatus est modus dicendi schematis, quo etiam schema « De Ecclesia » utitur.

P. 6, lin. 1: idem Pater, nomine etiam aliorum 33 loquens, ro-

gavit ut dioecesis appellaretur « Ecclesia particularis », non autem « Ecclesia peculiaris ». Huic voto satisfactum est propter rationes iam in Relatione generali indicatas. [14]

P. 6, lin. 6: ab uno Patre petitum est ut loco verborum « pressius determinare intendens » adhiberentur verba « melius declarare intendens », quia Episcoporum munus a Christo determinatum pressius determinabile non est. Servatus est textus, quia Episcoporum munus ab Ecclesia pressius determinari potest, attentis etiam novis rerum adiunctis.

CAPUT I [15]

DE EPISCOPIS QUOAD UNIVERSAM ECCLESIAM

Textus prior

I – PARTES QUAS HABENT EPISCOPI QUOAD UNIVERSAM ECCLESIAM

4. [*Potestatis Collegii Episcoporum exercitium*]. Supremam ac plenam potestatem, qua Episcopi coniuncti, corpus seu Collegium episcopale constituentes una cum Capite suo Romano Pontifice, in Ecclesiam pollent, collegialiter exercent in Concilio Oecumenico, in quo convocante aut saltem confirmante Summo Pontifice congregantur. Quare Episcopi, vi consecrationis et si in communione sunt cum Collegii Capite et Membris, partem habent in ipso Concilio.

Eandem potestatem collegialem exercent Episcopi etiam per orbem dispersi, quotiescumque Summus Pontifex, causas magni momenti tractaturus, eorum iudicium vel suffragium exquirat, aut saltem eorumdem unitam actionem approbet vel libere recipiat, ita ut verus actus collegialis efficiatur.

5. [*Coetus seu Consilium Centrale*]. Cum universale Summi Pontificis munus maiores

Textus emendatus

I – PARTES QUAS HABENT EPISCOPI QUOAD UNIVERSAM ECCLESIAM

4. [*Potestatis Collegii Episcoporum exercitium*]. « *Suprema in universam Ecclesiam potestas, qua Episcoporum Collegium pollet, sollemni modo in Concilio Oecumenico exercetur* ».[1] *Ideo Sacrosancta Synodus decernit omnibus Episcopis, qui sint Membra Collegii Episcopalis,*[2] *ius esse ut Concilio Oecumenico intersint, aut saltem in eo repraesententur, iuxta normas a Summo Pontifice determinatas.*

« *Eadem potestas collegialis una cum Papa exerceri potest ab Episcopis in orbe terrarum degentibus, dummodo Caput Collegii eos ad actionem collegialem vocet, vel saltem Episcoporum dispersorum unitam actionem approbet vel libere recipiat, ita ut verus actus collegialis efficiatur* ».[3]

5. [*Coetus seu Consilium Centrale*]. Cum universale Summi Pontificis munus maiores in

[15]

Textus prior

in dies auxilii et praesidii vires exposcat, Sacrosancti Concilii Patres magnopere exoptant ut aliqui Episcopi diversarum orbis regionum, Supremo Ecclesiae Pastori validiorem praestent adiutricem operam, modis tamen et rationibus opportune statuendis, etiam, si eidem Summo Pontifici placuerit, in Coetum seu Consilium quoddam convenientes, quo simul significari possit omnium Episcoporum universae Ecclesiae sollicitudini participatio.

Textus emendatus

dies auxilii et praesidii vires exposcat, Sacrosancti Concilii Patres magnopere exoptant ut aliqui Episcopi diversarum orbis regionum, Supremo Ecclesiae Pastori validiorem praestent adiutricem operam, modis tamen et rationibus *ab Ipso* opportune statuendis, etiam in Coetum seu Consilium quoddam convenientes, quo simul significari possit omnium Episcoporum universae Ecclesiae sollicitudini participatio.[4]

[16]

Textus prior

6. [*Episcopi sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes*]. Episcopi, qua legitimi Apostolorum successores et Collegii Episcopalis Membra, cum aliis Episcopis coniunctos semper se sciant atque omnium Ecclesiarum sollicitos sese exhibeant, cum ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris Ecclesiae una cum ceteris Episcopis sponsores sint. Praesertim solliciti sint de illis orbis terrarum regionibus in quibus verbum Dei nuntiatum nondum est aut in quibus, praecipue ob parvum sacerdotum numerum, christifideles in periculo versantur a vitae christianae mandatis discedendi, immo et ipsam fidem amittendi.

Quare omnibus viribus satagant ut opus propagationis fidei atque cetera apostolatus opera a fidelibus alacriter sustineantur et promoveantur. Insuper curare studeant ut apti praeparentur sacrorum administri necnon auxiliares tum religiosi tum laici pro missionibus atque regionibus cleri penuria laborantibus. Curent etiam ut, quantum possibile sit, aliqui ex suis sacerdotibus praedictas missiones vel dioeceses adeant, ibidem sacrum ministerium in perpetuum aut saltem ad praefinitum tempus peracturi.

Prae oculis habeant praeterea Episcopi in usu bonorum ecclesiasticorum rationem quo-

Textus emendatus

6. [*Episcopi sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes*]. Episcopi, qua Collegii Episcopalis Membra, cum aliis Episcopis coniunctos semper se sciant atque omnium Ecclesiarum sollicitos sese exhibeant, cum ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris Ecclesiae una cum ceteris Episcopis sponsores sint.[5] Praesertim solliciti sint de illis orbis terrarum regionibus in quibus verbum Dei nuntiatum nondum est aut in quibus, praecipue ob parvum sacerdotum numerum, christifideles in periculo versantur a vitae christianae mandatis discedendi, immo et ipsam fidem amittendi.

Quare omnibus viribus satagant ut opus propagationis fidei atque cetera apostolatus opera a fidelibus alacriter sustineantur et promoveantur. Insuper curare studeant ut apti praeparentur sacrorum administri necnon auxiliares tum religiosi tum laici pro missionibus atque regionibus cleri penuria laborantibus. Curent etiam ut, quantum possibile sit, aliqui ex suis sacerdotibus praedictas missiones vel dioeceses adeant, ibidem sacrum ministerium in perpetuum aut saltem ad praefinitum tempus peracturi.

Prae oculis habeant praeterea Episcopi in usu bonorum ecclesiasticorum rationem quo-

Textus prior

que esse habendam necessitatum non tantum suae dioecesis sed et aliarum peculiarium Ecclesiarum, quippe quae unius Ecclesiae Christi sint partes. Attendant denique ad calamitates pro viribus sublevandas quibus aliae dioeceses vel regiones laborant.

7. [*Operosa caritas erga Episcopos vexatos*]. Maxime illos Sacrorum Antistites, qui propter nomen Christi calumniis et angustiis vexantur, in carceribus detinentur, vel suo ministerio prohibentur, fraterno amplectantur animo eosque germana actuosa cura prosequantur, ut eorum dolores precatione et opera Confratrum leniantur et mulceantur.

Textus emendatus [16]

que esse habendam necessitatum non tantum suae dioecesis sed et aliarum *particularium* Ecclesiarum, quippe quae unius Ecclesiae Christi sint partes. Attendant denique ad calamitates pro viribus sublevandas, quibus aliae dioeceses vel regiones laborant.

7. [*Operosa caritas erga Episcopos vexatos*]. Maxime illos Sacrorum Antistites, qui propter nomen Christi calumniis et angustiis vexantur, in carceribus detinentur, vel suo ministerio prohibentur, fraterno amplectantur animo eosque germana actuosa cura prosequantur, ut eorum dolores precatione et opera Confratrum leniantur et mulceantur.

Textus prior

II – Episcopi et Apostolica Sedes

8. [*Episcoporum in propria dioecesi potestas*]. Episcopis, ut Apostolorum successoribus, in dioecesibus ipsis commissis per se omnis competit potestas ordinaria, propria ac immediata, quam exercitium eorum muneris pastoralis expostulat, firma semper in omnibus potestate quam, vi muneris sui, Romanus Pontifex habet sibi vel alii Auctoritati causas reservandi.

Insuper singulis Episcopis facultas fit a lege generali Ecclesiae in casu particulari dispensandi, quoties id ad bonum spirituale fidelium conferre iudicent, dummodo agatur de re in qua Sedes Apostolica dispensare solet, nec specialis reservatio a Sede Apostolica sibi vel alii Auctoritati facta fuerit.

9. [*Romanae Curiae Dicasteria*]. In exercenda sua in universam Ecclesiam suprema,

Textus emendatus

II – Episcopi et Apostolica Sedes [17]

8. [*Episcoporum in propria dioecesi potestas*]. Episcopis, ut Apostolorum successoribus, in dioecesibus ipsis commissis per se omnis competit potestas ordinaria, propria ac immediata, quam eorum *munus pastorale* expostulat, firma semper in omnibus potestate quam, vi muneris sui, Romanus Pontifex habet sibi vel alii Auctoritati causas reservandi.

Insuper singulis Episcopis *dioecesanis* facultas fit a lege generali Ecclesiae in casu particulari dispensandi *fideles in quos ad normam iuris habent auctoritatem,* quoties id ad *eorum* bonum spirituale conferre iudicent, dummodo agatur de re in qua Sedes Apostolica dispensare solet, nec specialis reservatio a Sede Apostolica sibi vel alii Auctoritati facta fuerit.

9. [*Romanae Curiae Dicasteria*]. In exercenda suprema, plena et immediata potestate,

[17]

Textus prior

plena et immediata potestate, Romanus Pontifex utitur Romanae Curiae Dicasteriis, quae proinde nomine et auctoritate illius munus suum explent in bonum Ecclesiarum et in servitium Sacrorum Pastorum.

Exoptant autem Sacrosancti Concilii Patres ut haec Dicasteria, quae Romano Pontifici atque Ecclesiae Pastoribus eximio semper fuerunt auxilio, novae ordinationi, necessitatibus temporum magis aptatae, subiiciantur, praesertim quod spectat eorundem numerum, nomen, competentiam propriamque procedendi rationem, atque inter se laborum coordinationem.

10. [*Membra et Officiales Dicasteriorum*]. Praeterea cum eadem Dicasteria ad universalis Ecclesiae bonum sint constituta, optatur ut eorum Membra, Officiales et Consultores, quantum fieri potest, ex diversis Ecclesiae regionibus assumantur ita ut catholicae Eccle-
[18] siae officia seu organa centralia indolem vere universalem prae se ferant.

In votis quoque est ut inter Dicasteriorum Membra cooptentur etiam aliqui Episcopi praesertim dioecesani, qui mentem, optata ac necessitates omnium Ecclesiarum Summo Pontifici plenius referre valeant.

Denique perutile esse censent Concilii Patres si eadem Dicasteria laicos, virtute et experientia praestantes, magis audiant, ita ut et ipsi in rebus Ecclesiae partes sibi congruentes habeant.

Textus emendatus

in universam Ecclesiam Romanus Pontifex utitur Romanae Curiae Dicasteriis, quae proinde nomine et auctoritate illius munus suum explent in bonum Ecclesiarum et in servitium Sacrorum Pastorum.

Exoptant autem Sacrosancti Concilii Patres ut haec Dicasteria, quae Romano Pontifici atque Ecclesiae Pastoribus eximio semper fuerunt auxilio, novae ordinationi, necessitatibus temporum magis aptatae, subiiciantur, praesertim quod spectat eorundem numerum, nomen, competentiam propriamque procedendi rationem, atque inter se laborum coordinationem.

10. [*Membra et Officiales Dicasteriorum*]. Praeterea cum eadem Dicasteria ad universalis Ecclesiae bonum sint constituta, optatur ut eorum Membra, Officiales et Consultores, quantum fieri potest, ex diversis Ecclesiae regionibus assumantur ita ut catholicae Ecclesiae officia seu organa centralia indolem vere universalem prae se ferant.

In votis quoque est ut inter Dicasteriorum Membra cooptentur etiam aliqui Episcopi praesertim dioecesani, qui mentem, optata ac necessitates omnium Ecclesiarum Summo Pontifici plenius referre valeant.

Denique perutile esse censent Concilii Patres si eadem Dicasteria laicos, virtute et experientia praestantes, magis audiant, ita ut et ipsi in rebus Ecclesiae partes sibi congruentes habeant.

[19]

NOTAE

Caput I - *De Episcopis quoad universam Ecclesiam*

[1] Cf. Const. « *De Ecclesia* », cap. III, n. 22.
[2] Cf. Const. « *De Ecclesia* », ibid.
[3] Cf. Const. « *De Ecclesia* », ibid.

[4] Cf. PAULUS VI, *Allocutio* ad Em.mos Patres Cardinales, Exc.mos Praesules, Rev.mos Praelatos ceterosque Romanae Curiae Officiales, d. 21 sept. 1963: *A.A.S.*, 55 (1963), p. 799: « È norma sacra dei Dicasteri della Curia Romana interrogare i Vescovi e valersi del loro giudizio nella trattazione degli affari. Fra i Consultori delle sacre Congregazioni si annoverano non pochi Vescovi, provenienti da varie regioni. E noi diremo di più; quando il Concilio Ecumenico mostrasse desiderio di vedere associato in un certo modo e per certe questioni, in conformità alla dottrina della Chiesa e alla legge canonica qualche rappresentante dell'Episcopato, particolarmente fra i Presuli che dirigono una diocesi, al Capo supremo della Chiesa stessa, nello studio e nella responsabilità del governo ecclesiastico, non sarà sicuramente la Curia Romana a farvi opposizione, ché anzi essa sentirà accresciuto l'onore e l'onere del suo sublime e indispensabile servizio, ch'è, a parte il debito procedere dei Tribunali ecclesiastici, sia nella Curia Romana, che nelle Diocesi, come bene sappiamo, specificamente amministrativo, consultivo ed esecutivo ». [19]

Cf. PAULUS VI, *Allocutio* ad Concilii Patres, d. 29 sept. 1963: *A.A.S.*, 55 (1963), pp. 849-850: « Inter varias diversasque quaestiones, de quibus in Concilio pertractabitur, primas habet quae ad vos attinet, utpote Episcopos Ecclesiae Dei. Haud dubitamus asseverare Nos magna spe ac sincera fiducia huiusmodi disceptationem expectare. Enimvero, salvis declarationibus dogmaticis, Oecumenici Concilii Vaticani Primi ad Romanum Pontificem attinentibus, altius investiganda erit doctrina de Episcopatu, de eius muneribus deque eius cum Petro necessitudinibus. Exinde rationes Nobis exponentur, quibus, ad doctrinam et usum vitae quod spectat, in apostolico munere Nostro obeundo utamur. Hoc namque universale munus, quamvis a Christo instructum sit plenitudine et iusta virtute potestatis, quam quidem scitis, poterit tamen auxilii et praesidii maiores vires sibi adiungere, si dilecti et venerabiles Fratres in Episcopatu, modis et rationibus opportune statuendis, Nobis validiorem et suscepti oneris magis consciam praestabunt adiutricem operam ».

[5] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Fidei donum,* 21 apr. 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), p. 237 s.: « Quodsi unusquisque Episcopus portionis tantum gregis sibi commissae sacer pastor est, tamen qua legitimus Apostolorum successor ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris Ecclesiae una cum ceteris Episcopis sponsor fit, secundum illa verba quae Christus ad Apostolos fecit: " Sicut misit me Pater, et ego mitto vos " (*Io.* 20, 21). Haec quae " omnes gentes... usque ad consummationem saeculi " (*Mt.* 28, 19-20) amplectitur missio, cum Apostoli de mortali vita decesserunt, minime decidit; immo in Episcopis communionem cum Iesu Christi Vicario habentibus, adhuc perseverat ».

Cf. etiam: BENEDICTUS XV, Epist. Ap. *Maximum illud,* 30 nov. 1919: *A.A.S.,* 11 (1919), p. 440; PIUS XI, Litt. Encycl. *Rerum Ecclesiae,* 28 febr. 1926: *A.A.S.,* 18 (1926), p. 68.

RELATIO DE CAPITE I [20]

Venerabiles Patres,

In discussione quae in secunda sessione huius Concilii, anno elapso, habita est circa schema, quod tunc « De Episcopis ac de Dioecesium regimine » appellabatur, a pluribus Patribus petitum est, ut in capite I

[20] non solum sermo fieret de rationibus Episcopis inter et Curiam Romanam, sed ut, prae omnibus aliis considerationibus particularibus circa munus Episcoporum, principia generalia statuerentur, quibus regitur illud munus quod Episcopi quoad universam Ecclesiam habent quodque in quantum sunt Membra Corporis Episcoporum suscipiunt.

Quare Commissio nostra, Patrum votis obsequens, novum articulum confecit, qui est primus in hoc capite quique de partibus agit, quas Episcopi habent quoad universam Ecclesiam.

Notare iuvat, ea quae in capite praesentis schematis quaestiones theologicas respiciunt aut tangunt, desumpta esse ad verbum a schemate Constitutionis « De Ecclesia ». Schema nostrum, de pastorali Episcoporum munere, a tali doctrina nec abstrahere potest, nec eam tantum repetere, sed enuntiare debet pastorales applicationes principiorum theologicorum, quae de Episcopatu in schemate « De Ecclesia » traduntur. Nunc breviter ad duos articulos huius capitis.

I - *Partes quas habent Episcopi quoad universam Ecclesiam.*

Ad n. 4, in quo sermo est de exercitio potestatis Collegii Episcoporum, novus textus loco prioris ut videre potestis, confectus est. Nova redactio necessaria fuit una ex parte, ut conveniens ratio haberetur de emendationibus a Patribus Conciliaribus propositis, alia ex parte quia Commissio de Concilii laboribus Coordinandis per litteras ad Praesidem nostrae Commissionis missas praescripsit, ut Commissio nostra, ubi de quaestionibus theologicis ageretur, ad verbum textum schematis « De Ecclesia » desumeret.

Ita prima propositio numeri 4 et totum secundum comma huius numeri desumpta sunt ex schemate « De Ecclesia » (cf. Const. « De Ecclesia » n. 22 pag. 64 linn. 29-32 et linn. 37-44). Statuitur in hoc numero imprimis, Episcopis qua Membris Collegii Episcopalis — et *Membrum Corporis episcopalis* — ut Constitutione « De Ecclesia » n. 22 declaratum est — *aliquis constituitur vi sacramentalis consecrationis et communione cum Collegii Capite atque Membris* — ius esse ut Concilio Oecumenico intersint vel in eo repraesententur, iuxta normas a Summo Pon-
[21] tifice determinatas, et quidem quia Concilium Oecumenicum modus eminens et sollemnis est exercitii huius Collegii muneris.

In secundo commate huius numeri, sermo est de exercitio potestatis collegialis, una cum Papa, Episcoporum in orbe dispersorum.

Per novam redactionem textus huius numeri pluribus animadversionibus Patrum satisfit. Commissio nostra censuit descendendum non esse ad particularia. Quare admissa non sunt quae quidam Patres desideraverunt ut diceretur Concilium Oecumenicum saepius, v. g. quinquagesimo

saltem anno, convocandum esse. Pariter respondendum non esse existimavit quaestionibus ab aliquo Patre positis, utrum Episcopus ante consecrationem episcopalem Concilio Oecumenico interesse possit, aut utrum actus collegialis Episcoporum exerceatur quando Summus Pontifex aliquos tantum Episcopos separatim consulat. [21]

Pariter Commissio censuit in hoc articulo, sicut etiam in omnibus sequentibus huius capitis, auctoritatem Summi Pontificis satis in tuto positam esse in textu et contextu huius schematis simulque schematis Constitutionis « De Ecclesia », ita ut superfluum videretur iterum atque iterum auctoritatem Summi Pontificis seu dependentiam Collegii Episcopalis ab Ipso explicite affirmare.

Numerus 5 agit de Coetu seu Consilio Centrali. Parva mutatio in textu introducta est, nempe in priore textu legebatur: « ... modis tamen et rationibus opportune statuendis » dum nunc dicitur: « ab Ipso (scilicet a Summo Pontifice) statuendis ». Et si dicitur « ab Ipso » superflua iam sunt verba « si eidem Summo Pontifici placuerit ».

Mutatio introducta pluribus emendationibus Patrum respondet. Quidam Patres optaverunt quaestionem de Consilio Centrali omittendam esse, quia tale Consilium esset aliquo modo restrictio vel diminutio supremae potestatis Summi Pontificis. Commissio censuit textum retinendum esse quia respondet votis maioris partis Patrum Conciliarium et quia non est contra supremam potestatem Summi Pontificis, sicut nec potestas Collegii Episcoporum huic potestati contraria est. Consilium Centrale insuper non est vera repraesentatio Collegii Episcoporum sed tantum aliquomodo eius signum et est tantum in adiutorium Summi Pontificis in regimine universalis Ecclesiae. Denique Summus Pontifex ipse, ut omnibus notum est, mentem suam in hoc sensu aperuit in sermone ab Ipso ad Curiam Romanam die *20* [1] mensis septembris anno elapso habito...[2]

Quidam Patres optaverunt, ut statueretur partem saltem membrorum Consilii Centralis a Conferentiis Episcopalibus eligendam esse. Commissio censuit hanc emendationem non esse introducendam, quia plures Patres in disceptatione, in secunda sessione huius Concilii habita, contra talem assertionem locuti sunt et quia verbis « ab Ipso statuendis », etiam possibilitas datur Summo Pontifici statuendi, si Ipsi placuerit, ut quaedam membra Consilii a Conferentiis eligantur.

In numeris 6 et 7 sermo fit de relationibus singulorum Episcoporum [22]
cum aliis Collegii Membris ...[3]. Notandum est quod in his numeris nullo modo agitur de aliqua actione collegiali Corporis Episcoporum, sed tantum de mutua necessitudine inter Episcopos, quae secumfert obligationem ut alter alteri auxilietur in spiritualibus et materialibus necessita-

[22] tibus. Textus horum numerorum quoad substantiam desumptus est ex priore schemate « De cura animarum ».

Observationes Patrum ad hos duos numeros plerumque nimis particularia respiciunt, et Commissio non censuit ad particularia esse descendendum. Itaque voto non obsecundavit illius Patris qui, ad magis aequam distributionem bonorum ecclesiasticorum, unicum officium administrativum nationale proposuit, in quo omnia bona ecclesiastica cumulanda et deinde pro rata parte distribuenda essent. Pariter Commissio non censuit hos duos numeros ad caput III transferendos esse, ubi sermo est de Episcopis in commune plurium Ecclesiarum bonum cooperantibus, sed locum eorum proprium in hoc capite esse, quia in iis etiam fit sermo de Episcopis ubique terrarum, scilicet in universa Ecclesia, operantibus.

II - *Episcopi et Apostolica Sedes.*

In textu elaborando huius secundi articuli, congrua ratio habita est non solum textus prioris schematis decreti « De Episcopis ac de dioecesium regimine », cuius accurata disceptatio in Aula Conciliari habita est, verum etiam animadversionum quae de praefato schemate a Patribus perdurante secunda sessione huius Concilii factae sunt necnon omnium animadversionum quas Patres interim usque ad finem mensis septembris huius anni scripto Commissioni tradiderunt. Plura siquidem Patres animadverterunt potissimum quoad titulum schematis, quoad iura Episcoporum in regimine dioecesis et quoad Curiae Romanae Dicasteria.

Nonnulli Patres exoptarunt ut verbis « Sancta Sedes » et « Sacrae Congregationes (Curiae Romanae) » substituerentur verba « Apostolica Sedes » et « Dicasteria (Curiae Romanae) »; hinc potius quam « De relationibus inter Episcopos et Sacrae Romanae Curiae Congregationes », titulus articuli inscribitur: « Episcopi et Apostolica Sedes », iuxta quorumdam Patrum optata.

In priore schemate sermo erat de « facultatibus », Episcopis recognoscendis, quod pluribus Patribus minus placebat. In novo textu proinde principium generale simpliciter statuitur Episcopis, Apostolorum successoribus et suae cuiusque dioecesis immediatis et ordinariis pastoribus, per se omnem potestatem competere, quam pastorale munus exigat. Hoc, sane, plurium Patrum votis plane respondet et insuper implicite satisfacit desideriis et votis a pluribus Patribus expressis circa relationes inter Episcopos et Dicasteria Curiae Romanae.

In secunda parte n. 8, ubi facultas Episcopis tribuitur a lege generali Ecclesiae in casu particulari dispensandi, textus aliquomodo emendatus
[23] est, ut maior claritas obtineatur circa subiectum activum et passivum dispensationis. Episcopis « dioecesanis » igitur facultas fit fideles « in quos

ad normam iuris auctoritatem habent » a lege generali Ecclesiae in casu particulari dispensandi, quoties id ad bonum spirituale eorum conferre iudicent ... ». [23]

Quoad numerum 9 et 10 in disceptatione, hac in Aula habita, Patres Conciliares varias et non raro oppositas emendationes proposuerunt, inter quas sequentes numerantur:

1) Dicasteria Romana munus suum nomine et auctoritate Summi Pontificis expleant in servitium et bonum totius Ecclesiae;

2) Dicasteria Romana munus habeant iudiciarium et administrativum, consultivum et exsecutivum; de eorum autem potestate legislativa diversae prolatae sunt sententiae;

3) Nova fiat Dicasteriorum Curiae Romanae ordinatio, hodiernis temporibus magis accommodata, quod attinet praesertim eorumdem nomen, numerum, competentiam, modum procedendi, laborum coordinationem;

4) Dicasteria Romana in sua constitutione notam maioris universalitatis prae se ferant, quatenus plures inter eorum Membra et Officiales connumerentur ex diversis orbis catholici regionibus selecti;

5) Dicasteriis Romanis plures diversarum nationum Episcopi adscribantur;

6) Episcoporum titularium numerus in Curia Romana minuatur et laicorum opera in ea magis adhibeatur;

7) Suprema Congregatio S. Officii apte recognoscatur eique nomen sit: Congregatio de fide et moribus;

8) In schemate agatur quoque de Legatis Summi Pontificis et de eorumdem relationibus cum Episcopis.

Praefatorum votorum Patrum in novo textu schematis plerumque expressis verbis, quandoque autem solummodo implicite, modo tamen congruo ratio habetur.

Expresse sequentia vota promuntur: Dicasteria Curiae Romanae novam habent ordinationem necessitatibus temporum magis aptatam; in Dicasteriis Curiae Romanae Membra, Officiales, Consultores adsint ex diversis regionibus Ecclesiae selecti; intra Membra Dicasteriorum Curiae Romanae etiam Episcopi residentiales connumerentur; laici quoque magis audiantur qui sint experientia et virtute praestantes, ita ut et ipsi in rebus Ecclesiae partes sibi congruentes habeant.

Adnotare iuvat, quoad Episcopos in Curiam Romanam cooptandos, consulto omissa esse haec prioris schematis verba: « aut a Summo Pontifice electi, aut, si ipsi placuerit, a Conferentiis Episcopalibus designati »; ista enim designatio aliquibus Patribus non placuit; ceterum per verba in textu nunc adhibita nullus excluditur modus, quoad eorum designationem rite faciendam.

[23] Nihil autem in textu explicite dicitur de Congregatione S. Officii et
[24] de minuendo numero Episcoporum titularium in Curia Romana, quia haec vota iam includuntur in ...[4] nova ordinatione Dicasteriorum Curiae Romanae.

Idem autem praesertim valet de voto a pluribus Patribus prolato circa novam ordinationem Legatorum Summi Pontificis. Commissio etiam haec vota attente examinavit et censuit quaestionem de Legatis Summi Pontificis non esse explicite tractandam in textu schematis, sed nec simpliciter omittendam, sed voluit ut in hac relatione explicite diceretur mentem Commissionis fuisse ut quaestio de Legatis Summi Pontificis inclusa haberetur in ipsa ordinatione Curiae Romanae.

Venerabiles Patres,

Commissio nostra textum huius capitis ita componere studuit ut, quantum potuerit, Patrum votis quoad substantiam obsecundaret. Quapropter, cum non de principiis immutabilibus, sed potius de eorumdem practica applicatione ageretur, viam mediam Commissio eligendam existimavit. Ipsi enim maxime cordi fuit id assequi quod assequendum possibile foret, bene perpensis omnibus circumstantiis variisque Patrum votis. Humiliter igitur confidimus ut laborem nostrum benevolenti animo accipere vestroque favorabili suffragio confirmare velitis.

† IOSEPHUS GARGITTER
Episcopus Bauzanensis-Brixinensis

In oratione: [1] 21. [2] Verba Summi Pontificis ad hanc quaestionem pertinentia referuntur in nota 4 pag. 19 huius fasciculi. [3] Video in textu emendato n. 16 pag. 16 omissa esse verba: « Episcopi qua legitimi apostolorum successores ». Hoc mane plures Patres petierunt cur haec verba omissa sint. Haec verba forsan casu omissa sunt per lapsum typographicum, quia, ni fallor, numquam in nostra commissione de hac omissione vel mutatione sermo factus est. [4] voto — hoc verbum omissum est — in voto de.

[25] RELATIO DE SINGULIS NUMERIS

Ad n. 4

P. 7, linn. 1-12: textus mutationes factae sunt ut plena habeatur concordantia cum iis quae de Episcopis dicuntur in schemate Constitutionis *de Ecclesia*.

Plures Patres proposuerunt ut in principio et in fine n. 4 longiores

textus schematis de Ecclesia adderentur; sed nostrae Commissioni magis expedire visum est ut in novo textu ea tantum insererentur, quae ad accuratiorem eiusdem redactionem immediate ac directe inservirent. [25]

Ad quorumdam Patrum petitionem, in n. 4 ablata est determinatio de iure Episcoporum partem habendi in Concilio Oecumenico « *vi consecrationis* », quae ab ipsis non videtur admittenda quia Concilium non est iuris divini, sed ecclesiastici. Cum autem Concilium sit exercitium eminens Corporis Episcoporum, in textu nunc dicitur quod Episcopis, qua Membris Collegii Episcoporum ius est ut Concilio Oecumenico intersint vel in eo repraesententur iuxta normas a Summo Pontifice determinatas.

Quidam Pater quaesivit num Episcopus nominatus aut electus Concilio Oecumenico interesse posset ante receptam consecrationem episcopalem, itemque quaesivit num verus actus collegialis Episcoporum exerceretur quando Summus Pontifex aliquos tantum Episcopos separatim consulerit, aut communem Episcoporum alicuius regionis actum approbaverit; sed nostra Commissio respondit eiusmodi quaestiones ad hoc schema directe non pertinere.

Nostra pariter Commissio edixit admittendam non esse unius alteriusque Patris propositionem, qui exoptarent ut Concilium Oecumenicum a Summo Pontifice frequentius aut saltem quinquagesimo quoque anno convocaretur.

Ad n. 5

P. 7, lin. 17: iuxta optata quorumdam Patrum, additum est « *ab ipso* », Romano Pontifice, statuendos esse modos et rationes, quibus a Coetu seu Consilio Centrali opera praestari debeat, ut clarius appareat ad illum unum exclusive pertinere praefatas determinationes praefinire.

Qua de causa nostra Commissio decrevit etiam satisfaciendum non esse votis unius alteriusve Patris, qui optarent ut a Conferentiis Episcoporum certa quaedam pars eligeretur Membrorum praefati Consilii, vel ut eidem Consilio ex iure interessent Conferentiarum Praesides pro tempore officii sui.

Plurium autem Patrum propositae emendationes a nostra Commissione admissae sunt solum eo sensu ut Consilium Centrale sit signum participationis Collegii Episcoporum in cura universalis Ecclesiae, non autem eo sensu, ut quidam optaverunt, quod Consilium sit exercitium muneris Collegii Episcoporum. [26]

Ad n. 6

P. 8, lin. 4: servatur textus: « *opus propagationis fidei* », quia ex subsequentibus verbis patet omnino in casu non agi de Pontificio Opere propagationis fidei.

[26] Nostra Commissio censuit in recognoscendo Codice Iuris Canonici aptius pertractari posse quaestiones ab uno vel altero Patre propositas de communi unico officio administrativo bonorum ecclesiasticorum pro tota natione aut pro aliqua regione constituendo, et de aequa partitione bonorum temporalium inter singulos clericos facienda.

Item, admissa non est aliquorum Patrum petitio de transferendis n. 6 et n. 7 ad caput III huius schematis; ibi enim agitur de Episcopis in commune bonum *plurium Ecclesiarum* cooperantibus; in numeris praefatis autem agitur de Episcopis quod attinet *ad universam Ecclesiam.*

Ad n. 8

P. 8, lin. 28: additum est verbum «*dioecesanis*», ut evidenter pateat facultate dispensandi a lege generali Ecclesiae solummodo Episcopos gaudere, quibus potestas Ordinarii loci competat.

P. 8, linn. 29-30: accuratior textus redactio facta est ac expresse fideles determinantur qui ab Episcopo dioecesano a lege generali ecclesiastica dispensari possunt.

Nostra Commissio nec necessarias nec opportunas tenuit determinationes, quarum alterutra ab uno tantummodo Patre proposita est, dispensationes scilicet — in casu — concedendas non esse nisi *ad tempus,* vel *ob commune bonum Ecclesiae,* et quia hoc ultimum iam ex sensu textus patet.

Item, admittendam non esse statuit cuiusdam Patris petitionem, qui vellet ut ex schemate auferreretur n. 8, quia in recognoscendo Codice Iuris Canonici aptiora remedia adhiberi poterunt difficultatum ob quas in schemate facultas dispensandi a lege generali ecclesiastica Episcopis dioecesanis tribuitur.

Ad n. 9

P. 9, lin. 1: sublatum est verbum « *sua* », et aliqualiter textus dispositio mutata est, ut clarius evaderet Dicasteria Curiae Romanae nomine et auctoritate Summi Pontificis negotia pertractare in bonum Ecclesiae et in servitium Ordinariorum locorum.

Necesse non est ut in textu addatur, sicut aliquis Pater proposuit, Episcopos posse directe ac personaliter Summo Pontifici referre ea quae
[27] ad Curiam Romanam deferre opportunum non censeant; id enim est prorsus manifestum.

Quaestionem autem ab eodem Patre propositam, de ordinariis negotiis dioecesanis cum Nuntio vel Delegato Apostolico pertractandis quin

recurrendum sit ad Curiam Romanam, nostra Commissio censuit remittendam esse ad Commissionem a Summo Pontifice constitutam ad Codicem Iuris Canonici recognoscendum. [27]

Ad n. 9 et n. 10

P. 9, lin. 6 et lin. 17: interim servantur in textu verba « *exoptant* (Patres) » et « *in votis quoque est* (Patrum) », quae ex textu definitivo approbato auferentur, quando eiusdem legitima promulgatio fiet.

Nostra Commissio censuit in schema inserendas non esse particulares determinationes circa partes a laicis in Dicasteriis Curiae Romanae habendas, circa tempus quo iidem infra annum sint convocandi, circa negotia de quibus eorumdem consilium aut suffragium deliberativum sit exquirendum.

Censet pariter nostra Commissio admittendam non esse duorum Patrum propositionem, qui petierunt ut ex schemate auferrerentur numeri 9 et 10, ne ullimode coartari videretur libertas Summi Pontificis; et ratio est quia ipse Summus Pontifex Paulus VI, feliciter regnans, in *Allocutione* diei 21 septembris 1963 favorabiliter mentem suam his de rebus aperuit, et quia re vera nulla fit restrictio libertatis et supremae auctoritatis Summi Pontificis per ea, quae in nn. 9 et 10 statuuntur.

Caput II [29]

DE EPISCOPIS QUOAD ECCLESIAS PARTICULARES SEU DIOECESES

Textus prior

I – Episcopi Dioecesani

11. [*Dioecesis notio et Episcoporum munus in dioecesi*]. Dioecesis est pars quaedam dominici gregis quae Episcopo concreditur, cum adiutorio sui presbyterii pascenda eum in finem ut supernaturaliter ipsa vivat, crescat atque fructificet, imaginem referens Unius Sanctae Catholicae et Apostolicae Christi Ecclesiae.

Textus emendatus

I – Episcopi Dioecesani

11. [*Dioecesis notio et Episcoporum munus in dioecesi*]. Dioecesis est *Populi Dei portio,* quae Episcopo cum cooperatione presbyterii pascenda concreditur, ita ut, *pastori suo adhaerens ab eoque per Evangelium et Eucharistiam in Spiritu Sancto congregata, Ecclesiam particularem constituat, in qua vere pleneque inest et operatur* Una Sancta Catholica et Apostolica Christi Ecclesia.

[29]

Textus prior	*Textus emendatus*
Singuli Episcopi, quibus dioecesis in curam peculiarem commissa est, sub auctoritate Summi Pontificis, tamquam proprii, ordinarii et immediati earum pastores, oves suas in nomine Domini pascunt, munus docendi, sanctificandi et regendi in eas exercentes.	Singuli Episcopi, quibus *Ecclesiae particularis* cura *specialis* commissa est, sub auctoritate Summi Pontificis, tamquam proprii, ordinarii et immediati earum pastores, oves suas in nomine Domini pascunt, munus docendi, sanctificandi et regendi in eas exercentes. *Episcopi tamen agnoscant iura, quae sive Patriarchis Ecclesiarum Orientalium sive aliis hierarchicis Auctoritatibus legitime competunt.*
In hoc autem apostolicum munus ita intendant ut non solum ovibus quae iam Principem Pastorum sequuntur provideant, sed etiam eas Christo lucrifacere satagant quae aut non sunt ex ovili Christi aut a via Illius aberraverunt. Quibus enim omnibus succurrere debent, vi sui muneris, nullis parcentes laboribus donec « in omni bonitate et iustitia et veritate » tandem omnes ambulent.	*Ad suum autem apostolicum munus intendant Episcopi ut Christi testes coram omnibus hominibus, non solum iis providentes qui iam Principem Pastorum sequuntur, sed iis quoque toto animo sese devoventes qui a via veritatis quoquo modo deflexerunt aut Christi Evangelium et misericordiam salutiferam plane ignorant,* donec « in omni bonitate et iustitia et veritate » (*Eph.* 5, 9) tandem omnes ambulent.
12. [*Episcoporum munus docendi*]. In exercendo suo munere docendi Christi Evangelium, quod praecipuum est eorum officium, hominibus proponant imprimis finem supernaturalem quem, in universa vitae ratione, per- [30] sequi debent, nempe glorificationem Dei atque eo ipso salutem suam aeternam; instrumenta item quae divinitus data sunt ad felicitatem aeternam consequendam.	12. [*Episcoporum munus docendi*]. In exercendo suo munere docendi Christi Evangelium hominibus *annuntient,* quod praecipuum est eorum officium,[1] *eos ad fidem in Spiritus fortitudine vocantes aut in fide viva confirmantes; integrum Christi mysterium ipsis proponant, illas nempe veritates quarum ignorantia, Christi ignorantia est, itemque viam* quae divinitus *revelata* est ad *glorificationem Dei atque eo ipso ad beatitudinem* aeternam consequendam.
Ostendant insuper res ipsas terrestres et humanas institutiones, secundum Dei Creatoris consilium, ad hominum profectum plurimum conferre.	Ostendant insuper res ipsas terrestres et humana instituta secundum Dei Creatoris consilium, *ad hominum salutem quoque ordinari et ideo ad aedificationem Corporis Christi non parum* conferre *posse.*
Indigitent ideo quanti, iuxta doctrinam Ecclesiae socialem, aestimanda sit persona humana, cum sua libertate et ipsa corporis vita;	Indigitent ideo quanti, iuxta doctrinam Ecclesiae socialem, aestimanda sit persona humana, cum sua libertate et ipsa corporis vita;

Textus prior

familia prolisque procreatio et educatio; civile consortium cum suis legibus et professionibus; labor et otia, artes et technica inventa; paupertas et opum affluentia; rationes denique exponant quibus solvendae sunt de bonorum materialium possessione, incremento ac recta distributione, de pace et bello, de fraterna omnium populorum conversatione gravissimae quaestiones.

13. [*Doctrinae christianae proponendae rationes*]. Doctrinam christianam proponere advigilent ratione temporum necessitatibus aptata, quae scilicet respondeat difficultatibus et quaestionibus quibus maxime homines premuntur et anguntur. In eadem tradenda, maternam Ecclesiae sollicitudinem comprobent erga omnes homines, sive fideles sive non fideles, et peculiari cura prosequantur pauperes et tenuiores, quos evangelizare misit eos Dominus.

Varia media ad doctrinam christianam annuntiandam adhibere satagant in hodierno tempore quae praesto sunt, videlicet imprimis praedicationem atque catecheticam institutionem, quae quidem semper principem tenent locum, sed et propositionem doctrinae in scholis, in

Textus emendatus [30]

familia *eiusque unitas et stabilitas,* prolisque procreatio et educatio; civile consortium cum suis legibus et professionibus; labor et otia, artes et technica inventa; paupertas et opum affluentia; rationes denique exponant quibus solvendae sunt de bonorum materialium possessione, incremento ac recta distributione, de pace et bello, de fraterna omnium populorum conversatione gravissimae quaestiones.[2]

13. [*Doctrinae christianae proponendae rationes*]. Doctrinam christianam *proponant* ratione temporum necessitatibus aptata, quae scilicet respondeat difficultatibus et quaestionibus quibus maxime homines premuntur et anguntur; *doctrinam quoque tueantur, ad eam defendendam ipsos fideles docentes.* In eadem tradenda, maternam Ecclesiae sollicitudinem comprobent erga omnes homines, sive fideles sive non fideles, et peculiari cura prosequantur pauperes et tenuiores, quos evangelizare misit eos Dominus.

Cum Ecclesiae sit cum humana societate, in qua vivit, ad colloquium venire,[3] *Episcoporum imprimis est officium ut homines adeant et colloquia cum eisdem petant ac promoveant. Quae colloquia, ut semper veritas cum caritate, intellegentia cum amore copulentur, perspicuitate sermonis simul ac humilitate et* [31] *lenitate praestent oportet, itemque debita prudentia iuncta tamen cum fiducia, quippe quae amicitiam cum foveat animos coniungere nata sit.*[4]

Varia media ad doctrinam christianam annuntiandam adhibere satagant in hodierno tempore quae praesto sunt, videlicet imprimis praedicationem atque catecheticam institutionem, quae quidem semper principem tenent locum, sed et propositionem doctrinae in scho-

[31]

Textus prior

academiis, conferentiis et coadunationibus omnis generis, necnon eiusdem diffusionem prelo variisque instrumentis communicationis socialis, quibus ad Christi Evangelium nuntiandum uti omnino oportet.

14. [*Catechetica Institutio*]. Advigilent ut catechetica institutio, quae eo tendit ut in hominibus fides, per doctrinam illustrata, viva fiat atque explicita et operosa, tum pueris et adolescentibus, tum iuvenibus, tum etiam adultis sedula cura tradatur, servatis apto ordine atque methodo convenienti materiae de qua agitur, sed et indoli, facultatibus et aetati auditorum; ut eadem institutio innitatur Sacra Scriptura, Traditione, Liturgia vitaque Ecclesiae.

Curent praeterea ut catechetae ad munus suum rite praeparentur, ita ut Ecclesiae doctrinam plane cognoscant, necnon et leges psychologicas et disciplinas paedagogicas theoretice et practice addiscant.

15. [*Episcoporum munus sanctificandi*]. In exercendo suo munere Pontificis memine-
[32] rint Episcopi se plenitudinem perfectionemque sacerdotii possidere, quam presbyteri, tamquam veri sacerdotes Novi Testamenti, et diaconi ac ministri varia quidem ratione participant; se itaque praecipuos Sacramentorum esse dispensatores, sicuti et totius vitae liturgicae in dioecesi moderatores, promotores et custodes.

Textus emendatus

lis, in academiis, conferentiis et coadunationibus omnis generis, necnon eiusdem diffusionem *declarationibus publicis occasione quorumdam eventuum factis,* prelo variisque instrumentis communicationis socialis, quibus ad Christi Evangelium nuntiandum uti omnino oportet.[5]

14. [*Catechetica institutio*]. Invigilent ut catechetica institutio, quae eo tendit ut in hominibus fides, per doctrinam illustrata, viva fiat atque explicita et operosa, tum pueris et adolescentibus, tum iuvenibus, tum etiam adultis sedula cura tradatur; *ut in eadem tradenda serventur aptus ordo atque methodus conveniens* non tantum materiae de qua agitur, sed et indoli, facultatibus et aetati *necnon vitae condicionibus* auditorum, ut eadem institutio innitatur Sacra Scriptura, Traditione, Liturgia vitaque Ecclesiae.

Curent praeterea ut catechetae ad munus suum rite praeparentur, ita ut Ecclesiae doctrinam plane cognoscant, necnon et leges psychologicas et disciplinas paedagogicas theoretice et practice addiscant.

Satagant etiam ut institutio catechumenorum adultorum restituatur aut melius adaptetur.

15. [*Episcoporum munus sanctificandi*]. *In exercendo suo munere sanctificandi memores sint Episcopi se ex hominibus assumptos esse et pro hominibus constitui, in iis quae sunt ad Deum, ut offerant dona et sacrificia pro peccatis. Episcopi enim plenitudinem Sacramenti Ordinis possident et ab ipsis in sua potestate pendent tum presbyteri, qui quidem, ut Ordinis Episcopalis providi sint cooperatores, et ipsi consecrati sunt veri Novi Testamenti*

Textus prior

Iugiter adnitantur ut christifideles, paschale mysterium intimius cognoscendo ac vivendo per Eucharistiam, unum arctissimum efficiant Corpus, in unitate caritatis Christi.

Qua perfectores, Episcopi clericorum suorum, religiosorum et laicorum sanctitatem, secundum suam cuiusque peculiarem vocationem, promovere studeant, memores quidem se teneri ad exemplum sanctitatis praebendum, in caritate, humilitate et vitae simplicitate. Ita Ecclesias sibi concreditas sanctificent ut in eisdem Ecclesiae universalis sensus plene effulgeat. Idcirco vocationes non tantum sacerdotales, sed et missionarias ac religiosas quam maxime foveant.

16. [*Episcoporum munus regendi ac pascendi*]. In exercendo suo munere patris ac pastoris, sint Episcopi in medio suorum sicut qui ministrant, boni pastores qui cognoscunt suas oves quosque et ipsae cognoscunt, veri patres qui spiritu dilectionis et sollicitudinis erga omnes praestant.

Fidelium necessitates cognoscere tenentur ut eorum bono pro sua cuiusque condicione apte consulere queant.

Praecipue sacerdotes suos paterna semper caritate amplectantur, solliciti eorum condicio-

Textus emendatus [32]

sacerdotes, tum diaconi, qui ad ministerium ordinati populo Dei in communione cum Episcopo eiusque presbyterio inserviunt; ipsi itaque Episcopi praecipui sunt dispensatores mysteriorum Dei, sicut et totius vitae liturgicae *in Ecclesia sibi commissa* moderatores, promotores atque custodes.[6]

Iugiter igitur adnitantur ut christifideles paschale mysterium *penitius cognoscant et vivant,* per Eucharistiam, *ita ut* unum arctissimum efficiant Corpus in unitate caritatis Christi;[7] « *oratione et ministerio verbi instantes* » (*Act.* 6, 4), *laborem impendant ut omnes quorum cura sibi est commissa unanimi sint in oratione*[8] *utque sacramentorum receptione in gratia crescant ac fideles Domino sint testes.*

Qua perfectores, Episcopi clericorum suorum, religiosorum et laicorum sanctitatem, secundum suam cuiusque peculiarem vocationem, promovere studeant, memores quidem se teneri ad exemplum sanctitatis praebendum, in caritate, humilitate et vitae simplicitate. Ita Ecclesias sibi concreditas sanctificent ut in eisdem *universae Christi* Ecclesiae sensus plene effulgeat. Idcirco vocationes non tantum sacerdotales, sed et missionarias ac religiosas quam maxime foveant.

16. [*Episcoporum munus regendi ac pascendi*]. In exercendo suo munere patris ac pastoris, sint Episcopi in medio suorum sicut qui ministrant,[9] boni pastores qui cognoscunt suas oves quosque et ipsae cognoscunt, veri patres qui spiritu dilectionis et sollicitudinis [33] erga omnes praestant, *quorumque auctoritati divinitus quidem collatae omnes grato animo sese subiiciunt.*

Quae ut efficaciter facere valeant, Episcopi, « *ad omne opus bonum parati* » (*2 Tim.* 2, 21) *et* « *omnia sustinentes propter electos* »

[33]

Textus prior

num spiritualium, intellectualium et materialium, ut hi sancte pieque vivere atque ministerium suum fideliter ac fructuose adimplere valeant. Quare institutiones foveant et peculiares conventus instaurent, in quibus sacerdotes aliquoties congregentur tum ad longiora peragenda exercitia spiritualia in vitae suae renovationem tum ad altiorem acquirendam cognitionem ecclesiasticarum disciplinarum, praesertim Sacrae Scripturae et theologiae, socialium maioris momenti quaestionum, necnon novarum actionis pastoralis rationum.

Textus emendatus

(2 Tim. 2, 10) *vitam suam ita ordinent oportet, ut necessitatibus temporum accommodata sit.*

Fidelium bono ut pro sua cuiusque condicione aptius consulere queant, eorumdem necessitates, in socialibus in quibus vivunt adiunctis, rite cognoscere tenentur, aptis ideo adhibitis instrumentis, praesertim investigationis socialis. Erga omnes sollicitos se praebeant cuiuscumque sunt aetatis, condicionis vel nationis, tum incolas, tum advenas et peregrinos.

Fratres separatos peculiari amore prosequantur, fidelibus etiam commendantes ut erga eos magna cum humanitate se gerant, oecumenismum quoque, ut ab Ecclesia intelligitur, foventes. Non baptizatos tandem cordi habeant, ut et ipsis caritas eluceat Christi Iesu, Cuius coram omnibus testes sunt Episcopi.

Sacerdotes, quippe qui munera et sollicitudinem eorum pro parte suscipiant et cura cotidiana tam studiose exerceant, paterna semper caritate amplectantur, *eosdem ut filios et amicos habentes* [10] *ideoque ad eos audiendos parati atque confidenti cum eisdem consuetudine, integrum opus pastorale totius dioecesis promovere studeant.*

Solliciti sint eorum condicionum spiritualium, intellectualium et materialium ut hi sancte pieque vivere atque ministerium suum fideliter ac fructuose adimplere valeant. Quare institutiones foveant et peculiares conventus instaurent, in quibus sacerdotes aliquoties congregentur tum ad longiora peragenda exercitia spiritualia in vitae suae renovationem tum ad

[34] altiorem acquirendam cognitionem ecclesiasticarum disciplinarum, praesertim Sacrae Scripturae et theologiae, socialium maioris momenti quaestionum, necnon novarum actionis pastoralis rationum.

Textus prior

Operosa misericordia prosequantur sacerdotes qui in periculo quoquo modo versantur aut in quibusdam defecerunt.

17. [*Peculiares apostolatus formae*]. Sedulo urgeatur officium quo tenentur fideles ad varia opera laicorum apostolatus et actionis catholicae participanda vel iuvanda. Associationes quoque promoveantur vel foveantur quae finem supernaturalem directe aut indirecte prosequuntur, ad perfectiorem scilicet vitam provehendam, aut ad doctrinam christianam vel incrementum cultus publici promovendum, aut ad fines sociales persequendos, aut ad pietatis vel caritatis opera exercenda.

Variae apostolatus formae recte accommodentur necessitatibus fidelium, attentis condicionibus non solum spiritualibus et moralibus, sed etiam socialibus, demographicis et oeconomicis. Pariter in universa dioecesi vel in eiusdem peculiaribus regionibus habeatur omnium operum apostolatus coordinatio atque intima coniunctio, ita ut unitas dioecesis clarius eluceat.

18. [*Quorumdam fidelium coetuum singularis sollicitudo*]. Peculiaris sollicitudo habeatur fidelium, qui ob vitae condicionem communi ordinaria parochorum cura pastorali non

Textus emendatus [34]

Operosa misericordia prosequantur sacerdotes qui in periculo quoquo modo versantur aut in quibusdam defecerunt.

17. [*Peculiares apostolatus formae*]. *Variae foveantur apostolatus rationes* atque in universa dioecesi, vel in eiusdem peculiaribus regionibus, *omnium operum apostolatus, sub moderamine Episcopi,* coordinatio atque intima coniunctio, *qua quidem omnia incepta atque instituta, catechetica, missionalia, caritativa, socialia, familiaria, scholastica atque quaelibet alia finem pastoralem persequentia, ad concordem redigantur actionem, qua simul clarius dioecesis unitas eluceat.*

Sedulo urgeatur officium quo tenentur fideles ad varia opera laicorum apostolatus et actionis catholicae participanda vel iuvanda. Associationes quoque promoveantur vel foveantur quae finem supernaturalem directe aut indirecte prosequuntur, ad perfectiorem scilicet vitam provehendam, aut ad doctrinam christianam vel incrementum cultus publici promovendum, aut fines sociales persequendos aut ad pietatis vel caritatis opera exercenda.

Apostolatus formae rite accommodentur necessitatibus *hodiernis*, attentis *hominum* condicionibus, non solum spiritualibus et moralibus, sed etiam socialibus, demographicis et oeconomicis. *Ad quod efficaciter et fructuose assequendum, magnopere conferunt investigationes sociales et religiosae, per officia sociologiae pastoralis, quae enixe commendantur.*

18. [*Quorumdam fidelium coetuum singularis sollicitudo*]. Peculiaris sollicitudo habeatur fidelium, qui ob vitae condicionem communi ordinaria parochorum cura pastorali non [35]

[35]

Textus prior

satis frui valent aut eadem penitus carent, uti sunt quamplurimi migrantes, maritimi sicut et aëronavigantes, nomades aliique id genus.

Aptae methodi pastorales promoveantur ad vitam spiritualem fovendam eorum qui animi relaxationis causa ad tempus alias regiones petunt.

N. 18 bis. [*Episcoporum libertas eorumque cum publicis potestatibus rationes*].

In suo apostolico munere obeundo, quod animarum salutem intendit, Episcopi per se plena ac perfecta gaudent libertate atque independentia a quacumque civili potestate. Quare non licet eorum muneris ecclesiastici exercitium directe vel indirecte impedire neve eos prohibere quominus cum Apostolica Sede aliisque Auctoritatibus ecclesiasticis et cum suis subditis libere communicent.

Profecto Sacri Pastores, dum in spiritualem sui gregis curam incumbunt, reapse sociali quoque et civili profectui ac prosperitati consulunt, actuosam in hunc finem cum publicis auctoritatibus, pro sui officii ratione, operam consociantes atque iustis legibus oboedientiam et legitime constitutis potestatibus reverentiam, ut decet, suadentes.

N. 18 ter. [*Libertas in Episcoporum nominatione*].

Textus emendatus

satis frui valent aut eadem penitus carent, uti sunt quamplurimi migrantes, maritimi sicut et aëronavigantes, nomades aliique id genus.[11] Aptae methodi pastorales promoveantur ad vitam spiritualem fovendam eorum qui relaxationis causa ad tempus alias regiones petunt.[12]

Episcoporum Conferentiae, praesertim Nationales, urgentioribus quaestionibus ad praedictos spectantibus sedulo studeant, et aptis instrumentis ac institutionibus spirituali eorum curae, concordi voluntate viribusque unitis consulant atque faveant, attentis in primis normis ab Apostolica Sede statutis[13] *vel statuendis, temporum, locorum et personarum condicionibus apte accommodatis.*

19. (olim n. 18 bis). [*Episcoporum libertas eorumque cum publicis potestatibus rationes*].

In suo apostolico munere obeundo, quod animarum salutem intendit, Episcopi per se plena ac perfecta gaudent libertate atque independentia a quacumque civili potestate. Quare non licet eorum muneris ecclesiastici exercitium directe vel indirecte impedire neve eos prohibere quominus cum Apostolica Sede aliisque Auctoritatibus ecclesiasticis et cum suis subditis libere communicent.

Profecto Sacri Pastores, dum in spiritualem sui gregis curam incumbunt, reapse sociali quoque et civili profectui ac prosperitati consulunt, actuosam in hunc finem cum publicis auctoritatibus, pro sui officii ratione, operam consociantes atque iustis legibus oboedientiam et legitime constitutis potestatibus reverentiam, ut decet, suadentes.

20. (olim n. 18 ter). [*Libertas in Episcoporum nominatione*].

Textus prior

Cum apostolicum Episcoporum officium sit a Christo Domino institutum atque spiritualem et supernaturalem finem prosequatur, Sacrosancta Oecumenica Synodus declarat ius nominandi et instituendi Episcopos esse competenti Auctoritati ecclesiasticae proprium, peculiare et per se exclusivum.

Quapropter ad Ecclesiae libertatem rite tuendam et ad christifidelium bonum aptius et expeditius promovendum in votis est Patrum ut in posterum nulla amplius laicis concedantur iura aut privilegia electionis, nominationis, praesentationis vel designationis ad Episcopatus officium et ut ii quibus hucusque concessa sunt iisdem libenter renuntient.

Textus emendatus

Cum apostolicum Episcoporum officium sit [35] a Christo Domino institutum atque spiritualem [36] et supernaturalem finem prosequatur, Sacrosancta Oecumenica Synodus declarat ius nominandi et instituendi Episcopos esse competenti Auctoritati ecclesiasticae proprium, peculiare et per se exclusivum.

Quapropter ad Ecclesiae libertatem rite tuendam et ad christifidelium bonum aptius et expeditius promovendum in votis est *Sacrosancti Concilii* ut in posterum nulla amplius *civilibus Auctoritatibus* concedantur iura aut privilegia electionis, nominationis, praesentationis vel designationis ad Episcopatus officium; *civiles vero Auctoritates, quarum obsequentem erga Ecclesiam voluntatem Sacrosancta Synodus grato animo agnoscit plurimique facit, humanissime rogantur ut praedictis iuribus vel privilegiis, quibus in praesens pacto aut consuetudine fruantur, consiliis cum Apostolica Sede initis, sua sponte renuntiare velint.*

Textus prior

19. [*Episcoporum a munere renuntiatio*]. Cum igitur pastorale Episcoporum munus tanti sit momenti tantaeque gravitatis, Episcopi dioecesani aliique in iure ipsis aequiparati, si, ob ingravescentem aetatem aliamve gravem causam, implendo suo officio minus apti evaserint, enixe rogantur ut, vel sua ipsi sponte vel a competenti Auctoritate invitati, renuntiationem ab officio exhibeant. Competens autem Auctoritas, si illam acceptaverit, et de congruenti renuntiantium sustentatione et de peculiaribus iuribus iisdem recognoscendis providebit.

II – Dioecesium Circumscriptio

20. [*Necessitas recognoscendi dioecesium circumscriptiones*]. Ad proprium dioecesis fi-

Textus emendatus

21. (olim n. 19). [*Episcoporum a munere renuntiatio*]. Cum igitur pastorale Episcoporum munus tanti sit momenti tantaeque gravitatis, Episcopi dioecesani aliique in iure ipsis aequiparati, si, ob ingravescentem aetatem aliamve gravem causam, implendo suo officio minus apti evaserint, enixe rogantur ut, vel sua ipsi sponte vel a competenti Auctoritate invitati, renuntiationem ab officio exhibeant. Competens autem Auctoritas, si illam acceptaverit, et de congruenti renuntiantium sustentatione et de peculiaribus iuribus iisdem recognoscendis providebit.

II – Dioecesium Circumscriptio

22. (olim n. 20). [*Necessitas recognoscendi dioecesium circumscriptiones*]. Ad pro-

[36] *Textus prior*

nem consequendum, oportet ut Ecclesiae natura in populo Dei ad ipsam dioecesim pertinente perspicue manifestetur; ut Episcopi munera sua pastoralia in iisdem efficaciter explere
[37] valeant; ut denique populi Dei saluti quam perfectissime fieri potest ministretur.

Id autem postulat sive congruentem finium territorialium dioecesium circumscriptionem, sive clericorum opumque distributionem rationi consentaneam atque apostolatus exigentiis accommodatam. Quae omnia non solum clericorum et christifidelium, quorum directe interest, verum etiam et totius catholicae Ecclesiae in bonum cedunt.

Itaque, ad dioecesium circumscriptiones quod attinet, mandat Sacrosancta Synodus ut, quatenus animarum bonum id exigat, quamprimum ad congruam recognitionem prudenter deveniatur, eas dividendo vel dismembrando vel uniendo, aut ipsarum fines mutando vel episcopalium sedium aptiorem locum determinando, aut denique, praesertim si de dioecesibus agatur quae ex maioribus urbibus constant, eas nova interna ordinatione disponendo.

21. [*Regulae servandae*]. Haec circumscriptionum recognitio fiat singulis in casibus, omnibus adiunctis accurate perpensis, iuxta generaliora criteria quae sequuntur.

1) In circumscriptione dioecesana definienda servetur, pro posse, varietas illa compositionis ipsius populi Dei quae, sive clerum sive diversos fidelium coetus quod spectat, multum iuvare potest ad pastoralem curam efficacius exercendam.

Textus emendatus

prium dioecesis finem consequendum, oportet ut Ecclesiae natura in populo Dei ad ipsam dioecesim pertinente perspicue manifestetur; ut Episcopi munera sua pastoralia in iisdem efficaciter explere valeant; ut denique populi Dei saluti quam perfectissime fieri potest ministretur.

Id autem postulat sive congruentem finium territorialium dioecesium circumscriptionem, sive clericorum opumque distributionem rationi consentaneam atque apostolatus exigentiis accommodatam. Quae omnia non solum clericorum et christifidelium, quorum directe interest, verum etiam et totius catholicae Ecclesiae in bonum cedunt.

Itaque, ad dioecesium circumscriptiones quod attinet, mandat Sacrosancta Synodus ut, quatenus animarum bonum id exigat, quamprimum ad congruam recognitionem prudenter deveniatur, eas dividendo vel dismembrando vel uniendo, aut ipsarum fines mutando vel episcopalium sedium aptiorem locum determinando, aut denique, praesertim si de dioecesibus agatur quae ex maioribus urbibus constant, eas nova interna ordinatione disponendo.

23. (olim n. 21). [*Regulae servandae*]. *In dioecesium circumscriptionibus recognoscendis* in tuto ponatur *praeprimis* uniuscuiusque dioecesis unitas organica, quoad personas, officia, *instituta,* ad instar corporis apte viventis. Singulis vero in casibus, omnibus adiunctis accurate perpensis, *prae oculis habeantur* criteria generaliora quae sequuntur.

1) In circumscriptione dioecesana definienda *ratio, quantum fieri poterit, habeatur* varietatis compositionis populi Dei, quae multum *conferre* potest ad pastoralem curam *aptius* exercendam; *simulque curetur ut huius populi conglobationes demographicae, cum civi-*

Textus prior

Ob idque, uniuscuiusque dioecesis territorium nonnisi continuum pateat, attentis, quantum fieri potest, peculiaribus personarum locorumve adiunctis, v. g. demographicis, socialibus, psychologicis, oeconomicis, geographicis, historicis. Quod autem maximum est, in tuto ponatur dioecesis unitas organica atque, ad personas officia institutiones quod attinet, structura et connexio, ad instar corporis apte viventis munereque suo rite fungentis.

2) Amplitudo territorii dioecesani eiusve incolarum numerus talis sit generatim ut ipse Episcopus, licet ab aliis adiutus, congrue possit visitationes pastorales peragere, omnia apostolatus opera in dioecesi rite moderari atque coordinare, sacerdotes suos necnon et laicos operam in dioecesanis inceptis impendentes bene cognoscere.

3) Quo denique aptius salutis ministerium in dioecesi exerceri possit, pro regula habeatur ut unicuique dioecesi clerici, numero et idoneitate saltem sufficientes, praesto sint pro rite pascendo populo Dei, atque iam adsint, aut saltem prudenter praevideantur aliunde non defuturae, opes ad personas et institutiones sustentandas, quae pro recto dioecesis regimine necessariae usu comprobantur.

Hunc quoque in finem, ubi sint fideles diversi ritus, eorum spiritualibus necessitatibus Episcopus dioecesanus provideat sive per sacerdotes aut paroecias eiusdem ritus, sive per

Textus emendatus [37]

libus officiis institutisque socialibus quae structuram ipsius organicam efficiunt, in unum quantum poterit serventur. Qua de causa uniuscuiusque dioecesis territorium nonnisi continuum pateat.

[38] Attendatur etiam, *si casus ferat, ad fines circumscriptionum civilium,* atque ad peculiaria personarum locorumve adiuncta, v. g. psychologica, oeconomica, geographica, historica.

2) Amplitudo territorii dioecesani eiusve incolarum numerus talis sit generatim ut, *ex una parte,* ipse Episcopus, licet ab aliis adiutus, *pontificalia exercere* visitationesque pastorales congrue peragere *valeat,* omnia apostolatus opera in dioecesi rite moderari atque coordinare, sacerdotes suos *praesertim* cognoscere, necnon et *religiosos* et laicos *rationem aliquam* in dioecesanis inceptis habentes; *ex altera vero parte, sufficiens ac idoneus praebeatur campus in quo sive Episcopus sive clerici, omnes suas vires in ministerium, prae oculis habitis universalis Ecclesiae necessitatibus, utiliter impendere possint.*

3) Quo denique aptius salutis ministerium in dioecesi exerceri possit, pro regula habeatur ut unicuique dioecesi clerici, numero et idoneitate saltem sufficientes, praesto sint pro rite pascendo populo Dei; *officia, instituta et opera ne desint quae Ecclesiae particularis propria sunt, quaeque pro eius apto* regimine et *apostolatu* necessaria usu comprobantur; opes *denique* ad personas et *instituta sustentanda aut* iam adsint aut saltem prudenter praevideantur aliunde non defuturae.

Hunc quoque in finem, ubi sint fideles diversi ritus, eorum spiritualibus necessitatibus Episcopus dioecesanus provideat sive per sacerdotes aut paroecias eiusdem ritus, sive per

[38]

Textus prior

Vicarium Episcopalem aptis facultatibus instructum et, si casus ferat, etiam charactere episcopali ornatum, sive per seipsum diversorum rituum Ordinarii munere fungentem. Quod si haec omnia, ob rationes peculiares, iudicio Apostolicae Sedis, fieri non possint, Hierarchia propria pro diversitate rituum constituatur.

Item, in similibus circumstantiis, diversi
[39] sermonis fidelibus provideatur sive per sacerdotes aut paroecias eiusdem sermonis, sive per Vicarium Episcopalem sermonem bene callentem et etiam, si casus ferat, charactere episcopali ornatum, sive denique alia opportuniore ratione.

22. [*Conferentiae Episcopalis votum exquirendum*]. Ad dioecesium immutationes aut innovationes ad normam n. 21 inducendas, salva disciplina Ecclesiarum Orientalium, competentes Conferentiae Episcopales his negotiis pro suo quaeque territorio — ope etiam adhibita peculiaris Commissionis Episcoporum, si id necessarium videatur — sedula cura studeant et, auditis Episcopis quorum interest, Apostolicae Sedi sua vota proponant.

III – Episcopi Dioecesani in munere pastorali Cooperatores

1) *Episcopi Coadiutores et Auxiliares.*

23. [*Normae de constituendis Auxiliaribus et Coadiutoribus*]. In regendis dioecesibus pastorali Episcoporum muneri ita provideatur, ut bonum dominici gregis semper sit suprema ratio. Quod bonum ut debite procu-

Textus emendatus

Vicarium Episcopalem [14] aptis facultatibus instructum et, si casus ferat, etiam charactere episcopali ornatum, sive per seipsum diversorum rituum Ordinarii munere fungentem. Quod si haec omnia, ob rationes peculiares, iudicio Apostolicae Sedis, fieri non possint, Hierarchia propria pro diversitate rituum constituatur.

Item, in similibus circumstantiis, diversi sermonis fidelibus provideatur sive per sacerdotes aut paroecias eiusdem sermonis, sive per Vicarium Episcopalem sermonem bene callentem et etiam, si casus ferat, charactere episcopali ornatum, sive denique alia opportuniore ratione.

24. (olim n. 22). [*Conferentiae Episcopalis votum exquirendum*]. Ad dioecesium immutationes aut innovationes ad normam nn. 22-23 inducendas *quod attinet,* salva disciplina Ecclesiarum Orientalium, *expedit ut* competentes Conferentiae Episcopales his negotiis pro suo quaeque territorio *studeant* — ope etiam adhibita peculiaris Commissionis *Episcopalis,* si id *opportunum* videatur, *at semper* auditis *praesertim* Episcopis *Provinciarum* vel *Regionum* quarum interest — et deinde sua *consilia* et vota Apostolicae Sedi proponant.

III – Episcopi Dioecesani in munere pastorali Cooperatores

1) *Episcopi Coadiutores et Auxiliares.*

25. (olim n. 23). [*Normae de constituendis Auxiliaribus et Coadiutoribus*]. In regendis dioecesibus, pastorali Episcoporum muneri ita provideatur, ut bonum dominici gregis semper sit suprema ratio. Quod bonum ut

Textus prior

retur, haud raro Episcopi Auxiliares constituendi sunt, eo quod Episcopus dioecesanus, vel ob nimiam dioecesis amplitudinem aut nimium incolarum numerum, vel ob peculiaria apostolatus adiuncta aut alias diversae naturae causas, nequit per semetipsum omnia episcopalia munia, sicut animarum exigit bonum, adimplere. Imo et aliquando peculiaris necessitas postulat ut in personale Episcopi dioecesani adiutorium constituatur Episcopus Coadiutor. Qui Episcopi Coadiutores et Auxiliares ita congruentibus facultatibus instruendi sunt, ut, salva semper unitate dioecesani regiminis necnon Episcopi dioecesani auctoritate, eorum actio efficacior reddatur et dignitas, Episcoporum propria, magis in tuto ponatur.

Iamvero Episcopi Coadiutores et Auxiliares, eo quod in partem sollicitudinis Episcopi dioecesani vocati sunt, ita munus suum exerceant, ut in omnibus negotiis unanima consensione cum ipso procedant. Praeterea obsequium et reverentiam semper exhibeant Episcopo dioecesano, qui et ipse Episcopos Coadiutores vel Auxiliares fraterne diligat atque existimatione prosequatur.

24. [*Episcoporum Auxiliarium et Coadiutorum facultates*]. Bono animarum id exigente, ne renuat Episcopus dioecesanus a competenti Auctoritate unum pluresve Auxiliares expostulare, qui nempe sine iure successionis pro dioecesi constituuntur.

Quodsi in Litteris nominationis provisum non fuerit, Episcopus dioecesanus Auxiliarem vel Auxiliares suos saltem constituat Vicarios Episcopales, ab ipso dumtaxat dependentes, quibus scilicet, vi officii, in determinata dioecesis parte vel in determinato negotiorum gene-

Textus emendatus [39]

debite procuretur, haud raro Episcopi Auxiliares constituendi sunt, eo quod Episcopus dioecesanus, vel ob nimiam dioecesis amplitudinem aut nimium incolarum numerum, vel ob peculiaria apostolatus adiuncta aut alias diversae naturae causas, nequit per semetipsum omnia episcopalia munia, sicut animarum exigit bonum, adimplere. Imo et aliquando peculiaris necessitas postulat ut in *ipsius* Episcopi dioecesani adiutorium constituatur Episcopus Coadiutor. Qui Episcopi Coadiutores et Auxiliares ita congruentibus facultatibus instruendi sunt, ut, salva semper unitate dioecesani regiminis necnon Episcopi dioecesani auctori- [40] tate, eorum actio efficacior reddatur et dignitas, Episcoporum propria, magis in tuto ponatur.

Iamvero Episcopi Coadiutores et Auxiliares, eo quod in partem sollicitudinis Episcopi dioecesani vocati sunt, ita munus suum exerceant, ut in omnibus negotiis unanima consensione cum ipso procedant. Praeterea obsequium et reverentiam semper exhibeant Episcopo dioecesano, qui et ipse Episcopos Coadiutores vel Auxiliares fraterne diligat atque existimatione prosequatur.

26. (olim n. 24). [*Episcoporum Auxiliarium et Coadiutorum facultates*]. Bono animarum id exigente, ne renuat Episcopus dioecesanus a competenti Auctoritate unum pluresve Auxiliares expostulare, qui nempe sine iure successionis pro dioecesi constituuntur.

Quodsi in Litteris nominationis provisum non fuerit, Episcopus dioecesanus Auxiliarem vel Auxiliares suos *constituat Vicarios Generales vel* saltem Vicarios Episcopales,[15] ab ipso dumtaxat dependentes, *quos Episcopus dioecesanus, in perpendendis causis maioris mo-*

[40] *Textus prior*

re, illa competit potestas, quam ius commune Vicario Generali tribuit.

Nisi aliud a competenti Auctoritate statutum fuerit, cum Episcopi dioecesani munere non expirant potestates et facultates quibus Episcopi Auxiliares a iure instructi sunt. Optandum quoque est ut, sede vacante, munus dioecesim regendi, nisi aliud graves rationes suadeant, committatur Episcopo Auxiliari vel, ubi plures sunt, uni ex Auxiliaribus.

Episcopus Coadiutor, qui nempe cum iure successionis nominatur, ab Episcopo dioecesano Vicarius Generalis semper constituatur. Eidem autem pleniores facultates in casibus particularibus a competenti Auctoritate concedi poterunt.

[41] Ut quam maxime praesenti ac futuro dioecesis bono faveatur, Episcopus Coadiutus et Coadiutor in rebus maioris momenti mutuo se consulere ne omittant.

2) *Curia atque Consilia Dioecesana.*

25. [*Curiae Dioecesanae ordinatio et Consilii pastoralis institutio*]. Inter praecipuos Episcopi cooperatores in regimine dioecesis, illi presbyteri enumerantur qui eius senatum consiliumve constituunt, ut sunt capitulum cathedrale, consultorum coetus vel alia consilia, secundum diversorum locorum circumstantias vel indolem.

Textus emendatus

menti praesertim indolis pastoralis consulere velit.

Nisi aliud a competenti Auctoritate statutum fuerit, cum Episcopi dioecesani munere non exspirant potestates et facultates quibus Episcopi Auxiliares a iure instructi sunt. Optandum quoque est ut, sede vacante, munus dioecesim regendi, nisi aliud graves rationes suadeant, committatur Episcopo Auxiliari vel, ubi plures sunt, uni ex Auxiliaribus.

Episcopus Coadiutor, qui nempe cum iure successionis nominatur, ab Episcopo dioecesano Vicarius Generalis semper constituatur. Eidem autem pleniores facultates in casibus particularibus a competenti Auctoritate concedi poterunt.

Ut quam maxime praesenti ac futuro dioecesis bono faveatur, Episcopus Coadiutus et Coadiutor in rebus maioris momenti mutuo se consulere ne omittant.

2) *Curia atque Consilia Dioecesana.*

27. (olim n. 25). [*Curiae dioecesanae ordinatio et Consilii pastoralis institutio*]. *Eminens in Curia dioecesana est officium Vicarii Generalis. Quoties autem rectum dioecesis regimen id requirat, constitui possunt ab Episcopo unus aut plures Vicarii Episcopales, qui nempe ipso iure, in determinata dioecesis parte aut in certo negotiorum genere aut quoad fideles determinati ritus, ea gaudent potestate, quam ius commune Vicario Generali tribuit.*

Inter Episcopi cooperatores in regimine dioecesis, illi presbyteri *quoque* enumerantur qui eius senatum consiliumve constituunt, ut sunt capitulum cathedrale, consultorum coetus vel alia consilia, secundum diversorum locorum circumstantias vel indolem.

Textus prior

Sacerdotes et laici, qui ad Curiam dioecesanam pertinent, sciant se pastorali Episcopi ministerio adiutricem operam praestare.

Curia dioecesana ita ordinetur ut aptum instrumentum Episcopo fiat, non tantum ad dioecesim administrandam, sed etiam ad opera apostolatus exercenda.

Valde optandum est ut in unaquaque dioecesi peculiare instituatur Consilium pastorale, cui Episcopus dioecesanus ipse praesit et in quo clerici, religiosi et laici, specialiter delecti, partes habeant. Huius Consilii erit ea quae ad pastoralia opera spectant investigare, perpendere atque de eis practicas expromere conclusiones.

3) *Clerus dioecesanus.*

26. [*Sacerdotes dioecesani*]. In animarum cura procuranda primas partes habent sacerdotes dioecesani, qui, providi cooperatores ordinis episcopalis effecti et Ecclesiae peculiari incardinati vel addicti, eiusdem servitio plene sese devovent, unum constituunt presbyterium atque unam familiam, cuius pater est Episcopus.

Hinc sacerdotum dioecesanorum necessitudines cum Episcopo vinculis potissimum supernaturalis caritatis inniti debent, ita quidem ut eorum voluntatis consociatio cum Episcopi voluntate pastoralem eorumdem actionem reddat uberiorem.

Qua de causa omnes sacerdotes dioecesani uniti inter se sint ideoque boni spiritualis universae dioecesis sollicitos se praebeant; insuper, memores bona quae occasione officii sacri sibi comparant ad fines Ecclesiae destinari, attenti sint ad necessitates materiales quoque dioecesis, ad quas sublevandas, iuxta ordinationem Episcopi, pro posse opes conferant.

Textus emendatus [41]

Sacerdotes et laici, qui ad Curiam dioecesanam pertinent, sciant se pastorali Episcopi ministerio adiutricem operam praestare.

Curia dioecesana ita ordinetur ut aptum instrumentum Episcopo fiat, non tantum ad dioecesim administrandam, sed etiam ad opera apostolatus exercenda.

Valde optandum est ut in unaquaque dioecesi peculiare instituatur Consilium pastorale, cui Episcopus dioecesanus ipse praesit et in quo clerici, religiosi et laici, specialiter delecti, partes habeant. Huius Consilii erit ea quae ad pastoralia opera spectant investigare, perpendere atque de eis practicas expromere conclusiones.

3) *Clerus dioecesanus.*

28. (olim n. 26). [*Sacerdotes dioecesani*]. In animarum cura procuranda primas partes habent sacerdotes dioecesani, qui, providi cooperatores Ordinis episcopalis effecti, *unum* [42] *sacerdotium Christi cum Episcopo participant et exercent atque* Ecclesiae *particulari* incardinati vel addicti, eiusdem servitio plene sese devovent *ad unam dominici gregis portionem pascendam; quare* unum constituunt presbyterium atque unam familiam, cuius pater est Episcopus. *Qui, ut ministeria sacra inter sacerdotes suos aptius et aequius disponere valeat, necessaria libertate gaudere debet in officiis vel beneficiis conferendis, suppressis proinde iuribus seu privilegiis, quae eamdem libertatem quoquo modo coarctent.*

Sacerdotum dioecesanorum necessitudines cum Episcopo vinculis potissimum supernaturalis caritatis inniti debent, ita quidem ut eorum voluntatis consociatio cum Episcopi voluntate pastoralem eorumdem actionem reddat uberiorem. *Quare, ut animarum servitium ma-*

[42]

textus prior	*Textus emendatus*
	gis magisque promoveatur, Episcopus cum suis sacerdotibus de re praesertim pastorali colloquium commune quoque instituat, non tantum data occasione, sed etiam, quantum fieri possit, statis temporibus.
	Praeterea, omnes sacerdotes dioecesani uniti inter se sint ideoque boni spiritualis universae dioecesis *sollicitudine urgeantur*; insuper, memores bona, quae occasione officii *ecclesiastici* sibi comparant, *cum munere sacro cohaerere, necessitatibus materialibus quoque dioecesis, iuxta Episcopi ordinationem, pro viribus liberaliter subveniant.*
27. [*Sacerdotes operibus supraparoecialibus addicti*]. Inter proximiores Episcopi cooperatores habentur illi sacerdotes, quibus apostolatus opera indolis supraparoecialis ab ipso committuntur, sive quoad determinatum dioecesis territorium, sive quoad speciales fidelium coetus, sive quoad peculiare actionis genus.	29. (olim n. 27). [*Sacerdotes operibus supraparoecialibus addicti*]. Proximiores Episcopi cooperatores *sunt* illi *etiam* sacerdotes, quibus apostolatus opera indolis supraparoecialis ab ipso committuntur, sive quoad determinatum dioecesis territorium, sive quoad speciales fidelium coetus, sive quoad peculiare actionis genus.
[43]	*Eximiam quoque adiutricem operam praestant sacerdotes, quibus ab Episcopo diversa munera apostolatus, sive in scholis sive in aliis institutis aut associationibus, concreduntur.*
28. [*Parochorum munera*]. Praecipua autem ratione Episcopi cooperatores sunt parochi, quibus, tamquam pastoribus propriis, animarum cura committitur in determinata dioecesis parte sub illius auctoritate. In hac autem cura gerenda parochi, cum suis adiutoribus ita munus docendi, sanctificandi et regendi adimpleant, ut fideles atque communitates paroeciales, tum dioecesis tum totius Ecclesiae universalis membra revera se sentiant. Parochi praeterea meminerint omnes in territorio suae paroeciae degentes, sive christianos sive non, semper sibi commendatos esse in Domino.	30. (olim n. 28). [*Parochi*]. Praecipua autem ratione Episcopi cooperatores sunt parochi, quibus, tamquam pastoribus propriis, animarum cura committitur in determinata dioecesis parte sub illius auctoritate. 1) In hac autem cura gerenda parochi, cum suis adiutoribus ita munus docendi, sanctificandi et regendi adimpleant, ut fideles atque communitates paroeciales, tum dioecesis tum totius Ecclesiae universalis membra revera se sentiant. *Quapropter cum aliis parochis collaborent necnon praesertim cum sacerdotibus operibus supraparoecialibus addictis, ut cura*

Textus prior

In exsequendo munere magisterii, parochorum est: verbum Dei praedicare omnibus christifidelibus, ut hi in fide, spe et caritate radicati, in Christo crescant et communitas christiana illud testimonium caritatis reddat, quod Dominus commendavit; itemque catechetica instructione fideles ad plenam christianae doctrinae cognitionem ducere, unicuique aetati accommodatam.

In perficiendo opere sanctificationis, curent parochi ut celebratio Eucharistici Sacrificii centrum sit et culmen totius vitae communitatis christianae; itemque adlaborent ut fideles spirituali pabulo pascantur per piam et devotam Sacramentorum receptionem atque per consciam et actuosam in Liturgia participationem.

Textus emendatus [43]

pastoralis in dioecesi unitate non careat atque efficacior reddatur.

Praeterea cura animarum spiritu missionario semper informetur, ita ut ad omnes in paroecia degentes, debito modo, se extendat. Quodsi parochi quosdam personarum coetus per semetipsos attingere nequeant, alios, sacerdotes vel laicos, in proprium adiutorium vocent, qui sibi auxilium praestent in iis quae ad apostolatum spectant.

Ad eamdem vero animarum curam efficaciorem reddendam, vita communis sacerdotum, praesertim eidem paroeciae addictorum, enixe commendatur, quae, dum actionem apostolicam fovet, caritatis et unitatis exemplum fidelibus praebet.

2) In exsequendo munere magisterii, parochorum est: verbum Dei praedicare omnibus christifidelibus, ut hi in fide, spe et caritate radicati, in Christo crescant et communitas christiana illud testimonium caritatis reddat, quod Dominus commendavit; [16] itemque catechetica instructione fideles ad plenam *mysterii salutis* cognitionem ducere, unicuique aetati accommodatam. *Ad hanc autem instructionem tradendam non solum religiosorum auxilium quaerant, sed etiam laicorum coope-* [44] *rationem, erecta, si expediat, Confraternitate Doctrinae Christianae.*

In perficiendo opere sanctificationis, curent parochi ut celebratio Eucharistici Sacrificii centrum sit et culmen totius vitae communitatis christianae; itemque adlaborent ut fideles spirituali pabulo pascantur per piam et devotam Sacramentorum receptionem atque per consciam et actuosam in Liturgia participationem. *Meminerint etiam parochi quam maxime sacramentum Poenitentiae ad vitam christianam fovendam conferre; quare faciles se prae-*

[44]

Textus prior

In officio pastoris adimplendo, parochi cum omnium ovium sint ministri, vitae christianae incrementum foveant tum in singulis fidelibus, tum in familiis, tum in associationibus praesertim apostolatui addictis, tum in universa communitate paroeciali. Domos igitur et scholas visitent; pauperes et infirmos speciali caritate prosequantur; peculiarem curam de opificibus habeant atque solliciti semper sint ut fideles operibus apostolatus auxilium praestent.

Textus emendatus

beant ad fidelium confessiones audiendas, advocatis ad hoc, si opus fuerit, aliis etiam sacerdotibus, qui varias linguas calleant.

In officio pastoris adimplendo, *imprimis curent parochi proprium gregem cognoscere.* Cum autem omnium ovium sint ministri, vitae christianae incrementum foveant tum in singulis fidelibus, tum in familiis, tum in associationibus praesertim apostolatui addictis, tum in universa communitate paroeciali. Domos igitur et scholas visitent, *prout pastorale munus id exigat; adulescentibus et iuvenibus studiose prospiciant*; pauperes et infirmos paterna caritate prosequantur; peculiarem *denique* curam de opificibus habeant atque *adlaborent* ut fideles operibus apostolatus auxilium praestent.

3) *Vicarii paroeciales tamquam parochi cooperatores, praestantem et actuosam operam quotidie impendunt in ministerio pastorali sub parochi auctoritate exercendo. Quare inter parochum eiusque vicarios fraterna habeatur conversatio, mutua caritas et reverentia semper vigeat iidemque consiliis, auxilio et exemplo sese invicem adiuvent, paroeciali curae concordi voluntate communique studio providentes.*

Textus prior

29. [*Parochorum nominatio, amotio et renuntiatio*]. Cum muneris paroecialis tota ratio sit bonum animarum, quo facilius et aptius [45] Episcopus ad provisionem paroeciarum procedere valeat, supprimantur quaelibet iura praesentationis, nominationis vel reservationis, salvo iure Religiosorum.

Eadem suprema ratio prae oculis habenda est quoties de parochorum stabilitate in officio agatur, aut de eorum amotione aut translatione.

Textus emendatus

31. (olim n. 29). [*Parochorum nominatio, translatio, amotio et renuntiatio*]. *In iudicio efformando de sacerdotis idoneitate ad aliquam paroeciam regendam, Episcopus rationem habeat, non solum de illius doctrina, sed praesertim de pietate, zelo apostolico, ceterisque dotibus ac qualitatibus, quae ad curam animarum rite exercendam requiruntur.*

Praeterea cum muneris paroecialis tota ratio sit bonum animarum, quo facilius et aptius Episcopus ad provisionem paroeciarum procedere valeat, supprimantur, salvo iure Religiosorum, quaelibet iura praesentationis, nomina-

Textus prior

Parochi autem, qui ob ingravescentem aetatem, ab officio rite et fructuose adimplendo impediuntur, enixe rogantur ut sua ipsi sponte officii renuntiationem faciant. Episcopus renuntiantibus congruam sustentationem provideat.

30. [*Paroeciarum erectio et innovationes*]. Eadem denique salus animarum causa sit, qua determinentur aut recognoscantur paroeciarum erectiones aut suppressiones, aliaeve huiusmodi innovationes, quas quidem Episcopus, propria auctoritate peragere poterit.

4) *Religiosi.*

31. [*Religiosi et apostolatus opera*]. Omnibus Religiosis, quibus in iis quae sequuntur sodales accensentur ceterorum Institutorum consilia evangelica profitentes, iuxta propriam cuiusque vocationem, officium incumbit impense diligenterque adlaborandi ad aedificationem et incrementum totius mystici Corporis Christi et in bonum Ecclesiarum peculiarium.

Hos vero fines promovere tenentur imprimis oratione, expiationis operibus et propriae vitae exemplo, ad quorum ampliorem aesti-

Textus emendatus [45]

tionis vel reservationis, *necnon, ubi exsistat, lex concursus, sive generalis sive particularis.*

Parochi vero in sua quisque paroecia ea gaudeant stabilitate in officio, quam animarum bonum requirat. Quare, abrogata distinctione inter parochos amovibiles et inamovibiles, recognoscatur et simplicior reddatur modus procedendi in translatione et amotione parochorum, quo Episcopus, servata quidem naturali et canonica aequitate, aptius necessitatibus boni animarum providere possit.

Parochi autem, qui ob ingravescentem aetatem, ab officio rite et fructuose adimplendo impediuntur, enixe rogantur ut sua ipsi sponte officii renuntiationem faciant. Episcopus renuntiantibus congruam sustentationem provideat.

32. (olim n. 30). [*Paroeciarum erectio et innovationes*]. Eadem denique salus animarum causa sit, qua determinentur aut recognoscantur paroeciarum erectiones aut suppressiones, aliaeve huiusmodi innovationes, quas quidem Episcopus, propria auctoritate peragere poterit.

4) *Religiosi.*

33. (olim n. 31). [*Religiosi et apostolatus opera*]. Omnibus Religiosis, quibus in iis quae sequuntur sodales accensentur ceterorum Institutorum consilia evangelica profitentes, iuxta propriam cuiusque vocationem, officium incumbit impense diligenterque adlaborandi ad aedificationem et incrementum totius mystici Corporis [46] Christi et in bonum Ecclesiarum *particularium.*

Hos vero fines promovere tenentur imprimis oratione, expiationis operibus et propriae vitae exemplo, *in quorum aestimatione et stu-*

[46] *Textus prior*

mationem et generosius studium Sacrosancta haec Synodus eos magnopere hortatur. At, salva indole Religionum quae ex instituto vitam contemplativam profitentur, ad externa quoque apostolatus opera impensius accedant.

32. [*Religiosi cooperatores Episcopi in apostolatu*]. Religiosi sacerdotes, qui in presbyteratus officium consecrantur ut sint et ipsi providi cooperatores ordinis episcopalis, hodie adhuc maiori auxilio Episcopis esse valent, pro ingravescente animarum necessitate. Ideo vera quadam ratione ad clerum dioecesanum pertinere dicendi sunt, quatenus in cura animarum atque apostolatus operibus exercendis partem habent sub sacrorum Praesulum auctoritate.

Etiam alii sodales, sive viri sint sive mulieres, qui et ipsi peculiari ratione ad familiam dioecesanam pertinent, magnum auxilium sacrae Hierarchiae afferunt, atque in dies, auctis apostolatus necessitatibus, magis magisque afferre possunt ac debent.

33. [*Principia de apostolatu Religiosorum in dioecesibus*]. Ad hoc autem ut apostolatus opera in singulis dioecesibus concorditer semper exerceantur atque unitas dioecesanae disciplinae sarta tecta servetur, haec principia fundamentalia statuuntur:

1) Episcopos, utpote Apostolorum successores, Religiosi omnes filiali semper obsequio ac reverentia prosequantur. Praeterea quoties ad apostolatus opera vocantur ita munia sua exercere tenentur ut Episcopis auxiliatores adsint et subsint. Quin immo Religiosi magno
[47] honori sibi ducant Episcoporum postulationibus votisque prompte ac fideliter obsequi ut ampliores partes in salutis humanae ministe-

Textus emendatus

dio ut perseverent Sacrosancta haec Synodus eos magnopere hortatur. At, salva indole Religionum quae ex instituto vitam contemplativam profitentur, ad externa quoque apostolatus opera impensius accedant.

34. (olim n. 32). [*Religiosi cooperatores Episcopi in apostolatu*]. Religiosi sacerdotes, qui in presbyteratus officium consecrantur ut sint et ipsi providi cooperatores Ordinis episcopalis, hodie adhuc maiori auxilio Episcopis esse valent, pro ingravescente animarum necessitate. Ideo vera quadam ratione ad clerum *dioecesis* pertinere dicendi sunt, quatenus in cura animarum atque apostolatus operibus exercendis partem habent sub sacrorum Praesulum auctoritate.

Etiam alii sodales, sive viri sint sive mulieres, qui et ipsi peculiari ratione ad familiam dioecesanam pertinent, magnum auxilium sacrae Hierarchiae afferunt, atque in dies, auctis apostolatus necessitatibus, magis magisque afferre possunt ac debent.

35. (olim n. 33). [*Principia de apostolatu Religiosorum in dioecesibus*]. Ad hoc autem ut apostolatus opera in singulis dioecesibus concorditer semper exerceantur atque unitas dioecesanae disciplinae sarta tecta servetur, haec principia fundamentalia statuuntur:

1) Episcopos, utpote Apostolorum successores, Religiosi omnes filiali semper obsequio ac reverentia prosequantur. Praeterea quoties ad apostolatus opera *legitime* vocantur ita munia sua exercere tenentur ut Episcopis auxiliatores adsint et subsint.[17] Quin immo Religiosi Episcoporum postulationibus votisque prompte ac fideliter *obsecundent* ut ampliores partes in salutis humanae ministe-

Textus prior

rium suscipiant, salva Instituti indole et secundum constitutiones, quae, si necesse sit, ad hunc finem congrue accommodentur.

Praesertim, attenta urgenti animarum necessitate atque cleri penuria, Instituta religiosa, quae vitae mere contemplativae non addicuntur, ab Episcopis advocari possunt ut in variis ministeriis pastoralibus operam adiutricem impendant; quam operam ut praestent, in paroeciis quoque suscipiendis etiam ad tempus Superiores pro viribus faveant.

2) Religiosi autem, in externum apostolatum immissi, spiritu religionis propriae imbuti semper sint oportet, atque fideles permanere debent regulari observantiae et subiectioni erga proprios Superiores; quam obligationem ipsi Episcopi urgere ne omittant.

3) Exemptio, qua Religiosi ad Summum Pontificem vel ad aliam ecclesiasticam Auctoritatem advocantur et ab Episcoporum iurisdictione subducuntur, ordinem Institutorum internum potissimum respicit, quo melius in iisdem omnia sint inter se apta et connexa atque incremento et perfectioni religiosae conversationis consulatur; quin immo, ut de illis Summus Pontifex disponere possit pro inceptis in bonum Ecclesiae universae.

Haec autem exemptio non impedit quominus Religiosi in singulis dioecesibus Episcoporum iurisdictioni subsint, prout horum pastorale munus perfungendum et animarum rite ordinanda curatio requirunt.

4) Omnes Religiosi, exempti et non exempti, Ordinariis locorum subduntur in iis quae ad publicum exercitium cultus divini, ad curam animarum, ad sacram praedicationem populo tradendam, ad christifidelium, praeser-

Textus emendatus [47]

rium suscipiant, salva Instituti indole et secundum Constitutiones, quae, si necesse sit, ad hunc finem congrue accommodentur.

Praesertim, attenta urgenti animarum necessitate atque cleri penuria, Instituta religiosa, quae vitae mere contemplativae non addicuntur, ab Episcopis advocari possunt ut in variis ministeriis pastoralibus operam adiutricem impendant; quam operam ut praestent, in paroeciis quoque suscipiendis etiam ad tempus, Superiores pro viribus faveant.

2) Religiosi autem, in externum apostolatum immissi, spiritu religionis propriae imbuti sint, atque fideles permaneant regulari observantiae et subiectioni erga proprios Superiores; quam obligationem ipsi Episcopi urgere ne omittant.

3) Exemptio, qua Religiosi ad Summum Pontificem vel ad aliam ecclesiasticam Auctoritatem advocantur et ab Episcoporum iurisdictione subducuntur, ordinem Institutorum internum potissimum respicit, quo melius in iisdem omnia sint inter se apta et connexa atque incremento et perfectioni religiosae conversationis consulatur; [18] *necnon ut de illis disponere possit Summus Pontifex in bonum Ecclesiae universae,*[19] *alia vero competens Auctoritas in bonum Ecclesiarum propriae iurisdictionis.*

Haec autem exemptio non impedit quominus Religiosi in singulis dioecesibus Episcoporum iurisdictioni subsint *ad normam iuris,* prout horum pastorale munus perfungendum et animarum rite ordinanda curatio requirunt.[20]

4) Omnes Religiosi, exempti et non exempti, Ordinariis locorum subduntur in iis quae ad publicum exercitium cultus divini, ad curam animarum, ad sacram praedicationem populo tradendam, ad christifidelium, praeser-

[48]

Textus prior

tim puerorum, catecheticam institutionem et liturgicam efformationem, ad varia apostolatus opera necnon ad status clericalis decorem spectant. Pariter tenentur servare ea omnia quae Episcoporum Concilia aut Conferentiae ab omnibus servanda legitime edixerint.

5) Inter varia Instituta religiosa atque inter eadem et clerum dioecesanum, ordinata foveatur cooperatio. Arcta insuper habeatur omnium operum et actionum apostolicarum coordinatio, quae maxime pendet a supernaturali animorum et mentium habitu, in caritate radicato et fundato. Hanc autem coordinationem curare Apostolicae Sedi competit pro universa Ecclesia; sacris vero Pastoribus in sua cuiusque dioecesi; Patriarchalibus demum Synodis et Episcoporum Conferentiis in proprio territorio.

Episcopi vel Episcoporum Conferentiae et Superiores religiosi pro operibus apostolatus quae a Religiosis exercentur, ne procedant nisi praeviis consiliis mutuo inter se collatis.

6) Ad fovendas concorditer et fructuose mutuas relationes inter Episcopos et Religiosos, statis temporibus et quoties id opportunum videbitur, Episcopi et Superiores religiosi conveniant ad negotia tractanda, quae universim ad apostolatum in territorio pertinent.

Textus emendatus

tim puerorum, *religiosam et moralem educationem,* catecheticam institutionem et liturgicam efformationem, *ad generalem scholarum catholicarum ordinationem et* ad varia apostolatus opera necnon ad status clericalis decorem spectant. Pariter tenentur servare ea omnia quae Episcoporum Concilia aut Conferentiae ab omnibus servanda legitime edixerint.

5) Inter varia Instituta religiosa atque inter eadem et clerum dioecesanum, ordinata foveatur cooperatio. Arcta insuper habeatur omnium operum et actionum apostolicarum coordinatio, quae maxime pendet a supernaturali animorum et mentium habitu, in caritate radicato et fundato. Hanc autem coordinationem curare Apostolicae Sedi competit pro universa Ecclesia; sacris vero Pastoribus in sua cuiusque dioecesi; Patriarchalibus demum Synodis et Episcoporum Conferentiis in proprio territorio.

Episcopi vel Episcoporum Conferentiae et Superiores religiosi *vel Conferentiae Superiorum Maiorum,* pro operibus apostolatus quae a Religiosis exercentur, ne procedant nisi praeviis consiliis mutuo inter se collatis.

6) Ad fovendas concorditer et fructuose mutuas relationes inter Episcopos et Religiosos, statis temporibus et quoties id opportunum videbitur, Episcopi et Superiores religiosi conveniant ad negotia tractanda, quae universim ad apostolatum in territorio pertinent.

[49]

NOTAE

Caput II - *De Episcopis quoad Ecclesias particulares seu dioeceses*

[1] Cf. CONC. TRID., Sess. V, decr. *de reform.,* c. 2, MANSI 33, 30; Sess. XXIV, decr. *de reform.,* c. 4, MANSI 33, 159.

[2] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963, passim: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 257-304.

[3] Cf. PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam Suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 639. [49]

[4] Cf. PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam Suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 644-645.

[5] Hic prae oculis habeantur ea praesertim quae proposita fuerunt in praecedenti schemate Decreti « De cura animarum », p. 47, n. 9: *Evangelizationis programma generale organicum et missionarium*; et n. 11: *Directorium de evangelizatione.*

[6] Cf. CONC. VAT. II, Const. *de Sacra Liturgia,* 4 dec. 1963: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 97 sqq.; PAULUS VI, Motu proprio *Sacram Liturgiam,* 25 ian. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 139 sqq.

[7] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 251 sqq.

[8] Cf. *Act.* 1, 14 et 2, 46.

[9] Cf. *Lc.* 22, 26-27.

[10] Cf. *Io.* 15, 15.

[11] Nomine « migrantium » ii praesertim veniunt qui ob victum quaeritandi necessitatem variasque alias rationes vitae vel occupationis vel ob tristes suarum nationum condiciones vexationesque religionis causa obortas patrium locum, sive ad tempus sive in perpetuum, relinquunt.

Nomine « maritimorum » veniunt ii omnes qui nauticam vel piscatoriam artem exercentes sive gubernandi sive inserviendi causa in navibus vitam iugiter ducere coguntur ac proinde nonnisi raro et difficilius communi parochi cura frui valent, vel portibus addicuntur maritima itinera adparaturi.

Nomine « aëronavigantium » ii veniunt qui aërea itinera et commeatus aggrediuntur iique omnes, sive viri sive mulieres, qui in velivolis et in aërodromis operam praestant seu laborem.

Nomine « nomadum » ii veniunt qui varias orbis terrarum regiones continuo circumire solent, vel propter artem circensibus ludis exercendam vel propter insitam naturam et congenitam animi proclivitatem.

[12] Hic ii veniunt potissimum qui vulgo *touristes* vocantur, homines nempe qui, sive singuli sive turmatim, per annum, animi relaxationis vel rusticationis vel sanitatis curandae causa, suas domos ad tempus derelinquere solent, externas civitates aut montes aut marium lacuumque oras petituri.

[13] Cf. S. PIUS X, Motu proprio *Iampridem,* 19 mart. 1914: *A.A.S.,* 6 (1914), p. 174 sqq.; PIUS XII, Const. Ap. *Exsul Familia,* 1 aug. 1952: *A.A.S.,* 54 (1952), p. 652 sqq.; *Leges Operis Apostolatus Maris,* auctoritate Pii XII conditae, 21 nov. 1957: *A.A.S.* (1958), p. 375, n. 2.

[14] Cf. n. 27, p. 39.

[15] Cf. n. 27, p. 39.

[16] Cf. *Io.* 13, 35.

[17] Cf. PIUS XII, *Allocutio,* 8 dec. 1950: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 28: « Haud dubie ad iuris divini praescriptum sacerdos, sive saecularis sive religiosus est, ita
munia exercere debet sua, ut Episcopo auxiliator adsit et subsit ». Cf. etiam [50]
PAULUS VI, *Allocutio,* 23 maii 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 571: « Quod autem attinet ad sacri apostolatus exercitium in variis dioecesibus, religiosi sodales subsunt etiam Episcoporum iurisdictioni, quibus auxilium praebere tenentur, salva semper apostolatus natura ipsorum propria et vitae religiosae necessitatibus. Ex

[50] quo patet, quantopere conferat ad Ecclesiae bonum socia atque adiutrix religiosorum opera dioecesano clero praestita, cum vires unitae fortiores validioresque evadant ».

[18] Cf. LEO XIII, Const. Ap. *Romanos Pontifices,* 8 maii 1881: *Acta Leonis XIII,* vol. II (1882), p. 234.

[19] Cf. PAULUS VI, *Allocutio,* 23 maii 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 570-571: « Religiosi enim sodales semper et ubique Romani Pontificis potestati, utpote supremo suo Moderatori, in primis subiciuntur. Instituta religiosa igitur praesto sunt Romano Pontifici in iis operibus, quae ad bonum Ecclesiae universae pertinent ».

[20] Cf. PIUS XII, *Allocutio,* 8 dec. 1950: *l. c.* « Sed et Religiosorum Ordinum exemptio neque principiis constitutionis divinitus Ecclesiae datae obsistit neque ullo modo repugnat legi, qua sacerdos Episcopo parere debet. Etenim ad normam iuris canonici religiosi exempti Episcopi loci potestati subsunt, prout episcopale munus perfungendum et animorum rite ordinanda curatio requirunt ».

[51] RELATIO PRIOR DE CAPITE II, ART. I ET II

Venerabiles Patres,

Caput II, quod « De Episcopis quoad Ecclesias particulares seu dioeceses » inscribitur, duabus distinctis relationibus illustratur: altera quae de Episcopi dioecesani muneribus (I) ac de dioecesium circumscriptione (II), altera vero quae de Episcopi dioecesani in munere pastorali cooperatoribus (III) materiam exponat...[1]

I

Et primum quidem *de Episcopis dioecesanis* fit sermo, initium a notione dioecesis sumendo.

1) Definitionem realem dioecesis potius ex intrinsecis ipsius elementis quam ex territoriali structura conati sumus statuere, unde haec quae sequuntur commoda obtineri posse censemus: *a*) « theologia » quaedam Ecclesiae particularis, iuxta plurium Patrum postulata, veluti in nuce praebetur; *b*) clarius episcopalium munerum finis elucescit; *c*) notio dioecesis etiam ad « personales » quas vocant dioeceses aequo iure extenditur; *d*) criteria denique quodammodo praenuntiantur, quibus magis rationi consentanea ipsa externa dioecesis compago confici possit.

2) Deinde gressus fit ad munera Episcopi dioecesani. Breviter eiusdem potestatis commemorata natura, de qua fusius iam actum est in Schemate de Ecclesia, proponitur principium generale de ratione *pastorali* iuxta quam illa potestas est exercenda, necnon de personarum ambitu in qua-

rum servitium est adhibenda (n. 11). Hoc in numero, et in subsequenti- [51]
bus uti videre est in textu emendato, nonnulla addita sunt quae, licet ab uno interdum alterove Patre petita fuerint, Commissioni tamen nostrae visa sunt digna quae acciperentur, utpote quae nonnihil conferrent ad fusiorem et clariorem de hodierno Episcoporum pastorali officio sermonem instituendum.

Subeunt in concreto tria munera, docendi sanctificandi ac regendi ...[2] inter ea, uti patet, ontologica comparatione instituta, sed tantum eodem ordine servato quo in schemate de Ecclesia exponuntur.

3) Numeri 12-13-14 *docendi muneri* reservantur. Indicatur in primis obiectum, idest totum Christi mysterium, docendum necnon supernaturalis finis ad quem episcopale magisterium corda audientium dirigere, sub
cuiusque luce etiam terrestria problemata exponere debet, ea praesertim [52]
quae nostrorum temporum homines maxime urgent et angunt (n. 12). Insuper statuitur qua ratione ac via, praesertim dialogo, doctrina catholica sit proponenda et defendenda, ut exigentiis hodiernis apprime consona appareat; quibus proinde instrumentis sit utendum ut id fructuosius fiat (n. 13), inter quae Commissio nostra implicite inclusa ac commendata esse intendit non solum Confraternitatem Doctrinae Christianae aut quamlibet aliam institutionem ad doctrinam christianam tradendam idoneam, sed etiam aedificia seu loca ad id necessaria vel utilia.

Particularis mentio ob rei momentum in Schemate reservatur catecheticae institutioni, ad quam perficiendam proponitur, ubi casus ferat, restitutio aut melior aptatio catechumenatus (n. 14).

4) In subsequenti n. 15 spectatur *munus sanctificandi,* per quod in theologico dioecesis centro ac veluti corde Episcopi pontificis figura collocatur. Ipse enim, de plenitudine Sacerdotii Christi aliis communicans, est origo presbyterii dioecesani, necnon ceterorum sacrorum ministeriorum in dioecesi exsistentium; ipse dux sacrae Liturgiae ac promotor vitae sacramentalis suae particularis Ecclesiae, in mysterio paschali centrum ac culmen habentis; ipse sanctitatis diversorum sui gregis coetuum altor, et vocationum sive sacerdotalium sive religiosarum, tam pro sua dioecesi quam pro universa Ecclesia fautor.

5) Tertio venit loco *munus regendi* (n. 16), in cuius exercitio imaginem patris ac pastoris Episcopus plene referat oportet: in omnes quidem fideles, per curam variis eorum condicionibus aptatam, sed praecipue in suos sacerdotes, quos sancte efformare, spiritualiter fovere, materialiter quoque iuvare, paterne semper succurrere, in eorum pastorali cooperatione utendo libenter audire debet. At eius officium amoris sese extendat oportet etiam ad fratres christianos seiunctos, sanum cum eis oecu-

[52] menismum fovendo, et ad non christianos, si quos in dioecesis versantes habeat, eis evangelium Christi annuntiando.

Quaedam apostolatus formae et actio catholica, quippe quae nostris hisce temporibus peculiari ratione fovendae comprobentur, expresse in n. 17 commemorantur; apta tamen in varietate suadetur coordinatio atque intima coniunctio omnium operum apostolicorum sub ductu Episcopi, prout exigit unitas organica Ecclesiae particularis, quae est dioecesis.

Quorundam denique fidelium coetuum fit explicita mentio — ut puta migrantium, maritimorum, aëronavigantium, nomadum, eorumque qui vulgato nomine « turisti » audiunt — quorum pastoralis cura, ob peculiaria adiuncta, peculiari uniuscuiusque Episcopi in primis, deinde Conferentiarum Episcopalium sollicitudini commendatur (n. 18).

6) Episcopi dioecesani officio enucleato, ex eius gravitate et fundamentali momento pro vita Ecclesiae duo maximi ponderis consectaria
[53] inferuntur: quorum primum est independentia Episcoporum a quacumque civili potestate in suo munere exercendo, atque adeo libertas Ecclesiae in Episcopis eligendis ac instituendis; alterum vero Episcoporum ab officio renuntiatio, qui in particularibus versantur adiunctis.

In n. 19 statuitur principium generale de plena ac perfecta Episcoporum libertate atque independentia a quacumque civili potestate, intra ambitum taxativum, uti patet, exercitii sui apostolici muneris. Logicum consectarium huius principii est illiceitas cuiusvis directi vel indirecti impedimenti pastoralis muneris, et in specie liberae communicationis Episcoporum cum Apostolica Sede aliisque ecclesiasticis Auctoritatibus (Patriarcha, Metropolita aut coepiscopis) et cum suis subditis.

In n. 20 declaratur ius nominandi et instituendi Episcopos, ratione habita sive originis sive finis supernaturalis ipsius officii episcopalis, esse proprium, peculiare ac per se exclusivum competentis Auctoritatis ecclesiasticae (scil. Apostolicae Sedis aut Patriarchae iuxta diversitatem Rituum). Vigilanti locutione illa « *per se* » usi sumus, ut facta praeteritae historiae explicarentur et ratio haberetur concessionum alicubi vigentium in favorem Capitulorum Cathedralium aut civilium potestatum. Attamen Concilium votum promit ut civilibus potestatibus iura aut privilegia non amplius concedantur; civiles vero Auctoritates, quae in praesenti praedictis iuribus aut privilegiis legitime fruantur, humanissimis verbis rogat ut iisdem sua sponte ac voluntate renuntient, firmo tamen manente, prouti clare subintelligitur, privilegio « *praenotificationis officiosae* » quod dicitur.

7) Solvitur tandem quaestio de Episcoporum renuntiatione (n. 21). Haec materia, ut probe meministis, ferventi discussioni oretenus et per scripta subiecta est, cuius nova textus redactio debitam habet rationem.

Renuntiatio explicite praesentatur tamquam logicum consectarium momenti ac gravitatis episcopalis officii: quae profecto connexio nonnihil minuit amaritudinem illam quam res ipsa, suapte natura, secumfert. Insuper Commissio nostra, nonobstantibus quorundam Patrum optatis, renuntiationem censuit esse tantum enixe commendandam, non autem taxative imponendam, ut morem *gerat* [3] ipsorum Episcoporum eorumve consiliariorum conscientiae officio. Simul tamen — quod in priore Schemate non habebatur — renuntiationem non solum sponte Episcoporum propria fieri posse voluit, sed etiam competenti Auctoritate (scil. Apostolica Sede vel Patriarcha pro diversitate Rituum) invitante: sic expeditior ac suavior sternitur via qua eadem Auctoritas agere ipsa queat, quando ultroneam in vanum expectaverit Episcopi renuntiationem. [53]

Contra duorum Patrum votum, e notulis expuncta est indicatio 75 annorum tamquam termini *post quem,* ut amplior fiat renuntiationi locus sive ante sive post illum terminum. Commissioni enim nostrae sufficere visum est, pro renuntiatione facienda, ut aptitudo pro munere implendo [54] minor evaserit sive ob ingravescentem aetatem sive ob aliam gravem causam: in qua gravi causa profecto includitur, quacumque demum aetate superveniat, etiam permanens valetudinis defectus de quo expresse in priore schemate sermo erat.

Manet, ut pronum est, dispositio de congruenti renuntiantium sustentatione ac de peculiaribus iuribus ipsis recognoscendis; non amplius tamen legitur in textu explicita mentio privilegiorum et iuris sepulchri. Haec enim duo modernorum auribus haud bene sonant, ceterum satis includuntur in iuribus peculiaribus recognoscendis: recognoscendis, profecto, a competenti Auctoritate vel per novum Codicem vel per statutum aliquod generale postconciliare.

II

Articulus II agit de structura externa, idest de circumscriptione, dioecesis in qua Episcopus ad munera sua explenda mittitur.

Quae circumscriptio, cum ad ius mere ecclesiasticum pertineat, conformanda atque adeo, quandocumque id casus ferat, reformanda est prae oculis habitis elementis internis, naturam Ecclesiae particularis constituentibus. Et sic clare apparet connexio materiae huius articuli cum praecedentis articuli materia.

1) Tota materia de dioecesium circumscriptione, post disceptationem in Aula habitam et attentis Patrum votis scripto datis, retractata est ac ordine magis logico digesta, firmis tamen manentibus, ni fallimur, et

[54] substantia et spiritu prioris schematis. Sic factum est ut variae rationes quae in prooemio prioris schematis pro recognoscendis dioecesium finibus adducebantur, nunc inveniuntur distributae inter tria criteria n. 23. Suggestiones Patrum nimis particulares (v. gr. de modo concreto conficiendi uniones aut divisiones dioecesium, etc.), licet perpulchrae, ad novum Codicem vel ad organa postconciliaria remissae sunt: non enim congruere visum est ut Concilium ad minutiora et ad necessario diversa pro diversis locis descenderet.

Vota Patrum quae ad clarius principia et criteria generalia statuenda conferebant, libenter et explicite acceptata sunt; ea vero, quibus saltem implicite textus satisfacere videbatur, non sunt recepta (v. gr. quae de unitate Capituli, vel Seminarii, vel Curiae in casu unionis dioecesium suggesta sunt, nunc implicite continentur in n. 21 novi textus, ubi de structura unitaria et vere organica uniuscuiusque dioecesis fit sermo).

2) In n. 22 elementa intrinseca dioecesis clare indicantur: populus Dei cui est ministrandum; persona Episcopi, qui est summus in dioecesi ministrator; ministerium salutis, quod est exercendum. Exinde deducitur quaenam esse debeat apta circumscriptio ut dioecesis suo fini plane
[55] consentiat; et datur a Sacrosancta Synodo praeceptum ut, quatenus animarum bonum id exigat, prudenter sed quamprimum deveniatur ad congruam circumscriptionum recognitionem, illis mediis utendo quae iam in iure condito praevidentur (scil. unio, divisio, dismembratio, etc.). Problema autem novum de dioecesibus quae constant ex maioribus urbibus, Commissioni nostrae, secus ac unus postulavit Pater, visum est solvendum generica tantum ratione (scil. per verba « *eas nova interna ordinatione disponendo* »), quae variis concretis solutionibus ianuam aperiret, quin unicam imponeret non ubique forsan possibilem aut utilem.

3) In n. 23, posito principio quod in quacumque dioecesium recognitione unaquaeque dioecesis debeat, pro posse, etiam extrinsece, structuram gerere unius corporis organici apte viventis, statuuntur tria criteria generalia pro circumscriptionibus dioecesanis definiendis.

a) Primum criterium desumitur ex elemento *populi Dei,* cui est ministrandum. Populus dioecesanus illam in unitate varietatem, pro posse, prae se ferat quae propria est Ecclesiae universalis, quaeque sua « complementarietate », quam vocant, multum iuvare potest pastoralis curae exercitium, quippe cum diversas sive clericorum sive laicorum aptitudines magis congrue ad actum deducere permittat, clariusque manifestet in Ecclesia particulari imaginem et sensum catholicum et missionarium Ecclesiae universalis. Vitandum profecto erit ut, nisi bonum animarum aliud exigat, in recognoscendis dioecesium circumscriptionibus civiles circumscriptiones aut civilia servitia quae unitatem organicam conferunt

alicui conglobationi demographicae (vulgo « agglomerato popolare ») intercidantur. [55]

b) Secundum criterium desumitur ex ipsa *persona Episcopi.* Ipsius enim ordinariis viribus, ratione quidem habita in peculiaribus casibus auxiliorum a superiore Auctoritate concedendorum, dioecesis circumscriptio erit accommodanda ne, ex una parte, mole laboris obrutus ipse impediatur quominus apte munere suo fungi valeat; neve, ex altera parte, ob nimiam parvitatem agri apostolici sibi commissi, suas vires suique presbyterii aptitudines, etiam postquam prae oculis et in corde habuerit Ecclesiae universalis necessitates, nimis coangustatas persentiat. Adnotare iuvat in prima parte huius commatis addita esse verba « *pontificalia exercere* », eo quod onus istud aggravet humeros Episcopi non minus quam visitationes pastorales; secundam vero partem ex novo esse confectam, ne videremur rationem habuisse tantummodo divisionis magnarum dioecesium, non autem nimis parvarum unionis.

c) Tertium denique criterium ex *ministerio salutis,* populo Dei impertiendo, desumitur. Hic, ni fallimur, aliquid vere novi ac summi momenti pro vita Ecclesiae deprehenditur. Statuitur enim criterium generale dioeceses non posse suum finem supernaturalem rite consequi nisi habeant non solum congruentem circumscriptionem territorialem, sed etiam, immo potissimum; *aa*) clericos numero et idoneitate sufficientes; [56]
bb) officia, instituta et opera pro apto regimine et apostolatu necessaria, quod comma nunc ex novo in textu additur, petentibus aliquibus Patribus; *cc*) opes necessarias pro exigentiis personarum et apostolatus.

His paucis lineis, dum satis fit postulatis plurium Patrum praesertim ex America Latina, Africa et Asia, ostiolum quoddam aperitur urgenti solvendo problemati quod totam angit Ecclesiam: problema, inquimus, melioris distributionis Cleri et mediorum materialium. Profecto hoc ponderosum problema secumfert, inter alia, profundam recognitionem systematis hodie vigentis pro delectu, incardinatione atque inamovibilitate clericorum, necnon et systematis beneficiarii. Schema nostrum ad particularia non descendit; tamen problema ponit sub oculos Sacrae Hierarchiae, illud fundando in natura intima ipsius Ecclesiae particularis.

4) Connexa cum tertio criterio, respiciente ministerium salutis congrue populo Dei impertiendum, venit quaestio de sic dictis dioecesibus « personalibus » ratione Ritus. Multum in Aula disputatum est de hac re; ipsos Orientales Patres haud inter se concordes deprehendimus, aliis alia prorsus opposita postulantibus, unde unica solutio pro omnibus casibus valida impossibilis apparuit. Schema nostrum omnes solutiones a Patribus suggestas simul in unum colligit et ordine quodam, a minore ad maiorem progrediente, disponit, ita ut nulla solutio adhiberi

[56] queat nisi praecedentes impossibiles aut infructuosae sint probatae. Sic pro posse servatur principium unicitatis iurisdictionis in eodem territorio, at simul congrue providetur fidelium necessitatibus ac Rituum integritati statuendo ut, in casibus vere particularibus, etiam Hierarchia propria pro diversis Ritibus constitui valeat. Hisce autem in casibus iudicium definitivum reservatur Apostolicae Sedi, eo quod practice agatur de quaestione componenda inter diversos Ritus; firma tamen manet propria Patriarcharum auctoritas constituendi novas Eparchias, quae ipsis in schemate de Ecclesiis Orientalibus recognoscitur.

Solutio denique data est etiam problemati de fidelium cura eiusdem quidem Ritus at *diversi sermonis,* intra territorium dioecesanum exsistentium: de qua re prius schema omnino silebat.

5) In n. 24 committitur Conferentiis Episcopalibus facultas (non autem officium, prouti in textu priore dicebatur) studendi hisce negotiis et sua vota ac consilia Apostolicae Sedi proponendi: satis tamen innuitur desiderium ut Conferentiae hac facultate utantur, iuxta necessitates quidem sui territorii.

Peculiaris Commissio ad haec negotia — quae neque necessaria, ut probe nostis, neque permanens imponitur — in novo textu dicitur simpliciter « Episco*palis* », non autem « Episco*porum* », ne videantur ab
[57] ea a priori exclusi viri vere periti qui non sint charactere episcopali ornati. Denique statuitur semper esse audiendos in his negotiis non solum singulos Episcopos, quorum directe interest, sed Episcopos quoque totius provinciae vel regionis ecclesiasticae intra cuius fines dioecesium recognitio fit.

Venerabiles Patres, si textum, quem Vobis proponimus, vestro suffragio ornaveritis, nostrum non mediocrem laborem haud spernendo praemio coronaveritis. Gratias!

† Aloisius Maria Carli
Ep. Signinus

In oratione: [1] Brevitatis causa quaedam omittuntur in lectura. [2] Nulla, intercedit hoc vocabulum, nulla. [3] gereret.

[58] RELATIO DE SINGULIS NUMERIS CAP. II, ART. I ET II

De titulo Capitis

Ab uno Patre, nomine etiam aliorum 33 loquente, itemque ab uno Patre, nomine aliorum 22 dicente, propositum est ut usus vitaretur verbi « dioecesis », quippe quod sit originis imperialis et indolis administrativae, et ut diceretur « Ecclesia particularis ». Iuxta decisionem

Commissionis, dioecesis generatim diceretur « Ecclesia particularis », sed [58]
in titulo addi debet « seu dioecesis », ut significetur quaestionem esse de illis particularibus Ecclesiis, quae hodie dioeceses vocantur.

Ad n. 11

P. 10, lin. 2: Dioecesis dicitur « portio Populi Dei », sicut habetur in schemate de Ecclesia (p. 65, lin. 18).

P. 10, linn. 2-3: Pro locutione « cum adiutorio » adhibetur locutio « cum cooperatione »; presbyteri enim in ritu ordinationis ab Episcopo dicuntur « cooperatores Ordinis nostri ». Qua etiam de causa admissa non est duorum Patrum votum ut diceretur « cum adiutorio sui presbyterii, diaconorum aliorumque ministrorum et multorum laicorum ».

P. 10, linn. 3-5: Novus textus proponitur, quo dioecesis notio magis theologica datur, prout plures exoptaverunt Patres. Attamen, addita non sunt verba « donec Dominus veniat » in fine propositionis (quemadmodum viginti tres Patres postulaverunt), quia quaelibet dioecesis determinata, decursu temporis, mutari immo et extingui potest.

Dicitur dioecesis portio Populi Dei « ... in Spiritu Sancto congregata », sicut de tota Ecclesia universa dicitur. Per hanc additionem in descriptione dioecesis singulae Personae SS. Trinitatis nominantur.

Denique, per dioecesim dicitur « Ecclesiam particularem », non vero « peculiarem » constitui: quod plures Patres petierunt et congruit cum schemate de Ecclesia, ubi dioeceses numquam Ecclesiae « peculiares » vocantur.

Quidam Patres proposuerunt ut dioecesis aliam vel aliam haberet denominationem. Commissio autem id non esse admittendum censuit; si enim diceretur « ecclesia episcopalis », videretur dioecesis praeberi tamquam quaedam possessio Episcopi; si vero « Ecclesia localis » nuncuparetur, excluderentur dioeceses personales; si autem diceretur « portio Ecclesiae universalis », divisiones seu partes in Ecclesia Christi esse viderentur.

P. 10, linn. 3 et sqq.: Episcopi duarum nationum optarent ut dioecesis [59]
describeretur « pars populi Dei in qua Una Sancta Catholica et Apostolica Ecclesia integre et plene significatur et praesens efficitur per missionem apostolicam Episcopi cum adiutorio sui presbyterii, in communione cum Collegio Episcopali eiusque Capite ». Quibus respondetur: textus propositus primae parti petitionis satisfacit, missio autem Episcopi satis innuitur in verbis « pascenda concreditur », communio vero collegialis in affirmata praesentia et operatione Ecclesiae Catholicae atque Apostolicae.

[59] P. 10, linn. 6 et sqq.: ab uno Patre rogatum est ut in describendo Episcoporum munere allegarentur textus S. Scripturae, in specie textus S. Pauli « Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus... » (*Hebr.* 5, 1). Cum vero hic textus munus sanctificandi Episcoporum respiciat, ad eum alludi posse aestimavit Commissio in n. 15, sed ad verbum non esse citandum, quia formaliter non agit de Episcopis.

P. 10, lin. 6: iuxta votum multorum Patrum, adhibenda esset expressio « Ecclesia particularis » loco « dioecesis », et ideo alia formula admissa est, nempe: *Singuli Episcopi, quibus Ecclesiae particularis cura speciali commissa est,* etc.

P. 10, linn. 6 et sqq.: de sententia unius Patris, in describendo munere Episcoporum, inde ab initio sermo non esset faciendus de triplici eorum munere, sed potius de missione Episcoporum, quae ipsis committitur a Christo per verba « sicut misit me Pater, et ego mitto vos ». Iuxta decisionem Commissionis, textus remaneat uti est, quia de hac missione in Prooemio sermo fit, et quia indicatio trium munerum congruit schemati Constitutionis « De Ecclesia ».

P. 10, linn. 11-12: secundum consilium unius Patris, non adhibentur verba « Christo lucrifacere », quae minus sunt oecumenica.

P. 10, linn. 10-15: ad petitionem plurium Patrum, affirmatur Episcopos *tanquam Christi testes* munus suum adimplere debere, atque alia formula significatur hoc munus etiam complecti curam eorum *qui a via veritatis quoquo modo deflexerunt aut Christi Evangelium et misericordiam salutiferam plane ignorant,* donec « in omni bonitate et iustitia et veritate » tandem omnes ambulent.

Ad n. 12

P. 10, lin. 16: ab uno Patre, nomine etiam aliorum 22 loquente, votum expressum est ut loco verbi « docere », diceretur « annuntiare », quod melius exprimit sensum verbi graeci. Cui voto satisfit adhibendo lin. 18 verbum *annuntient,* loco verbi « proponant »; verba autem « In exercendo suo munere docendi » servata sunt, et etiam in schemate Constitutionis « De Ecclesia » adhibentur.

Pag. 10, lin. 17: animadvertit unus Pater munus docendi, licet a Con-
[60] cilio Tridentino dicatur Episcoporum munus praecipuum, ordinari ad munus Deum colendi et fideles sanctificandi. Aestimavit Commissio hanc ordinationem muneris docendi in ipso textu manifeste exprimi.

P. 10, linn. 16-17: proposuit unus Pater ut affirmaretur, praecipuum munus Episcoporum esse munus ad Patrem pro plebe orandi. Iuxta decisionem Commissionis, triplex Episcoporum munus, scilicet docendi,

sanctificandi et regendi, inde ab initio affirmari debet, sicut etiam in [60] schemate Constitutionis « De Ecclesia » fit, sed postea, in n. 15, de officio orandi quaestio erit.

P. 10, linn. 18-21: variae a non paucis Patribus propositae sunt formulae ad indicandum finem quem in munere docendi persequi deberent Episcopi atque ad indicanda media quibus uti deberent Episcopi ad hunc finem assequendum. Commissio censuit eorum voto satisfieri textu emendato: In exercendo suo munere docendi, Christi Evangelium hominibus *annuntient, quod praecipuum est eorum officium; integrum Christi mysterium ipsis proponant, illas nempe veritates quarum ignorantia, Christi ignorantia est, itemque viam quae divinitus revelata est ad glorificationem Dei atque eo ipso ad beatitudinem aeternam consequendam.*

P. 10, linn. 22-24: variae propositae sunt formulae quibus necessitas doctrinae res terrestres quod spectat exprimenda esset. Aestimavit Commissio multorum votis satisfieri textu emendato, qui est sequens: Ostendant insuper res terrestres et *humana instituta,* secundum *Dei creatoris consilium, ad hominum salutem quoque ordinari et ideo ad aedificationem Corporis Christi non parum* conferre *posse.*

P. 10, lin. 25: censuit Commissio servandum esse verbum « socialem », cuius suppressio ab uno Patre petita est; omnia enim argumenta quae indicantur ad doctrinam Ecclesiae socialem pertinent.

P. 10, linn. 26-27 et p. 11, linn. 1-6: iuxta unum Patrem accurate determinandum esset ad Episcopos tantum pertinere de quaestionibus ibi indicatis principia exponere. Iuxta Commissionem, hoc manifeste apparet per verba « iuxta doctrinam socialem Ecclesiae ».

P. 11, lin. 1: satisfit voto unius Patris, qui rogavit ut affirmaretur etiam momentum instituti familiae christianae firmae, cum post verba « familia » addantur: *eiusque unitas et stabilitas.*

P. 11, lin. 5: aliae etiam quaestiones tractandae propositae sunt, videlicet officium doctrinam etiam defendendi, necessitas dialogi, officium scholas tuendi et fovendi, momentum Confraternitatis doctrinae christianae. Quae quaestiones attendentur, non autem in hoc n. 12, sed in subsequentibus numeris.

Ad n. 13

P. 11, lin. 7: secundum consilium unius Patris, incipit numerus cum verbis: « Doctrinam christianam *proponant* ».

P. 11, lin. 10, post verba « premuntur et anguntur » addenda censuit [61] Commissio haec verba, quibus voto plurium Patrum satisfit: *doctrinam quoque tueantur, ad eam defendendam ipsos fideles docentes.*

[61] P. 11, lin. 11: cum unus Pater animadverterit propositionem doctrinae accommodandam esse etiam necessitatibus infidelium, notavit Commissio illud indicari verbis generalibus « temporum necessitatibus » atque « difficultatibus... quibus homines premuntur et anguntur ».

P. 11, lin. 13: secundum votum ab uno Patre expressum, Commissio censuit post alineam 1 huius numeri, addendam esse alineam in qua affirmatur officium Episcoporum ut colloquia cum humana societate instaurent ac promoveant; quare novus textus additur in hoc numero.

P. 11, lin. 19: a pluribus Patribus cum petitum est ut etiam de momento quaestio esset declarationum publicarum, quae occasione aliquorum eventuum fieri possunt, Commissio aestimavit post verbum « diffusionem », addenda esse: *declarationibus publicis occasione quorumdam eventuum factis.*

Ad n. 14

P. 11, lin. 26: a pluribus Patribus rogatum est ut affirmaretur catecheticam institutionem etiam aptandam esse condicionibus vitae auditorum. Commissio haec addenda censuit, ita ut textus sit: ... facultatibus et aetati *necnon vitae condicionibus auditorum.* Praeterea, ne longior sit propositio, inde a lin. 24 aliquatenus quoad formam mutatur textus.

P. 11, lin. 30: iuxta votum plurium Patrum, adduntur verba: *Satagant etiam ut institutio catechumenorum adultorum restituatur aut melius adaptetur.*

Ad n. 15

P. 11, linn. 31-32, et p. 12, linn. 1-4: ad petitionem non paucorum Patrum, Commissio aestimavit textum in pluribus mutandum esse, ut ad textum S. Pauli alludatur, de quo supra (ad n. 11, p. 10, lin. 6), ut ordo dicendorum mutetur et imprimis de Pontifice, Sacrificium Eucharisticum celebrante, sermo fit, atque tandem ut quae dicuntur de Episcopis, de sacerdotibus et de diaconis, magis sint conformia doctrinae in schemate Constitutionis « De Ecclesia » traditae. Textus emendatus harum omnium animadversionum rationem habet. Alia autem, quae ab uno Patre inserenda proposita sunt, quae extense de Sacra Liturgia sermonem faciunt, non inserenda censuit Commissio, cum iam dicta sint in Constitutione « De Sacra Liturgia ».

P. 12, linn. 5-6: iuxta consilium unius Patris, aliquatenus mutata sunt verba, ita ut textus sit: paschale mysterium intimius *cognoscant et vivant* per Eucharistiam, *ita ut* unum...

P. 12, lin. 7: secundum votum unius Patris, etiam de Episcoporum officio orandi sermo fit, et additur textus: *orationi et ministerio verbi*

instantes, laborem impendant ut omnes quorum cura sibi est commissa [62]
unanimi sint in oratione atque sacramentorum receptione in gratia crescant ac fideles Domino sint testes. Hoc textu etiam voto satisfit alius Patris, qui haec ultima verba proposuit inserenda.

P. 12, lin. 12: de sententia unius Patris, nomine aliorum 33 loquente, supprimendum esset verbum « universalis » ut vitaretur interpretatio Ecclesiam universalem aliud esse quam Ecclesia particularis. Commissio censuit haec verba esse admittenda: ut in iisdem *universae Ecclesiae Christi* sensus plene effulgeat.

P. 12, lin. 14: a nonnullis Patribus petitum est ut vox « missionarias » supprimeretur aliaque propositio admitteretur, quia omnes vocationes sacerdotales indolem habent missionariam. Commissio tamen aestimavit servanda esse verba schematis.

Ad n. 16

P. 12, linn. 15 sqq.: ab uno Patre rogatum est ut etiam sermo fieret de auctoritate Episcopi, quae hodie in multis regionibus est imminuta; ab alio Patre petitum est ut etiam sermo fieret de vitae Episcoporum ratione circumstantiis novis aptanda. Commissio ideo admisit addenda esse post verbum « praestent », lin. 19 ea quae sequuntur: *quorumque auctoritati divinitus quidem collatae omnes grato animo sese subiiciunt.* Praeterea novam alineam addendam censuit, qua alterius Patris voto satisfit: *Quae ut efficaciter facere valeant Episcopi, « ad omne opus bonum parati »* (*2 Tim.* 2, 21) *et « omnia sustinentes propter electos »* (*2 Tim.* 2, 10) *vitam suam ita ordinent oportet, ut necessitatibus temporum accommodata sit.*

P. 12, lin. 15: ab uno Patre petitum est ut in titulo supprimerentur verba « seu pascendi ». Haec tamen servanda esse censuit Commissio, quia indicant regimen modo pastorali esse exercendum.

P. 12, lin. 17: ab uno Patre propositum est ut post verba « qui cognoscunt suas oves » adderentur verba « non solum per contactus individuales..., sed etiam recurrendo ad media specifica investigationis sociologicae ». Haec affirmanda esse censuit Commissio in alinea 2, scilicet linn. 20-21.

P. 12, linn. 20-21: ab uno Patre petitum est ut necessitas cognitionis sociologicae affirmaretur; ab alio Patre rogatum est ut assereretur officium communicationis inter Episcopum et fideles ac sacerdotes; ab alio tandem etiam propositum est ut expressa fieret mentio de obligatione quaerendi peccatores. His omnibus inspectis, novum textum, de obliga-

[62] tionibus Episcoporum erga fideles, admisit Commissio, in quo haec omnia officia affirmantur.

P. 12, lin. 21: ab uno Patre, nomine etiam aliorum 22 loquente, propositum est ut affirmaretur officium Episcopi invigilandi ut fideles
[63] regale sacerdotium exerceant. Commissio aestimavit de eo non esse sermonem faciendum in hoc schemate.

P. 12, lin. 22: a non paucis Patribus propositum est ut affirmaretur obligatio Episcopi habendi confidentes contactus cum sacerdotibus, ut assereretur officium coordinandi laborem pastoralem, etc. His votis satisfaciens, Commissio novum textum admisit: *Sacerdotes omnes, quippe qui munera et sollicitudinem eorum pro parte suscipiant et cura cotidiana tam studiose exerceant,* paterna semper caritate amplectantur, *eosdem ut filios et amicos habentes, ideoque ad eos audiendos parati, atque confidenti cum eis consuetudine, integrum opus pastorale totius dioeceseos promovere studeant.* Solliciti *sint eorum condicionum* spiritualium etc. Ita etiam alius Patris voto satisfit, qui rogavit ut sacerdotum cotidianum opus laudaretur.

P. 12, linn. 31-32: a duobus Patribus petitus est ut efficaciora dicerentur de sacerdotibus lapsis, ita ut misericordia Ecclesiae erga eos sit operosa. Commissio censuit de mediis ad hanc misericordiam manifestandam difficilius sermonem esse posse in Constitutione conciliari.

Ad n. 17

P. 12, lin. 33: a pluribus Patribus propositum est ut de coordinatione apostolatus, de qua in p. 13, linn. 8-11 sermo est, in initio huius numeri tractaretur, utque etiam de coordinato pastorali opere quaestio esset. Eorum voto obsecundans, Commissio novum textum addidit in initio huius numeri.

P, 12, lin. 34: propositum est ab uno Patre ut de Actione catholica speciatim non fieret mentio. Commissio autem censuit de actione catholica sermonem faciendum esse, cum a Summis Pontificibus tantopere laudata sit.

P. 13, lin. 8: iuxta votum a duobus Patribus expressum, affirmandum aestimavit Commissio momentum investigationis socialis per officia sociologiae pastoralis. Quare adduntur verba: *Ad quod efficacius et fructuose assequendum, magnopere conferunt investigationes sociales et religiosae, per officia sociologiae religiosae, quae enixe commendantur.*

P. 13, lin. 10: a quibusdam Patribus petitum est ut loco verborum « ita ut unitas dioecesis clarius eluceat », ponerentur verba « ita ut

Ecclesia Christi tanquam lumen gentium clarius manifestetur ». Commissio decrevit servanda esse schematis textum, quia de operibus apostolatus in dioecesi quaestio est. [63]

Ad n. 18

P. 13, linn. 11-16: iuxta unum Patrem, necesse esset ut admonerentur fideles de oecumenismo fovendo; iuxta nonnullos Patres, peculiaris sollicitudo affirmari deberet eorum qui propter statum in quo vivunt a Sacramentorum receptione privantur. Commissio autem aestimavit sufficienter de his in textu emendato n. 16 provisum esse. [64]

P. 13, lin. 18: iuxta consilium alicuius Patris, tollitur verbum « animi » et dicitur « qui relaxationis causa ».

P. 13, lin. 18: de sententia trium Patrum specialia quaedam dicenda essent de migrantibus, et affirmanda esset officium quo tenentur Episcoporum Conferentiae ut huic quaestioni studeant. Commissio aestimavit huic voto esse satisfaciendum, ita tamen ut Conferentiarum officium se extendat ad urgentiores quaestiones, non solum de emigrantibus, sed etiam de aliis fidelium coetibus, qui supra in textu eiusdem n. 18 nominantur. Ideo addendam esse decrevit novam alineam in fine huius n. 18.

Ad n. 18 bis (nunc n. 19)

P. 13: voto unius Patris, ut diceretur libertatem et independentiam Episcoporum in munere suo obeundo, plane cum principio libertatis religiosae congruere, non satisfecit Commissio, quae censuit ad hunc quaestionis aspectum non esse attendendum in hoc schemate.

Ad n. 18 ter (nunc n. 20)

P. 13, lin. 17: de sententia unius Patris tollendum esset verbum « nominandi » et iuxta eundem Patrem, lin. 24, post verbum « officium » addenda essent verba « quibus libertas Auctoritatis ecclesiasticae in decernenda institutione minueretur ». Commissio autem decrevit textum, uti est, esse servandum.

P. 13, lin. 22: voto plurium Patrum satisfaciendum esse censuit Commissio, adhibendo loco verbi « laicis » verba *Auctoritatibus civilibus,* ne excludatur consuetudinem, quae olim viguit, populum nempe christianum consulendi, iterum forsan introduci posse.

P. 13, lin. 24: iuxta votum unius Patris, textus novus huius numeri in forma adhuc humaniore erga Auctoritates civiles redactus est.

[64] *Ad n. 19 (nunc n. 21)*

P. 13, lin. 23: de sententia aliquorum Patrum, determinari debet aetas, qua completa Episcopus renuntiare debet; de sententia alicuius Patris haec aetas debet esse 75 annorum. Commissio autem censuit talem regulam rigidiorem videri et efficacius necessitatibus provideri per renuntiationem spontaneam aut ad invitationem Auctoritatis factam.

P. 13, linn. 23-24: iuxta sententiam unius Patris, procedi deberet per amotionem Episcopi, et admitti deberet Episcopos singulis 10 annis ad aliam sedem transferendos esse. Commissio aestimavit amotionem esse odiosam et admitti debere, atque quaestionem translationis ad aliam sedem post certum annorum numerum non esse ad rem.

[65] P. 13, lin. 24: secundum votum duorum Patrum affirmari deberet auctoritatem acceptantem renuntiationem esse Apostolicam Sedem vel Summum Pontificem. Commissio autem, attendens ad ius in Ecclesiis Orientalibus vigens, servandum esse schematis textum, qui nempe solutionem generalem continet.

Ad n. 20 (nunc n. 22)

P. 14, linn. 4 et sqq.: unus Pater exoptavit ut maiores urbes in plures dioeceses dividerentur, quarum cooperatio in nonnullis casibus determinatis esset legitimis statutis moderanda. Sed nostra Commissio censuit abstinendum esse a praescriptis peculiaribus dandis, de quibus Apostolicae Sedis est iudicare et providere.

Pariter admissa non est duorum Patrum petitio ut eadem civitas numquam sit sedes propria duorum vel plurium Episcoporum. Ratio enim haberi debet diversitatis Rituum necnon perantiquarum traditionum historicarum.

Ad n. 21 (nunc n. 23)

P. 14, linn. 11 et sqq.: plures emendationes in textu huius numeri factae sunt, pluresque additiones insertae, ut materia melius disponeretur et nonnullorum Patrum votis satisfieret. His de rebus non pauca dicta sunt in Relatione generali super Caput II; quapropter hic adnotare sufficiat in praesenti textu implicite significari in plurium dioecesium unione facienda statuatur oportere ut una sit Curia, unum Seminarium, unum Capitulum Cathedrale etc., cum id requirat unitas et apta vita organismi dioecesani.

Expresse additum est in dioecesibus dividendis aut dismembrandis

rationem esse habendam num Episcopus pontificalia congrue peragere valeat, cum id computandum sit inter munera ordinarie ab ipso Episcopo personaliter explenda. [65]

Additum quoque est Episcopo eiusque clericis praebendum esse sufficientem campum in quo ministerium suum explendo omnes suas vires exercere possint. Sic significatur et parvas dioeceses inter se vel cum aliis congrue uniendas esse et dioecesibus cleri opumve penuria laborantibus subveniendum esse.

Praeterea in praesenti textu aperte dicitur dioeceses officiis institutis et operibus praeditas esse debere, quae necessaria sunt ut eaedem apte regantur et in ipsis apostolatus expleatur. Censuit tamen nostra Commissio opportunum non esse ut eiusmodi officia instituta aut opera singulariter nominentur: expedit enim ut in singulis casibus competens auctoritas prudenter decernat pro diversis locorum et personarum adiunctis.

Denique nihil in textu mutatum est quod attinet ad rationes adhibendas ut cura fidelium diversorum Rituum in uno eodemque loco [66] aptius exerceatur. Plura enim hac de re a nonnullis Patribus Orientalibus dicta sunt, quae inter se opponuntur, et idcirco expedit ut in singulis casibus seligatur ratio quae opportunior videatur.

Ad n. 22 (*nunc n. 24*)

P. 15, linn. 9 et sqq.: ratione habita animadversionum, quae a pluribus Patribus exhibitae sunt, duplex facta est emendatio textus n. 22: *a*) Conferentiis Episcopalibus solummodo facultas tribuitur, non autem obligatio imponitur, negotio de circumscribendis dioecesibus studendi ut vota et consilia sua Apostolicae Sedi proponant; *b*) statuitur ut circa idem negotium semper audiantur Episcopi provinciae vel regionis ecclesiasticae, quia eorum in quolibet casu interest ut dioecesium, in suo territorio exsistentium, circumscriptiones recte et opportune definiantur.

Adnotare quoque iuvat pro verbis « Commissio Episcoporum », verba nunc adhiberi « Commissio Episcopalis »: sic enim manifeste apparet in ipsa etiam peritos et technicos, qui non sint Episcopi, partem habere posse, si id expedire videatur.

[67] RELATIO ALTERA DE CAPITE II, ART. III

Venerabiles Patres,

In pastorali Episcoporum munere permagna quaestio est de Episcopi dioecesani cooperatoribus, inter quos certe non pauci numerari possunt, non exclusis laicis in missione Ecclesiae per apostolatum participantibus.

Iamvero, multi Patres in disceptatione praecedentis schematis « De Episcopis ac de dioecesium regimine » id postulaverant, ut de Episcopis Coadiutoribus et Auxiliaribus, de Curia atque Consiliis dioecesanis, de Clero dioecesano et parochis necnon de religiosis, tamquam de Episcopi dioecesani cooperatoribus ageretur. Quod quidem in articulo III capitis II nostri schematis « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia » provisum est.

Quare Commissio nostra, postquam attente omnes Patrum animadversiones, sive in II sive in III Sessione factas, consideravit, non tantum textum schematis perpolivit, sed etiam novis rationibus ditavit, hac duplici de causa: a) ut schema, in quantum fieri posset, Patrum optatis plene responderet; b) ut illam indolem pastoralem haberet, quae inter Concilii fines primum locum obtinet. Hic vero textus vestrae suffragationi hodie proponitur.

Singula vero argumenta illustrare liceat.[1]

1) *Episcopi Coadiutores et Auxiliares*

Variae quaestiones a Patribus agitatae sunt.

Prima, non quidem eodem sensu nec ob easdem rationes proposita, haec fuit: *utrum in iure condendo, utraque figura, Episcopi nempe Coadiutoris et Auxiliaris, servari deberet.*

Huic quaestioni Commissioni visum est adsentiendum et his quidem de causis: *a*) quia id postulaverat pars maxima Patrum, ex quibus plus quam centum de illorum facultatibus expresse disseruerant; *b*) quia indoles pastoralis Concilii exigit ut ad *obiectivas* [2] dioecesium necessitates pastorales attendatur. Hae autem requirunt, ex una parte, ut Episcopi dioecesani aptis et validis cooperatoribus iuventur, qui erunt plerumque Episcopi Auxiliares, quando de magnis dioecesibus agatur, et, ex alia parte, ut Episcopo dioecesano Coadiutor cum iure successionis constitui possit, iuxta competentis auctoritatis iudicium. Hac de causa, ita textus

compositus est ut clariore luce appareant *causae* — necessitates nempe [67]
obiectivae apostolatus dioecesani — propter quas constituuntur Epi- [68]
scopi Auxiliares et *rationes* — necessitas videlicet *personalis* adiutorii pro Episcopo dioecesano — quae suadere possunt Coadiutoris nominationem. Immo et Commissio, attentis quorumdam Patrum postulatis, voluit ut duplex principium clare constaret in textu schematis: *a*) unica suprema ratio in regenda dioecesi — et inde etiam in constituendis Episcopis Auxiliaribus et Coadiutoribus — semper esse debet pascendi dominici gregis bonum; *b*) unitas regiminis in dioecesi moderanda omnino est necessaria ut diarchiae periculum e medio tollatur.

Secunda quaestio, quae ansam multorum Patrum animadversionibus dedit, est *de facultatibus Episcoporum Auxiliarium sede plena.*

Sane Patres in varias abierunt sententias; aliqui existimaverunt facultates a Sancta Sede semper determinandas esse; alii perpauci potius censuerunt illas specificari debere ab ipso Episcopo dioecesano; longe tamen maior pars — centum circiter Patres — postulavit ut Auxiliarium facultates ita augerentur in iure ut vel semper constituerentur Vicarii Generales vel saltem Vicarii Episcopales.

Attenta hac maiore Patrum opinione, et quidem ob validas ab ipsis rationes allatas, Commissio textum redegit sequenti modo: si in Litteris nominationis aliud non dicitur, Auxiliares constituantur ab Episcopo dioecesano aut Vicarii Generales, aut saltem Vicarii Episcopales. En rationes: *a*) hoc modo, iuxta quorumdam Patrum sententiam, Auxiliares ut veri Episcopi consecrati et vera Collegii episcopalis membra apparebunt coram populo; *b*) solummodo erunt validi cooperatores Episcopi ad subveniendas necessitates pastorales dioecesis, propter quas revera constituuntur, si uno ex illis officiis decorentur; *c*) Episcopi dioecesani tandem erit unum vel alterum determinare, videlicet constituere Episcopum Auxiliarem Vicarium Generalem aut Vicarium Episcopalem: penes illum est enim supremum officium apte pascendi gregem sibi commissum.

Neque timendum, ut quibusdam Patribus visum est, Episcopos Auxiliares, qui Vicarii Episcopales renuntientur, Vicario Generali postponi, ita ut ipsos hoc summe dedeceat. Revera, plures sunt rationes quibus hoc dissuadetur: *a*) Episcopi Auxiliares ab uno Episcopo dioecesano dependent; *b*) episcopali consecratione ornantur; *c*) in proprio territorio aut determinato negotiorum genere, illa potestate ordinaria fruuntur, quam ius commune Vicario generali tribuit.

Tertia quaestio a pluribus Patribus acta fuit *circa facultates Episcopi Auxiliaris sede vacante.*

[68] Sed Patrum opiniones concordes non fuerunt: aliqui petierunt ut iura Capituli cathedralis nequaquam laederentur; e contra alii postulaverunt ut, sede vacante, Auxiliaris semper constitueretur a iure Vicarius Capitularis; immo nonnulli censuerunt Administratorem Apostolicum
[69] semper renuntiari debere. Commissio, omnibus argumentis allatis mature perpensis, simul voluit ut possibile sit de bono dioecesis providere atque dignitatem Episcopi Auxiliaris tutare, quin iura Capitulorum cathedralium supprimerentur. Hac de causa, sequens formula Patrum suffragiis proponitur: sede vacante, perseveret potestas Auxiliaribus a iure collata, ne appareant fidelibus veluti capite diminuti, neque bonum commune ullum detrimentum capiat; simulque clare a Concilio manifestetur optatum atque voluntas ut Episcopo Auxiliari, ab illis quorum ius est, dioecesis regimen committatur. Sane, iuxta unius Patris verba, « aestimatio Auxiliaris multo magis fovetur, si a Capitulo prorsus libere in Vicarium Capitularem eligatur ». Hoc quidem modo, diversorum Patrum *vota*[3] satisfecisse Commissio nostra censuit.

Quarta et ultima quaestio a Patribus pertractata, illa est *de facultatibus Coadiutoris.*

Etiam in hac re Patrum animadversiones fuerunt diversae: dum alii voluerunt ut Episcopus Coadiutor ab auctoritate competenti Administrator Apostolicus semper constitueretur, alii potius censuerunt semper nominari debere Vicarium Generalem; immo et non pauci postulaverunt ut Coadiutor iurisdictione exclusiva in dioecesi ditaretur.

Commissio, diversas opiniones attente considerando, retinuit Coadiutorem constituendum esse cum iure successionis ac nominari debere Vicarium Generalem ab Episcopo dioecesano, firma tamen facultate auctoritatis competentis ampliora iura in casu determinato concedendi, v. gr. Coadiutorem renuntiando Administratorem Apostolicum. His in novo textu expressis satisfieri videntur plurium Patrum vota.

Praeterea Commissio nostra opportunum censuit: *a*) supprimere atque futurae iuris communis recognitioni relinquere aliqua argumenta minoris momenti, quae in praecedenti schemate « De Episcopis ac dioecesium regimine » inserebantur, v. gr. de relationibus inter Coadiutorem et Vicarium Generalem aut inter plures Auxiliares; *b*) principium enuntiare de necessitate pro Episcopo Coadiutore et Coadiuto, sese mutuo consulendi in rebus maioris momenti. Hoc ultimum sane addendum est ut clarius eluceat necessitas unitatis regiminis in dioecesi et caritatis fovendae inter pastores, quod nonnulli Patres postulaverunt.

2) *Curia atque Consilia dioecesana* [69]

Patribus quibusdam obsequendo, mentio fit imprimis *de Vicario Generali,* qui in Curia dioecesana eminens officium gerit. Statim autem, prouti iam nuntiatum fuit in relatione generali totius schematis, inseritur textus *de Vicariis Episcopalibus,* qui olim — in praecedentis schematis redactione — in pag. 28 nota 17 habebatur. Agitur revera de novo officio in iure, quod multum conferre poterit ad meliorem atque uberiorem modum dioecesim pascendi. Sane Vicariorum Episcopalium institutio id permittet ut, praeter Vicarium Generalem, Episcopus dioece- [70]
sanus possit alios Vicarios constituere, *episcopales* appellandos, qui in determinata dioecesis parte aut in certo negotiorum genere aut quoad fideles determinati ritus, potestate ordinaria fruantur.

Praeterea, sequentia in nostro textu affirmata inveniuntur: [4]

a) Curiae dioecesanae membra, sacerdotes sint vel laici, sciant se veri nominis apostolatus opus peragere, ut Episcopi adiutores in ministerio pastorali.

b) Curia dioecesana ita ordinanda est ut aptum instrumentum Episcopo fiat, ad opera quoque apostolatus perficienda; quare valde optatur ut in dioecesi peculiare instituatur *Consilium pastorale,* quod munere senatus Episcopi fungatur ad actionem pastoralem rite peragendam. Peculiaris tamen modus agendi talis Consilii Episcopo relinquitur, iuxta particulares dioecesis necessitates et adiuncta.

3) *Clerus dioecesanus*

De *sacerdotibus dioecesanis* prima mentio fit in num. 28 (olim n. 26), quia primas inter clerum dioecesis partes in cura animarum cum Episcopo habent. Non paucae mutationes in textu a Commissione nostra factae sunt, iuxta Patrum animadversiones.

Prima est de sacerdotum dioecesanorum condicione in Ecclesia particulari. In textu qui nunc proponitur clariore luce apparet simul et fundamentalis ratio unitatis sacerdotum cum suo Episcopo, quae consistit in participatione unici sacerdotii Christi, et eorum incorporatio Ecclesiae particulari, in cuius servitium integre et totaliter sese tradunt.

Secunda textus mutatio in Episcopi affirmata libertate consistit, quoad officia et beneficia, etiam non curata, sacerdotibus conferenda: suppressis quidem iuribus seu privilegiis, quae illi libertatem quoquo modo coarctare possunt. Sane hoc exigitur ab ipso munere pastorali, cuius est apte et aeque officia distribuere inter sacerdotes.

Tertia tandem innovatio respicit necessitatem colloquii de re pasto-

[70] rali, quod quidem in textu urgetur inter Episcopum et suos sacerdotes, ut eorum voluntates plane consocientur.

In num. 29 (olim n. 27), qui *de sacerdotibus operibus supraparoecialibus addictis* agit, nova propositio addita est, iuxta petitionem quorumdam Patrum. Hoc modo indicantur illi sacerdotes, qui optimum auxilium Episcopo praestant, sive in scholis sive in aliis institutis vel associationibus.

Commissioni autem maximae curae fuit attente examinare omnes illas Patrum animadversiones, quae *circa parochorum munera aut stabilitatem in officio* factae sunt. Quae quidem paucae non fuerunt. Quantum possibile fuit, Commissio nostra omnibus satisfacere conata est.

Primo textus novus additur in fine num. 28, in quo mentio fit de
[71] vicariis, tamquam parochi cooperatoribus. Eorum sane praestans et actuosa opera exigit et fraternam conversationem et mutuam caritatem ac reverentiam et communem voluntatem ac studium, inter parochum eiusque vicarios.

Quoad autem parochorum *munera,* sequentia textui praecedenti addita sunt in eodem num. 30 (olim 28)...[5]

a) necessaria collaboratio cum ceteris parochis et sacerdotibus, qui operibus supraparoecialibus adscribuntur;

b) urgens spiritus missionarius in cura animarum, quae in paroecia exercetur;

c) commendata vita communis, praesertim illis sacerdotibus qui eidem paroeciae addicuntur;

d) cooperatio religiosorum et laicorum ad catecheticam instructionem fidelibus tradendam;

e) sacramenti Poenitentiae administratio, ad quam necesse est ut faciles se praebeant animarum pastores.

Attamen difficilior quaestio illa est, quae in num. 31 (olim 29) *de parochorum nominatione, amotione et renuntiatione* agit. Attente perpensis omnibus Patrum animadversionibus, Commissio censuit haec tria principia omnino servanda esse:

a) in nominandis, transferendis aut amovendis parochis, immo et in officii renuntiatione, bonum animarum suprema ratio semper esse debet;

b) illa iura et privilegia supprimere oportet, quae Episcopi libertatem in parochorum nominatione coarctare possunt;

c) aliqua stabilitate in munere obeundo revera parochi gaudere debent, ne cura animarum inde detrimentum capere possit.

His principiis innixa, Commissio nostra textum schematis sequenti modo mutavit:

a) novus textus additur quoad criteria quibus Episcopus duci debet quoties de parocho constituendo agatur: considerandae quidem sunt praesertim condiciones quae ad animarum curam rite exercendam requiruntur; [71]

b) petentibus variis Patribus, etiam abroganda est lex concursus, ubi exsistat, sive particularis sive generalis, ita ut deinceps vi careat can. 459 § 4 Codicis Iuris Canonici;

c) quoad parochorum translationem atque ab officio amotionem, nova redactio composita est quae, ut confidimus, Patrum postulationibus placeat. En textus propositus: « Parochi in sua quisque paroecia ea gaudeant stabilitate in officio, quam animarum bonum requirat. Quare, abrogata distinctione inter parochos amovibiles et inamovibiles, recognoscatur atque simplicior reddatur modus procedendi in translatione et amotione parochorum, quo Episcopus, servata quidem naturali et canonica aequitate, aptius necessitatibus boni animarum providere possit ». Particulares autem normae statuendae committuntur futurae Codicis [72] Iuris Canonici recognitioni;

d) textum autem qui de parochorum renuntiatione a munere ob ingravescentem aetatem in nostro schemate iam habebatur, Commissio censuit immutatum manere debere; hoc namque modo plena concordia adest cum iis quae *in num. 19* [6] statuuntur de Episcoporum renuntiatione.

4) *Religiosi*

Fatendum quidem est Patribus in genere placuisse textum schematis circa religiosos, eorum disceptationi propositum. De quo, quum agatur de quaestione valde implexa, magnopere gaudendum est.

Revera, schema duplicem viam sequi poterat, videlicet, vel eam quae ad particulariora descenderet, vel illam quae summa tantum principia referret. Primum factum est in priori schemate « De cura animarum »; nostrum autem schema secundum elegit in num. 35-37 (olim 33-35), iuxta quorumdam Patrum vota, qui textum illius schematis « veluti enormem » esse dixerunt. Inde fit ut noster textus legem generalem et fundamentalem contineat circa religiosos opera apostolatus in dioecesi exercentes.

Iamvero non paucae fuerunt observationes a Patribus propositae, *occasione disceptationis in Aula, quas Commissio studiose perspexit atque consideravit. Ex iis quasdam minoris momenti innovationes potius ad formam quam ad rem attinentes deduxit; quae autem maioris ponderis visae sunt,*[7] continuo exponuntur.

a) In textu schematis dicebatur religiosos « vera quadam ratione

[72] ad clerum dioecesanum pertinere ». Revera rationes a quibusdam Patribus allatae vigore non carebant. Nunc textus ita mutatus est ut asseratur religiosos potius « ad clerum dioecesis » pertinere, quod quidem verius est.

b) Enimvero in dioecesi Episcopo subiici debent omnes illi qui opera apostolatus exercent; immo et Episcoporum postulatis et votis obsecundent necesse est imprimis religiosi. Haec principia iam satis in textu affirmabantur, sed redactio aliquando mutata est ut apertius mens Concilii appareat: v. gr. additum est verbum « legitime », quando de religiosis *vocandis* ad opera apostolatus in dioecesi agatur; hoc enim modo significatur religiosorum vocationem fieri non posse nisi per legitimos superiores et servatis de iure servandis. Alia textus innovatio introducitur in tertiam paragraphum, *num. 33,*[8] his verbis: « ad normam iuris », quando de religiosorum subiectione erga Episcopum sermo fit « prout huius pastorale munus perfungendum et animarum rite ordinanda curatio requirunt ». Sane, uti planum est, hic *ius condendum* intelligere oportet, non autem *ius conditum*.

c) Quoad institutum exemptionis, Patres in diversas abierunt
[73] sententias. Commissio nostra, omnibus rationibus hinc inde allatis mature perpensis, censuit redactionem immutatam servandam esse, quatenus respicit *principium generale,* sc. quod religiosorum exemptio « ordinem institutorum internum potissimum respicit ».

Attamen duo innovata sunt. Primum est de auctoritate quae disponere queat de religiosis pro inceptis in bonum Ecclesiae. Prior textus in par. 3 num. 33 tantum de Summo Pontifice loquebatur, in ordine ad bonum Ecclesiae universae. Ne praetermitti videantur Ecclesiae Orientales, haec addita sunt: etiam de religiosis disponere poterit, praeter Summum Pontificem, « alia competens Auctoritas in bonum Ecclesiarum propriae iurisdictionis », uti est exempli gratia Patriarcha.

Secundo loco, petentibus non paucis Patribus, Commissio existimavit augendos esse casus in par. 4 recensitos, in quibus religiosi, exempti et non exempti, Episcoporum auctoritati subiici debent. Revera duos casus attulimus: primus est de « religiosa ac morali educatione » christifidelium, praesertim puerorum; secundus de « scholarum catholicarum generali ordinatione ». His ultimis verbis, ulterius in futuro Codice Iuris Canonici determinandis, significatur non quidem earumdem scholarum ipsa moderatio, sed generalis omnium scholarum catholicarum in dioecesi distributio, earum inter se cooperatio atque earumdem visitatio necnon vigilantia, ut non minus quam aliae scholae ad fines culturales et sociales prosequendos aptatae sint. Mens autem Commissionis est ut scholarum visitationem quod spectat, ratio normarum habeatur, quae

iam a Commissione mixta approbatae fuerunt quaeque continentur in Appendice quinta praecedentis schematis « De cura animarum », pag. 96, num. 10. [73]

d) Tandem postulantibus quibusdam Patribus, mentio fit in par. 5 eiusdem num. 35 (olim 33), *de Conferentiis Superiorum Maiorum*. Hae, quae iam in multis nationibus existunt, collatis consiliis cum Episcoporum Conferentiis procedant semper oportet quoad opera apostolatus quae a religiosis exercentur.

Denique — et quod maxime interest — hae omnes mutationes atque additiones, quas insertas textui vobis afferimus, iam quidem approbatae sunt, non tantum a nostra Commissione, sed etiam a Commissione mixta, a membris nostrae atque Commissionis de Religiosis efformata. Hae duae Commissiones, tum in laboribus praeparatoriis tum perdurante Concilio vel in contrahendis normis iam exaratis vel in expendendis Patrum animadversionibus ad idem pervenerunt consilium et de emendationibus admittendis vel seponendis plene consenserunt.

Quod Vobis libenter significandum censemus, antequam iudicium Vestrum feratis.

Venerabiles Patres, [74]

En textus nostri schematis, de Episcoporum cooperatoribus in ministerio pastorali. Hodie, perpolitus et auctus, vestrae approbationi proponitur. Uti videtis, generalia ac fundamentalia principia continet, quae maximi momenti sunt. Revera futura Codicis Iuris Canonici recognitio nostrum schema respicere debebit in ordinatione iuridica statuenda, quae perducere queat ad validiorem actionem pastoralem in dioecesi promovendam.

Faxit Deus ut omnes Episcopi dioecesani cooperatores vere consocientur vinculo caritatis, orationis et actionis. Et Vos, Venerabiles Patres, textum nostrum benigne suscipere velitis atque vestra sententia confirmare.

† NARCISSUS JUBANY
Episcopus Gerundensis

In oratione: [1] Cum relationem iam prae oculis impressum habeatis, tantum principaliores legam. [2] veras. [3] votis. [4] Praeter alia, hoc in textu nostro firmatur. [5] quae brevitatis causa nunc omitto. [6] n. 21 olim 19. [7] Mutationes maioris ponderis. [8] n. 35.

[75] RELATIO DE SINGULIS NUMERIS CAP. II, ART. III

Ad n. 23 (nunc n. 25)

Una facta est a Patribus animadversio sequenti modo: unicus Episcopus sit in dioecesi, ita ut Coadiutores et Auxiliares constituantur per exceptionem et per modum remedii, quando nempe nec territorium dividi nec nova dioecesis erigi possit.

Revera, iuxta schema novum, ratio qua Coadiutores et Auxiliares constituuntur est bonum dominici gregis: Auxiliares, propter obiectivas necessitates pastorales dioecesis, non sola amplitudine territorii sed etiam ob alias diversae naturae causas; Coadiutores autem in personale Episcopi adiutorium, et quidem per modum remedii.

Ad n. 24 (nunc n. 26)

P. 16, linn. 5-25: circa potestatem Episcopi Auxiliaris sede plena — uti fuse explicatur in relatione — Patres in varias abierunt sententias, perdurante II Sessione Concilii; maior autem pars petiit ut Episcopus Auxiliaris renuntiaretur vel Vicarius Generalis vel saltem Vicarius Episcopalis. Nuper, huius III Sessionis occasione, septem animadversiones factae sunt, e quibus una, a 50 Patribus proposita, existimavit Auxiliares, utpote Episcopi dioecesani cooperatores et episcopali dignitate insignitos, facultatibus ditari debere, quas Vicariis Generalibus ius commune tribuit. Mens ergo Patrum semper fuit et est potestatem Episcopi Auxiliaris in schemate statui et determinari debere, immo et augeri relate ad ius in Codice Iuris Canonici conditum.

Commissio, attente perpensis singulorum Patrum sententiis, textum ita redegit ut Auxiliares renuntiarentur vel Vicarii Generales vel saltem Vicarii Episcopales. Quare, perpensis rationibus in praecedenti animadversione allatis, mutatio haud parvi momenti fit in textu priore, qui erat: « Episcopus dioecesanus Auxiliarem vel Auxiliares suos saltem constituat Vicarios Episcopales »; in textu autem emendato dicitur: « Episcopus dioecesanus Auxiliarem vel Auxiliares suos *constituat Vicarios Generales vel saltem Vicarios Episcopales* ». Antea veluti procedebatur a minore ad maius, nunc vero a maiore ad minus: ut clare appareat mentem Commissionis esse Auxiliares amplioribus facultatibus donandos esse, iuxta fere omnium Patrum consensum.

Quidam Pater proposuit « Consilium Episcopale » efformari debere ab Episcopo dioecesano cum suis Coadiutore et Auxiliaribus, ita

ut horum consensu agere debeat. Commissio censuit hoc nocere posse unitati regiminis dioecesani necnon supremae responsabilitati Episcopi. Alium autem est quod mutua debeat existere inter Episcopos consultatio de rebus praesertim pastoralibus, quod in textu novo exprimitur: « *quos Episcopus dioecesanus, in perpendendis causis maioris momenti praesertim indolis pastoralis, consulere velit* ». Quod ultimum auctoritati Episcopi dioecesani nocere non videtur, quum iam in num. praecedenti sufficienter affirmatum fuerit: « Coadiutores et Auxiliares... ita munus suum exerceant, ut in omnibus negotiis unanima consensione cum Episcopo dioecesano procedant ». [76]

Ex alia parte, non admittitur propositio illorum Patrum, qui Vicarios Episcopales vellent potestatem exercere posse in tota dioecesi: hoc enim proprium est dicendum de Vicario Generali. Figura Vicarii Episcopalis alio modo concipitur, nempe pro determinato territorio, pro certo negotiorum genere aut quoad fideles determinati ritus.

Ad n. 25 (nunc n. 27)

P. 16, lin. 26: praecipua innovatio respicit mentionem Vicarii Generalis, cuius est eminens officium in Curia dioecesana gerere. Statim inseritur textus de officio Vicarii Episcopalis, quod sane novum est in iure, prouti in relatione sufficienter explicatur.

P. 17, linn. 3-7: animadversiones Patrum potius *Consilium pastorale* respiciunt. Aliqui *unicum* Consilium desiderarunt in dioecesi, pro negotiis administrativis ac pro activitate pastorali, pro universa nempe responsabilitate dioecesana. Commissio apte distinguendam esse censuit actionem pastoralem, cui, praeter sacerdotes dioecesanos, consulunt etiam religiosi et laici, a negotiis administrativis, quibus providet Episcopus speciali modo, personarum ope et institutionum a iure praescriptarum.

Neque Commissio necessarium duxit ante verba « clerici, religiosi et laici » addere « simul aut separatim »: hoc enim, quia rem practicam attingit, in plena Episcopi facultate, utpote praesidis Consilii pastoralis, relinquendum est.

De aliis quaestionibus, ex. gr. de remotione inamovibilitatis in canonicis Capitulorum, de coetu presbyterorum ab Episcopo constituendo loco Capituli cathedralis, etc. Commissio agere noluit, quia potius futurae Codicis Iuris Canonici recognitioni amandandae sunt.

Ad n. 26 (nunc n. 28)

Quatuor Patrum animadversiones admissae sunt, quae textum schematis ditiorem reddunt.

[76] P. 17, linn. 8-12: *a*) inseritur in « *sacerdotes dioecesani unum sa-*
cerdotium Christi cum Episcopo exercent »: haec enim est ratio fun-
[77] damentalis unitatis sacerdotum cum suo Episcopo, quae consistit in
participatione unici sacerdotii Christi;

b) additur « *ad unam dominici gregis portionem pascendam* »: quo apparet totius activitatis dioecesanae finis, sacerdotum nempe cum suo Episcopo, quae populum Dei respicit;

P. 17, linn. 13-16: *c*) frequens colloquium Episcopi cum suis sa cerdotibus urgetur, quod a necessaria consociatione voluntatum in apostolatu exigitur;

P. 17, linn. 17-21: *d*) ratio ostenditur, qua sacerdotes attenti sint oportet ad necessitates materiales quoque dioecesis: bona enim temporalia, quae occasione ecclesiastici muneris sibi comparant, relationem cum munere sacro habent.

Quidam Pater censuit verba « presbyterium dioecesanum » aptiora esse quam « sacerdotes dioecesani ». Notandum tamen est hic agi de sacerdotibus, utpote Episcopi cooperatoribus. Praeterea sufficienter affirmatur sacerdotes dioecesanos, ob eorum cum Episcopo unionem atque Ecclesiae particulari deditionem, « *unum constituere presbyterium atque unam familiam, cuius Pater est Episcopus* ».

Alius Pater postulavit addendum: « ... omnes sacerdotes, nisi causa vere impeditiva, aliquod ministerium sacrum commissum semper habere ». Quod quidem aptius praescribitur in num. 16.

P. 17, lin. 12: tandem Commissio, iuxta aliquorum Patrum petitionem, existimavit statui debere principium de libertate Episcopi in conferendis officiis et beneficiis ut liber evadat non secus ac in paroeciis provehendis. Quod certe admissum est, ita ut in futurum supprimantur quaelibet iura aut privilegia, quae eamdem libertatem quoquo modo coarctare possint.

Ad n. 27 (nunc n. 29)

Nulla pervenit ad Commissionem animadversio. Iuxta optata autem unius Patris, visum est mentionem facere illorum sacerdotum, qui munere apostolico ab Episcopo decorantur in scholis, institutionibus, associationibus, etc.; quaeque munera a parocho ut plurimum exerceri nequeunt.

Ad n. 28 (nunc n. 30)

Huius numeri textus prae ceteris locupletior evadit, acceptis quibusdam Patrum suggestionibus.

P. 17, lin. 27 - p. 18, lin. 2: *a*) in primo commate commendatur

curae pastoralis exercitium « *coniunctis viribus* » inter parochos atque [77]
inter ipsos et sacerdotes operibus supraparoecialibus addictos. Haec apostolatus forma maxime convenit, inspectis necessitatibus nostri temporis. Revera nostrum schema *Conferentias* Episcoporum necnon *Consilium pastorale* dioecesanum instituit; eadem ratione cura pastoralis
exercenda est, indeque et opera supraparoecialia et cooperatio inter [78]
parochos commendantur.

P. 18, linn. 3 sqq.: *b*) nonnulli Patres petierunt ut clare constaret curam pastoralem *spiritu missionario* informari debere atque in illos omnes extendi qui in paroecia degunt, sive christiani sint sive non. Quidam Pater expresse memorandos esse infideles existimavit. Alius autem rogavit ut adderetur: si parochus quosdam coetus personarum per se attingere nequit, alios in proprium adiutorium vocet et cum illis collaboret.

Has omnes suggestiones Commissio acceptandas esse censuit, quum de rebus agant quae a cura animarum hodie exigantur. Sane, fideles, qui vere christiani sint, pauci numerantur. Inde oportet ut parochus alios quaerat et ad vitam christianam adducat; quod si per se facere nequit, aliis adiuvantibus fiat. Quod quidem valet, non tantum de fidelibus christianis, sed etiam de aliis christianis, immo et de non christianis. Ad quam actionem perficiendam, certe valde iuvat vita communis sacerdotum, necnon caritatis et unitatis exemplum ab ipsis datum: quae vita communis in tertio commate commendatur, iuxta cuiusdam Patris optatum.

Notanda sane sunt verba « *debito modo* », quando de spiritu missionario sermo fit, quoad illos qui in paroecia degunt; verba enim haec illa textus praecedentis supplent « sive christianos sive non ». Revera Commissionis intentio haec est: ut clare appareat diversam rationem in apostolatu habendam esse, quoties de diversis personarum condicionibus agitur.

c) Petentibus quibusdam Patribus ex America Septemtrionali, mentio fit in quarto commate de *Confraternitate Doctrinae christianae*. Quum maximi momenti sit christifidelium educatio religiosa, Commissioni visum est suggestionem acceptandam et Confraternitatis erectionem commendandam esse. Mens tamen Commissionis haec est: sub nomine « Confraternitatis Doctrinae christianae » illae omnes associationes comprehenduntur, quae pro fine habeant christifidelium catecheticam instructionem promovere.

Ex alia parte, educatio moralis ac religiosa, praesertim puerorum, adeo gravis existimatur, ut parocho commendetur in textu cooperatio-

[78] nem quaerere imprimis religiosorum atque, prout fieri possit, etiam laicorum.

Praeterea loco « ad plenam christianae doctrinae cognitionem » melius dicitur in textu emendato: « *ad plenam mysterii salutis* cognitionem ».

d) In quinto commate acceptata est duorum Patrum petitio de explicita mentione facienda sacramenti Poenitentiae: quare ad confessiones fidelium audiendas faciles se praebere debent parochi; immo et aliorum sacerdotum collaborationem, si opus fuerit, requirere tenentur,
[79] etiam varias linguas callentium. Hoc enim requiritur saepe nostris quidem temporibus, in quibus tot homines alias petunt nationes studiorum aut rusticationis causa.

e) In sexto commate animadversio unius Patris admissa est, qui necessitatem urget pro parocho imprimis *cognoscendi proprium gregem,* quod a pastorali munere exigitur. Item sedula *cura adulescentium et iuvenum* memoratur, propter momentum quod habet in actione pastorali.

f) In ultimo commate memorantur *vicarii cooperatores,* quos silentio praeterire fas non erat, ob eorum validam et actuosam operam in apostolatu paroeciali, sub parochi moderatione: quod quidem requirit fraternam conversationem necnon communem voluntatem et actionem.

Aliae Patrum animadversiones acceptatae non sunt, quia de rebus agebant, potius Codice Iuris Canonici emendandis, v. gr. de coordinatione oratoriorum publicorum pro missa dominicali, de mentione apostolatus orationis, etc.

Ad n. 29 (*nunc n. 31*)

Gravis materia tractatur de nominatione, amotione et renuntiatione parochorum, circa quam 20 Patres suas animadversiones fecerunt. Prior textus non parum emendatus est, sive quoad formam, sive quoad substantiam, eo quod, quasi ex abrupto, de suppressione privilegiorum in constituendis parochis agebat et statim de amotione, translatione et renuntiatione parochorum quaestiones pertractabat. Quod quidem indolem nimis negativam induebat.

P. 18, linn. 21-31: textus emendatus incipit agendo de provisione paroeciarum, circa quam criteria recensentur quibus Episcopus duci debet ad parochos constituendos; statim exponuntur obstacula supprimenda, quae liberae provisioni officere possunt, uti sunt iura praesentationis, nominationis aut reservationis, necnon lex concursus; dein stabilitas parochi asseritur in officio, animarum bono mensuranda; qua de causa distinctio inter parochos amovibiles et inamovibiles supprimi-

tur et simplicior urgetur, a Codice Iuris Canonici ulterius determinandus, modus procedendi in translatione et amotione parochorum; tandem, textus quaestionem de renuntiatione a munere, a parocho facienda ob ingravescentem aetatem, aggreditur. [79]

Sequentes tamen Patrum observationes admissae non sunt.

a) Unus vellet integre hic inserere quae in schemate « De cura animarum » statuebantur de parochorum amotione.

Resp. Praecise, quia de particularibus sermo fieri non debet in nostro schemate, illa futurae Codicis Iuris Canonici recognitioni amandanda sunt.

b) Alius proposuit ut adderentur verba « quantum fieri potest », ubi de suppressione iuris praesentationis, nominationis vel reservationis [80] agitur.

Resp. Haec verba si admitterentur, inutile redderent nostri textus praescriptum.

c) Tertius proposuit « ut statueretur parochos aliosque sacerdotes in eodem officio permanere non posse ultra quinquennium ».

Resp. Parochi aequiparandi non sunt illis qui — « functionarii » nuncupati — opus suum praestant in re civili.

d) Unus Pater suggessit ut in textu diceretur omnes parochos, etiam religiosos, ad nutum Episcopi exercere munus suum.

Resp. Satis providetur in textu.

e) Plus quam 70 Patres proposuerunt ut non invitarentur neve inducerentur parochi ad renuntiationem, sed integrum eis esset in medio filiorum suorum postremos dies agere. Si autem bonum animarum amotionem postularet, competens auctoritas coadiutorem constituere posset cum iurisdictione plena et exclusiva, qui parocho defuncto ipso facto succederet.

Resp. Episcopi tandem erit, utpote auctoritatis competentis, providere sustentationi et honoribus parochi renuntiantis.

f) Unus Pater exoptavit ut parochi ab officio amoverentur quum septuagesimum aetatis annum attigerint.

Resp. Aequius aestimavit Commissio eamdem statuere normam pro parochis ac pro Episcopis, sine nempe determinata aetate.

g) Tandem unus Pater rogavit ut verba adderentur « vel ab Episcopo invitati », ita ut renuntiatio non tantum a parocho spectanda esset voluntaria.

Resp. Etsi illa verba, quando de renuntiatione Episcoporum a munere admissa fuerint, tamen Commissio existimavit in nostro textu excludenda esse. Ratio est quia valde diversa est Episcopi condicio relate ad Apostolicam Sedem ac illa parochi relate ad Episcopum: sane

[80] maior est parochi disponibilitas erga Episcopum, cum quo maxima proximitate coniungitur. Verba textus, « renuntiationem faciant », e contra, in verba « renuntiationem facere velint » mutata sunt, ob maiorem humanitatem.

Ad n. 31 (nunc n. 33)

P. 19, linn. 12-13: in secundo commate textus praecedentis dicebatur: « ad quorum ampliorem aestimationem et generosius studium Sacrosancta haec Synodus eos magnopere hortatur ». Iamvero, propter cuiusdam Patris observationem, qui notavit religiosos iam uti oratione, expiatione et exemplo ad aedificationem et incrementum mystici Corporis Christi, Commissio textum mutavit, ita ut potius dicatur: « *in quorum aestimatione et studio ut perseverent Sacrosancta haec Synodus eos magnopere hortatur* ».

[81] Attamen Commissio non admisit cuiusdam Patris animadversionem de intensiore activitate apostolica a religiosis exercenda « in ecclesiis novellis et in ecclesiis missionalibus ». Ratio est quia sufficienter textus providet.

Ad n. 32 (nunc n. 34)

P. 19, lin. 20: quidam Pater observavit religiosos nullo modo pertinere *ad clerum dioecesanum*; alius autem censuit eos aptius dicendos esse *de clero dioecesis,* ne in eadem condicione videantur ac *sacerdotes dioecesani.* Commissio ultimam emendationem acceptavit suamque fecit.

Tertius Pater rogavit ut affirmaretur externa apostolatus opera exerceri debere a religiosis « sub sacrorum Praesulum et suorum auctoritate Superiorum ». Revera hoc rite intelligendum est, quia religiosus, in opera apostolatus immissus, ab auctoritate Ordinarii loci pendet, non autem simul et cumulative, eadem ratione, sub potestate sui Superioris; hic enim potius vigilantiam de vita religiosa ac de disciplina iuxta Constitutiones exercet. Quare ratio deest ad textum schematis immutandum.

Ad n. 33 (nunc n. 35)

De hoc numero plures animadversiones factae sunt.

P. 20, lin. 5: Ad 1) Quidam Pater petiit ut textus sequenti modo emendaretur: quoties religiosi « ad apostolatus opera *legitime* vocantur ». Commissio libenter suggestioni annuit, quia sic rectius exprimitur modus exercendi apostolatum ex parte religiosorum, vocante nempe Ordinario loci atque accedente beneplacito Superioris competentis.

Praeterea, plus quam 98 Patres petierunt:

a) Dicatur in textu unum respondere Episcopum de cuncto opere pastorali dioecesis. [81]

Resp. Hoc sufficienter affirmatur in num. 11 nostri schematis.

b) Opera pastoralia religiosorum ineantur per conventionem subsignatam ab Episcopo et a Superiore religioso.

Resp. Quia quaestionem tractat particulariorem, observatio futurae Codicis Iuris Canonici recognitioni amandanda est. Principium sufficienter affirmatur in 5) huius numeri.

c) Dissentientibus Episcopo et Superiore religioso, Conferentia Episcoporum et Conferentia Superiorum maiorum, per viros selectos, solutionem praestent.

Resp. Idem respondendum ac in quaestione praecedenti.

Alius Pater excludere vellet paroecias domui religiosae incorporatas. Commissio tenuit inopportunum esse de hac re disserere in textu schematis. Observatio enim modum iuridicum concretum respicit, quo paroecia familiae religiosae committi potest. Quare res est futuro Codici Iuris Canonici relinquenda.

P. 20, lin. 8: alius Pater in primo commate haec verba inserenda [82]
proponit: « quin immo religiosi se adstrictos sciant Episcoporum postulationibus ». Sensum observationis retinendo, textus mutatus est sequenti modo: « *quin immo religiosi Episcoporum postulationibus votisque prompte ac fideliter obsecundent* ».

E contra reiecta est propositio cuiusdam Patris, qui vellet auxilium religiosorum praestandum esse « etiam cum aliquo detrimento eorum domus ». Principium hoc Commissioni visum est enuntiari non debere in documento conciliari: sufficit enim textus schematis.

P. 20, lin. 17: Ad 2) admissa observatione cuiusdam Patris, textus emendatus dicit: « *religiosi ... spiritu religionis propriae imbuti sint* », loco « imbuti sint semper oportet ». Sensus est spiritualitatem religiosorum propriam necessariam esse etiam ad opera apostolatus rite exercenda, salva tamen debita Ordinario loci subiectione.

Ad 3) variae animadversiones factae sunt:

P. 20, lin. 22: *a*) Dicatur: « exemptio ordinem institutorum tam internum quam externum respicit ».

Resp. Exemptio in casu, quia opera apostolatus etiam comprehenderet, certissime contraria esset verbis Pii XII: religiosi « Episcopis auxiliatores adsint et subsint ».

b) Ratio exemptionis sit auxilium a religiosis praestandum « universo Collegio episcopali per Romanum Pontificem ».

Resp. Disponibilitas religiosorum in bonum Ecclesiae universae sufficienter significatur in fine huius paragraphi.

[82] *c*) Tota haec materia, data eius difficultate, remittatur ad futurum Codicem Iuris Canonici.

Resp. Normae generales ac fundamentales necessariae hic sunt; immo et enuntiandae sunt ob petitionem multorum Patrum et voluntatem Ioannis XXIII f. m. qui tale argumentum a Commissione pertractandum significavit.

P. 20, linn. 24-25: *d*) Verba « quin immo » nimis emphatice exprimunt religiosorum disponibilitatem in bonum Ecclesiae.

Resp. Verba mutata sunt in novo textu, qui dicit « *necnon* ».

e) Solutio problematis exemptionis potius quaerenda est in concordia utriusque partis, Episcopi nempe et Instituti religiosi.

Resp. De hac concordia agunt 5) et 6); quae tamen non impedit principia quae hic promulgantur.

f) Integer ordo externus institutorum religiosorum ab Episcopo dependeat.

Resp. Textus sapientius affirmat exemptionem « ordinem Institutorum internum *potissimum* respicere ». Revera, si observatio admitteretur, ratio exemptionis pessumdaretur, quae consistit, quoad ordinem externum, in religiosorum disponibilitate pro inceptis in bonum Ecclesiae.

[83] P. 20, lin. 25: *g*) Addatur in secundo commate, quando de religiosorum subiectione agitur: « Episcoporum iurisdictioni *ad normam iuris* subsint ».

Resp. Admittitur a Commissione observatio, sed ad mentem. Mens autem est, ut omnes anxietates et dubia vitentur, agi in casu *de iure condendo,* non vero *de iure condito.*

P. 20, lin. 25: *h*) Ne praetermitti videantur Ecclesiae Orientales, addatur in textu, quando de dispositione religiosorum agatur in bonum Ecclesiae: « *alia competens auctoritas in bonum Ecclesiarum propriae iurisdictionis* ».

Resp. Admittitur animadversio, ob rationes allatas.

P. 20, linn. 33-34: Ad 4) In hac paragrapho casus specificantur in quibus religiosi, etiam exempti, Ordinariis loci subiici debent. Iuxta petitionem plurium Patrum additi sunt duo casus: « ad christifidelium, praesertim puerorum, catecheticam institutionem, *religiosam ac moralem educationem* et liturgicam efformationem » necnon « *ad scholarum catholicarum generalem ordinationem* ». Rationes propter quas hi casus additi sunt, satis explicantur in relatione.

Unus vero Pater haec omnia mandare vellet ad futurum Codicem Iuris Canonici. Commissio e contra censuit haec specificari debere, quia

a bono animarum exigitur atque ut recta ordinatio operum apostolatus in dioecesi obtineatur. [83]

Alius Pater inserere petiit necessitatem interventus Episcopi ad quamlibet pecuniae quaestuationem in dioecesi faciendam. De hac materia iam egit schema « De cura animarum »: remittenda nunc videtur ad Directorium pastorale.

P. 21, lin. 12: 5) Iuxta cuiusdam Patris observationem, congruentius compleretur sequenti modo: « Episcopi vel Episcoporum Conferentiae et Superiores religiosi *vel Conferentiae Superiorum maiorum* ».

Aliquis Pater desideravit quaedam exprimenda esse de cura Episcoporum erga religiosas. Attamen satis videtur provideri in num. 34 (olim n. 32); ibi enim dicitur: « etiam alii sodales, sive viri sint sive *mulieres,* qui et ipis peculiari ratione *ad familiam dioecesanam* pertinent... ».

Caput III [85]

DE EPISCOPIS IN COMMUNE PLURIUM ECCLESIARUM BONUM COOPERANTIBUS

Textus prior

I – Synodi, Concilia et praesertim Episcoporum Conferentiae

34. [*Synodi et Concilia particularia*]. Inde a prioribus Ecclesiae saeculis Episcopi, peculiaribus quidem Ecclesiis praepositi, communione fraternae caritatis atque studio permoti universalis missionis Apostolis traditae, vires ac voluntates suas consociaverunt ad bonum tum commune tum singularum Ecclesiarum provehendum. Hac ratione sive Synodi, sive Concilia provincialia, sive demum Concilia plenaria constituta fuerunt in quibus Episcopi aequalem pro variis Ecclesiis statuerunt rationem servandam tum in fidei veritatibus docendis tum in disciplina ecclesiastica ordinanda.

Exoptat haec Sancta Oecumenica Synodus

Textus emendatus

I – Synodi, Concilia et praesertim Episcoporum Conferentiae

36. (olim n. 34). [*Synodi et Concilia particularia*]. Inde a prioribus Ecclesiae saeculis Episcopi, peculiaribus quidem Ecclesiis praepositi, communione fraternae caritatis atque studio permoti universalis missionis Apostolis traditae, vires ac voluntates suas consociaverunt ad bonum tum commune tum singularum Ecclesiarum provehendum. Hac ratione sive Synodi, sive Concilia provincialia, sive demum Concilia plenaria constituta fuerunt in quibus Episcopi aequalem pro variis Ecclesiis statuerunt rationem servandam tum in fidei veritatibus docendis tum in disciplina ecclesiastica ordinanda.

Exoptat haec Sancta Oecumenica Synodus

[85] *Textus prior*

ut veneranda Synodorum et Conciliorum instituta novo vigeant robore, quo aptius et efficacius fidei incremento disciplinaeque conservationi in variis Ecclesiis, pro temporum adiunctis, provideatur.

35. [*Conferentiarum Episcoporum notio*]. Hodiernis potissimum temporibus Episcopi haud raro munus suum apte ac fructuose adimplere non valent nisi cum aliis Episcopis arctiorem in dies suam concordem atque coniunctiorem operam efficiant. Cum autem Episcoporum Conferentiae — pluribus in nationibus iam constitutae — praeclara ediderint uberioris apostolatus argumenta, Sacrosancta haec Synodus summopere expedire censet, ut ubique
[86] terrarum eiusdem nationis seu regionis Episcopi in unum coetum confluant, ut statis temporibus simul convenientes, communicatis prudentiae et experientiae luminibus, collatisque consiliis sancta fiat ad commune Ecclesiarum bonum virium conspiratio.

36. [*Conferentiarum structura, competentia et cooperatio*]. Propterea de Episcoporum Conferentiis haec quae sequuntur statuit:

1) Est Episcoporum Conferentia veluti coetus in quo sacrorum Antistites cuiusdam nationis vel territorii munus suum coniunctim exercent ad maius bonum, quod hominibus praebet Ecclesia, provehendum, praesertim per apostolatus formas et rationes, occurrentibus aetatis adiunctis apte compositas.

2) Omnes Ordinarii locorum cuiuscumque ritus, Vicariis Generalibus exceptis, Coadiutores, Auxiliares aliique Episcopi titulares peculiari munere in universa natione fungen-

Textus emendatus

ut veneranda Synodorum et Conciliorum instituta novo vigeant robore, quo aptius et efficacius fidei incremento disciplinaeque conservationi in variis Ecclesiis, pro temporum adiunctis, provideatur.

37. (olim n. 35). [*Conferentiarum Episcoporum momentum*]. Hodiernis potissimum temporibus Episcopi haud raro munus suum apte ac fructuose adimplere non valent nisi cum aliis Episcopis arctiorem in dies suam concordem atque coniunctiorem operam efficiant.[1] Cum autem Episcoporum Conferentiae — pluribus in nationibus iam constitutae — praeclara ediderint uberioris apostolatus argumenta, Sacrosancta haec Synodus summopere expedire censet, ut ubique terrarum eiusdem nationis seu regionis Episcopi in unum coetum confluant, ut statis temporibus simul convenientes, communicatis prudentiae et experientiae luminibus, collatisque consiliis sancta fiat ad commune Ecclesiarum bonum virium conspiratio.

38. (olim n. 36). [*Conferentiarum notio, structura, competentia et cooperatio*]. Propterea de Episcoporum Conferentiis haec quae sequuntur statuit:

1) Est Episcoporum Conferentia veluti coetus in quo sacrorum Antistites cuiusdam nationis vel territorii munus suum coniunctim exercent ad maius bonum, quod hominibus praebet Ecclesia, provehendum, praesertim per apostolatus formas et rationes, occurrentibus aetatis adiunctis apte compositas.

2) Omnes Ordinarii locorum cuiuscumque ritus, Vicariis Generalibus exceptis, Coadiutores, Auxiliares aliique Episcopi titulares peculiari munere *vel ab Apostolica Sede vel*

Textus prior

tes ad Episcoporum Conferentiam pertinent.

Ordinariis locorum necnon Coadiutoribus competit suffragium deliberativum.

Auxiliaribus aliisque Episcopis, quibus ius est Conferentiae interesse, suffragium deliberativum aut consultivum decernent statuta Conferentiae.

3) Quaelibet Conferentia Episcoporum sua conficiat statuta, ab Apostolica Sede recognoscenda, in quibus — praeter alia media — officia provideantur quae fini consequendo efficacius consulant, e. g. Consilium permanens Episcoporum, Commissiones Episcopales, Secretariatus Generalis.

4) Decisiones Conferentiarum Episcoporum, dummodo legitime et per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum Praesulum quibus ius est Conferentiae interesse cum voto deliberativo prolatae necnon ab Apostolica Sede recognitae sint, vim habeant iuridice obligandi in casibus dumtaxat in quibus aut ius commune id praescripserit aut peculiare Apostolicae Sedis mandatum, motu proprio aut ad petitionem ipsarum Conferentiarum datum, id statuerit.

5) Ubi peculiaria adiuncta id postulent, Episcopi plurium nationum, Apostolica Sede approbante, unam poterunt Conferentiam constituere.

Foveantur insuper relationes inter Conferentias Episcopales diversarum nationum ad maius bonum promovendum ac tuendum.

6) Enixe commendatur ut Praesules Orientalium Ecclesiarum, in disciplina propriae Ecclesiae in Synodis promovenda et ad opera in bonum religionis efficacius fovenda, rationem etiam habeant boni communis totius ter-

Textus emendatus [86]

ab Episcoporum Conferentiis demandato fungentes ad Episcoporum Conferentiam pertinent.

Ordinariis locorum necnon Coadiutoribus competit suffragium deliberativum.

Auxiliaribus aliisque Episcopis, quibus ius est Conferentiae interesse, suffragium deliberativum aut consultivum decernent statuta Conferentiae.

3) Quaelibet Conferentia Episcoporum sua conficiat statuta, ab Apostolica Sede recognoscenda, in quibus — praeter alia media — officia provideantur quae fini consequendo efficacius consulant, e. g. Consilium permanens Episcoporum, Commissiones Episcopales, Secretariatus Generalis.

4) Decisiones Conferentiarum Episcoporum, dummodo legitime et per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum Praesulum *qui voto deliberativo fruentes, ad Conferentiam* [87] *pertinent,* prolatae fuerint et ab Apostolica Sede recognitae, vim habeant iuridice obligandi in casibus dumtaxat in quibus aut ius commune id praescripserit aut peculiare Apostolicae Sedis mandatum, motu proprio aut ad petitionem ipsarum Conferentiarum datum, id statuerit.

5) Ubi peculiaria adiuncta id postulent, Episcopi plurium nationum, Apostolica Sede approbante, unam poterunt Conferentiam constituere.

Foveantur insuper relationes inter Conferentias Episcopales diversarum nationum ad maius bonum promovendum ac tuendum.[2]

6) Enixe commendatur ut Praesules Orientalium Ecclesiarum, in disciplina propriae Ecclesiae in Synodis promovenda et ad opera in bonum religionis efficacius fovenda, rationem etiam habeant boni communis totius ter-

[87]

Textus prior

ritorii, ubi plures Ecclesiae diversorum rituum exstant, consiliis in Conferentiis interritualibus collatis, iuxta normas a competenti Auctoritate statuendas.

II – PROVINCIARUM ECCLESIASTICARUM CIRCUMSCRIPTIO ET REGIONUM ECCLESIASTICARUM ERECTIO.

37. [*Principium de recognoscendis circumscriptionibus*]. Animarum bonum non dioecesium tantum sed provinciarum quoque ecclesiasticarum aptam expostulat circumscriptionem, immo et regionum ecclesiasticarum suadet erectionem, ita ut apostolatus necessitatibus iuxta socialia et localia adiuncta melius provideatur, atque faciliores fructuosioresque reddantur Episcoporum relationes sive inter se sive cum Metropolitis et cum ceteris eiusdem nationis Episcopis, necnon et Episcoporum cum civilibus Auctoritatibus.

[88] 38. [*Normae servandae*]. Itaque, ad memoratos fines consequendos, Sacrosancta Synodus haec statuenda decernit:

1) Provinciarum ecclesiasticarum circumscriptiones opportune recognoscantur.

2) Pro regula habeatur ut omnes dioeceses, aliaeque territoriales circumscriptiones quae iure dioecesibus aequiparantur, alicui provinciae ecclesiasticae adscribantur. Proinde dioeceses quae nunc Apostolicae Sedi immediate sunt subiectae quaeque nulli alii uniantur, aut in novam provinciam ecclesiasticam, si id fieri possit, sunt simul componendae aut illi provinciae aggregandae, quae vicinior seu opportunior sit, et iuri metropolitico Archiepi-

Textus emendatus

ritorii, ubi plures Ecclesiae diversorum rituum exstant, consiliis in *conventibus* interritualibus collatis, iuxta normas a competenti Auctoritate statuendas.

II – PROVINCIARUM ECCLESIASTICARUM CIRCUMSCRIPTIO ET REGIONUM ECCLESIASTICARUM ERECTIO.

39. (olim n. 37). [*Principium de recognoscendis circumscriptionibus*]. Animarum bonum non dioecesium tantum sed provinciarum quoque ecclesiasticarum aptam expostulat circumscriptionem, immo et regionum ecclesiasticarum suadet erectionem, ita ut apostolatus necessitatibus iuxta socialia et localia adiuncta melius provideatur, atque faciliores fructuosioresque reddantur Episcoporum relationes sive inter se sive cum Metropolitis et cum ceteris eiusdem nationis Episcopis, necnon et Episcoporum cum civilibus Auctoritatibus.

40. (olim n. 38). [*Normae servandae*]. Itaque, ad memoratos fines consequendos, Sacrosancta Synodus haec statuenda decernit:

1) Provinciarum Ecclesiasticarum circumscriptiones opportune recognoscantur *et iura ac privilegia Metropolitarum novis aptisque normis definiantur*.

2) Pro regula habeatur ut omnes dioeceses, aliaeque territoriales circumscriptiones quae iure dioecesibus aequiparantur, alicui provinciae ecclesiasticae adscribantur. Proinde dioeceses quae nunc Apostolicae Sedi immediate sunt subiectae quaeque nulli alii uniantur, aut in novam provinciam ecclesiasticam, si id fieri possit, sunt simul componendae aut illi provinciae aggregandae, quae vicinior seu opportunior sit, et iuri metropolitico Archiepi-

Textus prior

scopi sunt subiciendae ad normam iuris communis.

3) Ubi utilitas id suadet, provinciae ecclesiasticae in regiones ecclesiasticas componantur, quarum ordinatio iure est statuenda.

39. [*Conferentiarum Episcopalium votum exquirendum*]. De huiusmodi provinciarum circumscriptione aut regionum erectione studium committitur competentibus Episcoporum Conferentiis, iuxta normas iam de dioecesium circumscriptione in art. 21 et 22 statutas.

III – Episcopi munere interdioecesano fungentes

40. [*Peculiarium officiorum constitutio et cooperatio cum Episcopis*]. Cum necessitates pastorales magis magisque requirant ut quaedam pastoralia munia concorditer seu communiter regantur et promoveantur, expedit omnino ut in servitium omnium vel plurium dioecesium alicuius determinatae regionis aut nationis nonnulla constituantur officia, quae etiam Episcopis committi possunt.

Commendat autem Sancta Synodus ut inter Praelatos seu Episcopos, his muneribus perfungentes, et Episcopos dioecesanos atque Conferentias Episcopales fraterna semper vigeat communio et animorum in sollicitudine pastorali conspiratio, cuius rationes etiam iure communi definiantur oportet.

41. [*Vicariatus Castrenses*]. Cum spirituali militum curae, ob peculiares eorumdem vitae condiciones, eximia debeatur sollicitudo,

Textus emendatus [88]

scopi sunt subiciendae ad normam iuris communis.

3) Ubi utilitas id suadet, provinciae ecclesiasticae in regiones ecclesiasticas componantur, quarum ordinatio iure est statuenda.

41. (olim n. 39). [*Conferentiarum Episcopalium votum exquirendum*]. *Expedit ut competentes Episcoporum Conferentiae quaestioni* de huiusmodi provinciarum circumscriptione aut regionum erectione *studeant,* iuxta normas iam de dioecesium circumscriptione in nn. 21 et 22 statutas, *et consilia ac vota sua Apostolicae Sedi proponant.*

III – Episcopi munere interdioecesano fungentes

42. (olim n. 40). [*Peculiarium officiorum constitutio et cooperatio cum Episcopis*]. Cum necessitates pastorales magis magisque requirant ut quaedam pastoralia munia concorditer seu communiter regantur et promoveantur, expedit ut in servitium omnium vel plurium dioecesium alicuius determinatae regionis aut nationis nonnulla constituantur officia, quae etiam [89] Episcopis committi possunt.

Commendat autem Sancta Synodus ut inter Praelatos seu Episcopos, his muneribus perfungentes, et Episcopos dioecesanos atque Conferentias Episcopales fraterna semper vigeat communio et animorum in sollicitudine pastorali conspiratio, cuius rationes etiam iure communi definiantur oportet.

43. (olim n. 41). [*Vicariatus Castrenses*]. Cum spirituali militum curae, ob peculiares eorumdem vitae condiciones, eximia debeatur

[89] *Textus prior*

in unaquaque natione erigatur, pro posse, Vicariatus Castrensis, cuius Ordinarius necnon cappellani in concordi cum Episcopis dioecesanis cooperatione huic difficili operi impense se devoveant.

Quare Episcopi dioecesani Ordinario Castrensi concedant numero sufficienti sacerdotes huic gravi muneri aptos simulque faveant inceptis ad bonum spirituale militum provehendum.

Mandatum generale

42. Mandat Sacrosancta Synodus, ut in recognoscendo Codice Iuris Canonici aptae definiantur leges, ad normam principiorum quae in hoc Decreto statuuntur, perpensis etiam animadversionibus quae vel a Commissionibus vel a Patribus Conciliaribus prolatae sunt.

Mandat insuper Sancta Synodus ut Directoria generalia de cura animarum conficiantur in usum tum Episcoporum tum parochorum, ut certae ipsis praebeantur rationes ad proprium munus pastorale facilius aptiusque obeundum.

Conficiantur etiam tum speciale Directorium de cura pastorali peculiarium fidelium coetuum pro diversis singularum nationum vel regionum adiunctis, tum Directorium de catechetica populi christiani institutione, in quo
[90] agatur de fundamentalibus eiusdem institutionis principiis et ordinatione deque elaboratione librorum ad rem pertinentium. In iis vero Directoriis conficiendis ratio item habeatur animadversionum quae sive a Commissionibus sive a Patribus Conciliaribus exhibitae sunt.

Textus emendatus

sollicitudo, in unaquaque natione erigatur, pro posse, Vicariatus Castrensis, cuius Ordinarius necnon cappellani in concordi cum Episcopis dioecesanis cooperatione huic difficili operi impense se devoveant.[3]

Quare Episcopi dioecesani Ordinario Castrensi concedant numero sufficienti sacerdotes huic gravi muneri aptos simulque faveant inceptis ad bonum spirituale militum provehendum.[4]

Mandatum generale

44. (olim n. 42). Mandat Sacrosancta Synodus, ut in recognoscendo Codice Iuris Canonici aptae definiantur leges, ad normam principiorum quae in hoc Decreto statuuntur, perpensis etiam animadversionibus quae vel a Commissionibus vel a Patribus Conciliaribus prolatae sunt.

Mandat insuper Sancta Synodus ut Directoria generalia de cura animarum conficiantur in usum tum Episcoporum tum parochorum, ut certae ipsis praebeantur rationes ad proprium munus pastorale facilius aptiusque obeundum.

Conficiantur etiam tum speciale Directorium de cura pastorali peculiarium fidelium coetuum pro diversis singularum nationum vel regionum adiunctis, tum Directorium de catechetica populi christiani institutione, in quo agatur de fundamentalibus eiusdem institutionis principiis et ordinatione deque elaboratione librorum ad rem pertinentium. In iis vero Directoriis conficiendis ratio item habeatur animadversionum quae sive a Commissionibus sive a Patribus Conciliaribus exhibitae sunt.[5]

NOTAE [90]

Caput III - *De Episcopis in commune plurium Ecclesiarum bonum cooperantibus*

et

MANDATUM GENERALE

[1] Sunt enim nonnulla negotia quae communem omnium Episcoporum agendi rationem expostulant, praesertim si totam attingant nationem; talia sunt v. g. negotio de re scholari, administrativa, de morali usu iurium civilium et his similia.

Praeterea aliquando declarationes publicae nomine omnium Episcoporum faciendae sunt, quarum aliae maximi momenti esse possunt, uti declarationes quae publicam opinionem valde commovere valeant fideliumve admirationem gignere, aut quae nimium a recepta communi agendi vel sentiendi ratione discrepent, aut quae cum declarationibus de eadem materia a finitimis Episcoporum Conferentiis forte latis pugnent, et his similia.

[2] Relationes inter Conferentias Episcopales diversarum Nationum opportunis et congruentibus mediis haberi poterunt per earumdem Conferentiarum Secretariatus et inter alia haec praesertim spectare poterunt:

a) communicare praecipuas agendi rationes praesertim in re et actione pastorali;

b) transmittere scripta vel folia, quae decisiones Conferentiae referant vel acta seu documenta, quae ab Episcopis communi consilio edantur;

c) significare varia apostolatus incepta, a Conferentia Episcopali proposita vel commendata quaeque utilia esse possint in casibus similibus;

d) proponere graviores quaestiones, quae hodiernis temporibus et in particularibus adiunctis maximi momenti esse videantur;

e) indicare pericula vel errores in propria Natione serpentia, quae in alios etiam populos irrepere possint, ita ut apta et opportuna media adhibeantur ad illa praecavenda vel auferenda vel coarctanda, et his similia.

[3] Cf. S. C. CONSISTORIALIS: *Instructio de Vicariis Castrensibus*: 23 apr. 1951: *A.A.S.*, 43 (1951), pp. 562-565; *Formula servanda in relatione de statu Vicariatus Castrensis conficienda,* 20 oct. 1956: *A.A.S.*, 49 (1957), pp. 150-163; Decretum: *De Sacrorum Liminum Visitatione a Vicariis Castrensibus peragenda*: 28 febr. 1959: *A.A.S.*, 51 (1959), pp. 272-74; Decretum: *Facultas audiendi confessiones militum Cappellanis extenditur*: 27 nov. 1960: *A.A.S.*, 53 (1961), pp. 49-50.

S. C. DE RELIGIOSIS: *Instructio de Cappellanis militum religiosis*: 2 febr. 1955: *A.A.S.*, 47 (1955), pp. 93-97.

[4] Cf. S. C. CONSISTORIALIS: *Epistula* ad Em.mos PP. DD. Cardinales atque [91] Exc.mos PP. DD. Archiepiscopos, Episcopos ceterosque Ordinarios Hispanicae Ditionis, 21 iun. 1951: *A.A.S.*, 43 (1951), p. 566: « Ideoque meminerint Episcopi animarum Pastores, tunc pastoralis ministerii opus impleri, si Vicario Castrensi libenter praesentare ac concedere velint nonnullos sibi subiectos sacerdotes, aptis quidem virtutibus exornatos, quibus Ille rite exercere valeat spiritualem militum curam, quos inter unicuique Praesuli nonnullas oves de concredito sibi grege annumerare fas erit ».

[91] [5] In his autem Directoriis conficiendis in primis prae oculis haberi debent Directoria iam apparata a Commissione de Episcopis ac dioecesium regimine et a Commissione de disciplina Cleri et populi christiani, quae referebantur in Appendicibus praecedentis schematis Decreti « De cura animarum ».

[92] RELATIO DE CAPITE III

A) Praesens Cap. III quod Vestrae considerationi, Venerabiles Patres, iterum subicitur, in praecedenti schemate *de Episcopis ac de dioecesium regimine,* inscribebatur: *De Nationali Episcoporum Coetu seu Conferentia.*

Novum nunc habet titulum, qui tertio aspectui episcopalis muneris respondet et principia atque instituta exprimit, quibus in bonum plurium Ecclesiarum sive finitimarum, sive eiusdem territorii aut nationis, sive demum plurium nationum, vel circumiacentium vel similibus problematibus affectarum, satius occurri possit.

Nova ratione ordinatum, et in tres articulos exstat partitum.

Causa princeps totius tractationis huius capitis hinc quaerenda:

1) ex necessitate illius consensionis et conspirationis validioris usque reddendae, qua catholicae Hierarchiae ordines vitali fidei caritatisque foedere inter se coniungi debent;

2) ex necessitate invicem prudentiae lumina communicandi, consilia conferendi voluntatesque consociandi;

3) ex necessitate demum opera coniungendi, iunctisque viribus connitendi ad communem provehendam tuendamque religionis causam. Mira enim haec consensio et concordia faustum ac felix omen erit quod meliora tempora Ecclesiae spondet.

Plurimae exstantes in hac materia differentiae Ecclesias Orientales inter et Ecclesiam Latinam, impediverunt, quominus in schemate eaedem ederentur pro omnibus normae: ast sub n. 36, 6, *pag. 23* [1], huic rei provisum est suadendo, ut *Conventus interrituales* constituerentur, his conciliaribus legibus pro posse regendi, quibus commune bonum totius territorii, ubi plures Ecclesiae diversorum rituum sunt, provehi posset. Hanc agendi rationem ipsius Commissionis de Ecclesiis Orientalibus menti apprime respondere aperte nobis patuit.

Onus hodie nobis incumbit rationes Vobis declarandi novi huius confecti schematis et imprimis quas ob causas, aliquorum Patrum desideriis *posthabitis* [2], hae prae aliis, selectae fuerint emendationes quae in fasciculo continentur.

1) Materia primi articuli: « *Synodi, Concilia et praesertim Episcoporum Conferentiae* » quae in praecedenti schemate totum erat caput III et novem constabat numeris, in praesenti schemate — attentis votis a Patribus in secunda Sessione prolatis necnon normis a Commissione de Concilii laboribus coordinandis, editis — ad tres tantummodo numeros coarctata est (33-36). [92]

Quaedam vero ex praecedenti schemate seposita sunt non quia inutilia, sed quia ex natura rei supposita, ab eaque requisita et quia consulendum erat libertati uniuscuiusque Conferentiae ea statuendi, quae sibi utiliora putarentur. Hanc ob causam nihil statuit schema: de praeside, de frequentia congressionum, de modo suffragii dandi, de agendi ratione etc. Eadem dici possunt de Consilio episcopali permanenti, de Commissionibus, de Secretariatu generali constituendis, quae sub n. 36, 3 tamquam exempla relata sunt, quia certa iam habetur de hac re consuetudo in Conferentiis exstantibus et quia non in omnibus nationibus parem induere possunt aspectum seu formam. [93]

Ideo ad sententiam propositam quod attinet, utrum hic conficiendum sit perfectum Statutum an dari sufficiat summa legum lineamenta, opportunum visum est via media incedere, statuere nempe elementa, quae universis nationibus aptari possint, dum Conferentia, iuxta usus et necessitates, suas quaeque decernet de ceteris aptas normas.

2) Terminus « natio » non potuit omnino deleri, quia hic de Conferentiis Episcopalibus universae cuiusdam nationis agitur et quia in Apostolicis Litteris « Sacra Liturgia » diei 25 ianuarii 1964, idem verbum *nationale* adhibitum et statutum est.

3) *Quoad fundamentum doctrinale* cui innitantur Episcoporum Conferentiae, perplures fuerunt sententiae: esse scilicet collectivam Episcoporum potestatem, eorum in universam Ecclesiam missionem, communionem veritatis et caritatis in Eucharistia praefiguratam, aut in Ecclesiarum localium koinonia, etc.

Eodem tempore explicatum fuit a nonnullis Em.mis et Exc.mis Patribus, quam vocant collegialitatem non posse retineri tanquam fundamentum theologicum Conferentiarum episcopalium.

Quapropter huic Commissioni opportunum visum est innuere solummodo rationibus historicis atque necessitati hodiernis temporibus agendi in communione veritatis et caritatis, quia ceterae rationes sive in schemate ...[3] passim adumbrantur.

His praemissis rerum summam attingentibus, pauca nobis exponenda supersunt, quae res maioris momenti in hoc primo articulo propositas illustrari valeant.

[93] I) - Ad n. 34: *De synodis seu conciliis particularibus*: Quibusdam Patribus placuit huiusmodi synodorum seu conciliorum commemorare momentum hortarique ut maiora caperent incrementa et aptioribus temperarentur legibus, quibus expeditior fieret eorum celebratio. Nostra Commissio, Patrum votis collectis et perpensis, proposuit ut tota materia in condendo Codice Iuris Canonici ordinaretur et innovaretur. Hac de causa in articulo II huius Capitis (nn. 37-39) tum principia, tum normae summatim edita sunt ad provinciarum ecclesiasticarum aptiorem circumscriptionem, atque ad regionum ecclesiasticarum erectionem spectantia.

[94] II) - Ad nn. *35, 36* [4]: Magno spectato episcopalium Conferentiarum momento, earumque consideratis uberioris apostolatus praeclaris editis fructibus, nostra Commissio maiorem eis tribuit partem. Attamen eorundem episcopalium coetuum minime ausa est definitionem tradere, sed descriptionem quandam (n. 36, 1), ideas et notiones adumbrantem, quibus fere omnes exstantes nunc Conferentiae definiuntur vel describuntur. Earundem finem potissimum exponere cordi fuit, ut, praeter alia, Ecclesiae quoque materna et sedula cura in sua splendesceret universo connaturali campo, qui omnia complectitur bona, quibus melior fieret omnium hominum condicio tum ad spiritualia, tum ad materialia indirecte, quod attinet.

Quo satius haec bona provehantur rationes et formas continuo ampliores iugiterque aptiores sese postulat crebrescentia vel maturescentia tempora; ideo laboris operaeque methodos unaquaeque Conferentia sibi vindicet necesse est Commissiones *aptaque* [5] organa sibi sponte donans riteque componens.

III) - Tres fuerunt implicatiores quaestiones, id est:

1) Quibus Praesulibus competeret interesse Conferentiae,

2) Qua suffragii specie praesentes frui deberent,

3) Et an et quae decisiones vi iuridica muniendae essent.

1) *Circa primam,* nempe qui Praesules iure constituant Conferentiam et conventibus interesse possint, plures, uti scitis, prolatae fuerunt sententiae. Quibusdam placuit, ut Conferentia tantum Episcopis residentialibus constaret; aliis, ut Episcopis praesertim Coadiutoribus, Auxiliaribus etiam, immo Episcopis quoque titularibus in natione degentibus sive munus aliquod gerentibus, sive non; aliis addere placuit etiam Vicarios capitulares, licet non Episcopos, Delegatos Conferentiae religiosorum, Delegatos Episcopi impediti. Ceteras sententias omittam sinatis, quae vario colore pinguntur.

Cum Conferentiae episcopales natura sua sint Episcoporum coetus ad regnum Dei efficacius usque dilatandum viribus unitis conspirantes, Commissioni visum est sententiae illi adhaerendum, iuxta quam omnes qui peculiari munere funguntur tum ab Apostolica Sede tum a Conferentia Episcopali demandato Conferentiae adesse debeant eamque constituant, i. e. « omnes Ordinarii locorum cuiusque ritus, etc. etc. ». [94]

2) *Circa secundam,* qua videlicet suffragii specie ad res statuendas et ad quaestiones solvendas frui deberent ii qui Conferentiae conventibus intersunt, tria proposita fuerunt consilia, nempe:

a) ut omnes praesentes suffragio deliberativo fruerentur, quia ius praesentiae in charactere episcopali fundaretur;

b) ut eodem fruerentur tantummodo Episcopi residentiales, quia idem ius in potestate iurisdictionis inniteretur;

c) ut demum etiam Coadiutores cum iure successionis eodem iure pollerent, quia ius ad dioecesim possident.

Nostra Commissio, iudicans praeminentem virtutem iis servandam esse, quibus vel actu vel futuro iure cura dioecesis collata est quatenus subiecta sint activa iurisdictionis, et simul prae oculis habitis memoratis Litteris Apostolicis « Sacram Liturgiam » in his, quae Conferentiis Episcoporum nationalibus tribuuntur pro applicandis normis de Sacra Liturgia, sententiis favere maluit, quae Ordinariis locorum necnon Coadiutoribus suffragium deliberativum conferunt. Aperte tamen Conferentiis libertatem relinquendam esse censuit ceteros titulares Episcopos donandi, si res ferat, suffragio *vel*[6] deliberativo. Id vero statuatur oportet in plenariis conventibus, in quibus Conferentiae Statuta conduntur. [95]

Necesse est ut unaquaeque Conferentia etiam illae, quae consuetudine potius quam scriptis normis regantur, statuta scripta sibi dent, ab *ipsa*[7] confecta, novis huius temporis adiunctis, hisque normis, quoad posse, accommodata, atque ab Apostolica Sede tamen recognoscenda.

Evidens est Statuta conficienda esse tantummodo ab Ordinariis voto deliberativo fruentibus.

3) Novum quid affertur *circa tertiam* quaestionem, i. e. circa vim iuridicam decisionum Conferentiae (n. 36, 4). Probe comperta sunt plurima in hac Aula proposita vota sive necessitatem imponendi hanc vim, sive naturam vinculi respicientia, aut scilicet lege morali, aut lege consociationis exsurgentes, sive demum negotia urgenda et qua suffragiorum proportione.

Ex sententiis prolatis rite examinatis, clare apparet maiorem earum partem aliquam vim iuridicam decisionibus tribuendam esse postulavisse. Quapropter hanc sententiam amplecti necesse fuit; ceterum vi obligandi

[95] in re liturgica iam pollent Conferentiae nationales legitime constitutae, ad normam Constitutionis huius sacri Concilii Vaticani II « De Sacra Liturgia » n. 22, § 2, *collatae* [8] cum Motu proprio « Sacram Liturgiam » X.

Quoad obiectum seu negotia vi iuridica urgenda, cum omnes Patres, qui obligationi iuridicae adhaeserunt, fere *unanimi* [9] consenserunt circa obiectum sub littera *a*) superioris schematis recensitum, nostra Commissio ad tria capita eadem redegit, nempe:

1) ad negotia quae *iure communi* obligatione iuridica statuenda sunt, quaeque hucusque tantum ad liturgiam pertinent ut supra innuimus;

2) ad ea negotia, quae Apostolica Sedes Conferentiae, motu proprio seu peculiari mandato, commiserit decernenda;

3) ad negotia circa quae Conferentia potestatem decernendi ab eadem Apostolica Sede obtinuerit.

Neminem latet haec taxative intelligenda esse et suffragiorum copia necessaria ut petantur ab Apostolica Sede negotia vi iuridica decernenda, ea esse debet quae sub n. 36, 4 statuitur, de qua singillatim statim loquar cum novitatem quandam redoleat.

IV) - Commissioni nostrae cordi fuit praecavere ne *minor* [10] Episcoporum totius nationis pars decisionibus ligaretur minoris eorum partis;
[96] quod certo contingere potest, cum duabus tantummodo ex tribus partibus Episcoporum conventui *plenario* [11] Conferentiae adstantium ius tribuitur Decreta statuendi.

Quam ob rem propositum est ut vim iuridicam induerent solummodo decisiones quae « per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum Praesulum », *qui voto deliberativo fruentes ad Conferentiam pertinent,* prolatae fuerint.

Episcoporum libertati in regenda dioecesi his normis tutius cautum esse, plane liquet.

De modo autem colligendi suffragia Praesulum, qui a plenario Conventu forte absint, Conferentia decernendum curabit.

B) *Secundus* huius capitis *articulus,* qui inscribitur « *Provinciarum ecclesiasticarum circumscriptio et regionum ecclesiasticarum erectio* », nn. 39-41 comprehendit.

Si veneranda synodorum seu conciliorum instituta non tantum manere, sed novo debent robore vigere, necessitas exsurgit circumscriptiones provinciarum recognoscendi. Qua ratione? Primum: ut omnes Episcopi ad unum confluant Metropolitam, abolito dioecesibus privilegio immediatae subiectionis Apostolicae Sedi; dein ut provinciae congruenti suffraganeorum numero constent, territorium sit continuum, similes aut

pares sint condiciones sociales, psychologicae, oeconomicae, geographicae, historicae. [96]

Necessitas inde consequitur Metropolitarum Archiepiscoporum iura et privilegia in novo Codice I. C. opportune pariter recognoscendi.

C) *Ad tertium articulum* quod attinet id est: *Episcopi munere interdioecesano fungentes*; de quibus nn. 42-43, sufficiat adnotare: Nomine Praelati munere interdioecesano fungentis veniunt: ii Praesules qui vel ab Apostolica Sede vel a Conferentia Episcopali cuidam peculiari muneri aut peculiari hominum coetui praeficiuntur in ambitu interdioecesano sive regionali sive nationali: uti e. g. habendi sunt Vicarii Castrenses, Rectores Universitatum, Assistentes nationales Coetus Actionis Catholicae et ceterorum catholicorum Sodaliciorum, Inspectores aut Deputati aut Directores, uti dicuntur, ad particularia opera moderanda, etc.

Peculiare momentum tribuitur Vicariis Castrensibus; viginti duo enim Vicariatus Castrenses in Orbe exstantes non tantum ignorari a nostro Concilio nequeunt, sed in eos animum intendere necesse prorsus est.

Id quidam etiam postulavere Patres. Vicarius Castrensis non tantum nostri apostolatus efficax socius aestimandus, sed et ipse Pastor ordinaria episcopali potestate praeditus, nostrae insomnis curae particeps, cui omnia adiumenta praestanda quae eius gravi muneri fructuose exercendo conferre possunt.

Alias bonorum origines ostendit schema n. 38, 5°, Conferentiam scilicet plurium nationum eiusdem continentis, atque arctas inter Con- [97]
ferentias relationes. Mediis enim et consiliis — quibus aliae abundent — invicem communicatis, ceterae feliciter ditabuntur. Institutio C.E.L.A.M. satis docet.

Animadversiones sive scriptis editas sive ore in Aula in hac tertia Concilii Sessione prolatas nostra Commissio attento studio subiecit. Cum perpaucae prorsus fuerint atque de iisdem iterum iterumque egerint negotiis, de quibus iudicium iam latum fuit, concludere licet Caput III Patribus satis placuisse.

Haec nostri laboris est conclusio: spes affulget, vestris placitis acquievisse, vestrumque beneplacitum posse mereri.

† HERMANNUS SCHAÜFELE
Archiepiscopus Friburgensis

In oratione: [1] pag. 87. [2] postpositis. [3] theologico sive in prooemio sive alibi in hoc schemate. [4] 37-38. [5] apta. [6] etiam. [7] ipsis. [8] collataeque. [9] unanimes. [10] maior. [11] et.

[98] RELATIO DE SINGULIS NUMERIS CAPITIS III

De capite III in genere

1) Quidam Pater animadvertit totum caput III (nn. 34-42) esse reducendum ad breves ac paucas propositiones essentiales, cetera tractanda in CIC.

Sed Commissio iudicavit schema iam essentialia tantum complecti et non posse adhuc coarctari quoad materiam.

2) Scripsit quidam Pater: « Ubi numerus Episcoporum magnus est, Conferentiae sint regionales; sed regiones vastae sint ». Nullum attulit argumentum.

Conferentiis regionalibus clare innuitur in n. 35 (nunc 37) schematis nostri. Opportunius visum est id relinquere iudicio Conferentiae nationalis, quae rationes et modos statuere potest quibus inter se communicent operamque consocient. N. 33 (nunc 39) schematis huic rei pariter consulit, erectionem regionum suadens.

Ad n. 36 (nunc n. 38)

P. 23, ad 1) linn. 1-5: Proposita est ab aliquo Patre nova descriptio Conferentiae: « Est Episcoporum Conferentia veluti coetus seu conventus in quo sacri Antistites cuiusdam nationis vel territorii sua sponte congregantur ad amice conferendum ac statuendum circa ea quae pro tutela rei catholicae, pro bono et incremento Ecclesiae Christi et pro salute animarum suscipienda videantur ». Ratio est, quia descriptio in schemate edita dubium inducere potest quod iste coetus potestatem habeat leges ferendi veluti Concilium provinciale aut nationale.

Conferentiae Ep. revera ante Concilium oecumenicum semper habitae sunt amicales conventus, sed Patres huius Concilii Vaticani II clarissime significarunt Conferentiis dandum esse statum quemdam iuridicum. Praeterea ut in schemate de Ecclesia legitur: quemadmodum in Synodis et Conciliis ita et in istis Conferentiis quaedam adumbrata collegialitatis indoles videnda esset (« quemadmodum in Conciliis perantiquae aetatis » — Schem. De Ecclesia, n. 22 textus emendati). Idcirco Commissio putavit textum schematis non esse mutandum.

P. 23, ad 2) linn. 8-9: quidam Patres proposuerunt ut diceretur: « ... Episcopi titularis peculiari munere in natione aut regione fungentes »; quia aliqui Episcopi titulares munere peculiari possunt fungi sed non pro universa natione.

Commissio textum emendavit hoc sensu: « ... aliquo munere ab Apostolica Sede vel a Conferentia demandato ». [98]

P. 23, ad 2) linn. 13-15: Aliqui Patres exoptant ut suffragium deliberativum competat omnibus qui ad Conferentiam pertinent, ideoque etiam Auxiliaribus. Episcopi enim, sicut ceteri, sunt; membra sunt corporis Episcoporum; sollicitudine pro universa Ecclesia tenentur; in partem sollicitudinis Episcopi dioecesani vocati sunt. [99]

Licet in praecedenti Sessione plures fuerint voces Patrum, votum deliberativum Auxiliaribus concedentes, in nostra Commissione semper praevaluit mens ut voto deliberativo tantum fruerentur Episcopi qui actu vel futuro iure pollerent iurisdictione.

Haec decisio magis praevaluit cum promulgatae fuerunt Apostolicae Litterae « Sacram Liturgiam » diei 25 ianuarii 1964, quibus constituitur ut Conferentiis nationalibus — cum agitur de statuendis normis liturgicis — iure intersint ii de quibus in can. 292 CIC « cum potestate ferendi suffragium ». Hi sunt, uti compertum est: Metropolitae et suffraganei Ordinarii locorum, Archiepiscopi suffraganeis carentes, Episcopi qui nulli Metropolitae subiciuntur et etiam ii qui nomine Episcopi veniunt, id est Abbas et Praelatus nullius.

P. 23, ad 2): aliquis Pater vellet ut ad Conferentias Ep. etiam aliqui deputati a Superioribus Maioribus Religiosis vocarentur saltem cum voce consultativa. Cooperatio enim religiosorum cum clero dioecesano valde optatur.

Sed Commissio formulae praesentis schematis adhaesit, quia Conferentiae sunt Episcoporum. Nihil impedit quominus opportunis modis Conferentia relationes instituat cum religiosis ut efficacius commune bonum provehatur: quod ceterum commendatur in n. 33, 5) (nunc n. 35).

P. 23, ad 3) lin. 20: Desideravit quidam Pater ut adderentur verba: « ... quae omnia officia, *incluso officio praesidis, per suffragia secreta ad determinatum tempus* eligi in ipsis Conferentiis Ep. et a S. Sede adprobari debent ». Ratio est, ut magis tueatur libertas Episcoporum et eorum fraterna caritas. Idem praeses per longum temporis spatium vertitur in damnum Ecclesiae, in damnum caritatis Episcoporum et eorum collegialis aequalitatis.

Commissioni magis expedire visum est ut de hac re taceretur in schemate ita ut unicuique Conferentiae libertas relinqueretur statuendi — suis attentis adiunctis —. Experientia inde suadente, totum negotium definiri poterit in novo Codice I. C.

Quod ab Apostolica Sede adprobetur praeses, non est necesse et nunquam hactenus factum est.

[99] P. 23 ad 3) linn. 16-20: Propositum est ab aliquo Patre ut clare enuntiaretur: *a*) quod Institutiones a Conferentia erectae vel erigendae a regimine Conferentiae dependeant, non ab Ordinario loci in quo sunt et operantur; *b*) quod associationes fidelium, tum religiosae tum civiles — mixtae, quae habent regimen centrale vel nationale subiciantur
[100] regimini Conferentiae Ep.; *c*) quod hae associationes in sua actione indigeant licentia Ordinarii loci, cuius erit iudicare de earumdem utilitate pastorali in sua dioecesi.

Cum, iuxta normas statutas, schema coarctari debuisset, omissus fuit articulus de competentia Conferentiarum sed, collatis consiliis et concordia duce, haec omnia sibi statuere poterunt Conferentiae, quarum interest, nisi Apostolica Sedes harum associationum directionem sibi reservaverit.

P. 23, ad 4): iuxta votum cuiusdam Patris determinanda essent negotia de quibus Conferentiae Ep. possent statuere sine recursu ad Apostolicam Sedem: *a*) de usu linguae vernaculae in liturgia, saltem post determinationem factam ab aliquibus Episcopis a S. Sede adprobatis; *b*) de regimine et dispositione Studiorum in seminariis; *c*) de exercitio actionis catholicae atque apostolatus laicorum.

Brevitatis gratia caput de competentia Conferentiae omissum est, quia elenchus rerum potuisset esse satis amplus. Ceterum de usu linguae vernaculae in liturgia iam Concilium decrevit et semper ab Apostolica Sede assertum est actionem catholicam ab Episcopis dependere. Ipsis fas est concordi animo procedere et normas edere, exercitium apostolatus efficacius reddentes.

P. 23, ad 4): petivit quidam Pater ut ediceretur principium generale, id est: Conferentiae Ep. vim non sortiuntur obligandi — saltem in quibusdam materiis — nisi beneplacitum accedat Sedis Apostolicae.

Schema habet: « dummodo... ab Apostolica Sede recognitae sint... ». Hoc placuit nostrae Commissioni nec textus mutandus videtur cum nullum novum argumentum afferatur.

P. 33, ad 4): aliquis Pater proposuit hunc textum: « Decisiones Conferentiarum, plerumque valorem moralem tantum induant. Decisiones iuridice obligantes perpaucae sint et quidem in casibus gravissimis et dummodo legitimo et per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum probatae necnon ab Apostolica Sede recognitae ».

Omnia haec statuit schema nostrum; quod maiori cautela tutari voluit Episcoporum independentiam, cum requirat duas ex tribus partibus suffragiorum omnium Praesulum Conferentiae voto deliberativo fruentium.

P. 33, ad 4) linn. 21-23: quidam Patres, quoad proportionem suf- [100] fragiorum ad decernendas res obligatione iuridica, postularunt ut diceretur: « Per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum Praesulum quibus ius est Conferentiae interesse cum voto deliberativo *praesentium* prolatas... ».

Ratio allata est: quia in magnis nationibus, facile accidere potest quod tertia pars Praesulum quibus ius est interesse cum voto deliberativo, ob varias rationes, non sit praesens.

Nulla invenitur formula votis omnium satisfaciens. Rationes ad innovandam formulam non principiis positivis innituntur sed peculiaribus [101] adiunctis cuiusdam nationis. E contra, in pluribus nationibus condiciones illae non existunt. De modo colligendi suffragia ipsa Conferentia decernendum curabit.

P. 23, ad 4): quidam Episcopi exoptarent ut circa proportionem votorum et circa negotia vi iuridica a Conferentiis statuenda, servarentur dispositiones praecedentis schematis. Nullum afferunt argumentum.

Sed mens plurimorum Patrum, qui locuti sunt in Aula anno praeterito, formulam novi huius schematis suasit quoad negotia vi iuridica decernenda. Quoad proportionem votorum Commissio statuit formulam novi schematis ut praecaveretur ne sententia minoris partis Episcoporum nationis maior eorum pars ligaretur.

Ad n. 37 (nunc n. 39)

P. 24, linn. 6-13: quidam Pater animadvertit non amplius provincias ecclesiasticas esse necessarias, quia sufficiunt Conferentiae Episcopales.

Sed plures Patres in Aula magnificaverunt momentum Conciliorum sive provincialium sive plenariorum. Praeterea in pluribus nationibus vigent et fructum afferunt quinquennales vel annuales conventus Metropolitae cum suis suffraganeis.

Ad n. 38 (nunc n. 40)

P. 24, linn. 21-25: votum expressit unus Pater: 1) ut aboleretur institutum dioecesium immediate S. Sedi subiectarum ita ut omnes Episcopi pari iure Conferentiae Ep. interessent; 2) ut iura et officia Metropolitae instaurarentur eum in finem ut omnes Metropolitae uniuscuiusque nationis efformarent Consilium directivum Conferentiae Ep.

Quoad 1: provisum est n. 40, 2 (olim n. 38, 2) huius schematis

Quoad 2: hoc consilium idem fere esset ac Comitatus seu Consilium permanens Episcoporum in pluribus existentibus Conferentiis con-

[101] stitutum, de quo mentio fit n. 38, 3 (olim n. 36) tanquam organo ad libitum Conferentiae constituendo. Commissio vero confirmavit, iuxta postulata aliorum Patrum in Aula conciliari edita, non esse obligatione statuendum.

Ibid.: Duobus Patribus non placuit ut abolerentur dioeceses Apostolicae Sedi immediate subiectae. Quia: *a*) ista subiectio immediata est signum honoris, sicut titulus Assistentis Solio Pontificio; *b*) non officit disciplinae nec in regionibus conciliaribus, nec in Conferentiis Episcopalibus.

Sed Commissio tenet pro suppressione, quia ratio historica aut honorifica non debet praevalere super bonum regimen dioecesium. Ceterum dicitur « *pro regula* »; unde ex se non excluduntur exceptiones, quarum iudex est Apostolica Sedes.

[102] *Ad n. 39 (nunc n. 41)*

Parvae quaedam mutationes in textu schematis inductae sunt, ut hic congrue accommodaretur ad mutatum textum n. 24 (olim n. 22).

Ad n. 40 (nunc n. 42)

P. 25: aliquis Pater asseruit non esse multiplicanda officia et obligationes, quia timens ne officia, quae in servitium plurium dioecesium alicuius nationis constituenda Schema suggerit, impedimenti fiant.

De hac re Conferentiae Ep. valebunt iudicare. Multis in locis ea officia utilia evasura esse neminem latet. Cum, ut legitur in hoc numero, « necessitates pastorales magis magisque requirant ut quaedam pastoralia munia concorditer regantur et promoveantur... ».

Ad n. 41 (nunc n. 43)

P. 25: animadvertit quidam Pater: Cappellani militum aliique ad curam peculiaris fidelium coetus addicti, quoad ecclesiasticam disciplinam et quoad alia quae specificum ministerium non respiciunt, subdantur Ordinario loci ubi inveniantur.

Commissio censet non esse certe hic locum de iis statuendis, quia hic agitur de Episcopis in commune cooperantibus. Tamen ad militum Cappellanos quod attinet, recte providit Instructio « de Vicariis Castrensibus » diei 23 aprilis 1951; quoad ceteros cappellanos recurri potest ad can. 14 CIC, et Conferentiae quoque Ep. decernere valent.

Ad n. 42 (nunc n. 44) [102]

P. 25: plures Patres proposuerunt addenda haec verba: « Constitutiones omnium familiarum Religiosarum, quae operibus apostolicis incumbunt, ad principia in hoc Decreto contenta adamussim et quam citius accommodentur ».

Sed de hoc iam provisum in n. 35 (olim n. 33) p. 20, linn. 9-10.

ORDO SUFFRAGATIONUM *

SCHEMATIS
DE PASTORALI EPISCOPORUM MUNERE IN ECCLESIA

Die IV Novembris:

1ª nn. 1-3: Prooemium.
2ª n. 4: Potestatis Collegii Episcoporum exercitium.
3ª nn. 5-7: Consilium Centrale; Episcopi sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes; operosa caritas erga Episcopos vexatos.
4ª n. 8: Episcoporum in propria dioecesi potestas.
5ª nn. 9-10: Romanae Curiae Dicasteria, Membra et Officiales...

} per *placet* vel *non placet*

6ª super integro capite primo, per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

7ª nn. 11-18: Episcoporum munera.

Die V Novembris:

8ª nn. 19-20: Episcoporum libertas eorumque nominatio.
9ª n. 21: Episcoporum a munere renuntiatio.
10ª nn. 22-24: Dioecesium circumscriptio.
11ª nn. 25-26: Episcopi Coadiutores et Auxiliares.
12ª nn. 27-29: Curiae dioecesanae ordinatio et Consilium pastorale; Sacerdotes dioecesani; Sacerdotes operibus supraparoecialibus addicti.
13ª nn. 30-32: Parochorum munera; Parochorum nominatio, translatio, amotio et renuntiatio; Paroeciarum erectio et innovationes.
14ª nn. 33-35: Religiosi et apostolatus opera; Religiosi cooperatores Episcopi in apostolatu; Principia de apostolatu Religiosorum in dioecesibus.

} per *placet* vel *non placet*

---

* Patribus distributus fuit in congregatione generali CXIV, die 4 novembris 1964.

Die VI Novembris:

15ª super integro capite secundo per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

16ª nn. 36-37: Synodi et Concilia particularia; Conferentiarum Episcoporum notio.
17ª n. 38: Conferentiarum structura, competentia et cooperatio.
18ª nn. 39-41: Provinciarum ecclesiasticarum circumscriptio et Regionum ecclesiasticarum erectio.
19ª nn. 42-43: Episcopi munere interdioecesano fungentes.
20ª n. 44: Mandatum generale.

} per *placet* vel *non placet*

21ª super integro capite tertio per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Secretarius generalis: Patres venerabiles, habuistis fasciculum continentem textum emendatum et relationes schematis decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.* Suffragationes prout dixi incipient in proxima congregatione generali, nempe die IV mensis novembris, et ordo suffragationis hic erit: lego lente ita ut unusquisque possit notas scribere: die IV novembris fient sex suffragationes:

1ª: quoad n. 1 et 3. Videatis Patres, primam paginam ut ita dicam, ubi est iam descriptus ordo suffragationum (pagina quae est in facie ad paginam ubi est prooemium) quae est quarta typographice. Ergo prima suffragatio respicit nn. 1 ad 3; 2ª suffragatio: n. 4; 3ª, n. 5 ad 7; 4ª, n. 8; 5ª, nn. 9-10.

Eadem die in fine fiet 6ª suffragatio super integro cap. I, sed moderatores concedunt ut modi, qui forte apponantur, possint exhiberi etiam die sequenti. Iam bene notum est omnibus suffragationes super singula puncta fieri tantum per *placet* et *non placet;* suffragationes vero circa integra capita per *placet, non placet* et *placet iuxta modum.*

Sequenti die V novembris fient octo suffragationes: 1ª circa nn. 11-18; 2ª circa nn. 19-20; 3ª circa n. 21; 4ª circa nn. 22-24; 5ª circa nn. 25-26; 6ª circa nn. 27-29; 7ª circa nn. 30-32; 8ª circa nn. 33-35.

Die VI novembris, quae ni fallor est feria sexta, habebuntur septem suffragationes: 1ª super integrum cap. II; 2ª circa nn. 36-37; 3ª circa n. 38; 4ª circa nn. 39-41; 5ª circa nn. 42-43; 6ª circa n. 44 qui est ultimus; et tandem habebitur 7ª suffragatio illius diei: super integro cap. III. Ceterum curabo, Patres venerabiles, hunc ordinem typis imprimere ita ut iam a feria IV proxima (utique feria IV) die IV novembris possitis habere elenchum typis impressum.

Nunc communico exitum suffragationis II:

Suffragati sunt Patres		1.915
Dixerunt	*placet*	1.893
	non placet	19
	et *placet iuxta modum*	2
	(sed quomodo potest haberi suffragium *iuxta modum* circa modos non video)	
Suffragium nullum		1

Ergo expensio modorum circa cap. II est approbata a congregatione generali.

PATRUM ORATIONES

(*de Ecclesia in mundo huius temporis*: cap. IV, n. 21)

7

Exc.mus P. D. IOSEPH NKONGOLO

Episcopus Lueboensis, adm. ap. Bakwangaensis

Venerabiles Patres,

Grato animo laetamur de his omnibus quae circa dignitatem matrimonii et familiae in hoc schemate dicuntur. Et praesertim de *amore coniugali.*

Nam forsan haec est contributio maxima fidei et morum Ecclesiae ad illam antiquissimam hominum institutionem, matrimonium; et ad feminae dignitatis promotionem.

Amor enim mutuus coniugum exigit mutuam aestimationem et cultum in paris humanae dignitatis agnitione; relationes « interpersonales » re vera exaltat inter ipsos *coniuges* [1]; denique conversationem viri et mulieres illuminat splendore unionis Christi et Ecclesiae.

Quibus rationibus, ad utilitatem Ecclesiae praesertim in populis nuper ad fidem vocatis, ad utilitatem totius humani generis, expedit ut verus amor coniugalis hic publice laudetur et honoretur.

Sed in Ecclesiis novellis Africae, plura problemata et quidem gravissima inveniuntur, de quibus schema nihil dicit. Hae sane problemata non eodem instanti modo *toti universo* [2] intersunt, attamen hoc schema ut omnino sibi alienum populis Africae appareret, si de talibus quaestionibus taceret.

Ex his duas liceat ...[3] breviter memorare.

1. *De libertate consensus in matrimonio.* In sociali oeconomia quae largiori familia ...[4] funditur, voluntas eius qui legitime familiam totam moderatur semper praevalet. Et *saepe saepius*[5] voluntas individui (praesertim si de puella agitur) reputatur consentanea esse voluntati familiae capitis...[6]

Et nusquam alibi quaerenda est maxima inter causas multiplicationis divortiorum.

Sane in memoria fidelium semper revocanda est indissolubilitas matrimonii; attamen inefficaciter divortium ore, verbo et sermone impugnatur, nisi prius libertas consensus firmiter propugnetur.

Oportet ergo ut schema clare affirmet: *a*) patrem familias vel vicem gerentem gravissimam responsabilitatem suscipere consensum cogendo ad matrimonium; *b*) consensum liberum ipsius sponsi et *ipsius*[7] sponsae ad validitatem matrimonii requiri; *c*) pastores teneri ad sponsos examinandos, praecipue de eorum consensus libertate.

2. problema: Sacrae Synodo trepidationem animae nostrae liceat profiteri ob aggrediens incrementum *polygamiae* in regionibus nostris. Non rari enim sunt viri christiani qui paulatim polygamiae indulgent et saltem in aperta bigamia vivunt.

Certo, de perfecta libertate coniugali omnium christianorum in mundo iure iurando non est firmandum... Sed hic matrimonio iniuria multo gravior adest, nam eius natura et unitas publice et sine pudore illuditur et deridetur. Et sic institutio matrimonii christiani vel etiam naturalis in gravi periculo versatur. De tanto periculo Concilium tacere non potest.

Ergo, humillimo nostro iudicio, necesse est ut Ecclesia, cuius auctoritas apud Afros etiam paganos maxime valet, solemniter omnes admoneat his verbis vel aliis similibus:

1. Reditus ad polygamiam longe abest ut sit humanitatis progressus, e contra non est nisi damnabilis regressus.

2. Dignitatem personalem feminae polygamia gravissime laedit et eius promotioni omnino obstat.

3. Apud christianos, polygamia est sacrilega profanatio sanctitatis matrimonii a Christo sancitae. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] sponsos. [2] totius universi. [3] mihi. [4] (vulgo: le clan). [5] deest. [6] Unde non raro consensus ad matrimonium ineundum re vera metu extorquetur. [7] deest.

8

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS RENDEIRO
Episcopus Pharaonensis

Venerabiles Patres,

Liceat mihi unam tantum animadversionem facere ad n. 21 huius cap. IV schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* pag. 23, linn. 16 ss., ubi dicitur: « Civilis societas, quae tunc floret cum floret familia, sanctuarium familiae, omni quo possit modo, revereatur atque inviolatum servet ».

Vere dignum et iustum est hoc munus civilis societatis in lucem ponere. Nam solida structura familiae, sive in ordine naturali, sive in ordine supernaturali, est vere conditio basica seu fundamentalis structurae ipsius civilis societatis. Et ideo schema nostrum postulat ut civilis societas revereatur atque inviolatum servet sanctuarium familiae.

In hoc autem sanctuario est quaedam realitas quae tanquam verum fundamentum familiaris societatis computari debet. Et est *amor coniugalis.*

Sicut dicit textus noster (pag. 23, linn. 24 ss.): « Verus amor coniugalis, ...[1] tener et opere probatus, plane exsuperat labilem inclinationem mere affectivam, quae si egoistice excolitur citius et misere evanescit ».

Et insuper in eadem pagina, lin. 30 exhortantur christifideles ut propitiam reddant publicam opinionem ad amorem coniugum aestimandum atque colendum.

Haec erit ingens et difficillima missio christifidelium in mundo huius temporis.

Et quaerimus quomodo possit haec missio adimpleri, si media communicationis socialis quotidie et omnibus modis contra dignitatem amoris coniugalis in tota societate agunt.

Forsitan in tota vita humana, in totis socialibus relationibus non est alia res quae tam graviter et tam frequenter deturpetur sicut amor humanus.

In cinema, in radiophonia, in televisione, quotidie et fere omni momento, amor est obiectum programmatum. In cantionibus, in scaenis proiectis, in dictis, in dialogis et omni modo, de amore humano agitur.

Proh dolor, tamen, hoc non fit in sensu reverentiae, sed potius in sensu iocoso.

Saepissime omnibus his mediis ostenduntur omnes formae profa-

nationis et destructionis societatis familiaris, cuius amor est fundamentum. Saepissime ostenduntur omnibus his mediis et divortium et amor dissolutus tanquam formae et expressiones maximas humanae libertatis.

Iuvenes nostri qui quotidie his mediis recreationis utuntur, quasi naturaliter accipiunt has erroneas notiones amoris humani, nec possunt recte sentire de dignitate institutionis familiaris.

Et si haec non sufficerent, adsunt etiam publicae formae recreationis, praecipue ad oras maritimas, sive interdiu sive ...[2] nocte (e. g. illae quae dicuntur Casinos, boites, cabarets, night clubs, etc.) ubi virtus christiana et etiam dignitas humana iuventutis utriusque sexus maximis periculis adversatur.

Sed nihil, de hac re, tam gravis momenti, in schemate nostro apparet. Sane aliquid dicitur in adnexis schematis, sed non sufficiunt. Necesse est clare et distincte digitum in vulnere ponere. Necesse est ampliare referentiam schematis ad munus civilis societatis, hoc sensu ut intrinseca sanctitas societatis familiaris, et praesertim dignitas amoris revereatur in omnibus mediis communicationis socialis, in imaginibus typis impressis, in cinema, in radiophonia, in televisione et etiam in variis formis recreationis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] mutuum et liberum suiipsius donum in uno spiritu et in una carne mutuaque interior conformatio. [2] de.

9

Exc.mus P. D. PETRUS FIORDELLI
Episcopus Pratensis

Venerabiles Patres et dilectissimi Fratres,

Textus schematis laudandus videtur ob ea quae dicit de dignitate matrimonii et familiae, praesertim quia bene in lucem ponuntur: *a*) natura sacra familiae ...[1]; *b*) intimus et vitalis nexus inter sanctitatem familiae et bonum personae necnon ipsius societatis civilis, « quae tunc floret cum floret familia »; *c*) amor et caritas in matrimonio contra crebrescentem egoisticam vitae matrimonialis conceptionem; *d*) fidelitas et indissolubilitas matrimonii; *e*) *eius*[2] finis ultraterrenus ...[3]; *f*) fecunditas sensu religioso inspecta; *g*) et tandem: paternitas responsabilis, quae non caeco instinctu profluat.

Sed videntur adesse quaedam notabiles omissiones:

1. Nihil dicitur neque in hoc capite neque in toto schemate de educatione filiorum...[4]

Non est verum quod iuvenes nostrae aetatis sint perditi. Immo mihi videtur quod iuvenes in toto mundo, ex multiplici causa, mentem et animum apertos habeant ad veritatem, ad iustitiam, ad fraternitatem, ad virtutem. Certissime autem, si deficiat educatio, tum ex parte societatis religiosae, tum ex parte societatis civilis, tum maxime ex parte familiae, serio timendum est, ne iuvenes crescant egoismo et immoralismo dediti. Hac in re christiani, praesertim parentes, exemplum et stimulus pro toto mundo esse possunt. Ergo schema de educatione filiorum loquatur.

2. Bene etiam mihi videtur quod schema, ...[5] quaedam luminosa verba dicat de illa peculiarissima condicione et aetate iuvenum, quae dicitur aetas sponsalicia, vulgo « fidanzamento », « fiançailles ». Saepe saepius sana et sancta matrimonia oriuntur ex sanis et sanctis sponsalibus. Et correlative, ex sponsalibus vitiosis, ubi indulgetur sensualismo et egoismo, matrimonia oriuntur quae sunt sine religiosa animatione vitae matrimonialis, saepe sine vero amore, et cum minori gratia Dei.

Nunc autem ex multiplicibus causis ...[6], sponsalia multis periculis obnoxia sunt et videtur quod de die in diem peiora fiant. Cur schema, quod tam altam visionem familiae offert, de sponsalibus, quorum habitudo ad fidelitatem, ad sanctitatem et etiam ad fidelitatem familiae, maxima est, saepe forsan determinans est, nullum verbum facit?

Sciant iuvenes Ecclesiam admirari et venerare eorum amorem, qui cras in admirabilem amorem coniugalem florebit, simul autem sciant amorem sanctum esse et quidquid contra moralitatem sit contra amorem esse.

3. Loquens de familia, Concilium videtur quod aliquod gravissimum verbum dicere debeat de lacrimabili illa divinae legis vitae et amoris violatione, quae infeliciter grassatur in toto mundo, saepe ipsis legibus civilibus admissa, scil. de abortu. Religio christiana semper bene merita est in vindicando quinto mandato divino « Ne occideris ».

Vere hodie in toto mundo, opera ipsius patris vel matris, vel medicorum qui ex vocatione sunt tutores vitae, continuo renovatur caedes innocentium.

Dicat Concilium breve sed grave verbum super hoc argumento.

4. Bene etiam videtur quod schema agens de familia aliquid dicat, saltem per incisum, de filiis illegitimis. Quot sunt in mundo illegitimi! quibus parentes nec nomen nec amorem dederunt, et in societate cum

quodam contemptu mirantur, immo et ipsi cum fastidio et contumelia statum suum considerant. Adfirmetur principium sacrum quod filii ius habent nascendi in legitimo matrimonio, sed si nati extra matrimonium ipsi innocentes sunt. Apud Deum omnis creatura legitima est, quia eius filius est. Et ideo nulla discriminatio, salvis iuribus legitimae familiae, pro ipsis concepibilis est in ordinamentis sive civilibus sive ecclesiasticis.

Simul laudet Concilium tum parentem illum, qui responsabiliter proprium filium, cui quidem illegitima natalia pro dolor! dedit, nunc autem amanter amplectitur et pro eo vivit, tum eos qui illegitimos adoptant, ipsis, loco parentum, nomen et amorem donantes.

5. et ultimo: Schema ample loquitur de paternitate responsabili et conscienti. Textus est laudabilis, sed cum quibusdam animadversionibus.

A) Omnes animarum pastores recognoscere debemus quod agitur de problemate magno, aliquando drammatico.

B) Sed contra expectationem quae creata est, omnino dicendum est, meo iudicio, quod non pertinet ad Concilium verba facere vel iudicium proferre de singulis mediis concretis, quibus haec responsabilis paternitas licite obtineri possit.

Ad Concilium pertinet principia proferre — et videntur bona quae in schemate sunt allata — et etiam omnes in re peritos, praesertim medicos laicos et sponsos, invitare ut cum theologis adlaborent ad inveniendam compositionem inter legem castitatis matrimonialis ex una parte, et exigentias tum amoris coniugalis tum responsabilis paternitatis ex altera parte, interea adhortans tunc coniuges ut fiduciam habeant de solutione sui problematis, etiam in communione mysterii crucis, tum confessarios ut coniuges qui suam solutionem nondum invenerunt sed sincere quaerunt, magna cum caritate tractent, et ad receptionem sacramentorum, nedum repellant, pro viribus adducant et disponant.

Amplius dicere, meo humili iudicio, Concilio non convenit. Mihi videtur, *venerabiles Patres,*[7] maxime admirandam esse prudentiam et sapientiam nostri Summi Pontificis qui rem tam delicatam et gravem peculiaris commissionis studio commisit.

C) De cetero inter catholicos non videtur adesse locus polemicae. Tria in re meo iudicio facienda essent:

1. ex parte medicorum et omnis generis peritorum, post profundum studium complexae realitatis coniugalis, invenire methodos ad facilitandam paternitatem responsabilem;

2. ad theologos autem et, supra theologos, ad ecclesiasticam auctoritatem spectat iudicium proferre de moralitate *cuiusque*[8] methodus;

3. tandem si velimus profundiorem investigationem ponere quid in intimitate coniugali et in usu matrimonii secundum naturam sit vel contra legem naturae, talem investigationem libenter faciamus, unice tamen solliciti de invenienda veritate legis Dei (secus vere in « moralem situationis » incideremus) et, uti patet, subiecti iudicio Ecclesiae. Sed haec in commissione non in Concilio.

Tandem — et concludo — si opportune Concilium locutum est de paternitate responsabili, adiungat tamen *verbum*[9] « et generosa »; « responsabili et generosa ». Et dicat aliquod verbum venerationis et laudis erga illos sponsos, qui ex amore filiorum...[10]

Moderator: Exhaustum est tempus tuum, exc.me Domine.

In textu scripto tradito: [1] ab omnibus piis hominibus semper cognita, a Christo autem ad fastigium sacramentalitatis elevata. [2] deest. [3] matrimonii ordinati ad Dei gloriam et amorem et ad coniugum sanctificationem. [4] Mihi videtur quod agentes de Ecclesia in mundo, et hic in cap. IV de praecipuis muneribus a christianis nostrae aetatis adimplendis, praetermittere omnino non possumus puerorum et adolescentium educationem. [5] agens de familia et educatione. [6] praesertim ex novis inductis moribus in conversatione sociali. [7] deest. [8] cuiuscumque. [9] deest. [10] et ut essent fideles legi Dei numerosam prolem susceperunt, pro cuius sustentatione, educatione et spirituali sanctificatione totam vitam profundunt. Ne videatur Concilium quasi damnare illos generosos parentes, qui pro sanctitate familiae, cum magnis sacrificiis, aliquando omnino virtute heroica, numerosos filios habuerunt, quibus fidem et amorem Dei procuraverunt, et fidelitatem erga virtutem, et sensum crucis, quam ipsi primi propter fidem exercuerunt. Quando paternitas erit vere conscia et responsabilis, familiae cum prole numerosa etiam in posterum laudandae erunt. Et hoc propter multas rationes, ex quibus saltem hanc referam. Gravissimum problema sacrarum vocationum magnum nexum habet cum prole numerosa. Quodsi familiae, etiam sine peccato, fere omnes unum vel duos filios habuerint, timeo ne sacrae vocationes, tum in viris tum in mulieribus, valde minuantur, cum maximo et religionis et moralitatis et ipsius sanctitatis familiaris nocumento.

Secretarius generalis: Velint Patres ad suas sedes redire quam citius, si possibile est!

10

EXC.MUS P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET
Episcopus tit. Doritanus, prael. null. Cluniensis

Venerabiles Patres et Fratres carissimi in Christo,

Loquor nomine 126 Patrum, ad diversas mundi regiones pertinentium, qui huic voto subscripserunt.

Gratias[1] libenter ago clarissimis viris qui, cum labore magno, hoc schema confecerunt.

Eorum desideriis obsequens, inter alias quae scripto tradam, unam emendationem nunc, de numero filiorum in matrimonio, proponam.

1. Textus qui de numero filiorum in schemate agunt, manifestant — *mihi videtur*[2] — nimium influxum cuiusdam visionis, quae, dum vult realistica esse, potius materialistica nonnullis sonare posset, nisi *aliqua*[3] adderemus.

Redactores enim iure meritoque prae oculis habent ingentes hominum conglobationes, ubi vita coniugalis *et familiaris*[4] magnis obstaculis *opprimitur.*[5]

Sed haec consideratio, quae realistica esse nititur, *non*[6] *totam realitatem exhaurit.* Nostris enim temporibus multae etiam florent familiae, praesertim in regionibus quae veteri traditione christiana insigniuntur, quae criteria materialistica strenue respuunt, vitam domesticam feliciter colunt, et ampla filiorum corona, si Deus ipsis concesserit, perpulchre ornantur.

Hae familiae numerosae ...[7] recte *in honore haberi debent,* tamquam testes fidei christianae in praxim fortiter deductae...[8]

2. Textus iterum atque iterum dicit numerum filiorum *temperandum esse prudentia christiana coniugum,* et hoc bonum est, sed parum dicit et quidem satis timide, de fide supernaturali, de confidentia in Providentiam Divinam, de amore et acceptione Crucis, quae illuminare debent prudentiam christianam. Non conficimus hic documentum philosophico-haedonisticum, aut mere technicum vel scientificum, sed christianum!

3. ...[9] Expositio argumenti de numero filiorum *nimis negativa* esse videtur, cum nihil nisi difficultates et obstacula consideret. Rationabiliter *tradere debemus visionem positivam,* quae incipiat laudando virtutes et merita illorum coniugum, qui sanctificationem propriam, vel saltem fideles adimpletionem legis naturalis, quaerunt in matrimonio. Laudandi imprimis essent illi, qui proprium commodum ad imitatio-

nem Christi abnegantes, filios quos Deus ipsis dederit, *rationabiliter cum fide et*[10] cum gaudio suscipiunt, tamquam donum Creatoris, dum derisionem mundi et arduos labores patienter ferunt.

4.[11] Nec praetermittendum est quid hodiernae *scientiae psychologicae et paedagogicae* dicant in laudem et favorem familiae numerosae. Satis enim cognitum est in sinu harum familiarum illam felicitatem saepe inveniri, quae frustra in matrimonio materialistico desideratur. Pueri qui in consortio plurium fratrum adolescunt, ita *mutuo iuvantur,* ut longe facilius virtutibus humanis et christianis imbuantur et tum Ecclesiae tum societati civili pulcherrimam spem et fulcimentum praebeant. Ex his familiis ...[12] optimae vocationes sacerdotales et religiosae; ex his iuvenes, exemplo parentum, ad labores et ad fortia parati oriuntur.

5.[13] Tandem *humanas rei solutiones,* quas feliciter hic illic in praxim deducuntur, schema ignorare non debet. Societates enim civiles, quae spiritu christiano imbuuntur, nedum procreationem impediant, filiorum et familiarum iura protegunt et vindicant.

Sic orta sunt instituta oeconomica, praesertim pro operariis, quae *subsidia proportionata* numero filiorum suppeditant; sic leges feruntur quae *exemptiones tributorum, praemia natalitia, sumptus studiorum* his familiis procurant. Haec omnia « realitatem » ...[14] constituunt, quam textus aperte agnoscere et laudare deberet, una cum hodiernis studiis scientiae et industriae humanae ad *novos victus seu nutritionis fontes* comparandos quibus spectrum famis pro crescente familia humana depellatur.

...[15] Postquam haec Concilium dixerit, iure illis, qui tot difficultatibus hodiernis irretiti inveniuntur, *benigniorem pro conscientia solutionem* dare conabitur, in quantum fieri potest, de usu matrimonii et de numero filiorum, quia Ecclesia, custos et interpres divinae legis et iurium naturalium, etiam benigna et propitia Mater est. Oportet enim haec facere et illa non omittere!

Conclusio et votum: ...[16] in pag. 24, post lin. 12, addantur, *et hoc peto commissioni,*[17] haec vel similia verba:

Votum: « Fecunda vero Mater Ecclesia gaudet illas familias laudare quae, fide mundum vincentes, spe difficultates superantes, et amore sincero Creatorem et Salvatorem imitantes, ampla filiorum corona ornantur, ex quibus Ecclesia crescit et ipsa societas civilis roboratur.

« Etiam laudandae et imitandae sunt illae societates civiles et instituta oeconomica, consociationes operariae, etc., quae leges ferunt et formulas practicas statuunt, quibus familiae numerosae proteguntur et foventur ».

Haec esset additio, *venerabiles Patres*,[18] in textu schematis. Sic Concilium non tantum vocem scientiae et prudentiae sed etiam vocem fidei et ipsius iuris naturalis mundo exspectanti *non cum triumphalismo, sed sine pessimismo, firmiter et*[19] clarissime proferret ...[20]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Imprimis gratias permultas. [2] deest. [3] aliquid. [4] deest. [5] impeditur, sive ex hodierna viri ac mulieris extra domum actuositate, sive ex novis doctrinis de limitatione prolis, sive ex multis difficultatibus oeconomicis. [6] nullo modo. [7] prolis. [8] Parentes enim qui sic se gerunt, non caeco instinctu, sed recta conscientia procedunt; non voluptatem, sed crucem ardui laboris amplectuntur; non falsa prudentia humana, sed fide et altis saepe virtutibus supernaturalibus ducuntur. Haec est alia « realitas », et quidem magni pretii, quam prae oculis habere debemus, si doctrinam generalem et veram, mundo hodierno aptatam, tradere velimus. [9] Metus et timiditas in exponenda doctrina christiana de generatione prolis, notatum etiam in Adnexis, ubi doctrina schematis fusius explicatur. 4. [10] deest. [11] 5. [12] demum. [13] 6. [14] actualem. [15] 7. [16] Doctrina schematis hoc modo compleatur. [17] deest. [18] deest. [19] deest. [20] Sic tandem Concilium oblivioni non traderet fontem praecipuum vocationum sacerdotalium et religiosarum, qui ex familiis numerosae prolis saepe saepius promanat, ita ut possibile fiat illud mirum et vere oeconomicum commercium, quo regiones ubi pietas christiana et vita domestica ex veteri traditione florent et vigent, amplissimam sacerdotum et religiosarum copiam concedere possint in auxilium et servitium aliorum populorum.

[*Subscripserunt etiam*] Iulianus Adrover, sup. gen. Theatinorum; Lucianus Rubio, prior gen. O.E.S.A.; J. L. Swain, vic. gen. S.I.; G. Alberione, sup. gen. S.S.P.; Vincentius Tomek, praep. gen. Ord. Schol. Piarum; Leonardo Carrieri, sup. gen. Miss. SS.CC.; Ottorino Rolando, sup. gen. D.C.; Bernardus Navarro, sup. gen. O. de M.; Geraldo de Proença Sigaud; José Luis Castro, San Felipe; J. Prou, sup. gen. Congr. Gall. O.S.B.; Xaverius Morilleau, ep. tit. Colomensis in Cappadocia; Paulus Philippe, arch. tit. Heracleopolitanus; Antonius de Castro Mayer, ep. Camposinus; Jan. Prata, aux. Pacensis; Ubaldus E. Cibrián, ep. tit. Bida; Dinus Staffa, arch. tit. Cesareae in Palaestina; Felix Erviti, praef. ap. Sahara Español; Michael Könner, ep. tit. Modra; Robertus Ronca, arch. tit. Lepanto; Marcellus Lefebvre, sup. gen. Congr. S. Sp.; Laureano Castán, ep. Siguenza-Guadalajara; Demetrius Mansilla, ep. Ciudad Rodriguez; Bernardus de Terris, praes. Congr. Cist. Senenquensis; M. card. Gonçalves Cerejeira; J. Alverna, patr. Ind. Or.; Franciscus, arch. Bracarensis; Manuel Ferreira da Silva, arch. tit. Cyzicenus; Manuel dos Santos Rocha, arch. tit. Mitylenensis; Custodio Alvim, arch. Lorenzo Marques; Ioannes, ep. Lamacensis; Antonius, ep. Villaregalensis; Polycarpus, ep. Aegytaniensis; Emmanuel, ep. Angrensis; José, ep. Porto Amélia; Ioseph, ep. S. Iacobi Capitis Viridis; Florentinus, ep. tit. Heliosebaste; D. Fiorina, sup. gen. I.M.C.; H. Golland Trindade, arch. Butucatú; J. Nepote, ep. tit. Helensis; Edgar Maranta, arch. Dar-es-Salaam; Ch. Cavallera, ep. Nyeri; Angelus Cuniberti, vic. ap. Florencia; L. Bessone, ep. Meru; Felix, ep. Tetiensis; T. Mbemba, arch. Brazzaville; Marinus Oscor, sup. gen. Er. Cam.

M.C.; Sighardus Kleiner, abb. gen. S. O. Cist.; J. Soetemans, abb. gen. Can. Reg. Lat.; Gebhard Koberger, abb. gen. Can. Reg. Lat. Austriae; Angelinus Lovey, abb. gen. S. Bernardi; D. Strittmatter, praes. Congr. Amer. Cass.; Gilbertus Hess, praes. Congr. Elv.-Am.; Maurus Riha, praes. Congr. O.S.B. Austr.; Maurus Verzich, abb. praes. Congr. S. Adalberti O.S.B.; Placet res et propositio, minus vero argumentatio: J. M. Hoeck, sup. gen. Congr. O.S.B. Bavar.; Benno Gut, abb. primas; Suso Brechter, archiabb. praes. Ottil. O.S.B.; Angelus Almárcegui, sup. gen. O.R.S.A.; Cesar Zerba, arch. tit. Colosse; J. Zaffonato, arch. Udine; B. Reetz, archiabb. Beuron; Alf. Salvini, abb. O.S.B. Vallisumbrosae; Leo M. Cornelli, abb. gen. Silvestr.; Kilian Healy, sup. gen. O. Carm.; G. Marinucci, sup. gen. O.E.D.S.A.; Michele de Gesù, sup. gen. Ord. SS. Trin.; Clementius da Vlissingen, min. gen. O.F.M. Cap.; J. Boccella, sup. gen. T.O.R.; Buttarazzi Nivardo, abb. praes. Congr. Cist. Casamari; Aliprandus Catani, prior gen. min. er. Camald.; Marianus Tumler, sup. gen. O. Teut.; J. Boeris, praep. gen. Somaschi; C. Mansfeld, praep. gen. Min. Inf.; Fiorello Piersanti, praep. gen. Caracciolini; M. Sudres, sup. gen. C.S.V.; Bonaventura Schweizer, sup. gen. S.D.S.; H. Bliestle, sup. gen. Miss. S. Fam.; O. Degrijse, sup. gen. C.I.C.M.; J. De Palma, sup. gen. Sac. C.I.; Renatus Ziggiotti, sup. gen. Sales.; S. Ferrando, ep. Shillong; P. Schweiger, sup. gen. Claretian.; Roland Huot, sup. gen. S.S.S.; G. M. Lalande, sup. gen. Congr. a S. Cruce; J. Zambarbieri, sup. gen. Op. D. Orione; W. Slattery, sup. gen. C.M.; J. Borgatti, ep. Viedma; M. E. Magliano, ep. Rio Gallegos; J. M. De Navares, ep. Neuquèn; José Pintado, ep. tit. Foba; Otoniel Alcedo, ep. Ayacucho; Ladislaus Paz, ep. Corumbá; O. Marengo, ep. Tezpur; Mich. Raspanti, ep. Morón; M. D'Aversa, prael. Humaitá; C. Faresin, ep. tit. Bubasti; J. Marchesi, ep. tit. Cela; L. La Ravoire M., ep. Kishnagar; J. González Ruiz, ep. Puno; Vladimir Borić, ep. Punta Arenas; J. Cognata, ep. tit. Farsalo; Bas. M. Heiser, min. gen. O.F.M. Conv.; Vincentius, arch. Orviedo; Secundus, arch. Burgos; J. Flores, ep. Barbastrensis; J. Stella, ep. Lunensis; J. López Ortiz, ep. Tuy-Vigo; P. Pasini, ep. Sanyuan; J. Battaglia, ep. Faenza; R. González E., ep. tit. Matrega; Th. L. Noa, ep. Marquetta; D. Fukahori, ep. Fukuoka; L. Haller, ep. abb. Agaunensis; J. García Goldaraz, arch. Valladolid; L. Rodríguez Ballon, arch. Arequipa; Ild. Sansierra, aux. S.I. de Cuyo; Carolus Oviedo Cavada, ep. Concepción; P. Tobar González, ep. Cuttack; Paulus, ep.; Sanctus, ep. Abulensis; Daniel, ep. Segobiensis; Petrus, arch. Caesaraugustanus; Ioseph, ep.

11

Exc.mus P. D. BERNARDUS YAGO

Archiepiscopus Abidjanensis

Venerabiles Patres,

Toto corde adhaereo his quae dicta sunt ab exc.mo D. Malula de mulierum iuribus et libertate atque de tribalismo. De hac segregationis forma liceat mihi unum addere. Nostrae iuniores nationes e magno numero gentium, i. e. tribuum componuntur. Qui tempus nondum ha-

buerunt sese funditus cognoscendi neque adhuc potuerunt sese miscere ut fiant unita natio ...[1]. Si Ecclesia de hac re loquatur ipsi non-christiani vehementer moveantur et populi magnum auxilium accipiant. Ambitio quorundam et ideologica propaganda extera latentem sensum tribalem facile excitare possunt ut seminetur discordia. Ideo bonum et utile est pro nostris populis ut Ecclesia de hac re loquatur. ...[2] Inter puncta autem quae magis in luce ponenda sunt *in n. 21* [3] sequentia propono...[4]

1. In toto hoc schemate de mundo hodierno, non invenitur practice ulla directa denuntiatio cultus sensualitatis et immoralitatis, quae tamen inter signa praecipua huius mundi hodierni videntur. Ipsi non christiani animo moti sunt.

Nonne mentio explicita harum rerum fieri possit in hoc numero de dignitate matrimonii?

2. Idem dicendum est de polygamia, de nuptiis sine libertate mulieris, de dote abusiva, quae sunt tot damna laedentia mulieris dignitatem in regionibus nostris, contra quae Ecclesia pugnare deberet sicut iam pugnavit et pugnat contra instituta socialia quae eidem libertati nocent et quorum mentio fit in n. 20. Etenim hoc schema loquitur non solis antiquioribus christianis regionibus sed mundo universo.

Nequit ergo praeterire quae sunt vera problemata apud populos in Ecclesiam recenter introductos.

3. Ad eumdem n. 21, pag. 23, lin. 29, duo verba tantum « indissolubiliter fidelis » indirecte divortio alludunt; atqui divortium terribile flagitium est, in dies magis expansum, etiam apud christianos. Statistica probaverunt divortium in quibusdam regionibus frequentius esse apud christianos quam apud paganos; itaque tam discreta allusio mihi insufficiens videtur quia in periculo est ut nemo eam satis agnoscat.

Eo magis instantiam facere debemus quo sunt homines, etiam christiani, qui *putant* [5] Ecclesiam quodam die admissuram esse divortium. Quis scit nonne exspectent approbationem divortii a nostro Concilio? Itaque oportet, declaratione clara, et minus discreta quam in textu actuali, hoc flagitium denuntiare aeque ac hortari et roborare omnes qui divortio ceterisque flagitiis supra memoratis oppugnant.

Ideo, ad pag. 23, lin. 16, hanc emendationem addendam propono: « quapropter civiles societates singulosque homines qui, bono familiarum personarumque moti, sive contra perniciosum sexualitatis cultum agunt, sive polygamiae, aut divortio, aut matrimonio obligatorio impugnant, haec sancta Synodus laudat christianosque hortatur ut fortiter simul cum eis laborent ».

Item, ad pag. 23, lin. 24, dicatur: « Amor coniugalis, scil. unius viri uniusque mulieris... ».

Ne dicetis, Patres conciliares, Concilium noluisse descendere usque ad puncta tam particularia; non sunt enim puncta nimis particularia, sed vera problemata propria magnarum regionum orbis. Atqui schema incompletum esset si praeteriret difficultates maiores unius partium orbis. Ecclesia ignorare non debet problemata tertii mundi esse gravissima. Cum vero omnes conferentiae internationales, quaeque in suo ambitu, eis peculiariter attendant, damnum magnum afferretur si Concilium videretur nullam attentionem eis dare in ambitu suo proprio, scil. in rebus moralibus et socialibus. *Aliae animadversiones secretariae tradam.*[6] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Auctores huius schematis noluerunt omnia problemata tangere nec omnia quae tangunt funditus explanare sed tantum, mente Ecclesiae breviter revocata, totum ordinare voluerunt secundum lineam pastoralem quae curam habeat apertionis et dialogi.

His attentis, possumus dicere hoc schema bonum esse, etsi altera in redactione meliora fieri possunt, atque altera magis in luce ponenda sunt.

[2] De his quae in redactione meliora fieri possunt, emendationes meas secretariae tradam:

N. 12: Prima periodus, nimis longa, male constructa est; sunt enim quattuor relativa « qui » aut « quae » successiva, e quibus secundum « qui » (lin. 29) mutari possit in clarius verbum, v. g. « Ecclesia » aut « pastores ».

Pag. 13, lin. 8: « fas est » aequivocum est; necessaria sunt verba fortiora et clariora, v. g. « ius habet postulandi », aut simplicius « postulat ».

Pag. 18, lin. 35: inserta « si a Domino permittuntur » inutilia sunt; nam haec distinctio inter mala permissa et mala volita maxime aleatoria est: quaelibet mala toleranda sunt in spiritu paupertatis.

Pag. 19, lin. 6: loco « exprimant » melius esset dicere « exprimere debent » quia agitur de obligatione et non simplici voto.

Pag. 19, linn. 20-21: inserta « ubicumque christiana prudentia id permittit » respicere videtur duo verba « colloquamur » et « cooperemur ». Semper autem loqui in amicitia oportet, sed non cooperari nisi cum prudentia. Melius esset scribere « ut omnibus amice colloquamur et, ubicumque christiana prudentia id permittit, cooperemur ».

Pag. 23, lin. 27: verbum « affectivam » improprium est; affectum enim significat, qui laudabilis est (cf. linea praecedens, « tener affectu »); melius esset dicere « sensualem ».

[3] et in cap. IV omnia respiciunt,

[4] In n. 20, cum Ecclesia sermonem de personae humanae dignitate facit, solemniter proclamare debet sacram humanae vitae indolem. Nam, ob damna cuiusvis generis quae quotidie videmus, quaerere nos possumus utrum hodierni homines non obliviscantur hanc indolem sacram humanae vitae, quae nullius est, nisi Dei solius. Nonne Ecclesia concrete damnare debet omnia genera facinorum in ordine politico quae hodie nimis multiplicantur damnumque afferunt dignitati ac vitae non solum civium sed etiam rei publicae moderatorum.

Quare proponimus addendum ad pag. 22, lin. 22: « ... facinora e falsa politica ratione in cives seu reipublicae moderatores perpetrata... »; deinde ad eamdem paginam, lin. 24: « Haec omnia Ecclesia damnat ».

[5] tam rustici sint ut putent.

[6] Optabam etiam ut aliquas animadversiones dicerem de n. 24 circa inaequalitatem inter coetus sive nationes, atque de n. 25 circa pacem internam nationum firmandam. Satis habeo mittere secretariae ne iterum dicam quae voces auctoritate maiore fruentes iam dixerint, vel dicturae sint, neque patientiam vestram denuo probam, Patres patientissimi.

In n. 23, ubi loquimur de inaequalitate inter coetus sive nationes, nonne facienda esset mentio facti huius iam statistice probati scil.: hodie et ubique coetus seu populi qui ditiores sunt, in re oeconomica proficiunt et progrediuntur dum pauperiores multo minus proficiunt, immo potius regrediuntur. Hoc diceretur per modum damnationis in systema hodie vigens et simul hortationis ut systema ipsum mutetur.

Probe scimus hoc schema, dialogi et apertionis curam habens, damnationes vitare. Cum, tamen, Ecclesia se affirmat nullo systemate dependere, utrum haec affirmatio sufficit? Nonne Ecclesia officium habet monendi christianos ut caveant quorumdam systematum periculis abusibusque? Auctores schematis hortari potuissent credentes in conatibus eorum ut ordinetur systema communitarium quod magni fiat religiosa desideria et ordo communitarius societatis in nationibus tertiae partis mundi. Isti populi forsitan mirarentur nisi concilium difficultatibus propriis curaret.

Quare emendationem propono ad lin. 23 pag. 28; addatur: « ... et etiam, ut e statisticis studiis constat, mali systematis causa, pauperiores fiunt ».

In n. 25 *de pace firmanda,* opto ut paragraphus specialis instituatur de pace interna nationum, quia bellum internum tam frequens nunc facta est.

Optetur etiam ut discriminatio ex stirpe explicite damnetur in omnibus formis quae nunc praebet. In hoc puncto, nulla haesitantia possibilis est, et, nonobstantibus aliis beneficiis, sic episcopi iuvarentur in actione erga catholicos praesertim in statibus, sive antiquioribus, sive iunioribus, qui discriminatione laborant, quidquid nomen discriminationis sit, seu segregatio racialis, seu tribalismum.

Moderator: Velitis attendere, venerabiles Patres! Moderatores censent opportunum esse interrogare Patres conciliares, an placeat ut finis imponatur disceptationi in aula super n. 21. Patres quibus placet velint surgere et manere stantes, quibus vero non placet maneant sedentes. [*Patres surgunt*].

Secretarius generalis: Faveant Patres sedere! Ex nunc moderabitur congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis, et disceptatio fiet super n. 22 cap. IV. Circa quem numerum loqui postulaverunt: exc.mi DD. Ioannes Ferreira, praef. ap. Guineae Lusitanae in Africa; Rogerius Johan, ep. Agennen. in Gallia; Bohdan Bejze, ep. aux. Lodzen. in Polonia; Stanislaus Lokuang, ep. Tainanen. in Sinis; Anicetus Fernandez, sup. gen. O. P.; Paulus

Muñoz-Vega, ep. coad. Quiten. in Aequatore; Aloisius Carli, ep. Signinus in Italia; Emmanuel Talamas, ep. Civitatis Juarezen. in Mexico; Carolus de Provenchères, arch. Aquen. in Gallia; Ioannes Zoa, arch. Yaunden. in Camerun; Leo Elchinger, ep. aux. Argentinen. in Gallia; Leonidas Proaño, ep. Rivibamben. in Aequatore.

Patres venerabiles, die III novembris habebitur, ut iam nuntiatum est, Cappella Papalis in suffragium em.morum cardinalium et Patrum conciliarium defunctorum elapso anno. Omnes Patres humanissime invitantur; episcopi induent tantum mantelletam, sine mozetta, et possunt locum occupare in sedibus aulae conciliaris. Hora 10,30 initium habebit caeremonia, nempe solemne funus. Ergo ante illam horam qui interveniunt stent suis locis habitu quem dixi. Gratias.

12

REV.MUS P. D. IOANNES FERREIRA

Praefectus Apostolicus Guineae Lusitanae

Venerandi Patres,

Schematis propositum est non tantum mundum audire, sed et loqui mundo huius temporis, hoc etiam relate ad culturae problema. Etiamsi generice conamen schematis laudandus est, tamen in eo quod culturam attinet, videtur programma tantum partialiter adimpletum fuisse.

1. Schema loquitur nomine Ecclesiae, sed non dicit quid audivit de homine hodierno circa culturam. Problema culturale revera hic coarctatur. Sermo est de progressu et utilitate culturae, de comparatione inter hodiernam et temporis elapsi culturam et de distinctione necnon de correlatione inter religionem et culturam. Hoc tamen non sufficit. Non est tantum distinctio et correlatio, sed etiam declaratum autonomiae et dissidium; si non theoretice visis capacitatibus fidei et rationis saltem in praxi conditionibus praesentis culturae et hominum excultorum. Et quare siletur de hoc? Contextus ostendit hunc modum praesentandi materiam potius ad culturam realisticam historicam quam ad culturam personalem respicere. Attamen obliviscendum non est character anthropologicus culturae. Omnis homo inquadratur in quadam cultura. Ad dialogum ergo necesse est ut problematicam huius nominis cognoscat Ecclesia.

2. Loquendo de cultura promovenda, optandum foret ut ita paretur schema, ut aliquid de mente, de conditionibus necnon de problematibus hominis exculti hodierni disceptaret. Ecclesia in medio homi-

num est, sed homines hodierni non theologiam naturalem, non cosmologiam ac psychologiam speculativam iuxta mentem Ecclesiae cognoscunt. Eorum via normalis est problematizismum rationis plenae autonomiae proclamata. Factum omnino novum in nostra aetate denuntiatum est. Ratio saecularizata classicum magisterii « dixitismum » repudiens intelligibilem independentiam vult de rebus inquirere. Ecclesia loquitur, sed mundus contestat. Sciet patienter et benevolenter Ecclesia quod spiritus — sicut proverbialiter dicunt Germanici — est ex sinistro. « Der Geist ist links ». Homines exculti sunt quam maxime exigentes et tendunt generaliter ad progressismum et autonomiam, non quia sint in mala fide vel quia dialecticam seditiosam volunt persequi, sed potius quia dialogum tantum accipiunt sub evidentiae principio. Petunt ergo ab Ecclesia dignitatem in veritate, aperturam intelligentiae et humilitatem in docendo. Non amplius sustinent quod aliquis eis obviam veniat ex olympo modo compassivo vel favore motus, non amplius sufficiunt pro eis piae exhortationes et petralista forma vel theologia impersonalis manualistica et statica.

3. In promovenda cultura duo distinguere debemus: aliud est cultura christiana historica et aliud cultura christianorum. Homo hodiernus attendit testimonium culturale non tantum ex facultatibus ecclesiasticis et centris sive ex hegemonia habitus Ecclesiae sed ex christianis; circa destinationem humanam, circa sensum historiae, circa sensum hominis, sensum libertatis, naturam veritatis, sensum evolutionis et saepe saepius de origine mundi, historiam Ecclesiae etc. Dolendum quod crisis culturae habeatur in quibusdam coetibus Ecclesiae cum magno detrimento pro prestigio Ecclesiae apud homines huius temporis. In schemate aliquid dicendum esset de sic dictis « humanismis », praecipue de marxistico et existentialistico atheo et pluribus formis agnosticismi, qui profunde mentalitatem nostrae aetatis afficiunt. Examinandum esset quomodo « causas abditas istius mentis atheae deprehendantur, ob quas ipsi conturbantur Deumque negant », sicut suadet Paulus VI in Litteris Encyclicis *Ecclesiam suam*; pro pastorali activa non sufficit hos humanos vocare atheos. Oportet utique agnoscere illas ideologias sub existentiali, oeconomica, sociali et individuali forma expressas esse. Oportet agnoscere illas messianismum terrestrem redolere, realitatesque propinquiores vitae quotidianae tangere et intensive ac methodice explicare. Prout litterae pastorales episcopatus neerlandici circa Concilium significat, etsi impossibile sit nobis christianis has philosophias amplecti, oportet videre *nodum veritatis* in ipsis contentum, qui eis dynamismum potiorem forsan confert.

Formam qua exc.mus D. Ioseph Guerra Campos marxismi problema

praesentavit credimus esse orientationem practicam pro schemate, maxime sensum pastoralem quaerente. Ante omnia, schema praebere deberet praeviam orientationem de methodis non tantum in coexistentia sed etiam in collaboratione culturali ad validum obtinendum colloquium inter partiales et veritatem absolutam, i. e., inter gradus participativos intelligentiae et veritatem ipsam.

Concilium certe normas proprias hac de re christianis traditurus est, ad tenorem Litterarum Encyclicarum *Ecclesiam suam* Pauli VI.

Maximi momenti est adnotare quod pro multis intellectualibus problema mali et doloris, sicut ab eis intelligitur, est maxima obiectio pro acceptatione doctrinae christianae et pro recognitione mediationis Ecclesiae. Pro ipsis « mundus vulneratus » maioris ponderis est quam « mundus consecratus ». Peropportunum erit ergo non oblivisci in schemate Malum, quod tamquam elementum metaphysicum praesentis conditionis humanae, culturas et homines excultos afficit.

Necesse non est memorare quantam partem habuit hoc mali principium in culturis antiquis praecipue dualistis, pessimistis et problematicis, necnon in christianismo et culturis hodiernis.

Ad concludendum, observabam quod schema utitur circiter 23 vicibus verbo « culturae » necnon « culturae humanae, altior cultura, cultura hodierna, vera cultura, cultura particularis, actio culturalis, evolutio culturalis, res culturalis, etc. ». Tamen huiusmodi verba non habent univocam significationem. Saepe dicunt « civilizationem », saepe « artes technicas », quandoque culturam christianam aut « sapientiam » et tandem « culturam » proprie dictam. Putamus quod in documento ecclesiastico conciliari non adhiberi debet hic usus indiscriminatim. Revera « civilizatio » et « cultura » sunt duo verba distincta in plerisque linguis modernis. Civilizatio habet ampliorem significationem, indicans progressum scientificum in campo materiali et technico-sociali, dum econtra, « cultura » habetur strictius tamquam civilizatio in « suo aspectu spirituali » (comprehendens philosophiam, aestheticam, studia classica, religionem, ethicam, etc.). Sic gallice habetur « civilisation-culture », italice « civiltà-cultura », hispanice « civilización-cultura », germanice « Kultur-Bildung », lusitane « civilização-cultura ». Dixi.

Textus scripto traditus:

Ad recte iudicandum de schemate Ecclesiae in mundo huius temporis scire oportet id quod habetur in nn. 2 et 3 prooemii et in expositione clarissimi relatoris Guano sub pag. 7.

Iuxta schematis *propositum,* praecipue prae oculis habere debemus destinationis humanae problema, investigando in dialogo communi, quaenam sit homi-

num huius aetatis mens, eorum conditiones necnon problemata et, deinde, patefaciendo quaenam sit mens Ecclesiae circa significantiores conditiones et directiones (orientamenti) et circa maiora problemata nostri temporis. Ex his, programma apparet duplex. Ecclesia sicut et mundus debet non tantum *loqui* sed *audire,* secus non plus colloquium sed soliloquium habebitur.

Optamus ut haec principia in toto schemate applicentur, praecipue circa res de quibus agitur cap. IV, quas censemus principaliores pro praesentia Ecclesiae in mundo hodierno.

Ad culturam quod attinet videtur programma totaliter adimpletum non fuisse, nempe:

1. Schema problema culturale coarctat. Loquitur de progressu et utilitate culturae, de comparatione inter hodiernam et temporis elapsi culturam et de distinctione necnon de correlatione inter religionem et culturam.

Contextus ostendit hunc modum praesentandi materiam potius ad culturam realisticam-historicam quam ad culturam personalem respicere. Attamen obliviscendus non est character anthropologicus culturae. Si quaerimus quid sit homo, quaenam sit eius vocatio ac munus in hoc mundo, transitus fit ad anthropologiam et sociologiam, ad ethicam, ad philosophiam, ad theologiam, ad scientias: hoc significat quod interrogando de homine, sumus coram valoribus, coram systematibus, coram theoriis, coram existentiali dialectica, coram pluribus formis culturalibus. Nam cultura est quaedam forma activitatis spiritualis apta ad communicationem inter homines promovendam. Concluditur ergo sicut in III parte encyclicae Pauli VI dictum est (cf. etiam n. 18 schematis) illas subiectivas conditiones hominis exculti esse elementum validum ac indispensabile pro dialogo.

2. Hoc sensu, loquendo de cultura promovenda, optandum foret ut schema aliquid de mente, necnon de conditionibus et problematibus hominis exculti hodierni disceptaret, nempe: de philosopho, de poeta, de scientiato, de liberis cogitatoribus (« libres penseurs ») et de academicis, de artis cinematographicae productoribus, de ephemeridibus scriptoribus, etc. Aliquid dicendum esset de sic dictis « humanismis », praecipue de marxistico et existentialistico atheo et pluribus formis agnosticismi, qui profunde mentalitatem nostrae aetatis afficiunt. Examinandum esset quomodo « causas abditas istius mentis atheae deprehendantur, ob quas ipsi conturbantur Deumque negant », sicut suadet Paulus VI in litteris encyclicis supra citatis. Pro pastorali activa non sufficit hos humanismos vocare atheos. Oportet utique agnoscere illas ideologias sub existentiali, oeconomica, sociali et individuali forma expressas esse. Oportet agnoscere illas messianismum terrestrem redolere, realitatesque propinquiores vitae quotidianae tangere et intensive ac methodice explicare. Prout litterae pastorales episcopatus neerlandici circa Concilium significant, etsi impossibile sit nobis christianis has philosophias amplecti, oportebit videre *nodum veritatis* in ipsis contentum, qui eis dynamismum potentiorem forsan conferet (cf. *Sens du Concile,* 1960, p. 50).

Formam qua exc.mus D. Ioseph Guerra Campos marxismi problema praesentavit credimus esse orientationem practicam pro schemate, maxime sensum pastoralem quaerente. Ante omnia, schema praebere deberet praeviam orientationem de methodis non tantum in coexistentia sed etiam in collaboratione culturali ad validum obtinendum colloquium inter veritates partiales et veritatem absolutam, i. e., inter gradus participativos intelligentiae et veritatem ipsam. Concilium certe

normas proprias hac de re christianis traditurus est, ad normas litterarum encyclicarum *Ecclesiam suam,* Pauli VI.

3. Non credimus facultates vel instituta catholica ex se, hoc munus totaliter complere posse, sive quia non omnes sub iugo academico transeunt, sive quia aliqui christifideles proprio nutu et intelligentia non possunt invenire aequilibrata media pro suo munere exercendo coram aliis hominibus quando de valoribus culturalibus agitur.

4. Quando loquimur de cultura rite promovenda, prae oculis habeantur oportet instrumenta communicationis socialis. Eorum specialem influxum in sociali mundividentia efformanda obliviscendum non est.

5. Maximi momenti est adnotare quod pro multis intellectualibus, problema mali et doloris, sicut ab eis intelligitur est maxima obiectio pro acceptatione doctrinae christianae et pro recognitione mediationis Ecclesiae. Pro ipsis « mundus vulneratus » maioris ponderis est quam « mundus consecratus ». Peropportunum erit ergo non oblivisci in schemate Malum, quod tamquam elementum metaphysicum praesentis conditionis humanae, culturas et homines excultos afficit. Necesse non est memorare quantam partem habuit hoc mali principium in culturis antiquis praecipue dualistis, necnon in christianismo et culturis hodiernis.

6. Declarans universalem et intemporalem missionem Ecclesiae, schema dicit quod Ecclesia « nulli culturae particulari exclusive alligatur, sed ... cum omnibus culturis communionem init ». In textu aperte profitetur collaborationem cum omnibus culturis, agnosticis et atheis haud exclusis, inquantum possibile. Credimus meliorem fuisse sequentem redactionem: « Ecclesia nulli culturae particulari exclusive et *indissolubiliter* alligatur... etc. ». Adverbium « indissolubiliter » videtur functionem extratemporalem Ecclesiae eiusque independentiam melius exprimere.

7. Schema utitur circiter 23 vicibus verbo « cultura » necnon « cultura humana », altior cultura, cultura hodierna, vera cultura, cultura particularis, actio culturalis, evolutio culturalis, res culturalis, etc. Tamen huiusmodi verba non habent univocam significationem. Saepe dicunt « civilizationem », saepe « artes technicas », quandoque « culturam christianam » aut « sapientiam » et tandem « culturam » proprie dictam. Putamus quod in documento ecclesiastico conciliari non adhiberi debet hic usus indiscriminatim. Revera « civilizatio » et « cultura » sunt duo verba distincta in plerisque linguis modernis. Civilizatio habet ampliorem significationem, indicans progressum scientificum in campo materiali et technico-sociali, dum econtra, « cultura » habetur strictius tamquam civilizatio in « suo aspectu spirituali » (comprehendit philosophiam, aestheticam, studia classica, religionem, ethicam, etc.). Sic gallice habetur civilisation-culture, italice civiltà-cultura, hispanice civilización-cultura, germanice Kultur-Bildung, lusitane civilização-cultura.

13

Exc.mus P. D. ROGERIUS JOHAN
Episcopus Agennensis

Venerabiles Patres,

Circa n. 22, pag. 24, lin. 37 ad pag. 25 lin. 8 textum secretariatui proposui emendatum, cuius sequens legam commentarium.

Urget ut in Ecclesia instauretur doctrina pastoralis necnon praxis ei annexa de intellectu humano. Quarum munus erit providere omnibus quae agant de cultura veri nominis.

Patet culturam non existere ad instar puri doni, passive suscepti. E contra, intrinsece pendet a quibusdam studiis, a quonam perseverante opere hominum qui illa gaudent.

Nunc autem, semel detectis praecipuis hodiernae culturae tentaminibus, semel assignatis laboribus quibus acquiritur, necesse habemus officium christianorum specificum hoc in campo declarare.

Quale nostrum debet esse munus proprium, in cultura elaboranda, diffundenda?

Quid ibi possunt ac debent illi qui sunt « lux mundi », « sal terrae », « Christi testes »?

Nonne etiam sic dicta civilizatio indiget illa animatione christiana, qua fiat, in gratia et Evangelio, ut recta sit, ut melior eveniat?

Per quattuor puncta haec dicere conabimur:

1. *Christi fidelium est attestare pro sensu et gustu veritatis.* Ipse Dominus nobis manifestavit indolem funditus sacram veritatis. Cum a prima veritate universa dimanet veritas, christiani omnem authenticam veritatem cum gaudio accipiant necesse est, *quisquis eam protulerit.*

At, cum omnia in Verbo creata sint, et in Verbo incarnato restaurata, de omnibus ultimatim iudicare oportebit sub lumine Fidei.

Optandum igitur ut etiam laici, speciatim scientiarum cultores, de sacra doceantur doctrina, ad hoc ut cum veritate revelata cohaerere sentiant quaecumque vera.

Nec minus desideratur ut christifideles, puro veritatis amore imbuti, illum manifestent in personas humiliter et caritative iudicandas.

2. *Christifidelium est, hoc in mundo technico, salvare vocationem mentis humanae contemplativam.* Hodie nonnulli homines, de scientiarum inventis ac de artis technicae potentia praeprimis gloriantes, putant instaurandam « culturam », ut aiunt, « novam », atheismo faventem.

Nec desunt alii, sane numerosiores, qui, indolem cognitionis nonnisi practicam considerantes, ambitum scientiarum restringunt ad utilitates et efficaciam, atque in activismum incidunt.

Inde, christiani intensius *acquirere* [1] debent advocationem ipsorum propriam, iuxta quam testimonium mundo huic perhibent de valore ineluctabili contemplationis, etiam in toto ordine culturali.

Duo, cum gratia, debet in mundo assumere: et sensum adorationis vivum pro Dei praesentia in suis creaturis, et gratiarum actionem in accipiendis inventis omnibus humani ingenii, quod, ad imaginem Dei creatum, hominem ipsum tam immense nobilitat.

Quae contemplatio utique cohaeret *cum* fine supremo hominis, scil. Deum beatificantem cognoscere ac diligere; cohaeret etiam *cum* officio terreni hominis fundamentali: divinae Providentiae super mundum visibilem intellectu et labore cooperari.

Consequetur eminens dignitas laboris, tam saepe hodie laesa; consequetur etiam obligatio otii quo in tramitem laboris introducuntur tum remissio ad quietem, cum mora ad contemplationem.

3. *Christifidelium est ut omnes in cultura participanda adiuvent.* Post ipsam theologalem vitam, et prae quibuscumque divitiis, cultura inter altissima hominis bona connumeratur. Unde nullatenus censenda est privilegium paucis egoistice reservandum, sed est habenda ut bonum quo universi homines, etsi humilis conditionis frui possint...[2]

Practice optandum est ut, hunc in finem, creentur et sagaciter multiplicentur centra culturalia, ubi fides omnia animet, et quibus provideant homines doctrinae sanae, verae et extensae competentiae in campis litterarum, artium, scientiarumque, qui etiam periti sint in conversatione dialogi...[3]

4. et *ultimo* [4]: *Christifidelium est tales valores promovere tam universim quam in particulari.* ...[5] Non raro (scimus experientia) contraeuntibus rei sive oeconomicae sive politicae circumstantiis, relationes *culturales inter populos* [6] potius perturbant humanas communitates, immo valores authenticarum traditionum alienare minantur. Unde incitantur ...[7] communitates ad proprias particularitates exclusive respiciendas ac zelose defendendas, tali modo ut culturae diversae nil posse ad invicem videantur, nisi insuperabiliter opponi.

In praxi ...[8] christiani satagant illa duo inseparabiliter procurare:

1. sensu imbuti fraterno, atque de omnium hominum unitate, paritate, unanimique vocatione ad filiationem divinam profundissime conscii, christiani magni faciant quidquid commune est ac universale, illique valde foveant;

2. ad proprium uniuscuiusque populi naturalem et historicum characterem attendentes, quo quisque dotes quasdam germanas exprimit communis humanae naturae...[9]

Moderator: Exc.me Pater, tempus tuum exactum est.

In textu scripto tradito: [1] aspicere. [2] Unde christiani exculti fraterno animo adlaborare debent ad hoc ut tale bonum commune revera communicetur. Culturae ut dicitur popularis sint promotores ardentissimi, cum lucide intelligunt quam maxime urgere agnitionem illius hodiernae conscientiae exigentiae, scil. ius omnium ad culturam participandam, ac vicissim despectus vehemens erga ignorantiam, quae cum suis sequelis ac servitudinibus, ut pessimum quid citissime delendum nostris diebus universim apparet. [3] Hic sedulo animadvertendum est hanc culturae diffusionem non satis procurari sola mediorum communicationis socialis expansione: qua quidem expansione, uti historia constat, libertas civium haud raro debilitatur, simulque passiones, speciatim apud plebem et iuventutem, incongruenter commoventur. Officium ergo urgens, etsi difficillimum, christianos obligat ut, toto corde et plenis viribus, « culturam massae » (quam aiunt) realiter propagent ad personas omnes promovendas. [4] conclusive. [5] De die in diem inter varias culturas miro modo relationes multiplicantur. Nec (quam dolendum) tales contactus semper ex se valent conferre ad bonum omnium totiusque humanae familiae. [6] huiusmodi. [7] hae. [8] igitur. [9] christiani, omni exclusionismo transcenso, venerentur et colant particularitates legitimas ut bonum vere positivum.

Animadversiones additae:

Textus proponitur sic emendatus: Nostra aetate novae patent viae in humana cultura proficiendi, scientiae nempe, technica ars et communicationis socialis instrumenta. At simul homines ad nova munera vocantur. Ita ex una parte maiore in dies numero hominum via non tantum ad bona materialia patet, sed etiam ad communitatis vitam et spiritualia altioris culturae bona, quae vitae humaniori inserviunt. Sed ex altera parte, cum hodie possibilitas realiter detur, agnitio iuris pro unoquoque homine ad culturam accedendi vehementer postulatur. Immo, ut scandalum percipitur adhuc maiorem partem hominum hac intellectuali et sociali miseria affici, quae analphabetismus nuncupatur. Cum de die in diem relationes inter varios populos multiplicentur, diversae culturae reciprocis influxibus aperiuntur. Sed haud raro tales influxus vitam societatum turbare, traditionales valores evertere, propriam uniuscuiusque populi indolem ac personalitatem parvi facere minantur, non sine gravi nocumento pro vita spirituali multorum hominum. Attamen, de se mutua diversarum culturarum foecundatio est optima, dum culturarum progressus cum illis reciprocis contactibus connectantur. Unde operam dare oportet, ut homines facilius propriam culturam cum aliis huius aetatis et temporis elapsi culturis comparare possint, ad mutuum culturarum incrementum.

Insuper, motus saecularizationis, ut dicunt, frequenter cum spiritu novae civilizationis technicae connexus, valores traditionales simul humanos et religiosos perantiquarum culturarum destruere minatur. Ad hos valores salvandos valde confert clara agnitio distinctionis inter religionem et diversos culturae aspectus, necnon eorundem cohaerentiam.

Nemo non videt quanti sit momenti ut christifideles cum aliis hominibus sincera cooperatione uniti, germanam culturam promoveant.

14

Exc.mus P. D. BOHDAN BEJZE

Episcopus tit. Idassensis, aux. Lodzensis

Illustrissimi Patres,

In schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis,* par. 22, pag. 25, n. 4 agitur de vinculis Ecclesiam inter et culturam. Attamen in hoc articulo nihil dicitur de philosophia christiana, quam Ecclesia ipsa nihilominus valde commendat, et quam non pauci homines docti catholici fatentur et quae revera magni momenti pro cultura hominum spiritualis est.

Venerabiles Patres! Varia scientiarum et artium genera, ratio iuventutis educandae atque multi alii vitae socialis campi magnopere dependent ex variis notionibus philosophicis, quae sunt iam divulgatae et nunc divulgatur. Intelligimus namque influxum, quem in societate humana ideologiae istae exercent, hegelismus scil. et pragmatismus, positivismus, relativismus, materialismus quem dialecticum vocant, et existentialismus.

In mundo huius temporis influxus philosophiae longe lateque diffunditur. Diversae enim propagantur opiniones philosophicae non tantum in studiorum universitatibus et in dissertationibus scientificis, verum etiam in libris relaxandi animi causa scriptis, in multis ephemeridibus, in fabulis scaenicis, in taeniolis cinematographicis, quae in lingua anglica « films » appellantur necnon denique in televisione.

Quae, proh dolor, ideae tam efficienter ope modernae technicae propagantur, interdum veritati et bono minime serviunt...[1]

Quae cum ita sint, gravitas philosophiae christianae nimis patet. Haec quidem philosophia unum ex aliis explicat, modo cum humanae rationis legibus concordi atque etiam cum veritate revelata concinno, locum scil. quem homo in rerum natura occupat, habitudinem quoque

hominis ad Deum necnon hominis existentiae gravitatem. Itaque philosophia christiana culturae progressui fundamentum ponit ultimum, namque:

1. philosophia christiana hominem ad opera culturae conficienda invocat, quoniam per ea homo munus suum cooperationis cum Deo implet; gratia enim culturae uberioris lucri homini sunt omnia, quae Deus creavit;

2. philosophia christiana valorem spiritualem ac aeternitatis exspectationem ostendit, quae homo ante oculos sibi proponere debet, culturae progressum promovens, ut illa creaturae intellectualis digna sit.

Licet mihi putare, hanc gravitatem, quam philosophia christiana relate ad culturam habet, in textu schematis XIII plane dicendam esse. Quod explicitis verbis ad par. 22 « De cultura rite promovenda » addatur.

Quod si, venerabiles Patres, philosophia christiana in mundo huius temporis graves partes agere debet, iuxta methodum modernam colenda atque nostro tempori lingua propria exprimenda est. Quoad haec recta leguntur proposita in « Adnexis » ad nostrum schema ...[2] in pag. 31. Attamen quod in adnexis includitur ad ipsum textum schematis bonum esse videtur.

Adhortatio quae ad homines doctos catholicos, in textu schematis proponenda, ut in philosophia christiana promovenda methodo moderna necnon lingua nostro tempori propria utantur, adhortatio haec ...[3] confirmabitur *id*[4] quod Ecclesia scientiarum progressum minime metuit, immo verum progressum vehementer promovet atque ad eum perficiendum invitat.

Illustrissimi Patres, praeter ea, quae de momento philosophiae pro cultura dixi, pauca de partibus sanctorum in cultura spirituali promovenda adhuc dicere velim. Praecedens quaestio ad rem intellectualem attinebat, praesens potius in re morali versatur.

Sancti quidem tum in sua vita terrestri tum in vita beata influxum in culturam exercent essentialem et humanissimum, cum suo exemplo ad altiores vitae moralis gradus homines attrahant. Sancti attamen, ut solet, in Ecclesia fiunt, causa illius, quod Ecclesia doctrinam divinam praedicat atque gratiam Dei hominibus impertit. Ac proinde sanctorum merita de cultura sunt proprie merita Ecclesiae in culturam rite promovendam.

Quae igitur in schemate nostro XIII expressis verbis affirmari oportet.

Cum de partibus sanctorum in cultura promovenda loquor, datur mihi occasio, ut hanc mentem proponere audeam, videlicet Ecclesiae in-

fluxus in culturam mundi huius temporis latius diffunderetur, si immortalis memoriae Papa Ioannes XXIII in numerum beatorum adscriberetur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] In mundo hodierno multi nobis occurrunt homines, quorum notio Dei atque de natura et fine hominis opinio vel depravatae vel inexactae sunt. Res vero pro nostris temporibus omnino insignis evenit illa, quod cum de Deo et anima humana agitur, non sine causa negligentia huius rei in diem invalescit. [2] de Ecclesia in mundo huius temporis. [3] affert bona, nempe 1. in animis philosophorum catholicorum huius laboris scientifici, de quo nobis agitur, studium excitabitur; 2. Ecclesiae diligentia de hominibus monstrabitur; Ecclesia enim cogitans de eo, quod philosophia christiana characterem sibi proprium modernum habeat, ipso facto Ecclesia faciliorem eius cognitionem reddit; 3. [4] deest.

Secretarius generalis: Faveatis attendere, Patres venerabiles; cum proxima hebdomada habeantur 2 vacationes, nempe feria II et feria III, statutum est ut congregatio generalis habeatur quoque die sabati, proxima hebdomada. Dixi.

15

Exc.mus P. D. STANISLAUS LOKUANG
Episcopus Tainanensis

Venerabiles Patres,

Hic numerus strictam relationem habet cum *sermone de* [1] adaptatione ...[2] in Missionibus. Mihi, igitur, liceat aliquid dicere de activitate culturali *Ecclesiae* [3] in Missionibus.

1. *Respectus* [4] ad omnes culturas. De hoc *in hodiernis temporibus iam non est* [5] quaestio inter missionarios, sicut antea, *etiam populi antiqui culturae, vocabatur barbaros in scriptis* [6] Missionariorum. Omnes populi *habent* [7] propriam culturam, etiamsi recenter ad vitam civilem pervenerint.

2. Necessitas activitatis *culturae* [8] in Missionibus. Ante omnia, haec activitas, requiritur pro praeparatione, seu praeevangelizatione gentilium ad audiendam praedicationem Evangelii.

Postea haec activitas utilissima et necessaria est ad obtinendos influxus doctrinae christianae in societate. In fine activitas culturalis inservire potest ac debet ut Ecclesia apud populos non-christianos radicem profundius mittat. Ecclesia ...[9] non *fundatur* [10] tantummodo per *erectionem,*[11] institutionem hierarchiae autochtonae, sed etiam per *radicem*

in cultura populi, secus per tempestes civiles vel persecutiones Ecclesia potest evanui.[12]

3. Media. In Missionibus bene et legitime *dantur*[13] aestimatio et *subsidia prae operibus caritatis, quia Missionarii praedicant caritatem Christi.*[14] Sed in hodiernis temporibus aestimatio et *subsidia tanta sunt et debent etiam*[15] operibus culturalibus, scil. pro Universitate catholica erigenda, ...[16] pro libris catholicis *conscribendis et*[17] edendis, et pro ephemeridibus culturalibus publicandis.

Post tanta saecula praedicationis Evangelii in Asia, doctrina christiana *fere ignorari adhuc,*[18] ignoratur ab hominibus Asiae *qui sapientes et doctores in omnibus aliis scientiis. Debemus, igitur, praedicare Evangelium non tantum in ruribus apud agricolas, sed etiam apud doctores populi,*[19] sicut Ipse Iesus Christus et S. Paulus, *hoc*[20] fecerunt cum magno fructu ...[21]. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] culturali. [3] deest. [4] Aestimatio. [5] nunc non est amplius. [6] quando populus etiam de antiquissima cultura vocabatur barbarus in libris. [7] possident. [8] culturalis. [9] enim. [10] plantatur. [11] deest. [12] insertionem doctrinae christianae in culturam populi. [13] tribuitur. [14] subsidium operibus misericordiae. [15] subsidium tribuendum etiam est. [16] pro centro studiorum ethnicorum condendo. [17] deest. [18] hodie adhuc penitus. [19] qui in aliis scientiis et disciplinis sapientes et doctores aestimantur. Non adsunt libri catholici bene conscripti pro illis. Nos debemus quidem praedicare Evangelium pauperibus, sed non solum pauperibus; praedicamus Evangelium in ruribus apud agricolas, sed praedicare etiam debemus hominibus sapientibus et doctoribus. [20] ita. [21] Propono igitur ut in hoc numero huius schematis inserantur aliqua verba quae utilitatem et necessitatem activitatis culturalis in Missionibus illustrent.

Altera animadversio mea est circa relationem inter culturam et Ecclesiam. In schemate bene describuntur diversi aspectus huius relationis. Sed deest ille aspectus principalis qui vitam christianam cum cultura intrinsece coniungit. Nam vita christiana fidelium est vita animata ac illuminata et directa a veritatibus fidei. Haec vita ad formas externas manifestari debet. Modus externus vitae unius populi constituit culturam ipsius populi. Idcirco cultura populi christiani praesentiam Ecclesiae manifestat et testificat. Hodie culturae omnium populorum christianorum in Europa atque in America iam ab Ecclesia discedunt et factae sunt culturae neopaganae, quae peiores sunt culturis paganis. Dolemus nos hodie de discessione operariorum ab Ecclesia; dolere magis debemus de discessione culturae modernae et consequenter societatis modernae ab Ecclesia. In schemate igitur aliquid magis positivum pro animatione et fermentatione spiritus christiani ad culturam modernam statui et inculcari debet.

16

REV.MUS P. D. ANICETUS FERNANDEZ
Magister generalis O.P.

Venerabiles Patres,

...[1] 1. In n. 22 ...[2] ubi iure asseritur quod « insignis verae culturae nota est *rectus valorum ordo* », deberet nitidius et uberius delineari quisnam et qualis sit iste rectus valorum ordo. Dignitas et perfectio naturae humanae necessario exigunt ut omnino servetur ordo hierarchicus valorum.

Ita, inter omnia bona humana pro christianis primum locum tenent bona supernaturalia, dicente Domino: « quaerite *primum* regnum Dei et iustitiam eius » ...[3]

Et S. Thomas praeclare docet: « bonum *gratiae* unius hominis maius est quam bonum naturae totius universi » ...[4]

Similiter, bona spiritualia animae, ut scientiae virtutes ...[5] rationes moraliter bonae, superant omnia bona materialia tam exteriora, ut divitias et possessiones, quam interiora, ut salutem et vitam ipsam corporalem...[6]

Unde S. Ioannes a Cruce pulchre dixit: plus valet una sola cogitatio hominis quam bonum materiale totius universi. Praeterea bene explicandum est quomodo bona supernaturalia nullum bonum naturale, nullam delectationem naturalem legitimam tollunt sed eam elevant et perficiunt. Unde hic, *forsan melius,*[7] in numero sequenti 23 de re oeconomica et sociali, videtur valde utile insistere amplius in recto usu bonorum materialium et temporalium relate ad bona spiritualia et aeterna, sub luce Evangelii.

Libentissime adhaereo iis quae de paupertate et de pauperum amore in aula saepe dicta sunt. Haec enim omnino sapiunt et redolent spiritum et litteram Evangelii, quem Ecclesia aemulari atque imitari debet, omnibus suis viribus continuando et actuando praeclarissima exempla et doctrinam Christi.

Verumtamen, in re tanti momenti et tam evangelica possunt adesse graves quaedam aequivocationes et falsae atque periculosae orientationes, ut iam quandoque accidit in Historia Ecclesiae, quae caveri et vitari debent.

Optimum quidem est explicare et laudare dignitatem personae humanae, extollere valorem culturae et scientiae, exaltare paupertatem evangelicam et aperte declarare omnes homines esse liberos et aequales,

scil. habentes eadem iura et officia. At vero in praxi hoc parum deservit, si omnes et singuli homines non provideantur de vera sufficientia bonorum materialium ad vitam humanam individualem, familiarem et socialem condigne ducendam. Haec enim sufficientia vitae est, communiter loquendo, necessaria ad exercitium virtutum et consequenter ad salutem aeternam consequendam, ut scite animadvertit S. Thomas...[8]

Si enim gratia supponit naturam, supponit etiam illa bona naturalia necessaria ad naturam conservandam et perficiendam. Quod saepe videtur irrationabiliter et iniuste oblivisci.

Nisi proportionalis quaedam aequalitas obtineatur in distributione bonorum huiusmodi, semper aderunt in mundo duae classes antagonicae, nempe divites et pauperes, domini et servi. Qui media habent ad adipiscenda omnigena bona humana, videlicet culturam, scientias, dignitates, ministeria honorifica et valde proficua, aliaque id genus, iuxta illud Scripturae: pecuniae oboediunt omnia ...[9]. Et qui vero manere debent in miseria et paupertate, quin eis pateat accessus ad illa ulteriora bona. Quo fit, ut aequalitas illa tam alte et sollemniter praedicata sit pure verbalis et irrisoria: indeque sincerus dialogus inter omnes homines evadit impossibilis.

Iustitia et caritas urgenter postulant et obligationem imponunt egenis et pauperibus subvenire, non solum per eleemosynam erogandam temporibus interiectis, sed per opera iustitiae socialis, quibus perpetuo et ininterrupte provideatur pauperibus et operariis aliquis modus laborandi quibus tribuat necessaria et congrua ad vitam digne et humaniter ducendam, sicut exigunt natura humana et dignitas filiorum Dei.

Quae quidem obligatio iustitiae socialis, urget non solum omnes homines individuos erga pauperes et egenos. *Certe* [10] et praesertim nationes divites erga pauperes et minus habentes. Forsitan iniustitia socialis hodie magis apparet gravior inter nationes quam inter diversas classes hominum quae videntur esse in via alicuius *proximi* [11] admeliorationis. Deus namque bona ista materialia condidit pro omnibus hominibus, non solum pro quibusdam tantum individuis, societatibus vel nationibus.

Semper ergo conari debemus ut ad meliorem distributionem divitiarum perveniatur, tamen sine demagogia et violenta revolutione quae maiora mala afferrent...[12]

2.[13] Enumeratio partium vel modorum humanae culturae est plane insufficiens et manca, quia omittuntur partes eius principales, ut sunt philosophia veri nominis, ac praesertim Sacra Theologia. Haec enim est veluti sublimatio et coronamentum totius humanae cognitionis et culturae. Atque ex ea, opem ferente sana philosophia ac praecipue Me-

taphysica, corrigi ac mederi poterit profunda illa disgregatio humanarum scientiarum inter se, ac veluti deformatio visionis integralis totius scibilis humani, ex nimia quadam et ultranea specializatione, quae ad atomizationem ducit. Visio enim altior, universalior et profundior philosophiae ac theologiae, superiorem synthesim et unitatem omnium humanarum cognitionum parare atque perficere poterit, humanae culturae valde proficuam.

Vitanda namque est ex una parte scientiarum separatio, ex alia vero earum confusio. Simul tamen maxime procuranda est omnium scientiarum unio et mutua conspiratio ad bonum integrale humani intellectus et totius humanitatis. Recta educatio in primis conari debet ut homines sint veri homines, et educatio christiana ut sint etiam homines christiani.

Qua in re, valde utile esset condere universitates studiorum, in quibus omnes scientiae traderentur communi quadam harmonia et mutua collaboratione, ita quidem ut technici, scientifici, philosophi ac theologi dialogum instituerent ad fovendam et perficiendam investigationem ac rectam aestimationem veritatis integralis ab omnibus pro sua quique parte detegendae et capessendae. Quod quidem pro suo modo, et prout ea ferebant tempora, anhelabant Universitates traditionales mundi occidentalis ...[14]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Liceat mihi pauca humiliter proponere circa nn. 22 et 23, si forte utilia aestimentur ad complenda et perficienda ea quae ibi dicuntur. [2] pag. 25, lin. 20. [3] (*Mt.* 6, 33). [4] (*Summa Theol.* I-II, q. 113, a. 9 ad 2). [5] et. [6] iuxta illud Christi: « quid prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur... Nolite timere eos qui possunt corpus occidere, sed potius timete eum qui potest et animam et corpus tradere in gehennam ». [7] vel. [8] (*Summa Theol.* II-II, q. 129, a. 8). [9] (*Eccl.* 10, 19). [10] sed. [11] proximae. [12] Ceterum omnes servare debent spiritum paupertatis, hoc in sensu, quod non ponant cor suum in divitiis quasi earum servi, sed eis utantur ut domini ad rite ducendam vitam temporalem, in ordine ad aeternam consequendam, et superflua iuste distribuendo in bonum commune totius societatis. Cum enim agitur de possessione et usu rerum materialium, semper prae oculis tenenda est illa pulchra sententia S. Hieronymi: « Labor exercendus est, sollicitudo tollenda » (lib. *Comm. in Mt.* c. 6). 3. Ibidem desideratur notio aliqua magis praecisa *culturae,* ne in aequivoco haereamus utentes hoc verbo ad res diversi omnino generis significandas. [13] 4. [14] 4. In fine eiusdem numeri, pag. 26, linn. 9-13, habetur adhortatio huiusmodi: « illi qui speciali modo evangelizationi se devovent, sed praesertim pastores ac theologi, *veritatem revelatam verbis et formis illius culturae enuntiare discant in cuius ambitu Evangelio serviunt,* finium propriae culturae bene conscii ».

Intentio quidem adhortationis optima est, modus tamen eam proponendi est ambiguus. Si enim intelligantur haec verba in hoc sensu, scil. quod praedicatores, pastores et theologi debent uti verbis et sermone accommodatis captui et gustui auditorum suorum, omnino verum et rectum dicitur.

Si autem hoc alio sensu accipiantur, quod nempe debent assumere propriam eorum terminologiam, etiam philosophorum et philosophiarum a veritate fidei aberrantium, relicta terminologia revelationis christianae et magisterii Ecclesiae et traditionis theologicae, periculum adest falsificandi ipsam fidem vel saltem ansam praebendi illis ipsis quibus exponitur ut falso eam intelligant.

Propter quod Pius XII prudenter monuit simulque fortiter a tali methodo vel modo agendi abstinendum esse.

En verba eius gravissima: « quod autem ad theologiam spectat, quorumdam consilium est dogmatum significationem quam maxime extenuare; *ipsumque dogma a loquendi ratione in Ecclesia iamdiu recepta et a philosophicis notionibus penes catholicos doctores vigentibus liberare,* ut in catholica exponenda doctrina ad Sacrae Scripturae sanctorumque Patrum dicendi modum redeatur. Spem ipsi fovent fore, ut dogma elementis denudatum quae extrinsecus a divina revelatione esse dicunt, fructuose comparetur cum eorum opinionibus dogmaticis qui ab Ecclesiae unitate seiuncti sunt, utque hac via pedetentim perveniatur ad assimilanda sibi dogma catholicum et placita dissidentium.

Accedit quod catholica doctrina ad hanc redacta conditionem, viam sterni autumant qua, hodiernis necessitatibus satisfaciendo, *hodiernae etiam philosophiae notionibus dogma exprimi possit, sive immanentismi, sive idealismi, sive existentialismi, aliusve systematis...* » (Enc. *Humani generis,* DENZ.-SCHÖN. nn. 3881-3883).

Liceat etiam mihi tradere in scriptis duas animadversiones ad n. 21, quae fortasse utiles erunt ad illud perficiendum et perpoliendum.

In n. 21, pag. 23, linn. 18-19, dicitur: « parentum ius educandi prolem in sacra religione secundum propriae conscientiae praecepta omnino in tuto ponatur ».

Haec tamen verba nonnihil ambiguitatis praeseferunt. Verum quidem est parentes ius habere, immo et officium, educandi prolem suam in Sacra Religione. Et quia istud ius est naturale et inalienabile, ideo omnino requiritur ut in tuto ponatur.

Quod autem additur veluti modus et fundamentum huiusce iuris, scil. *secundum propriae conscientiae praecepta,* ambiguitate non caret, et aequivocationibus ansam praebere potest.

a) Quia praesupponit vel subaudit thesim aut doctrinam *de libertate religiosa* iuxta dictamen propriae et personalis conscientiae uniuscuiusque. Quae doctrina non modo non est solide probata, verum etiam est multis, iisque gravissimis difficultatibus obnoxia.

b) Quia subaudit etiam dictamen propriae conscientiae uniuscuiusque, *simpliciter et sine addito,* esse *universaliter* normam et regulam bene agendi, etiam in re religiosa. Quod tamen non est verum neque accurate dictum. Oportet namque caute distinguere inter conscientiam *rectam presse dictam,* quae est conscientia *vera,* idest ad veram *normam* obiectivam exacta prout in lege aeterna et naturali continetur, et conscientiam *rectam large et improprie dictam,* quae est conscientia *invincibiliter erronea.* Haec enim non proprie est norma vel regula bene agendi, quia error non est proprie regula vel norma boni, sed *tantummodo excusat* a peccato formali, cum tamen sit causa vel occasio peccati materialis. Ut

praeter eam conscientiam *vincibiliter erroneam,* quae est et ipsa formaliter peccaminosa, ideoque non excusat a peccato formali actionis consequentis.

Ideo, verba illa deberent compleri dicendo: secundum propriae conscientiae *rectae* et *verae,* sive rite formatae, dictamen.

Oportet insuper caute distinguere inter religionem et religionem. Si enim agatur de religione catholica, vera regula non est propria conscientia uniuscuiusque, sed fides et divina praecepta, quae sunt norma obiectiva eius. Si vero sermo sit de aliis religionibus, quae certe non sunt obiective verae, non potest fieri recursus nisi ad conscientiam invincibiliter erroneam, quae proprie loquendo non regularet actionem illam educandi prolem in *falsa* religione, sed excusaret tantummodo a peccato formali.

In textum autem et in aliis locis ut iacet, videtur tribui idem valor idemque ius cuilibet conscientiae respectu cuiuslibet religionis. Quod omnino falsum est. Uno modo oporteret magis prae oculis habere doctrinam de educatione propositam a Pio XI in Encyclica *Divini illius Magistri.*

2. In eodem numero, pag. 24, linn. 13-36, tangitur problema de regulatione natalitatis sive de regulando numero filiorum generandorum, quin tamen reguletur usu matrimonii, abstinendo nempe ab ipso per tempus proportionatum.

Et postea redit in ipsum, n. 24, pag. 29, ubi, in linn. 18-19, dicitur: « quod autem ad numerum prolis attinet, *ultimum iudicium ad ipsos coniuges spectat* ».

Ecclesia nempe non haberet in promptu solutionem huius problematis, sed eam relinquit iudicio personali propriae conscientiae singulorum coniugum.

Hoc autem valde periculosum esse videtur, nisi exclusive intelligatur de iudicio conscientiae rectae et verae. Secus enim, sub influxu passionis et libidinis uniuscuiusque iudicium suum efformabit ad iustificandam omnem speciem luxuriae.

17

Exc.mus P. D. PAULUS MUÑOZ-VEGA

Episcopus tit. Ceramensis, coad. s.d. Quitensis

Venerabiles Patres conciliares,

Cum iam nos simus satis fatigati, hoc mane, velis tantum unum punctum tangere, ceteris praetermissis; si mentem schematis bene intellexi, relatio inter Ecclesiam et culturam quae nobis consideranda proponitur, sequentibus assertis constat [1]:

1. Ecclesiam semper agnovisse momentum culturae illamque fovere ipsa adimpletione sui muneris, i. e. evangelizatione.

2. Hanc evangelizationem nulli particulari culturae alligari, sed cum omnibus culturis communionem inire posse.

3. Fidei christianae professionem plurimum contulisse et conferre posse ad progressum culturae, et vicissim quamlibet culturam cedere posse in bonum religionis christianae.

4. Opus esse ut in Ecclesia adsint ex una parte promotores cul-

turae qui scientias et artes colant in Christi lumine, ex alia pastores ac theologi qui veritatem revelatam verbis et formis illius culturae enuntiare sciant in cuius ambitu Evangelio serviunt.

Haec sunt quattuor asserta praecipua, et revera magni momenti, et uti opinor in redactione, veluti nucleus verum dicendarum retinenda. Tangitur quaestio praecipua haec et difficilior, scil. de apta via inveniendа qua superari et removeri possit, perniciosa divisio inter Ecclesiam et hodiernam culturam quam hostes ut ineluctabilem sustinere vellent.

Hoc aliquatenus magis consideremus.[2] Per plura saecula Universitates studiorum ab Ecclesia in Occidente fundatae, vel cum eius formali approbatione erectae, talem prae se ferebant indolem atque tendentiam scientificam ut intrinsece aptae essent ad unitatem culturae et vitae publicae christianae fovendam.

At post reformationem protestanticam indoles Universitatum magis magisque temporum et spiritui oboediens, *adeo est immutata ut una cum stato laico ab Ecclesia separato non iam sedes altioris culturae christianae devenerint sed scissionis vel divisionis inter fidem, theologiam, philosophiam et scientias. Hoc est problema quod nunc habemus. Crisis nostri temporis in eo maxime consistit quod ista divisio vel scissio, transfertur ad ordinem concretum practicum.*[3] Scientia moderna a fide seiuncta novisque philosophiis consociata, paulatim mundum occidentalem olim catholicum, et mundum orientalem olim christianum, fecit laicum industrialem, commercialem, materialisticum; creavit coetus scientificos atheos in Universitatibus, *facit nunc*[4] massam acatholicam in popularibus. Quaenam est fides quae regit spem, consilia, iudicia, fines actionis in animis plurium hominum in mundo nostro occidentali et orientali? Est fides *quaedam*[5] in scientiam, in scientiam quandam seiunctam ab altiori certitudine *fidei,*[6] immo *in scientiam*[7] avulsam ab ipsa convictione de Dei ...[8] exsistentia *i. e. in scientia quaedam athea.*[9]

Haec non commemoravi ut quodam pessimismo *adombremus*[10] illud ideale promotionis hodiernae culturae quod schema *sibi proponit*[11] sed ut magis eluceat *quanti momenti sit promovere in Ecclesia illam institutionem sine qua, haec situatio culturalis mundi hodierni, nullatenus in melius evolvi posset. Me refero ad universitates studiorum.*[12]

In nullo ambitu mundi hodierni peragitur actio adeo decisiva pro futuro procursu terrestris civitatis, et pro futuro procursu Ecclesiae, quemadmodum in Universitatibus studiorum...[13]

Ipsi adversarii ...[14] nos de hac re conscios reddere possunt.

Nam eorum conatus in hunc praesertim scopum, ut Ecclesiam ad

statum cuiusdam sectae reducant, ipsam privando illo influxu in totam vitam culturalem quam olim habuit, cum erexit insignia athenaea studiorum et quem hodie quoque iure sibi vindicat. Sic, si, veri causa, America latina loqueremur, periculum maximum in propagatione marxismi non est tantum in massis popularibus sed in Universitatibus.[15]

Maxima quaedam vota circa vitam intellectualem catholicam in hac aula expressa sunt: v. c., ut tota structura scientiae moralis theologicae funditus recognoscatur; ut disciplinae philosophicae et theologicae *in nostris seminariis* [16] sic tradantur ut nostri sacerdotes apprime sciant veritatem revelatam formis exprimere quae spiritui nostri temporis melius respondent, quae a nostris coaevis facilius intelliguntur et libentius acceptantur...[17]

Facile est haec vota exprimere; prorsus autem arduum exsecutioni mandare. *Et quomodo* [18] possent haec *vota*,[19] iusta quidem et urgentissima, adimpleri, nisi studia in Universitatibus ecclesiasticis et catholicis *omni sollicitudine promoveantur et evehantur ut tempora requirunt.*[20]

Agitur *hic de problemate et pastorali et culturali, qua* [21] id fortasse facilius intelligetur exemplo *aliquo* [22] deprompto a negotiis civitatis terrestris; quoties in aliqua urbe ingens requiritur copia aquarum quae abundantes et sanae, ad omnes cives pervenient, requiritur profecto ut multa incoepta promoveantur: imprimis vero opus est ut aliqui cultores scientiarum fontes detegant a quavis contaminatione expertes, quos *scientifice et technice* [23] colligant et *impellant* [24]... In ordine spirituali supernaturali angimur ubique simili problemate quoties cernimus in nostris urbibus ...[25] ingentes hominum multitudines quibus aquae caelestis doctrinae non perveniunt... Fluenta doctrinae de re biblica, morali, sociali ...[26] exoptamus pro actuali siti animarum: fluenta vero quae non modo copiosa sint sed omnino pura seu a contaminationibus penitus libera. Hic labor qui e fontibus doctrinae revelatae et ex libro naturae colligat copiam aquarum vivarum pro mundo moderno; hic, inquam, labor, aridus *quidem* [27] sed eximie pastoralis, *debet fieri in universitatibus nostris.*[28]

Propter hanc causam, peto, ut in hac parte schematis agatur de momento quod iuxta Concilium tribuendum est praemotioni studiorum in Universitatibus; de aestimatione qua prosequitur cultores scientiarum sive sacerdotes, sive laicos, de fiducia quam in eorum opera nutrit ad superandam divisionem inter Ecclesiam et culturam, et etiam de libertate qua in indagatione scientifica ipsis agnoscit.[29] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] In n. 22 de cultura rite promovenda, quatuor invenimus asserta quae magni momenti sunt et in definitiva redactione textus,

tanquam nucleum rerum dicendarum, retinere oportebit; videlicet. [2] Haec asserta et factis historiae et intrinsecae veritati evangelizationis christianae respondent; nihilominus, in mundo huius temporis non sufficit illa enuntiare theoretice, sed opus est aptas invenire vias quibus removeri et superari possit infausta divisio inter Ecclesiam et culturam modernam, quam hodierni hostes fidei ineluctabilem proclamant. Haec est enim quaestio praecipua quam in hac parte praesentis schematis omni studio perpendere debemus. [3] spiritui nempe Status laici ab Ecclesia separati, facta est magis magisque aliena a synthesi culturae christianae. Non possumus iam loqui de praesentia Ecclesiae in magnis Universitatibus in quibus efformatur spiritus mundi hodierni eiusque culturae scientifico-technicae. [4] deest. [5] deest. [6] revelationis christianae. [7] et. [8] personalis. [9] deest. [10] obscuremus. [11] prae oculis habet. [12] id quod in hunc scopum existimare debemus praecipuum et fundamentale; videlicet, opus magisterii et investigationis scientificae et altioris apostolatus in Universitatibus. [13] In eis enim creatur illa forma mentis quae regit vitam spiritus et historiam. [14] Ecclesiae. [15] Promotores communismi in populis qui acri crisi sociali laborant (v. c. in nationibus Americae Latinae) omni studio contendunt praesertim et imprimis Universitates studiorum fermento marxismi saturare; unde fit ut pericula maiora revolutionis communisticae non adeo radicitus inveniantur in massis popularibus ut in coetibus intellectualibus. Inimicis Ecclesiae multum omnino interest ut ipsa sit absens ab Universitatibus Status et ab omni iure spolietur erigendi proprias Universitates; sic enim facilius erit illam ad statum cuiusdam sectae reducere ipsam privando ab illo influxu in totam vitam culturalem quam olim habuit cum insignia erexit studiorum athenaea et quem hodie quoque iure sibi vindicat. Hodie, ut olim, pleno iure sustinere possumus et debemus culturam nullatenus obstare fidei, nullam adesse oppositionem inter ea quae fide tenentur et conclusiones bene comprobatas scientiarum, synthesi culturae christianae melius hominem modernum ad interiorem libertatem educari posse: sed impossibile erit de his veritatibus mundum hodiernum convincere nisi in Ecclesia et studia universitaria et apostolatus in Universitatibus tantum floreat quantum condiciones actualis vitae scientificae exigunt. [16] deest. [17] etc. [18] Quomodo autem. [19] postulata. [20] sint ex parte nostri Concilii obiectum sollertissimae considerationis ut illam promotionem et renovationem adipiscantur quas requirunt signa temporum? Ut adsit in quavis natione vita intellectualis catholica quae redundet in insigne et prestigiosum Ecclesiae servitium, requiruntur Universitates ab Ecclesia rectae, requiruntur professores catholici in Universitatibus Statuum, requiruntur sacerdotes exculti qui in ambitu Universitatum ministerium suum exerceant. Oportet ut Concilium nostrum eorum operam propugnet, foveat, evehat. [21] equidem de opera magni momenti non solum sub aspectu intellectuali sed etiam sub aspectu pastorali. [22] deest. [23] deest. [24] apte parent. [25] et campis. [26] etc. [27] saepe. [28] fit ab illis qui investigationi scientificae et muneri docendi in Universitatibus hodiernis nulli parcendo defatigationi incumbunt. [29] Concludo: etsi in declaratione de educatione christiana quaedam statuentur de hoc argumento, tamen in hoc schemate non debet deesse tractatio aliqua qua nervose significetur mens Concilii eiusque voluntas circa momentum tribuendum omni labori quo verificatur praesentia Ecclesiae in ambitu Universitatum, circa valorem quem tribuit studiis et investigationi scientificae ut solvantur problemata relationum inter nuntium

evangelicum et diversas culturas in hodierno mundo, circa necessitatem promovendi renovationem aptam studiorum in suis propriis athenaeis ut revera excellant in laudem Dei et utilitatem populi eius.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit die 4 novembris, feria IV.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CXIV

4 novembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CXIV

4 novembris 1964

[*Ante Missam*] Exc.mus P. D. IOANNES VILLOT, arch. tit. Bosporanus, coad. Lugdunensis, *subsecretarius*:

Iuxta desiderium Summi Pontificis Missa S. Caroli celebratur ritu ambrosiano ab em.mo card. Ephrem Forni ex dioecesi Mediolanensi. Cantat Pontificium Seminarium Lombardum. Commendatur precibus Patrum Conventus Rhodiensis seu Conferentia Pan-Orthodoxa die prima novembris incepta.

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii Oecumenici secretarius generalis*:

Em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis, moderabitur hodiernam congregationem generalem 114.

In hac congregatione, Patres venerabiles, procedetur ad suffragationes iam indictas circa schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* post prolatas praescriptas relationes sive generalem sive super cap. I.

Et durante hac congregatione pariter, tempore opportuno, dabitur dono Patribus pretiosus liber, cui titulus *Il Pellegrinaggio di Paolo VI in Terra Santa.* Hic liber, qui constat 238 paginis, est nitida veste typographica confectus et habet 7 tabulas luce et colore expressas. Continet omnia documenta circa iter Summi Pontificis, etiam documenta inedita et documenta redacta lingua originali. Habetur etiam parva historia, si ita dicere fas est, circa idem iter Summi Pontificis, qui voluit ut publicatio pararetur pro Patribus S. Concilii ut iisdem offerret opus quod recoleret scopos et lineas suae peregrinationis... sui itineris in Terram Sanctam. Quae peregrinatio, uti meministis, Patres venerabiles, nuntiata est exeunte secunda periodo huius Ss. Concilii.

Hic liber offertur Patribus hodie in festo S. Caroli Borromeo. Dies iam selectus est cum quadam intentione. Nam hoc die Mediolani initium datur celebrationibus pro recolendo quarto centenario ingressus S. Caroli Borromeo in archidioecesim ambrosianam. Etiam hodie est decennium ab electione nostri Summi Pontificis in archiepiscopum mediolanensem [*plausus*].

En, Patres venerabiles, nomina eorum qui verbum facere postula-

verunt circa cap. IV, n. 22 schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis*: em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bonon. in Italia; exc.mi DD. Aloisius Carli, ep. Signinus in Italia; Emmanuel Talamàs, ep. Civitatis Juarezensis in Mexico; Carolus de Provenchères, arch. Aquensis in Gallia; Ioannes Zoa, arch. Yaundensis in Camerun; Leo Elchinger, ep. aux. Argentinensis in Gallia; Leonidas Proaño, ep. Rivibambensis in Aequatore.

Deinde fiet transitus ad n. 23 eiusdem cap. IV. Circa quem numerum loqui postulaverunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ioseph Frings, arch. Coloniensis in Germania; Stephanus Wyszynski, arch. Gnesnensis et Varsaviensis in Polonia; Paulus Maria Richaud, arch. Burdigalensis in Gallia; et exc.mi DD. Angelus Herrera, ep. Malacitanus in Hispania; Radulfus Zambrano, ep. Facatativensis in Columbia; Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis in Jugoslavia; Villelmus Gordon, ep. coad. Medioburgensis in Anglia; Albertus De Vito, ep. Lucknovensis in India; Franciscus Tomášek, ep. tit. Butiensis in Cechoslovachia; Floyd Begin, ep. Quercopolitanus in St. Foed. Amer. Sept.; Claudius Dupuy, arch. Albiensis in Gallia; Georgius Hakim, arch. Ptolemaidensis Melchitarum in Israel; Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis in Germania; Ioseph Höffner, ep. Monasteriensis in Germania; Philippus Benitez, aux. Assumptionis in Paraguay.

Patres venerabiles, hodie plures faciendae sunt suffragationes. Ut omnia expedite procedant, rogamini iterum ut, quantum possibile est, vestris sedibus stetis. Gratias.

SCHEMA DECRETI
DE PASTORALI EPISCOPORUM MUNERE IN ECCLESIA RELATIONES

EXC.MUS P. D. PETRUS VEUILLOT
Archiepiscopus tit. Constantiensis in Tracia, coad. c.i.s. Parisiensis

RELATIO GENERALIS

[*Cf. pag. 114-119*].

EXC.MUS P. D. IOSEPH GARGITTER
Episcopus Bauzanensis-Brixinensis

RELATIO DE CAPITE I

[*Cf. pag. 126-130*].

Moderator: Ambobus exc.mis relatoribus, necnon et toti commissioni, gratias plurimas agimus pro tanto talique labore.

Secretarius generalis: Venerabiles Patres, procedamus ad suffragationes circa singula puncta iam proposita et in folio distributo impressa. Antequam tamen legam textus singulos, nomine em.morum moderatorum haec communico. Prouti exc.mus relator iam clare dixit, textus huius schematis qui referunt doctrinam de Ecclesia, in textu definitivo penitus conformes erunt doctrinae quam Sacrosanctum Concilium pronuntiabit in constitutione *de Ecclesia.* Repeto...

Hac data mente, lego textum prioris suffragationis. Videatis pag. 5. Ex concessione Moderatorum, lego initium et finem.

« Christus Dominus, Filius Dei vivi... [*cf. pag. 112-113*]. *Placet* an *non placet?* Est duplex tantum responsio. Tertia non datur.

1

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. LERCARO

Archiepiscopus Bononiensis

Venerabiles Patres,

Par. 22 quasi nodus est totius schematis: quaestionem enim altissimam tangit ubi clarius quasi in synthesi apparet quali relatione Ecclesia et mundus inter se distinguantur et nihilominus intimissime uniantur.

Nam indesinenter ibi problema maxime profundum et arduum supponitur: quali scil. sensu et ratione revelatio divina requiratur ut homines in cognoscendo proficiant ita ut eorum scientia (in suis variis obiectis et ordinibus) magis in dies humana eveniat? Item quali sensu et ratione hominum progressus — etiam in scientia profana — conferat ad explicitationem et evolutionem homogeneam ipsius dati revelati?

Laudabiles sane sunt nisus impensi a commissione in conficiendo schemate cum annexis: textus tamen non plene placet, quia gradum sistit ubi revera incipiendum *esse videtur.*[1]

Parum est dicere — prout in schemate legimus — hodie culturam magni momenti esse pro Ecclesia; Ecclesiam a cultura summam utilitatem recipere; Ecclesiam ergo aperte et fidenter respicere progressum scientificum, technicum, artisticum etc. Nec adiungere sufficit Ecclesiae magni interesse ut hic culturalis progressus recte evolvatur, servans

aequilibrium harmonicum diversorum ordinum neque contradicens humanismo — qui dicitur — spiritualistico neque congruo pluralismo culturali.

Haec sane omnes norunt et communiter dicuntur.

Non[2] sufficiunt *tamen*[3] ut Ecclesia et cultura inter se efficaciter occurrant, cultura — dico — non temporis acti sed *praesentis et*[4] futuri. Ut hic occursus efficax sit maneat et crescat, quaerendae sunt primum et decernendae quaedam mutationes essentiales in toto ordine culturali ipsi Ecclesiae intimo: quae mutationes manifeste hodie exiguntur pro statu peculiari culturae huius temporis.

I. Primo et principaliter: Ecclesia ...[5] ad maiorem in diem paupertatem *tendat oportet.*[6]

Non dico hic paupertatem materialem, sed peculiarem consequentiam paupertatis evangelicae *quoad culturam ecclesiasticam.*[7] Etiam in hac materia — sicut in ambitu institutionum et bonorum patrimonialium — Ecclesia quasdam divitias servat praeteriti temporis gloriosas sane, sed quae cum nostri temporis spiritu non plene congruunt (e. g. systemata scholastica philosophica et theologica, instituta academica et educativa, rationes studiorum, *methodos*[8] investigationum etc.). Ecclesia debet — si necessarium est — fidenter his divitiis abrenuntiare aut saltem his parum confidere, de his non gloriari et iis cautius inniti. Illae enim divitiae lucernam evangelici nuntii non semper super candelabrum ponunt, sed potius saepe sub modio condunt: ipsae enim saepe obstant quominus Ecclesia se pandat adquisitionibus novae culturae et thesauris veterum culturarum quae extra fines christianismi floruerunt.

Divitiae illae possunt coangustare universalitatem sermonis Ecclesiae, dividere plus quam unire, plures homines excludere quam convincant et trahant.

Absit a me ut cupiam Ecclesiae paupertatem theologicam et culturalem simpliciter negativam. Etiam ad culturam quod attinet viget distinctio inter paupertatem evangelicam et paupertatem infrahumanam. Non istam ergo, sed illam opto: non igitur ignorantiam et spiritus parvitatem, sed potius sobrietatem et conscientiam propriae finitudinis, agilitatem mentis simul et magnanimitatem et audentiam (audentiam scil. ad novas aggrediendas vias, quod sane sine periculo fieri nequit), intellectus castitatem quandam et humilitatem, quae est vera et ditissima sapientia supernaturalis et simul elegantissima conscientia actualitatis et germanus realismus historicus.

Denique exoptamus non abrenuntiationem patrimonii culturalis quatenus abrenuntiatio est, sed abrenuntiationem per quam novae acquirantur divitiae et per quam — vel sub respectu humano tantum —

ad maiorem intellectus aciem et ad severiorem acribiam perveniri poterit.

Semper Ecclesia negavit se ipsam vel suam doctrinam idem se facere cum aliquo systemate, cum peculiari philosophia et theologia. Usque adhuc, tamen, distinctio haec de iure fuit, magis quam de *facto*.

Nunc est tempus ut Ecclesia et nuntium eius essentiale *de facto* magis in dies separentur a quodam « organon » culturali...[9]

Ut ad verum dialogum se pandat cum cultura huius temporis Ecclesia, in spiritu evangelicae paupertatis, culturam suam agiliorem in dies reddere debet, eam magis magisque vertens ad supersubstantiales divitias Sacrae Scripturae, et mentis et sermonis biblici. Neque *enim*[10] Ecclesia timere debet ne hac ratione minus ab hominibus comprehendatur, aut ne eos decipiat. Homines enim — si bene perpendimus — nihil aliud ab Ecclesia requirunt. Ecclesiae cultura tum demum non rationalismus aut scientismus profanae originis videbitur, sed efficacissima dynamis religiosa erit, idonea ad quamlibet culturam hodierni et futuri temporis fermentandam.

II. Ex praedictis immediate consequitur promovendum esse novum cursum culturae ecclesiasticae, et novam « paideiam » in Ecclesia, maxime in institutis pro alumnis suis et pro investigatione scientifica.

Hoc intimum nucleum schematis nostri tangit. Quomodo sperabitur dialogus diuturnus et ad futura pertingens, si illi — sacerdotes scil. et fideles — qui ex parte Ecclesiae loquuntur, formantur secundum studiorum rationem prorsum inactualem? si quidem lingua *scientifica*[11] in qua illi cogitare debent, cum omni gloria sua, hodie iam mortua *apparet,*[12] si iam non est universalis — idonea videlicet ad exprimendas novas ideas ubique terrarum vigentes?

Ex intimo igitur nucleo huius schematis, ex ipsis thematibus suis, apparet quomodo requirantur reformationes ...[13] sine quibus sincera esse nostra proposita nemo unquam credet, neque nos credet respectare posse exigentias et veras adquisitiones culturae huius temporis.

III. Item themata huius temporis exigunt ut magis in dies habitualiter redeatur ad perantiquam traditionem episcoporum qui simul et doctores fuerunt. Christiana enim cultura, per saecula, maxima ex parte opus et fructus fuit magnorum episcoporum, qui eminenter pastores et magistri simul extiterunt. Sed etiam *post*[14] gloriosas institutiones Medii-Aevi labentis aut aetatis modernae, verum est et manet modum essendi culturae ecclesiasticae maxime germanum et proprium non illum esse qui unice ex cathedris academicis oritur, sed illum potius qui saltem non minus e cathedris episcoporum nascitur, episcoporum

scil. « theologorum ». Theologos dico primo et genuino sensu, non illos qui de Deo scholastice *tantum*[15] disserunt; redeundum enim est ad perfectam formam episcoporum (in hoc saltem quod de nobis pendet et non directe a Deo, maxime ubi de episcopis eligendis agitur) ad formam dico perfectam episcoporum spiritualium ...[16], qui *cum Deo loquuntur,* et ex hac intima experientia lineas essentiales hauriunt regiminis et magisterii sui, vere idonei qui interpretentur statum et significationem aetatis alicuius, aut populi, eiusque culturae.

IV. Denique explicetur oportet necessitas quae in schemate toto supponitur — sane ultra fines huius par. 22 — necessitas, scil., ad antiquos mores redeundi etiam ad aliud capitale thema quod attinet: laicis animum infundendum est ut aggrediantur investigationes vera dignitate scientifica pollentes in theologicis disciplinis.

Non solum dico necessarium esse ut laici habitualiter acquirant aliquam culturam theologicam (quam nos, heu, quasi aliquid minoris et debilioris, saepe, pro illis volumus)...[17]

Moderator: Em.me Domine, doleo, tempus tuum exactum est.

Orator: Gratias.

In textu scripto tradito: [1] est. [2] parum significant nec. [3] deest. [4] deest. [5] agnoscere debet suam ipsius paupertatem culturalem et — cohaerenter —. [6] tendere. [7] pro cultura ecclesiastica. [8] quae in Universitatibus nostris adhuc vigent, methodi. [9] cuius perennitatem et universalitatem multi Ecclesiae homines adhuc nimis asseverant, spiritu possessionis et sufficientiae moti. [10] deest. [11] deest. [12] est. [13] — de quibus iterum alibi me locuturum spero — reformationes, dico. [14] postea. [15] deest. [16] sive « pneumaticorum ». [17] Sed quoddam longe maioris ponderis cogito, non omnibus sane pervium, sed certo multis.

Inter praecipuas conditiones pro fructuoso commercio inter Ecclesiam et culturam, schema nostrum refert necessitatem ut multi laici periti totos se dedant investigationibus scientificis: sed schema loquitur et cogitat de scientiis humanis tantum. Cur non et de Sacra doctrina et de scientiis theologicis?

Antea de episcopis theologis dixi. Episcopo theologo complementum est et respondet laicus-theologus. Iamvero Ecclesia catholica indiget copiosa acie laicorum theologorum, exercitata iuxta rigidae scientiae methodum in ipsa sacra doctrina: uti aderant antequam cultura ecclesiastica clericorum monopolium evenisset, et uti adhuc adsunt in Ecclesia Orthodoxa et in quibusdam communitatibus Reformatorum.

Tum demum et hac ratione tantum in Ecclesiastica cultura aliquid vere novi eveniet, cum scil. laicis nostris non tantum minoris momenti viam praebebimus, viam nempe scholarum theologicarum secundi ordinis; neque tantum si praebebimus paucis ex illis aditum ad facultates theologicas pro clericis, sed cum illis

pandemus viam regiam institutorum ad investigationes scientificas in disciplinis theologicis prosequendas, quae ab ipsis et iuxta eorum mentem regnantur (sub ductu sane Sacrae Hierarchiae).

Vias vere novas tunc invenient scholae theologicae et ipsa clericorum cultura; tum demum instituta Ecclesiae ad culturam promovendam profunde renovabuntur, eiusque *paideia* maiori dynamica virtute pollebit, *organon* eius culturale quasi novam auroram videbit, et omnes — sacerdotes et laici — sic formabuntur ut mundum comprehendant; filiis ipsis Ecclesiae qui — prout schema exoptat — in finibus externis humanarum scientiarum militant, et ipsis tum efficacius auxilium praebebitur ad huius temporis culturam christiano modo inspirandam; tum omnes homines exculti — more, ut ita dicam « physiologico » et spontaneo — theologiam invenient, quae est Dei sapientia.

Secretarius generalis: Proponitur textus suffragationis alterius, pag. 15, n. 4, scil. « Potestatis collegii episcoporum exercitium » [*cf. pag. 121*]. *Placet* an *non placet?*

2

Exc.mus P. D. ALOISIUS CARLI

Episcopus Signinus

Venerabiles Patres,

De n. 22 in genere quaedam mihi dubia occurrunt: an verum fundamentum ontologicum, sive naturale sive supernaturale, relationum inter religionem et culturam in schemate clare assignetur; an satis indicetur realis habitudo Ecclesiae ad mundum culturalem huius temporis; an sufficiens praebeatur basis pro necessario apostolatu ad viros excultos; an rite indigitetur quibus mediis ac methodis Ecclesia, praesertim per suos fideles laicos, uti intendat eum in finem ut locum sibi competentem etiam in hac perdifficili provincia recuperet, et tandem aliquando sicut amica ...[1] ad colloquium cum mundo culturali admittatur; uno verbo, an adaequate, scil. cum plena cognitione exigentiarum, difficultatum et possibilitatum mundi culturalis hodierni, tam complexum problema in schemate proponatur ac solvatur. Si haec dubia sunt legitima, profecto tota materia n. 22 erit altius ac latius retractanda, ne lectores amare decipiantur.

In specie, ...[2] Desideratur explicita affirmatio iuris quod habet persona humana, non solum ad laborem et ad victum, sed etiam ad culturam adipiscendam, ...[3] et per consequens, officii quo tenentur communitates civiles ad facilem pro omnibus reddendum accessum ad culturam.

2. In pag. 25, linn. 9-19, sermo est tantummodo de excolenda

terra, de perficiendo mundo, de technicis artibus servitio personae humanae offerendis et de colendo sensu pulchri. Videntur itaque dari primae partes scientiis et artibus technicis, et praetermitti scientiae illae quae, cum hominum animos directe attingant, principem locum tenere in vera cultura efformanda non est dubium, immo eiusdem veluti substantiam constituere. Scientias dico quae generali vocabulo « morales » nuncupantur: v. g. philosophia ...[4], historia, critices, humaniores litterae, poesis, etc. Quibus et scientias iuridicas addere non dubito, licet hodie a multis, etiam intra Ecclesiae septa, quodam pseudocharismatismi vento flante, fere diabolicum ideoque reiciendum censeatur quidquid vel a longinquo ius sapit, excepto, uti speramus, saltem iure divino! Iamvero relationes inter religionem et scientias sic dictas « morales » proximiores profecto et strictiores sunt quam relationes ad alia culturae elementa quae in citatis lineis commemorantur.

3. Legitur in pag. 25, lin. 38: « religio et cultura multimodis inter se connectuntur », et in eadem pag. 25, lin. 4: « agnita distinctione inter religionem et culturam, quantum tamen cohaereant clarius perspicitur ». Hae nimis vagae affirmationes non videntur sufficere; significetur potius concrete in quibus cohaereant, in quibus vero discrepent, immo in quibus religio culturam transcendat. Quae omnia, ni fallor, non prius statui poterunt quam aliqualis culturae notio, saltem descriptiva, data fuerit, ita ut quid cultura sit probe sciamus et quomodo a notionibus affinibus ...[5] secernatur.

Sane schema nostrum loquitur de « cultura humana », de « cultura genuina », de « cultura vera », de « cultura altiore », de « culturis » in plurali, de « cultura particulari » seu « propria » alicuius gentis. Sed nescientes quid sit in se ipsa cultura, quomodo veram a falsa, genuinam a spuria, universalem a particulari discernere possemus? Schema silet — neque fas est nos confugere ad auctores profanos, quippe qui hac in re sibi ipsi non consentiant — et hoc silentium impedit quominus recte prospiciantur relationes inter religionem et culturam.

4. In pag. 26, lin. 4, legimus: « Ecclesia Verbi incarnati... cum omnibus culturis communionem init, dando et accipiendo ». Ecclesiam Christi, ...[6] dare aliquid culturis probe intelligo; Ecclesiam vero a culturis accipere minus intellego, nisi explicite dicatur quid et quomodo. Oportet enim, meo quidem iudicio, ut explanetur omnes culturae formas habere elementa quaedam communia super quae, tamquam super basim, extruuntur elementa particularia et diversa. Illa *quidem*[7] sunt universalia et immutabilia quia, tandem aliquando, radicantur in identitate substantiali naturae humanae; ista vero sunt singularia et mutabilia pro diversitate gentium, temporum et locorum. Iamvero Ecclesia, quae

est custos et authenticus interpres sive legis naturalis sive divinae revelationis, ad elementa illa universalia quasi pondere suo libenter se vertit, cum in eis clariora perspiciat vestigia Creatoris ...[8], et eorum causa intimius se connexam sentit cum cultura; immo, catholica cum sit, in sua missione universali se multum ab ipsis iuvari posse ultro agnoscit. Elementis vero particularibus ac mutabilibus culturarum, quippe quae nonnumquam mala mixta bonis, falsa mixta veris contineant, Ecclesia se aptare, et sic maternam suam ostendere condescensionem, non valet nisi quatenus legi divinae non contradicant...[9]

Videtur insuper expedire ut Ecclesia istis particularibus culturarum elementis fovendis et utendis non plus aequo, neque diutius quam revera opus sit, indulgeat, quia, iuxta hac in re peritos, motu quodam lento sed irreversibili ...[10], culturae in mundo hodierno exsistentes versus unificationem quamdam tendunt...[11]

5 et ultimo. Denique in schemate desideratur mentio quorundam periculorum quae culturae nostri temporis impendent, et per consequens etiam dignitati personae humanae atque adeo ipsi religioni:

a) periculum *technicismi,*[12] ne scil. cultura reducatur exclusive aut praevalenter ad scientias technicas, quae hominem *fabrum* quidem reddunt at non *sapientem*; quae immediatam utilitatem materialem suppeditant at, dum mentem terrenis mergunt varietatibus, spiritualia et caelestia oblivioni demandant. Hic enim est campus ubi, experientia teste, plus proficiunt materialismus, edonismus et atheismus!

b) Periculum suffocationis verae culturae; etenim quaedam communicationis socialis instrumenta *hodierna,*[13] dum culturam extensive diffundunt, eius intimam substantiam evacuare possunt, quatenus facultates hominis mere receptivas continuo excitant *et superexaltant,*[14] parum autem ...[15] nihil facultates reflexivas *hominis.*[16] Quod gravissimum damnum constituit pro educandis pueris et iuvenibus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] non iam ob inveterata praeiudicia, sicut extranea vel immo adversaria. [2] et quasi per transennam, censeo locutiones quasdam ad rigorem esse reducendas: v. g. ubi persona humana dicitur excrescere (pag. 25, lin. 13), aut religio a culturae progressu incrementum accipere (pag. 25, lin. 19). Item nimis absolute fortasse asseritur omnes fere artes in ambitu religionis ortas esse et floruisse (pag. 25, lin. 38); aut, religione neglecta, etiam culturam humanam dilabi (pag. 25, lin. 41). Ab istiusmodi historicis aut apologeticis affirmationibus melius est ut documenta conciliaria abstineant. 1. [3] scil. ad plenam conscientiam valorum fundamentalium Veritatis, Iustitiae, Bonitatis et Pulchritudinis. [4] (cum sua metaphysica et ethica, praesertim). [5] (v. g. civilitas, civilizatio, civiles cultus etc.). [6] in qua una religio vera observatur. [7] deest. [8] omni proinde qua par est reverentia ac cura tutanda et fovenda. [9] Unde

non potest affirmari sic et simpliciter, ut fit in pag. 26, linn. 10-12: « pastores et theologi veritatem revelatam verbis et formis illius culturae enuntiare discant, in cuius ambitu Evangelio serviunt, finium propriae culturae bene conscii ». [10] ob varias sed convergentes rationes. [11] differentiae profecto manebunt, sed non erunt maioris ponderis quam sunt hodie, apud unam eandemque gentem, formae illae particulares quae « folklore » vocitantur. [12] technocratiae. [13] deest. [14] deest. [15] vel. [16] deest.

Secretarius generalis: Communico vobis, Patres venerabiles, exitum prioris suffragationis:

Suffragium dederunt Patres	2.011
Dixerunt *placet*	1.908
non placet	101
Suffragia nulla sunt	2

Ergo hic prior textus est approbatus in congregatione generali. Nunc lego textum suffragationis III, scil. nn. 5, 6 et 7. Semper pag. 15 [*cf. pag. 121-123*]. *Placet*ne an *non placet,* Patres?

3

Exc.mus P. D. EMMANUEL TALAMÁS CAMANDARI
Episcopus Civitatis Juarezensis

Venerabiles Patres,

Pertractare cupientes de relatione Ecclesiae ad culturam, de qua multifarie ac multisque modis Ecclesia ipsa bene merita est, subaestimare non possumus praeiudicium aliquod plus minusve late diffusum. Nam certum est iam ab hinc multum temporis, multos fuisse et esse, praesertim inter scientiarum cultores homines, qui acriter Ecclesiam impetunt et obscurantismi, ut aiunt, accusant, theoriis quidem variis et peregrinis quodammodo abducti, sed et insuper tardo quodam accessu Ecclesiae ad quaedam problemata humana innixi, et quibusdam certo dolendis at, perspectis circumstantiis historicis, fere inevitabilibus casibus roborati, in quibus nonnulli theologi et praesules necnon quaedam institutiones ecclesiasticae asseruerunt realem oppositionem adfuisse fidem inter et scientiam, cum oppositio illa revera solum erat apparens. Hae frequentes accusationes ansam praebent incomprehensionibus multis, et, quod peius est, detortum de Ecclesia cogitandi sentiendique modum generant in pluribus sive hominibus singulariter sumptis, sive institutionibus culturalibus ac scientificis. Quae omnia hic

et illic vere difficilem reddunt et aliquando fere omnino impediunt adimpletionem missionis salvificae Ecclesiae inter viros scientiae professos necnon iuvenes iisdem scientificis studiis vacantes.

His accusationibus perspectis, nunc, quando Ecclesia vult colloqui cum mundo et coram mundo ut suum sentiendi modum aperiat circa inquietudines ipsius mundi, inter quas certo eminet investigatio scientifica, omnino utile videtur, et forte necessarium, quod Ecclesia omnem conatum faciat ad corrigendam tam erroneam aestimationem quam de seipsa habent tot ac tanti homines et institutiones, et quae illos mente et corde ita alienatos ab Ecclesia tenet ut clausi fere maneant suae actioni supernaturaliter illuminatrici et salvificae. Ideo, sive quia res in seipsa est maximi momenti, sive quia medium quam aptum videtur ad rectificandam aestimationem illam quam nonnulli habent de Ecclesia, oportet quod haec Sacra Synodus emphatico modo specialem et expressam declarationem faciat de plena libertate et autonomia investigationis scientificae prudenti modo factae, qualis iam elucet e variis Summorum Pontificum documentis et allocutionibus, praesertim ex Enc. Litt. *Divino afflante Spiritu* Pii PP. XII, f. r.; ita ut iterum atque iterum clare et aperte constet se non solum nihil timere a scientiae progressu, sed, e contra, progressum scientiae tantum aestimare ut etiam sibi pretiosum adiumentum sit ad melius et profundius pervestigandum sensum fidei et morum in Sacra Scriptura et in lege naturali respective contentum. Quod ultimum iam in schemate notatur.

Ecclesia ergo, in hoc documento commendet omnibus hanc congruam vocationem habentibus, et in primis suis filiis, operam omnem impendere in scientificam investigationem. Alliciat etiam talem investigationem quae serio modo et sine praeiudiciis tendat ad comprobandam vel definitivam veritatem vel falsitatem definitivam eorum de quorum verisimilitudine aut probabilitate iam saltem indicia quaedam exstant, quae suadent forte aliquando demonstratam iri veritatem alicuius hypotheseos, etiam si prima facie videretur opponi alicui traditionali interpretationi hucusque datae singulari cuidam affirmationi in deposito fidei contentae. Quod ...[1] attinet ad has hypotheses scientificas quae prima facie videntur opponi alicui veritati revelatae, dicendum est quod potius quam damnationem aliquam proferre aut retractationem ab aliquo exquirere, maxime ad nostrum finem iuvabit relinquere *integram*[2] comprobationem sive definitivae veritatis sive falsitatis earumdem hypotheseon illi ulteriori investigationi scientificae congrua libertate exercitae. Hoc autem dico et necessarium admodum puto ne aliquando nos ipsi episcopi, incongruo timore ducti, ut videtur, quamdam manifestemus oppositionem exercitio huius libertatis investigationis etiam in his quae

iam a Summo Pontifice liberae discussionis declarata sunt, e. g., in quaestione de evolutionismo solum quoad corpus humanum a Pio XII, f. r. in Enc. *Humani generis*. Et ne umquam, iterum, ut aliquando accidit, ipse magister a cathedra sua removeatur propter hanc rationem; sed, e contra, omnem impendamus operam ut in docenda philosophia in nostris seminariis aliisve culturalibus institutis ecclesiasticis vel ab Ecclesia promotis, debita ratio progressus scientiarum, quae experimentales vocantur, habeatur, ut via paretur illi synthesi quae inter philosophiam et scientiam hodie in toto mundo tantopere urget. Hac ergo data plena libertate seriae investigationis scientificae intra limites normae moralitatis exercitae, in posterum radicitus vitabuntur novi dolendi casus qui ab hominibus sive institutionibus quibuscumque verti possent contra ipsam Ecclesiam. Sic etiam viri scientifici catholici facilius et fructuosius concurrere poterunt cum ceteris aliis viris scientificis ad Ecclesiam non pertinentibus ad quascumque veras inductiones ac deductiones scientificas sive inveniendas, sive elaborandas.

Ut autem Ecclesia numquam appareat mundo recto ire nec quidem in ipso modo fidem explanandi, quamvis non possint ad hunc finem explanationis fidei simpliciter assumi ea quae scientifice sunt mere hypothetica, sed solum ea quae sunt certo comprobata, ut idem Pius XII docet in praecitata Encyclica ...[3] tamen multum confert illa specialis commendatio ab ipsa Ecclesia facta suis exegetis ac theologis ut quamprimum appareant indicia solida in favorem alicuius hypotheseos scientificae quae prima facie videretur opponi determinatae explanationi alicuius veritatis revelatae, operam dent explicationibus etiam hypotheticis, ut patet, inveniendis, quibus posset concordari fides nostra cum tali hypothesi. Quae si, tandem aliquando, hypothesis scientifica comprobatur vera, iam promptae erunt illae explanationes exegetarum ac theologorum quae, eo ipso, iam magis accedent ad categoriam veritatis. Hic modus agendi, omnino rationi consentaneus, non potest non placere omnibus viris scientiae investigationi deditis, qualiscumque tandem sit eorum ratio sentendi in re religiosa.

Quod ceterum multum aperiet, ut sperare licet, mentem et sensus mundi scientifici relate ad fidem et Ecclesiam. Quod optimum bonum etiam intenditur mediante nostro schemate...[4]

Moderator: Exc.me Pater, tempus tuum transit.

Orator: Dixi.

In textu scripto tradito: [1] autem. [2] deest. [3] *Humani generis*.
[4] Ideo suggero quod in hoc cap. IV, ubi agitur de cultura, explicita et expressa

mentio fiat de hac plena libertate investigationis scientificae omnibus agnita, dummodo obscurata non sit a materialismo absoluto nec exerceatur ultra normas legis moralis, quae, ut patet, afficit omnes actus humanos. Ceterum talis materialismus absolutus afficit interpretationem factorum scientificorum potius quam ipsa facta scientifica. Formulam vero concretam non exhibeo eo quod schema totum profundas et radicales patietur mutationes, cum quibus fere certo non concordaret.

Secretarius generalis: Lego textum IV suffragationis, n. 8, pag. 17 [*cf. pag. 123*]. *Placet* an *non placet?*

4

Exc.mus P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES
Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Venerabiles Patres,

Haec schematis paragraphus *iure* [1] in lucem ponit indolem positivam culturae modernae, progressus iam acquisitos, et bona *in* [2] eis profluentia. E contra, quasi silet carentias *adhuc deplorandas,*[3] pericula ex his ipsis progressibus timenda, responsabilitates novas ex eis ortas, magnaque munera adhuc aggredienda. Unde quaestio exponitur modo incompleto, nimis optimistico, non satis actuali neque dynamico. Quae dicuntur magis ad nationes divitiores quam ad universum mundum respiciunt. Tantum pauca exempla affero.

I. *De mutuis influxibus inter diversas culturas.* Textus rite loquitur de contactibus inter diversas culturas necnon de fructibus, qui ex comparatione culturarum expectare possunt. Sed nihil dicitur de facto maximi momenti: nempe hodiernis diebus *multae* [4] culturae traditionales subvertuntur ex contactu inopinato cum civilizatione scientifico-technica. Ex hoc gravia oriuntur damna pro personis et pro societate. Unde problemata difficilia de mutua et aequilibrata assimilatione culturarum urgenti modo studia nostra requirunt.

II. *De progressu scientifico-technico.* Mirabilia scientifica et technica inventa rite laudantur. Sed problemata ex dominatione hominis super naturam, seipsum et societatem manantia quasi ignorantur. Scientia hodierna fit potestas, quae potest in manus politicae potestatis incidere, ad manipulationem, quam dicunt, tam physicam quam psychicam personae. Hoc est factum novum, ex quo novae exigentiae exsurgunt: *Inter quas aliquas noto* [5]:

a) libertas inquisitionis veritatis et communicationis inter scientiae cultores omnino protegi debet;

b) simul responsabilitas moralis, socialis et politica eorumdem scientiae cultorum affirmari debet. Nuper duo sodales Academiae Scientiarum Parisiensis se talem declarationem a Concilio exspectare dicebant;

c) etiam normae ethicae edantur quoad experimenta scientifica super homines patranda, v. g. in biologia genetica.

Scientiarum cultores nonne invitare possumus, ut ipsi semetipsis tales normas agendi dent, ad instar medicorum in celeberrimo iuramento Hippocratis?

III. *De accessu omnium ad culturam*. Gaudet textus de accessu numeri crescentis hominum ad culturam. Attamen animadvertendum est hunc numerum adhuc minoritatem privilegiatam constituere. Quoad hoc duo dicere velim.

a) Hodie ...[6] prima vice in historia, accessus omnium hominum ad culturam fit res possibilis ...[7] mediantibus novis instrumentis socialibus communicationis. At ex hoc ipso, exigentia premens oritur huius generalis *doctrinae*[8] pro omni populo. Factum quod aliquis a cultura arceatur ratione stirpis, sexus vel paupertatis hodie ut iniustitia sentitur. Simul analphabetismus, quo adhuc laborat maior pars hominum ut intolerabile scandalum apparet. Hoc problema problemati famis mihi simillime videtur. Inter populos divites cultura gaudentes et populos pauperes, multo numerosiores, hiatus et inaequalitas de die in diem crescit. Unde satisfactio in textu expressa *est*[9] inconveniens et pauperum offensiva. E contra conatus ingentes exspectantur ad culturam plene diffundendam.

b) In usu novorum instrumentorum communicationis saepe saepius abusus habentur sive ex parte potestatis politicae coactionem psychologicam exercentis, sive ex parte potestatis oeconomicae, quae lucri causa, in populum spectacula et imagines diffundit, quae passiones blandiendo et sensum responsabilitatis debilitando, dignitatem personae offendunt veramque culturam destruunt. Unde opem ferre oportet ad hoc ut haec media personae et culturae inserviant.

IV. *De ordine valorum et de educatione*. De his quaestionibus insufficienter tractatur. In textu habetur sermo de ordine valorum. Sed nihil dicitur de modo quo hic ordo stabiliatur. An a potestate politica? Sed neminem fugit quod, quando potestas politica libertatem personae in inquisitione veritatis et in operibus artis producendis non agnoscit, ipsa cultura dilabitur...[10]

Sed praesertim quando quaestio habetur de ordine valorum, in mentem venit conceptio de recta educatione. De hoc textus tacet. *Aliqua*

de ordine valorum et etiam de arte brevitatis causa omitto, et[11] textum huius paragraphi, ab aliquibus episcopis ...[12] emendatum, in scriptis secretariatui trado.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] ex. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] pro. [7] speciatim. [8] culturae. [9] videtur. [10] Ceteroquin optabile est iuvenes, salva eorum libertate, in eligendo munere culturali exhortari ut ad necessitates boni communis etiam respiciant. [11] Tria mihi videntur maioris momenti esse: *a*) numerus crescens iuvenum formationem tantum scientifico-technicam recipit plena personae educatione neglecta. Maxima necessitas habetur valores humaniores in hanc formationem inserendi; *b*) in educatione fundamentali (éducation de base) qua tota populatio ad elementa culturae evehitur, saepe ex utilitarismo tantum ad efficacitatem oeconomicam suscitandam respicitur; *c*) ut iam notavimus, non raro cultura falsi nominis apud massam diffunditur, in eius detrimentum. In omnibus his campis, labor arduus homines bonae voluntatis exspectat. V. *De arte et de vocatione contemplativa mentis.* Agitur etiam in textu de arte, sed infausto modo. Nam ex una parte videtur textus exprimere nostalgiam de tempore praeterito, dum Ecclesia pro cultura profana in multis supplebat. Ex altera parte, indoles vere contemplativa mentis humanae quasi ignoratur. Tamen hanc indolem hodie in memoriam revocare est maximi momenti, dum multi homines et culturam ad scientias mere practicas redigere intendant et immo ab atheismo tententur. [12] e Gallia.

Animadversiones scripto traditae:

Cap. IV, n. 22: De cultura rite promovenda. Textus sic corrigatur.

Pag. 24, lin. 37 - pag. 25, lin. 8. Nostra aetate, novae patent viae in humana cultura proficiendi, scientiae nempe, technica ars et communicationis socialis instrumenta. At simul homines ad nova munera vocantur. Ita ex una parte maiori in dies numero hominum via non tantum ad bona materialia patet, sed etiam ad communitatis vitam et spiritualia altioris culturae bona, quae vitae humaniori inserviunt. Sed ex altera parte, cum hodie possibilitas realiter detur, agnitio iuris pro unoquoque homine ad culturam accedendi vehementer postulatur. Immo ut scandalum percipitur adhuc maiorem partem hominum hac intellectuali et sociali miseria affici, quae analphabetismus nuncupatur.

Cum de die in diem relationes inter varios populos multiplicentur, diversae culturae reciprocis influxibus aperiuntur. Sed haud raro tales influxus vitam societatum turbare, traditionales valores evertere, propriam uniuscuiusque populi indolem ac personalitatem parvi facere minantur, non sine gravi nocumento pro vita spirituali multorum hominum. Attamen de se mutua diversarum culturarum foecundatio ut optima habenda est, dum culturarum progressus cum illis reciprocis contactibus connectantur. Unde operam dare oportet, ut homines facilius propriam culturam cum aliis huius aetatis et temporis elapsi culturis comparare possint, ad mutuum culturarum incrementum.

Insuper motus saecularizationis, quod dicunt, frequenter cum spiritu novae civilizationis technicae connexus, valores traditionales simul humanos et religiosos perantiquarum culturarum destruere minatur. Ad hos valores salvandos valde con-

fert clara agnitio distinctionis inter religionem diversosque aspectus culturae eorumdemque cohaerentiam.

Nemo non videt, quanti sit momenti ut christifideles, cum aliis hominibus sincera cooperatione uniti, germanam culturam promoveant.

Pag. 25, linn. 9-19. Homo, utpote persona, directe ad Deum cognoscendum et diligendum ordinatur. Unde prae primis in vera cultura magni habentur activitates gratuitae, quibus homo, omni utilitate transcensa, spiritualia complectitur. Huiusmodi sunt inquisitio et contemplatio veri pulchrique in artibus cultus. Ita mens hominis ad absolutum, etiam implicite, aperitur spiritualique libertate iam suo modo fruitur.

Excolendo terram, (... verba: etiam, etc.: deleantur) homo consilium Dei exsequitur, qui suam gloriam creando manifestat, et terram tradidit homini, qua imagini suae, ut ipse quoque vestigia spiritus sui rebus imprimat omniaque vertat ad Dei gloriam. Ingens ac mirabile incrementum scientiarum necnon technicarum artium homini potestatem anteactis saeculis ignotam super naturam, seipsum et societatem dedit, ita ut quandoque scientiae cultores vel ii qui potestatem politicam detinent in tentationem inducantur, secundum proprium arbitrium hominem, ac si esset res naturae, tractandi et transformandi. Ad hoc enim ut scientifica et technica inventa servitio personae humanae destinantur, necesse est scientiae cultores plena inquisitionis veritatisque communicationis libertate gaudere, omni politica vel oeconomica coactione seclusa. Necesse est simul eosdem cultores sensu suae erga hominem et societatem responsabilitatis imbui. Speciatim quod ad experimenta circa hominem attinet, conscii fiant haec norma ethica regulari, quae ut unanimi et spontaneo consensu ab ipsis scientiae cultoribus agnoscatur valde optandum est. Sic homo, dum secundum indolem sibi inditam perficiet mundum in quo vivit, qua persona excrescet et sibi aliisque conditiones parabit vitae plene humanae.

(Ultima phrasis deleatur, quia est inutilis).

Linn. 20-28. Insignis verae culturae nota est rectus valorum ordo, quo servato omnia suffulciunt dignitatem personae humanae, quae Dei imago est et adoratrix. Ad hunc ordinem respiciant oportet omnes qui ad educationem tam iuvenum quam adultorum opem ferunt. Nam hodie numero crescente iuvenum datur formatio scientifico-technica, tali modo ut plena personae educatio negligatur. Etiam ii qui ad educationem fundamentalem — éducation de base — qua totus populus ad elementa culturae adipiscenda evehitur, adlaborant, non debent tantum ad utilitatem immediatam respicere. In munere eligendo in re scientifica vel technica, decet iuvenes etiam ad necessitates societatis attendere.

Nova communicationis socialis instrumenta ad veram culturam populo distribuendam adhiberi oportet. Nam saepe ex una parte potestas politica his instrumentis utitur ad psychologicam coactionem exercendam, dum ex altera parte, lucri causa, eadem instrumenta in massam falsam culturam diffundunt, passiones blandiendo sensumque responsabilitatis destruendo.

Personae ius est cogitationes suas exprimere libereque in re artistica producere. Quod ius potestas politica agnoscere tenetur.

Ad eiusdem personae dignitatem colendam maxime confert labor, quo in spiritu servitii parantur bona materialia vitae necessaria. Attamen multum adhuc abest ut in ambitibus laboris et in modis operandi conditiones dentur quae dignitati laboris reapse faveant.

Promovendae tandem culturae vere humanae, id agunt, ut altiores valores in dies magis colantur, ita ut omnibus praesto sint otium atque subsidia illos acquirendi. Evoluta technica arte, hoc re vera possibile evadit sed simul necesse fit conatus impendere, ita ut pro omnibus otia ad culturam, non in detrimentum personae vertant.

Linn. 29-35. Vera cultura de se communionem inter singulas personas et communitates exprimit, promovet et confirmat. Cum iam ordo oeconomicus nonnisi aequa bonorum communicatione verae culturae signa demonstret, eo magis cultura altior ingeniorum — sive singulorum hominum, sive coetuum — commercio manifestatur. Valde interest valores communes ex una natura humana profluentes spiritumque fraternitatis colere necnon uniuscuiusque culturae legitimam autonomiam venerari, omni specie discriminationis et segregationis seclusa.

(Linn. 33-35 deleantur. De dialogo iam fuit quaestio sub n. 18 pag. 19-20).

Linn. 36-41. Ecclesia proprium implendo munus, id est evangelizando, iam eo ipso ad humanum civilemque cultum impellit et confert. Ceterum, historia teste, religio et cultura multimodis inter se connectuntur. Etsi finis religionis per se non sit cultura, sed Dei glorificatio et hominis salus aeterna, tamen, cum homo ad imaginem Dei sit creatus, religione negata, cultura plene humana dilabitur, e contra, religione veri hominis illuminante, eadem cultura fovetur.

(Linn. 38-39 deleantur. Hodie artes ambitum religionis reliquerunt. Insuper temporibus praeteritis Ecclesia saepe supplebat, autonomia legitima culturae nondum plene agnita. Caute de his rebus iudicandum est. Et melius hic nihil de hoc dicere.

Multi homines hodierni super fundamentum atheismi novam culturam exstruere nitantur. Debilis est formula: religione neglecta).

Pag. 26, linn. 1-13. Ecclesia Verbi incarnati, in peculiari ambitu historico et geographico orta, at simul ad omnes populos missa, nulli culturae particulari exclusive alligatur, sed, suae vivae inhaerens traditioni, cum omnibus culturis communionem init, dando et accipiendo. Qui dialogus, ut foecundus sit pro omni cultura et pro ipsa Ecclesia, oportet christianos culturae signiferos fidei divitias intellectu et animo cognoscere, praecones autem Verbi diversarum culturarum agnoscere valores. Sint christiani universaliorum valorum ex ipsa communi humana natura promanantium sensusque fraternitatis propugnatores, dum simul uniuscuiusque culturae particularem indolem magni faciant. Omnes ergo, sed peculiariter laici, qui, nostra aetate, praecipui sunt culturae promotores, artes et scientias qua callent, aestiment et colant in Christi lumine, adaequata formatione theologica adhibita. Sic omnia iudicantes sub lumine fidei, fiant testes amoris veritatis inquirendae et contemplandae pulchritudinisque sensu imbuantur. Quia non pauci huius aetatis homines, longe errantes, sub falso praetextu scientiae, novam, quam dicunt, culturam ab atheismo inspiratam instaurare conantur munus vel officium christifidelium urgetur, omnia mirabilia scientifica inventa, quae hominem, ad imaginem Dei creatum, nobilitant, cum gratiarum actione accipere. Hi etiam qui bonis culturae fruuntur, ne ea sibimetipsis retineant, sed e contra studeant omnibus, etiam humillimis, ad participandum diffundere. Novaque socialia communicationis instrumenta ad veri nominis culturam populi dirigere quoque oportet. Illi vero, qui speciali modo evangelizationi se devovent, sed praesertim pastores et theologi, veritatem revelatam verbis et formis illius culturae enuntiare discant, in cuius ambitu Evangelium serviunt, finium propriae culturae

bene conscii. Ad quaestiones quandoque complexas de his rebus enucleandas necnon ad homines idoneos praeparandos, optandum est ut instituta specialia condantur.

Secretarius generalis: Communico, Patres, exitum II suffragationis:

Suffragium tulerunt Patres	. . . .	2.010
Dixerunt *placet*	. . . .	1.782
non placet	. . . .	225
Suffragia nulla	. . . .	3

Ergo textus est a congregatione approbatus. Nunc lego textum V suffragationis. Videatis pag. 17, nn. 9-10 [*cf. pag. 123-124*]. *Placet*ne an *non placet,* Patres?

5

Exc.mus P. D. IOANNES ZOA

Archiepiscopus Yaundensis

Venerabiles Patres,

Valde laudandum est quod in n. 22 schematis, necnon in paragrapho prima tertii annexi, agnoscitur non solum diversitas culturarum, sed etiam problema quod ex hodierna confluentia (*rencontre de cultures* [1]) earum oritur. Hoc problema sublineare vellem, 1. in mentem revocando principium quoddam fundamentale, 2. ostendendo applicationem eius in casu particulari.

1. Quidem principium fundamentale. Ut confluentia hodierna diversarum culturarum ad verum progressum humanum conducat, necessarium est unamquamque culturam suos valores proprios, e. g. scientiam in Occidente, religiositatem *et spiritualismum* [2] in Africa proponere, non solum in quantum proprios, sed etiam in quantum ad hominem ut hominem pertinentes. Ratio enim cur, ego Africanus, scientiam occidentis accipere debeo, non est quod scientia ab occidente provenit, sed quia scientia, quae de facto mihi ab occidente advenit, bonum humanum habetur. Vicissim, quod religiositas *et spiritualismus* [3] in Africa extollitur, non est ratio cur haec religiositas ab homine occidentali sit accipienda, cum ad indolem hominis ex sua natura pertineat. Quidquid vere humanum est, nec tuum nec meum, sed nostrum habetur. Nullus adest ergo locus in mundo culturali pro acceptione personarum. Non

existit cultura sine libera aliqua communicatione inter se hominum, humanitatis causa et beneficio. Ad hoc exigitur ut omnes valores mensura humanitatis probentur et emendentur, ut melius ad quandam genuinam universalitatem reducantur, quae omnem colluctationem temporis, morum, stirpis, personarum et loci removet. Quae emendatio valorum humanitatis causa, in ...[4] schemate non satis apparet.

2. Ab hoc principio multa prosequuntur in relationibus culturalibus institutis vel instituendis, v. g., inter occidentem et Africam. Debet homo africanus scientiam ediscere. Ex habitudinibus ancestralibus, fugit eum sensus sic dictus causarum secundarum, *quae* [5] scientia moderna observat ut leges constituantur, quibus actio humana efficacior evadat. In hoc sensu causalitatis *efficientiae* [6] elaborando, Africa discipula occidentis habetur. Pro dolor tamen, cultura occidentalis non hoc sensu causalitatis efficientiae ditatur, quin plerumque sensu religioso privetur. In magno periculo Africa versatur quod acquirendo ab occidente sensum scientificum causalitatis, amittat ipsa suum sensum religiosum et in atheismum vel materialismum deflectat. Synthesis difficilis ergo perficienda est inter culturam scientificam, sat *alte* [7] institutam ne destruetur sensus religiosus, et sensum religiosum, sat profunde excultum ne ab eo scientia respuatur.

Habet quidem homo Africanus sensum religiosum relate ad societatem, relate ad mundum, relate praesertim ad Supremum Numen, difficile dictu aut cultu sed numquam denegatum. Nihilominus, ut hic sensus religiosus africanus capax sit culturam scientificam occidentis integrare quin ipse destruatur, ab omni imperfectione quam cultura scientifica detegere solet, emendari debet. Opus est ergo ut libertas individui in societate, causalitas obiectiva in phaenomenis, activitas humana in mundo, minime vituperentur titulo religiositatis non satis excultae.

Nemo est qui non videt, illam synthesim inter sensum religiosum et scientiam, quamdam recapitulationem omnium valorum exigere. Ubinam ergo reconditur spes vera tam necessariae recapitulationis valorum, salva semper mutua genuinitate, nisi in Illo in quo, ut dicit S. Paulus, omnia constant? Itaque optandum est ut in schemate aliquid dicatur de influxu Christi, ut norma et mensura ultima culturae universalis.

Concludo. Quidquid sit de nostro schemate, evidens est Africam adhuc cultura christiana carere, in qua, valoribus propriis occidentis et Africae crisi subiiciendis, scientia acquireretur quin amitteretur religio. Sane Africa christiana *etiam* [8] indiget institutis culturalibus ubi mutua conversatione periti ingenium proprium Africae excolant et veros valores occidentis *spargant* [9]; attamen, nec minus Africa christiana indi-

get institutis theologicis, ubi vera synthesis inter valores humanos et Africae et occidentis ex plenitudine Christi patienter elaboretur. Faxit Deus ut haec necessitas, cum adhuc tempus est, intelligatur, et ei satisfiat; et sic floresceret nova quaedam aetas patristica. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] nostro. [5] quas. [6] scientificae. [7] deest. [8] deest. [9] spargent.

Secretarius generalis: Communico Patribus exitum III suffragationis quae, scil. se refert ad nn. 5-7:

Praesentes votantes		1.996	
Dixerunt	*placet*	1.912	
	non placet	81	
	placet iuxta modum .	2	sed sunt vota nulla.
Suffragia nulla		1	

Ergo etiam hic textus est probatus a congregatione. Nunc propono ultimam suffragationem pro hoc mane. *Placet*ne, *non placet* an *placet iuxta modum* prooemium et cap. I huius schematis? Uti dixi, responsio triplex esse potest. Qui respondent *placet iuxta modum,* modos possunt deferre etiam crastina.

Liber qui nuntiatus est mane distribuetur Patribus versus horam duodecimam. Gratias.

6

EXC.MUS P. D. ARTURUS ELCHINGER

Episcopus tit. Antandrinus, coad. c.i.s. Argentinensis

Venerabiles Patres,

Nemo est qui dubitat, quin in pervestigando modo quo Ecclesia in mundo hodierno adesse debet, specialis consideratio tribuenda sit progressui culturae. Quamvis in Annexis meliora et ad nostram aetatem magis pertinentia verba explicentur, tamen quae in n. 22 ipsius schematis dicuntur, viris illam culturam colentibus, unice apparebunt ut pia quaedam atque generalis exhortatio.

Certe possibile, immo et necessarium est, ut in ipso schemate, ratione praecisa atque indoli Concilii congruente, affirmantur munera quae, modo positivo, Ecclesia quoad culturam *nostri* temporis adimplere debet. Quae ut determinare possimus, proficiscamur a quibus determina-

tis factis, quae pro nobis, immo et pro omnibus, veras constituunt quaestiones.

Facta sunt haec sequentia: 1. Inter eos qui motus culturales hodierni temporis dirigunt, numerosiores sunt homines, magni quidem valoris et ingenii, qui a fide christiana tragica incomprehensione deflexerunt, vel etiam, in dies, christianae religioni ex professo adversi fiunt. Eorum exemplo et auctoritate, ipsa fides in doctrinam christianam haud raro in discrimen vocatur.

2. Inter christianos qui solliciti sunt culturae fovendae, non pauci sunt qui sese existimant non sufficienter sustentatos ab Ecclesia, quae debitum non videtur tribuere his valoribus culturalibus momentum.

3. Non parva pars publicae opinionis aestimat Ecclesiam catholicam, licet non pauca hisce valoribus contulerit temporibus praeteritis, hodie saepe affici timore, quo eam ad res angusta mente considerandas impellit atque ad sese apologetice semper defendendam, inducit.

4. Ecclesiae contrarietas adversus modernismum, in campo philosophiae, historiae atque scientiarum, cuius apud omnes viva exstat memoria, apertum remanet vulnus quod suspicionem causat erga ipsum magisterium ecclesiasticum.

Haec sunt, venerabiles Patres, facta quae nobis probum conscientiae examen imponunt.

Non obstante severitate atque etiam iniustitia quae hisce in factis continentur, agnoscere debemus infirmitatem nostram simulque media inquirere, quibus eisdem mederi valemus.

1. Nonne Ecclesia, tamquam magistra, anguste persequi cupit rem culturalem, aegre tolerans eius autonomiam ad eius progressum procul dubio necessarium?

2. Nonne saepe colimus illud, uti dicam, imperialismum dogmaticum, cuius ratione conducimur ut peremptorie atque celeriter omnia scientiae acquisita iudicemus, ac si fides quam servimus universam nobis tribueret competentiam?

3. Nonne culturam saepe modo tantum retrospectivo consideramus, suspicionem ostendentes erga novum humanismum quia culturae classicae et occidentali nimis alligati? Homines autem hodierni temporis, *prospectivam* ipsam cordi habent!

4. Nonne affirmationes theologicae certi temporis assimilamus christianae veritati, ut si labor theologicus in perpetua repetitione aliquarum thesium pro semper acquisitarum consisteret, sine ullo inquisitionis spiritu?

5. Nonne neglexìmus activitatem pastoralem intelligentiae huma-

nae, i. e., curam sanctitatis quae *in* activitate intellectuali et *per* eam acquiritur?

6. Nonne morbide formidamus spiritum rationalismi atque mentem criticam, ut si nihil valide in eis inveniri posset?

De omnibus istis deficientiis, historicum factum Galilei, in hodiernos usque dies, pro multis peritis hominibus, typicum symbolum constituit. Nequidem dicatur, hoc factum mere ad historiam pertinere. Iam quarto centenario, hoc anno cadente, nativitatis istius digni viri Galilei, non pauci homines scientiae dediti, eiusdem memoriam in universo mundo celebrant, quin in hodiernam usque diem intervenerit ulla reparatio istius miserabilis iniustae damnationis!

In mundo hodierno, maioris quidem momenti sunt *actus positi* quam verba prolata. Eloquens actio esset rehabilitatio Galilei ex parte Ecclesiae, humiliter sed merito peracta. Talis decisio, si a Suprema Ecclesiae auctoritate statuta esset, non posset quin in favorem cederet ipsius Ecclesiae, quippe quae tali actione plane hodierni mundi confidentiam sibi vindicaret atque summopere culturae humanae inserviret.

Et nunc transeamus ad positiva munera ab Ecclesia implenda. Tria mihi apparent esse haec munera, et quidem inter se connexa.

In primis, Ecclesia *attendere debet* ad factum culturale in tota eius amplitudine ac sub omnibus eius respectibus.

Tempus quidem elapsum est, in quo ad solam Ecclesiam pertinebat totius culturae dominium atque discrimen. Oportet ut hodie mentem habeamus apertam, benevolam atque amicitia innixam, qua nos ostendimus erga hodiernam culturam confidentes. Oportet ut hodie libertatem investigationis scientificae agnoscamus, quin ullo modo praevia iudicia contra eiusdem leges admittamus. Quod etiam valet quoad inquisitiones scientiarum religiosarum.

Hortemus ergo christianos, ut in hoc ipso campo culturali activitatem suam patefaciant *eosque* [1] prudentem audaciam commendantes.

Praeterea, Ecclesia *ad progressum* culturale non pauca *conferre debet,* quin tamen paternalismo indulgeat.

Culturam quidem tueri debet contra sic dictum « anthropocentrismum », eamdem apertam relinquens Transcendentiae mysterio. Culturam item tutari debet contra utilitarismum materialisticum et technocraticum, quam dicunt, sollicita semper, ut princeps locus tribuatur personae humanae eiusque vitae, cuius habitudo ad ultimum finem utcumque prae oculis habenda est. Hac ceterum ratione, Ecclesia evolutionem atque liberationem culturae promovet.

Tandem denique, Ecclesia *ipsius culturae* profanae *divitias recipere* debet, ut fidei christianae expressionem mundo praebeat, hodiernis ad-

iunctis aptatam atque ad homines peritos, bonum ac pulchrum quaerentes, attrahendos idoneam. Authentica actio pastoralis requirit ut nova suscipiantur acquisita veritatis atque pulchritudinis artisticae.

Ut concludamus, hoc votum exprimere iuvat. Sacrosancta haec Synodus summopere hortetur, ut in praecipuis nationibus *superior institutio christiana* condatur, cuius missio non esset Universitates saeculares plus minusve imitari, sed proprie omnibus peritis in diversis campis culturae labore deditis, locum investigationis et dialogi cum viva traditione religiosa proprie christiana procurare. Istae Institutiones, conatus virorum catholicorum coordinare deberent, ut triplex munus praedictum efficaciter obtineri valeat. Quo, ...[2] diximus, in eo consistit: ut studiosa benevolentia ad dynamismum hodiernum culturale Ecclesia attendat; ut quantum fieri possit, ad progressum culturae et ipsa conferat, praecipue substituendo absurdo hominum fato (ut dicunt) mirabilem illam spem christianam; ut, demum, Ecclesia culturae divitias, pro posse, in proprio patrimonio integret.

Ita agens in nostra vertente epocha, Ecclesia vitabit ne appareat tamquam evolutionis culturalis carentia laborans, quam vocant « un sous-développement de la culture chrétienne ». Et dixi.

In textu scripto tradito: [1] eos quoque. [2] ut.

7

Exc.mus P. D. LEONIDAS PROAÑO VILLALBA
Episcopus Rivibambensis

Venerabiles Patres,

Nomine 70 Patrum loquar, relate ad n. 22 huius capitis, de sic dicta educatione basica et de eius necessitate in America Latina. Necesse est enim ut cognoscantur realitates omnium partium mundi, quando de mundo hodierno agitur et de Ecclesiae actitudine erga hunc mundum, tam relate ad vitam oeconomico-socialem, quam ad vitam intellectualem, culturalem et religiosam.

Et quidem de educatione basica agam, quia haec valde utilis, immo necessaria, est, ut populi Americae Latinae rite evolvantur, quando argenti, et divitiarum et titulorum privilegia quasi ad nihilum reducti sunt et merito valorantur intelligentia, aptitudines, virtutes, saepe saepius sub humilitatis specie latae.

Multa opera bona facta sunt in America Latina: multiplicantur

Universitates, collegia, scholae, artium cultores, et etiam technici; insuper, omnia, etiam structurae, in profundae et celerrimae mutationis transitu sunt. Sed, ex diversis rationibus, populi magna pars in ignorantia manet et sedet.

Omnia anversum et reversum habent. Ad plenam et sinceram rerum cognitionem, necesse est, non solum anversum, sed etiam reversum, accurate videre, praesertim si, ut in casu, evolutionem harmonicam, veram iustitiam et authenticam pacem, caritate compulsi, quaerimus.

Ideoque, en facta, frigida numerorum eloquentia revelata:

1. America Latina habet duos centos milliones incolarum: *ex eis, octoginta milliones nec legere nec scribere didicerunt.*

2. Hodie, pueri qui sunt inter septem et quatuordecim aetatis annos, *vigesimam partem populationis constituunt,* i. e., quadraginta millia millium.

3. Plusquam *quindecim puerorum milliones non possunt ad scholam concurrere,* et progrediuntur ad incrementandum adultorum numerum qui nesciunt legere neque scribere.

4. Unoquoque anno *increscunt millia millium puerorum aetatem scholarem habentium.*

5. Anno 1955, *aulas numero quatuorcentuum quinquaginta millia defecisse notum est.*

6. Praeterea, extra hanc deficientiam, ob infantium augmentum, *viginti quinque millia aedes scholares construendae essent* unoquoque anno.

7. Hodie, in America Latina, *sexcentum millia magistrorum desunt,* et insuper, unoquoque anno, *viginti quinque millia novorum magistrorum introducendi essent.*

Meo iudicio, factum hoc intolerabile est in mundo huius temporis. Nam, dum ex una parte, « Divinae Providentiae dono, ut dicitur in schemate, nostra aetate, novae patent viae in humana cultura proficiendi, scientiae nempe, technica ars et communicationis socialis instrumenta »; ex alia parte, quasi innumerabiles sunt homines qui in maximae ignorantiae tenebris sedent. Factum hoc verum scandalum historicum, sociale, politicum est, et in eo consistit quod nunquam societas humana habere potuit tantorum et tam mirabilium instrumentorum ad educationem impartiendam et ad culturam diffundendam, quam in nostra aetate. Usque adhuc, viri qui cultura potiuntur non rite mensuraverunt huius miseriae profunditatem neque amplitudinem.

Etenim, ad populorum integralem evolutionem promovendam, educatio basica quasi conditio sine qua non est ut fiat transitus ad progressum. Educatio basica ea est quae incipit docendo alphabetum et

numerum, ut homines legere, scribere et numerare possint et ut elementales notiones de agricultura, de sanitate, de vita sociali, morali et religiosa, melius ac facilius discant. Ergo, alphabetizatio medium basicum est ut homo possit sese evolvere, dignitatem suam acquirere, subiicere terram et elementa, vitam oeconomicam et socialem meliorare, religionem melius intelligere et in virtutum moralium praxi sese exercere: uno verbo, omnes capacitates suas et facultates valorare, communitatis universalis bono.

Cogitans in illis millionibus et millionibus puerorum, iuvenum, mulierum et virorum qui sedentes manent iuxta viam, per quam, sub solis splendida luce, transeunt et scientiae, et artes, et vita, et amor, et progressus, impossibile est non memorare caeci Bartimaei drammaticam historiam in Evangelio relatam. Sedere et sedens permanere; sedere iuxta viam: mendicare panem: idem est ac quod hodie « infraevolutio » hispanice « subdisarrollo ») appellatur. Eodem modo quo in illo tempore multitudo lumine gaudens caecum increpabat ut taceret, etiam hodie multi homines culti sed indifferentes erga sortem aliorum; multi homines qui gerunt res oeconomicas et politicas et qui de ipsa ignorantia beneficium capiunt et qui, cum transeunt, illi eleemosynam dant ut videantur tantum ab hominibus: populum humilem et caecum increpant ut taceat.

Certo certius, multa incepta orta sunt, nationalia et internationalia, ad tollendum hunc scandalum, e. g. ea quae ab UNESCO, Missione Andina, OEA, ducta sunt. Ecclesia etiam serio conata est partes suas praebere huic operae: memores simus Scholarum radiophonicarum, exemplum Columbiae sequentium, diverso modo, in natione Brasiliensi, Chiliensi, Peruviana, Boliviana, Aequatoriana et aliis, adlaborantium. Sed problema imponderabile manet.

Ergo concludo: 1. Valde desideranda est magis stricta et aperta collaboratio inter gubernia, Associationes Internationales, Associationes privatas et Ecclesiam.

2. In redigendo n. 22 qui de cultura rite promovenda agit, non praetermittatur expositio circa hoc magnum, complexum et basicum culturae ...[1], ne schema nostrum nimis europaeum videatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] problema.

[*Subscripserunt etiam*] Luis Manresa Formosa, ob. Quezaltenango; Jaime Luis Coelho, ep. Maringá; Benigno Chiriboga; Luis Crespo Ch., ep. Loja; Cesar Mosquera, arch. Guayaquil; Nicanor C. Gavilanes, ob. Portoviejo; A. Barbisotti, vic. ap. Esmeraldas; Emilio Tagle C., arch. Valparaiso; Anibal Maricevich, ep. Concepción in Paraguay; J. Valle G., aux. Iquique; Vicente Maya, prael. El

Oro; Laureano Castán, ep. Seguntinus-Guadalajarensis; Armando Gutiérrez Granier, aux. La Paz; J. J. Iriarte, ob. Reconquista; B. Piñera C., ob. Temuco; Walmor Battú Wichrowski, ep. tit. Felbes; M. McGrath, ep. S. Iacobi Veraguensis; G. M. Riobé, ep. Orléans; Hugo Aufderbeck, aux. Fulda; J. C. Przyklenk, ep. Ianuariensis; J. Peeters, ep. Buca; M. Green, ep. tit. Trisipensis; Romanus Arrieta V., ep. Tilaran; Victor Garaygordobil, prael. Fluminum; B. Cazzaro, ep. tit. Pirgo, vic. ap. Aysén; A. Yeddanapally, ep. Bellary; C. Manziana, ep. Crema; J. T. Daley, ep. tit. Barca; J. Gonzales Ruiz, ep. Puno; J. Garneri, ep. Susa; J. Pavlošić, aux. Senj; G. Philbin, ep. Down and Connor; Jan Van Cauwelaert, ep. Inongo; Paulus, ep. Oreolensis-Lucentinus; Aloisius Baccino, ep. S. Ioseph in Uraquaria; Manuel Serrano Abbad, arch. Cuenca; S. A. Haro A., ep. Ibarra; Felipe Santiago Benítez, aux. Assunción; Ramón Bogarin, ep. S. Ioannis Baptistae a Missionibus; Elias, arch. maronita Cypro; Xav. Morilleau, ep. tit. Coloniensis in Cappadocia; Orlandus Chaves, arch. Cuiabá; J. R. Pulido, ep. tit. Cirro; J. G. Calderón, ep. Cartago; J. Manuel Santos, ep. Valdivia; Narcissus Jubany, ep. Gerona; Enrique Alvear U., aux. Talca; José Luis Castro, ob. San Felipe; Ismael Rolón, prael. null. Caacupé; Guillermo Carlos Hartl, vic. ap. Araucania; Fr. Gillmore S.; Wenceslaus Gomez Frande, praef. ap.; J. E. Robles; C. Rada S.; Marcelo Mendiharat, ob. coad. Salto; Ramon Salas V., prael. null. Arica; Juan Campuzano, praef. ap.; Maximiliano Spiller, vic. ap. Napo; Antonio de Hornedo; P. Muñoz Vega, coad. Quito; José Pintado, vic. ap. Méndez.

8

EM.MUS P. D. STEPHANUS CARD. WYSZYŃSKI

Archiepiscopus Gnesnensis et Varsaviensis

Venerabiles Patres,

Quae dicturus sum *nomine omnium episcoporum Poloniae* [1] tangunt punctum 23 e cap. IV, quod inscribitur: « *De vita oeconomica et sociali* », comparatum cum Adnexo quarto, quod fert eundem titulum.

1. *Communicare* vellem Patribus, episcopos Poloniae dedisse commissioni ad redigendum schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* suam propriam rationem schematis (vulgo: « progetto »), quae eis videtur magis accommodata « mundo moderno », quem nos vivimus, patimur et, in quantum possumus, mutare et formare studemus.

In mundo, quem dicunt novo — quia novae et insolitae sunt conditiones vitae —, *multae quaestiones* quas schema XIII enumerat quasi ex artis praeceptis seu academice, induunt characterem practicum atque experientia cotidiana nos tangunt ...[2]. Huiusmodi quaestiones sunt obiectum discussionum, quae numquam desinunt, neque in verbo neque in opere, sive fiunt ex parte eorum qui omnia ad materiam referunt, sive ex parte nostra qui doctrinam sequimur christianam.

Ut par est, discussio fit in conditionibus diversis, cum Ecclesiae praesto haud sint media communicationis socialis, evidenter tam necessaria ad contentionem sustinendam...[3]

2. Quibus consideratis *malumus evitare duplicem rationem deliberationum,* quae fiunt in cap. IV: primum *in corpore* schematis et deinde in *adnexis*. Cur sermo fit de iisdem rebus bina oratione? Deinde quaestiones vitales, primi ordinis, quas omnes usu et consuetudine cotidiana experiuntur, tractantur in Adnexis. Huiusmodi methodus male *disponit*; dixerit quis, nos parvi pendere quaestiones maximi momenti, cum mundus universus a Concilio earum solutionem exspectet.

3. Cap. IV schematis et quam maxime quae in puncto 23 adducuntur potius deberent excipere exspectationes multitudinis hominum, qui operam praestant in hodierna vita oeconomica, qui spe animoque impleti opem et auxilium ex parte Ecclesiae expetunt, cum saepe saepius decepti, a spe destituti vitam agunt miserrimam...[4]

Insuper nostrum schema manifestam declarationem indicare deberet laudis ...[5] omnium Epistularum Encyclicarum socialium Summorum Pontificum, qui post Concilium Vaticanum I verbo et opere providerunt urgentibus Ecclesiae negotiis. Litterae enim Encyclicae non sunt opiniones privatae Summorum Pontificum, sed continent authenticam doctrinam Ecclesiae in re sociali.

4. Quam maxime *notanda est mens Ecclesiae sollicita ac sedula* in rebus terrestribus, ne homo privetur bonis materialibus. Christi clamor, benignus et humanus, « Misereor super turbam », numquam cessavit, *ita*[6] exceptus est a primis christianis, qui communiter — ratione communis utilitatis — bona administraverunt. Opportune illustrentur deinde scripta Patrum in re sociali necnon doctrina S. Thomae et aliorum philosophorum et moralistarum, qui per totum Medium Aevum interpretaverunt mentem Ecclesiae immutatam, exceptam a spiritu Franciscali, qui quaestionem socialem eximie ornavit, deinde S. Antonini Florentini et aliorum; qui thesaurum Ecclesiae in re sociali acquisitum transmiserunt usque ad nostra tempora.

Gloriemur igitur Ecclesiam fuisse semper intentam bono etiam materiali populorum. Inter calumnias amandandum est dictum: Ecclesia in re sociali tardius venire consuevisse. Haec est enim obiectio istorum, qui reprehendere satagunt doctrinam socialem catholicam. Immerito quidem et iniuste. Spiritus Evangelii et mens Ecclesiae constanter lenire voluit certamen inter divites et operariam plebem.

5. Forsitan apparebit, quod laudi tribuatur Ecclesiae, vocem Ecclesiae fuisse vocem clamantis in deserto neque auditam fuisse ab iis,

qui favent individualismo sociali vel, quod peius est, rationi oeconomicae immorali et turpi.

6. Inde admonendi sunt viri catholici, ut studiis incumbant doctrinae socialis catholicae ...[7]. Saepe enim obicitur Ecclesiae defectus cuiuscumque doctrinae socialis, cum ignorentur magnificae paginae Litterarum Encyclicarum.

Maxime moderni catholici, qui sunt fautores progressus, vulgo « progressisti », aliquando in quibusdam locis diffundunt malas voces, acriter diffamantes Ecclesiam, quasi negligeret sortem operariorum. Evidenter cum iis consonant qui sequuntur materialismum. Huiusmodi voces, quas spargunt et diffundunt ignari vel etiam inimici, contribuunt quam maxime, ut nonnulli operarii ab Ecclesia avertantur. Inimicorum interest, ut Ecclesia calumnietur inimica primi ordinis — « numero uno » — universi coetus operariorum.

7. Optandum esset, ut schema explanaret nefastos exitus rationis oeconomicae — vulgo « sistema economico » —, quae caret principiis moralibus, ostendendo, quam perniciosi sint non solum pro individuis, sed etiam pro rebus oeconomicis, quae producuntur. Hoc valet tam pro ratione oeconomica libera quam pro illa in communi redacta — vulgo « collectivismo » —. In utraque, et personae et res, damnum patiuntur propter immoralem modum oeconomicum. Etenim persona humana nihil aliud habetur, quam aliquid secundarium, quod *inservit* technicae producendi bona materialia, quae in hisce rationibus oeconomicis habentur tamquam dii. Quod tamen non impedit, quominus bona materialia producantur peiora et deteriora de die in diem.

Inde postulatur et exigitur, ut principiis philosophiae ethicae imbuantur ipsae rationes oeconomicae (vulgo « sistemi economici »), ut debita observantia prosequatur sic dicta theologia rerum huius terrae, ut honore et decore ornetur, immo ut sanctificetur, labor humanus. Huiusmodi quaestiones tractantur in moderna cura pastorali, ubicumque inveniuntur conferti coetus hominum, qui industriae incumbunt.

8 et ultimo. *Caput distinctum* mereretur in schemate quaestio relationis rationis oeconomicae (vulgo « sistema economico ») erga cultum religionis. Experientia docet, non in omni ratione oeconomica Ecclesiam libere agere posse. Sunt rationes oeconomicae, quae circumscribunt, definiunt, immo coercent non solum operam physicam individui, sed *etiam*[8] eius vitam, eius modum vivendi, libere agendi et disponendi, immo etiam cogitandi et desiderandi. In tali systemate individuum per vim immittitur in machinam productionis.

Experientia docet pariter, rationem oeconomicam quae iungitur consilio avertendi homines a Deo, a cultu religionis, nihil aliud efficere,

quam ut suspectos reddat omnes, qui reiciant instaurationem novi ordinis oeconomici, etiamsi boni, immo consilia ineant oppositionis etiam inter illos qui antea indifferenter se habuerunt erga religionis cultum.

Quaecumque sit instauratio ordinis oeconomici, debet semper debito respectu prosequi libertatem conscientiae individui. Ipsum interesse seu bonum rei oeconomicae hoc postulat.

Concludendo censeo, nimis grandem esse hodie quaestionem socialem et oeconomicam in toto orbe terrarum. Diversi sunt eius aspectus atque, ut vidimus, eo gradu mentem hominis moderni occupant, ut de hisce sermo fiat in Adnexo. Huiusmodi quaestiones tractandae sunt, omnes et integrae, in corpore schematis, utpote res maximi valoris, et non in margine discussionis...[9] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] graviterque commovent. [3] Non obstante inaequali contentione, non deficiunt consilia et media novis condicionibus accommodata, quae nos adhibemus, qui novis methodis vitam Ecclesiae in societate defendere, immo confirmare, studemus. [4] Ne arguamur ab istis negligentiae vel contemptus eorum iurium, desideriorum, quae expetunt, affectant. [5] et probationis. [6] immo. [7] quam ignorant. [8] totam. [9] Profecto merentur attentionem Ecclesiae eiusque sollicitam solutionem, ne ignoratae magis dividant familiam humanam. Ecclesia vero faciat oportet partem integram coetuum ingentium operariorum, animumque attentum et benevolum convertat in condiciones loci, laboris, vitae, ut melius prospiciat eorum bono spirituali, non negligendo tamen iusta desideria bonorum huius terrae.

9

EM.MUS P. D. PAULUS CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Venerabiles Patres,

N. 23, de quo nunc agitur, anteponit notas optimas in prima paragrapho quoad statum novum in societate.

Principia quae sequuntur revera sunt valida, sed practice incompleta. Sane fateor pertinet ad folia adnexa explanare modo magis concreto diversas consequentias istorum principiorum. Sed, ni fallor, in adnexis, tamen diligenter et utiliter apparatis, parum inveni circa res de quibus aliquid nunc intendo pauca dicere.

Sunt enim quaedam quaestiones quae forsitan interpretantur ut conclusiones practicae et quae, humillimo meo sensu, inter principia debent includi ut praecipuae normae doctrinae socialis christianae et

humanae. Si volumus loqui coram hominibus nostri temporis linguam intelligibilem ac directam, non possumus perpetuo manere in meris abstractionibus.

Certo certius aliqua principia generalia, sed concreta, dominantur vitam oeconomicam ac socialem, de quibus Sacrosanctum Concilium potest et debet quasdam formulas clare et strenue proponere. Sic:

1. De gravi obligatione, pro omnibus qui, individualiter vel collective detinent dominium aut directionem supra officina aut culturas, seriose praevidendi evolutionem oeconomicam ac difficultates quae possent evenire probabiliter in cursu negotiorum et hoc ad vitandam miserabilem cessationem laboris pro operariis. Talis praevisio non tamen sufficit. Opifices non possunt subito sese invenire sine labore, proinde sine lucro pro eorum atque eorum familiarium sustentatione. Oportet quod in gestione negotiorum aliqua participatione sapienter instituta, et proinde aliqua prudenti informatione, operarii ipsi possint gaudere, saltem mediantibus associationibus repraesentativis.

Hoc constituit officium authenticum prudentiae ac solidarietatis, quod ut normam imperativam in mundo hodierno sacrosanctum Concilium debet proclamare, et non solum pro regionibus sufficienter evolutis, sed etiam pro regionibus quae iam conatum praebent ad instaurationem industrialem vel agricolam, ubi tamen subita et impraevisa cessatio laboris graviores consequentias affert operariis faciliter inopibus.

2. De cessationibus laborum est enim necessarium ut breviter Concilium exponat quasdam regulas circa dialogum perutile inter eos qui auctoritatem detinent et opifices, circa actionem pacificam ac probam ita ut, utraque parte, intelligatur tum vera conditio officinae et generalis oeconomicae evolutionis, tum etiam et praesertim vera ac saepe inhumana conditio operariorum cum eorum familiis.

3. De actuali mobilitate professionali ac geographica plerumque hominum sive in artibus liberalibus sive in artibus manualibus aliquam considerationem Concilium debet attente explanare. Istud factum est elementum maximi momenti in mutatione extraordinaria nostri temporis, sane *ineluctabili,*[1] quod elementum consequentias nefarias potest producere, sed etiam optimas notas admittit ad augendum sensum socialem boni communis in aliqua natione et in universali societate, ad augendam quoque pastoralem actionem magis communem et coadunatam, immo ad augendam promotionem culturae et capacitatis ipsorum individuorum. Proinde educatio permanens omnis hominis debet considerari ut norma praesenter imperativa.

4 et ultimo. Concilium non debet timere evocationem iustitiae in determinatione pretiorum contra scandalosas et irrationales augmenta-

tiones, contra omnes speculationes dolosas, speciatim super agros et super spatia destinata ad constructionem, contra beneficia exaggerata in mercis et in negotiis. In eadem linea quoque omnes fraudes commerciales, omnia lucra pecuniaria quae non statuunt in reali labore atque utilitate, sed saepe saepius in mero ludo aleatorio, praesentari debent ut damnosa.

Etenim, ubi adest de facto radix totius perturbationis socialis, nisi in distributione ipsa et circulatione bonorum potius quam in eorum possessione? Si nos, venerabiles Patres, silentium nimis timoratum servemus quoad istas res quae sunt in initio omnium iniquitatum socialium, tunc vox Concilii, infeliciter manens in abstractionibus, non potest audiri ab operariis, a matribus familiae, a parvis agricolis et artificibus. Tunc non possumus nosmetipsos habere ut patres pauperum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ineluctabile.

Secretarius generalis: Communico, Patres venerabiles, exitus suffragationum reliquarum.

Suffragatio IV:

Praesentes votantes	1.963
Dixerunt *placet*	1.880
non placet	81
placet iuxta modum	1
Suffragium nullum	1

Suffragatio V:

Praesentes votantes	1.968
Dixerunt *placet*	1.889
non placet	78
Suffragium nullum	1

Ergo duo textus sunt a congregatione approbati.

Suffragatio finalis circa prooemium et cap. I, in qua triplex formula adhibita est:

Praesentes votantes	1.965

Dixerunt	*placet*	1.030
	non placet	77
	placet iuxta modum	852
Suffragia nulla		6

Ergo modi sunt expendendi et textus iterum proponendus est congregationi generali.

10

EXC.MUS P. D. ANGELUS HERRERA Y ORIA
Episcopus Malacitanus

Venerabiles Patres,

Lego [1] votum venerabilis et dilecti episcopi mei Angeli Herrera, cuius sum coadiutor.* En verba eius:

Liceat mihi humiliter opinari schema, cum de re sociali agit spei quam mundus in Concilio posuit non respondere.

Hanc expectationem significavit Praeses Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis, luctuose occisus, in epistola ad *Summum Pontificem,*[2] sanctae memoriae, occasione inaugurationis Concilii.

Sic enim scribebat:

« Ante ingentia problemata, quae frequenter viribus humanis ut insolubilia apparent, omnes Orbis Terrarum homines causam novae fiduciae invenerunt in grato nuntio Vestrae Sanctitatis Patres conciliares speciali attentione animum versuros ad graves quaestiones sociales et oeconomicas quae quotidie humanitatem premunt in omnibus mundi regionibus.

Speramus fore ut Concilium modo claro et ad persuadendum apto praebeat solutiones efficaces ad problemata solvenda quae omnibus nobis incumbunt ».

Quomodo ergo explevimus hanc expectationem?

Expositione doctrinali?... Necessaria non est. Summi Pontifices illam nobis tradiderunt.

Proprium huius documenti erit, meo iudicio, propositiones offerre ordinis practici, exhortativas, urgentes.

Sit prima et fundamentalis affirmatio: « Divitiae tam copiose productae hac nostra aetate, diversis hominum classibus, non sunt iuste distributae ».

---

* Exc.mus P. D. Aemilius Benavent Escuin, ep. tit. Cercinitanus.

Haec iniusta distributio magnum periculum est paci internae nationum et paci internationali. Et quod gravius est pro nobis episcopis. Innumeri operarii, homines boni et laboriosi, ab Ecclesia decesserunt eo quod cogitaverunt, quamvis sine causa, Ecclesia nihil de iniquitate quam patiuntur curare.

Urget ergo renovatio et magna quidem. Habeamus prae oculis haec comminatoria et prophetica verba Pii XI: « Omni vi et contentione enitendum est ut bona producta aequa proportione distribuantur; quae nisi nulla interposita mora ad effectum deducenda sit, nullo modo ordinem publicum, pacem et tranquillitatem societatis contra homines seditiosos efficaciter defendi potest ».

Ad hanc iustam evolutionem quatuor elementa collaborare debent: operarii, patroni, Status et Ecclesia.

Liceat mihi proponere — tantum exempli gratia — aliquas exhortationes magni momenti quae in hoc documento conciliari exprimi possent.

Dicamus operariis: Ecclesiam velle suam promotionem in ordine oeconomico, sociali, culturali et politico.

Attamen talia aptata assequenda esse non revolutione violenta sed evolutione interna et pacifica institutionum.

Patronibus et etiam technicis: praecipue verba nostra dirigere debemus. Verba paterna quidem sed suasoria et gravia. *Quia* [3] ex eis pendet pax socialis. Eorum actitudo comprehensiva, iusta et christiana caritate plena, nobile inveniet semper responsum in mundo laboris...[4]

Reipublicae moderatoribus dicamus: ...[5] Ordinationem politicam in bonum commune fieri debere atque primam eorum obligationem in ordine oeconomico esse iustam distributionem bonorum curare.

...[6] Ideoque eos uti debere tributo ut instrumento iustitiae socialis ita ut compensare possint iniustam distributionem bonorum factam in zonis intermediis vel inferioribus societatis.

Etiam [7] facilem reddere promotionem operariorum. Et ideo tribuere operariis legitimam libertatem ut suos genuinos repraesentantes eligere valeant in omnibus corporis socialis gradibus.

Quid ad nos ipsos dicamus? Per annos septuaginta et amplius Ecclesia nullo tempore defuit in praestatione suae collaborationis ad instaurandum novum ordinem socialem. Sed iuxta hoc laetissimum factum, aliud dolorosum adest. Magna pars operariorum opus sociale Ecclesiae iuste non aestimant neque in illa confidunt. Quod nobis impellere debet, meo iudicio, ad actionem socialem iterum atque iterum urgendam.

Et ad hoc audeo proponere — etiam exempli gratia — pro nostro schemate: ...[8] Praedicare est nostrum praecipuum munus. Praedicemus,

ergo, quam maxime possibile sit, doctrinam socialem a Summis Pontificibus expositam. In hoc casu specialiter verba S. Pauli servanda sunt: « argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina ».

...[9] Curemus ut doctrina socialis tradatur in omnibus scholis catholicis et primo quidem in nostris Seminariis.

...[10] Singularissimo studio conscientiam luminosam et profundam altiorum classium efformemus.

...[11] Cum tributum sit iustitiae socialis instrumentum, firmiter renovemus, nullo modo admissis studiosis et casuisticis excusationibus, praeceptum apostoli: « tributa praestate ...[12]. Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal ».

Populum simplicitate et austeritate vitae aedificemus. Iustitia quam desideramus in ordinatione societatis civilis in vita oeconomica nostrarum dioecesium servemus.

Et quod maximum est, ut finiam, transeat ad clerum populumque nostrum caritas Christi, quae in nobis ardet et urget. Quia pax fructus caritatis est. Et solummodo caritatis effusio trahet mundum ad optatam concordiam fraternam.

Tandem en quae humiliter ad modum conclusionis propono. Partes schematis quae de re sociali agunt, sint redactae stylo magis directo, exhortativo et urgenti ita ut a populo intelligatur et omnes ad quos pertinet moveat ut efficaciter collaborent in statuenda renovatione sociali ut tandem pax firmiter radices agat et « Pauperes evangelizentur ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Legere intendo. [2] Ioannem XXIII. [3] 1. [4] 2. Viam parare debent necessariae et prementi evolutioni sociali ut sit facilis, prompta et profunda. 3. Sint primi et magnanimi collaboratores auctoritatis civilis in politica sociali. [5] 1. [6] 2. [7] 3. [8] 1. [9] 2. [10] 3. [11] 4. [12] ministri Dei sunt qui ea exigunt.

11

EXC.MUS P. D. RADULFUS ZAMBRANO CAMADER
Episcopus Facatativensis

Venerabiles Patres,

1. Dolendum est quod schema remittat ad annexa propositionem conceptus christiani circa proprietatem. Quae propositio, laudabiliter quidem, a consueta forma simplicis defensionis iuris quaesiti se exuit, et, ut mihi videtur, novam pandit viam dialogo cum diversis systema-

tibus oeconomicis, nam Ecclesia nulli eorum obligatur, ut dicitur in linn. 14-15, pag. 27. Immo, lucrum et proprietas incoeptuum productionis tamquam stimulus bonorum collocationi, ex una parte, et, ex alia, fixa merces laboris, sine proprietate incoeptuum, minime unicam constituunt moralem formam retributionis factoribus productionis.

2. Uti iam fecerat Encyclica *Quadragesimo anno,* schema, in paragrapho 4, n. 23, recte docet distributionem bonorum, ex divina largitate patrimonium universale humani generis, populorum sapientiae a Dei Providentia concreditum esse; et consequenter, formas et institutiones quibus appropriatio ac distributio in actu deducuntur, valde variare posse et novis conditionibus aptandas esse.

3. In annexo IV, pag. 40, explicite docetur conceptus fundamentalis et originalis proprietatis, hac sententia: « omnibus hominibus strictum ius competit habendi partem bonorum sibi suisque familiis sufficientem ». Ita doctrinam Pii XII in nuntiis radiophonicis « La solennità della Pentecoste » ...[1], necnon die 24 decembris anni 1942, noviter effertur; sed et fusius enucleatur ius « cuiusvis hominis externa bona ad victum cultumque suum referendi », de quo Ioannes XXIII, sanctae memoriae, in Enc. Litt. *Mater et Magistra,* docet: « pluris quidem faciendum esse quam alia quaecumque iura, quae in re oeconomica versentur, atque adeo pluris etiam quam ius privatim possidendi ».

4. Quapropter, vellem ut propositio annexi, videlicet: « omnibus hominibus strictum ius competit habendi partem bonorum sibi suisque familiis sufficientem », inseratur in paragrapho 4, n. 23. Ita ut ex hoc principio, et unice uti medium ad eiusdem exercitium in socialibus adiunctis, profluant tamquam ex fonte, et formae proprietatis et ius et officium societatis ad stabiliendas et regulandas ipsas possessionis formas, bonorumque productionem et distributionem, ut aptius finis societatis, intra statum progressus cuiusque culturae, procuretur, et ad effectum et pro omnibus, deducatur illud ius habendi bona sufficientia.

5 et ultimo. Porro, vellem ut in schemate vel in annexis amplum tribuatur spatium ad dilucidandam quaestionem de lucro, de pretio mercium et de redditibus peculii. Sola declaratio circa primas partes quas valores humani habent in productionis processu, non mihi videtur sufficiens directiva ad dignoscendam moralitatem lucri vel foenoris. Nisi dicatur, silentium decreti interpretari debere ut consecratio tacita actualis situationis, ita ut norma sit, in praesente societate, lex petendi et offerendi (oferta y demanda; suply and demand). Nam in nostris adiunctis, est unica mensura vel expressio desideriorum ad recte perficiendam allocationem factorum productionis. Sed, proh dolor, non omnes aequas habent in societate partes ad oeconomicum votum, ex

differentia capacitatis adquisitionis; immo, artificiose necessitates stimulantur et mercaturae ad arbitrium offeruntur vel retrahuntur. Aliae rationes distributionis factorum productionis, reducuntur ad interventum Status, nisi exurgat cultura omnino nova cum novis stimulis oeconomicis.

Omnia autem supradicta elementa necessaria sunt ad tractandam cum proprietate quaestionem de fame in mundo, quae ut adstat, patefacit defectum actualium structurarum et institutionum ad efficiendam distributionem bonorum iuxta ordinationem Creatoris. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (1941).

Moderator: Proxima congregatio generalis erit crastina, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CXV

5 novembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CXV

5 novembris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 115 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Venerabiles Patres, heri, die quarta novembris, pie defunctus est exc.mus D. Ioseph Gagnor, ep. Alexandrinus Statiellorum in Italia. Oremus pro anima ipsius.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis* ...

Secretarius generalis: Exequiae exc.mi viri defuncti habebuntur crastina in Ecclesia S. Sabinae in Aventino, hora 17.

In hac congregatione, Patres amplissimi, distribuetur vobis aliqua relatio, confecta a clarissimo viro Iacobo Norris, auditore huius Concilii, circa thema « De paupertate mundiali », relate scil. ad n. 24 huius capitis schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis*.

Antequam incipiat disceptatio circa hunc numerum egregius vir suam relationem nobis dabit. Est typis impressa et distribuetur vobis ita ut omnes possint sequi adamussim quae spectant hoc problema gravissimum nostri temporis. Deinde prosequetur disceptatio circa hunc numerum.

In congregatione item nostra dabitur vobis, Patres, aliqua emendatio, sed pure typographica, quae inserenda est in libellum, qui continet schema decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia*. Nam postquam hic libellus impressus est, qui correxerunt typos animadverterunt esse aliquos errores, aliquas translationes, in pagg. 81, 82, 83. Non sunt errores in textu, sed in notis. Ergo hoc folium, quod distribuetur, refert emendationem. Vos substituatis, Patres venerabiles.

Et ecce nomina eorum, qui verbo uti petierunt circa n. 23 cap. IV *de Ecclesia in mundo huius temporis*: exc.mi ac rev.mi DD. Franciscus Franić, ep. Spalaten. et Macarscensis in Jugoslavia; Villelmus Wheeler, ep. coad. Medioburgensis in Anglia; Albertus De Vito, ep. Lucknovensis in India; Franciscus Tomášek, ep. tit. Butiensis in Cechoslovacia; Floyd L. Begin, ep. Quercopolitanus in Stat. Foed. Amer. Sept.; Clau-

dius Dupuy, arch. Albiensis in Gallia; Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis in Germania; Ioseph Höffner, ep. Monasteriensis in Germania.

Circa hunc eundem numerum loqui postulaverunt, nomine 70 Patrum, exc.mi DD. Ferdinandus Gomes, arch. Goianiensis in Brasilia; Philippus Benítez, ep. aux. Ss. Assumptionis in Paraguay; Iesus Alba, ep. Tehuantepecensis in Mexico; Paulus Zoungrana, arch. Uagaduguensis in Volta Superiore.

Deinde fit transitus ad n. 24. Sed Patrum nomina, si res feret, dabuntur tempore opportuno.

In hac congregatione, Patres, gravissimus labor nos manebit. Nam habebimus octo suffragationes faciendas. Speramus fore ut omnia bene procedant. Et nos iam nunc vobis gratias agimus pro sollicitudine qua nos adiuvabitis. Gratias.

Moderator: Velint, Patres venerabiles, audire. Cum de n. 23 cap. IV huius nostri schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* quatuor sint Patres, qui singuli nomine 70 aliorum Patrum locuturi sunt, moderatores a vobis quaerunt, an placeat ut ii tantum loquantur qui summatim ducentos et octoginta Patres repraesentant. Patres, quibus propositio haec moderatorum placet, velint surgere. [*Intervallum*].

Repeto propositionem moderatorum: ... [*Intervallum... Patres non surgunt*].

Nunc autem exc.mus D. Aloisius M. Carli, ep. Signinus, relator, velit legere relationem suam circa artt. I-II cap. II schematis decreti *de episcoporum munere in Ecclesia*.

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

RELATIO

(*De pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* cap. II, artt. I-II)

[*Cf. pag. 156-162*].

Secretarius generalis: Audiatis, Patres venerabiles. Sanctissimus Dominus noster, antequam haec sessio finem habeat, maxime cupit episcopos coram se admittere. Erit colloquium paternum, licet brevissimum, cum omnibus et singulis episcopis, qui tamen recipientur a Sanctissimo Domino iuxta diversas nationes, vel linguas quas loquuntur. Dies et

hora harum audientiarum communicabitur singulis diebus quibus datur audientia, ex hoc ambone. Solum episcopi admittentur. Patres scil. conciliares. Solum Patres conciliares.

Crastina, nempe die 6 huius mensis, hora 19, Summus Pontifex coram se admittet episcopatus Africae, linguae gallicae, nempe ex Algeria, Alto Volta (lego italice, uti scriptum est in folio), Burundi, Camerun, Congo ex-Belga, Congo ex-Francese, Costa D'Avorio, Dahomey, Gabon, Libia, Madagascar, Mali, Marocco, Niger, RAU Egitto, Repubblica Centro-Africana, Ruanda, Senegal, Tchad, Tunisia. Episcopi qui hos episcopatus repraesentant rogantur velint crastina mane adire officium Praefecti Cubiculi Summi Pontificis (Maestro di Camera) ut dicant numerum praecisum episcoporum qui sunt in sua cuiusque ditione. Ergo rogantur adire officium *Maestro di Camera* crastina mane ita ut omnia bene parari possint pro hac audientia. Et dicant numerum praecisum; nos habemus numeros, sed sunt numeri veri quoad substantiam, quia episcopi sunt tales in illa natione. Sed non omnes illi episcopi sunt in Concilio. Quapropter bene est ut Magister Cubiculi sciat quinam revera episcopi sint ex Algeria, ex Alto Volta, ex Burundi, etc. Et hoc notificent qui sunt repraesentantes illorum episcopatuum Magistro exc.mo ita ut audientia bene et rite parari possit. Ergo episcopatus ex Africa linguae gallicae coram Summo Pontifice admittentur crastina hora 19. Pro aliis episcopatibus, notitias dabo quando mihi communicatae fuerint. Gratias.

Moderator: Nunc autem velit exc.mus D. Narcissus Jubany, ep. Gerundensis dare alteram relationem, nempe de cap. II, ad art. III, schematis *de munere episcoporum.*

EXC.MUS P. D. NARCISSUS JUBANY ARNAU
Episcopus Gerundensis

RELATIO

(*De pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* cap. II, art. III)

[*Cf. pag. 172-179*].

Moderator: De auditis relationibus earumque laboriosa praeparatione toti commissioni competenti, et praesertim exc.mis relatoribus, gratias agimus plurimas etiam pro gratiosa breviatione quam sibi ipsi imposuerunt. Loquatur nunc exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: En igitur textus VII suffragationis. Videatis, Patres, pag. 29, cap. II: De Episcopis quoad Ecclesias particulares seu Dioeceses, nn. 11-18 [*cf. pag. 133-140*]. *Placet*ne an *non placet,* Patres?

Moderator: Et nunc prosequitur disceptatio circa n. 23 cap. IV, schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* et cum absit exc.mus D. Fernandus Gomes, velit loqui exc.mus D. Philippus Benitez, ep. aux. Assumptionis in Paraguay.

1

Exc.mus P. D. PHILIPPUS IACOBUS BENÍTEZ AVALOS

Episcopus tit. Chersonesitanus in Europa, aux. St. Assumptionis

Nomine 105 episcoporum Americae Latinae, *vobis loquor*[1] venerabiles Patres et dilectissimi fratres, vobis loquar, et vellem, summatim pandere problema oeconomico-sociale hucusque unicae et sine dubio maximae catholicae Continentis terrae. Perutilia nobis fuerunt studia et *solutiones*[2] Foederationis Internationalis Studiorum Socio-Religiosorum (FERES). Methodo proinde utar inductiva, uti oportet in his rebus; in nostro enim schemate, praevalet, proh dolor, stylus deductivus.

In America Latina una ex tribus partibus catholicorum totius orbis hodie degit; anno autem duo millia fere dimidia pars eorum constituent. Anno 1960 aderant ducentum millia millium incolarum; anno 1970 superabunt tercentum millia millium; anno 2.000 aestimantur fore plus quam sexcentum millia millium, quod sane significat augmentum in his proximis 40 annis, fore quatuorcentum millia millium. Ideo experti locuti sunt de « explosione demographica ».

Huius rei condicio apparet sat nova, immo inedita, non modo Ecclesiae verum etiam universo orbi. Etenim numquam usque adhuc tantae ac talis augmentationis relativae experientiam homines habuerunt; numquam hoc pacto ordinariae aestimationes superatae sunt.

Tamen sola quantitativa consideratio non sufficit. America Latina enim in his ultimis decenniis profundissimis et celerissimis mutationibus obnoxia est...[3]

Hodierna eius condicio socio-oeconomica his principalioribus characteribus insignitur:

1. *Aspectus oeconomicus*: redditus annuus per capita maioris partis incolarum ducentum dollariorum non excedit, i. e., penes aequat de-

cem per centum redditus incolarum nationum potentiorum. Causa huius facti in exigua productivitate activitatum reponenda est. Circiter sexaginta (et in aliquibus nationibus, octoginta) per centum populationis activae in agricultura et in extractione primaria adlaborant. Haec difficillima condicio aggravatur ob extraordinarium augmentum populationis; ob absentiam vel evasionem capitalis; ob steriles versationes immobiliarias ubi facilius et citius magnum lucrum obtineri potest; ob defectuosam distributionem proprietatis agrariae; ob dependentiam a nationibus potentioribus, speciatim in pretiis stabiliendis, et alia huiusmodi.

2. *Aspectus socialis*: societates latino-americanae praecipue duobus stratis componi solent, nimirum, strato superiori, non amplo et gaudenti privilegiis oeconomicis, socialibus et culturalibus, atque ex innumera plebe (massa potius dicam) agricolarum, opificum et pauperum, sine actuosa participatione sociali. Passivitas huius massae hucusque permisit inoperantiam strati dirigentis societatis.

3. *Aspectus politicus*: ex hac situatione sociali profluunt condiciones politicae. Inspecto indice analphabetismi valde elevato, ut optime iam notavit exc.mus D. Leonidas Proaño, sequela eius est quod populus careat educatione politica et commode sustineat ab extrinseco duci. Ita facile intelligitur cur ...[4] aliqua oligarchia possit omnia sola decidere. Ex alia parte, cum gubernia desiderant operam dare in effectivam evolutionem, sufficienti auctoritate carent.

Ex hac ergo quasi drammatica condicione totius regionis latino-americanae opus est initium sumere ad omnes *actiones reformatrices*. Causa solatii est quod iam multa sint conamina et incepta a guberniis, organizationibus internationalibus et privatis et quodammodo ab ipsa Ecclesia, promota, etsi nullo pacto adhuc pertingant rythmum mutationum socialium.

Agitur de regionibus christianis. Hoc factum pro ipsis latino-americanis secumfert gravem responsabilitatem: evangelizandi, scil., ingentem numerum hominum; religiosa servitia eis praestandi, necnon ecclesiasticas institutiones novis condicionibus adaptandi. Immo vero secumfert responsabilitatem erga alios non christianos, quia in America Latina praeberi potest testimonium populorum propriam evolutionem oeconomicam et socialem, iuxta principia christiana, perficientium. Hoc in sensu reapse asseri potest Americam Latinam esse campum experimentationis doctrinae socialis Ecclesiae.

Conclusiones. 1. *Necessarium est suscitare evolutionem organizatam et voluntariam* (développement intégral, desarrollo integral). Quod

munus adnumeratur (a Ioanne XXIII in *Mater et Magistra*) inter praecipuas obligationes christiani, potissimum in regionibus insufficienter *evolutionis,*[5] et quidem se donandi totis viribus et competentia technica ad promovendam harmonicam evolutionem.

2. Ipsi ad quos spectat evolutio esse debent *primi et principales actores* propriae elevationis oeconomicae et socialis; adiutorium autem ab extra proveniens, sine dubio necessarium, alium scopum non intendere debet nisi roborare conamen ad intra iam inceptum vel incipiendum.

3. Ut iam pluries dictum est in ...[6] aula, ex exigentiis muneris Ecclesiae oritur eius *sollicitudo erga integrum bonum hominum.* Condicio Americae Latinae, nuper descripta, profecto maiorem Ecclesiae imponit responsabilitatem reddendi scil. amorem effectivum hominibus ut verum testimonium evangelizationis. Quae responsabilitas manifestari debet:

a) *In formatione laicorum* christiano nomine dignorum ac humanae artis peritorum qui capaces inveniantur ad promovendam evolutionem et progressum suae communitatis per se ipsos et per alios.

b) *In orientatione* allata tam dirigentibus societatis ut bono communi inserviant, quam opinioni publicae ad gignendam conscientiam in omnibus civibus.

c) *In ostensione exempli,* opere et veritate, in ordine sociali promovendo...[7]

d) *In actione suppletoria* imposita ratione urgentiae et situationis particularis Ecclesiae multis in regionibus Continentis, saltem pro tempore. Etenim pluries Ecclesia est unica institutio capacitate praedita actuandi, et gaudens fiducia populi.

Propositiones. Quae cum ita sint, enixe desideramus: 1) ut hae conclusiones includantur in cap. IV, n. 23 schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis*; 2) ut descriptio Americae Latinae consideretur ut « signa temporum » in Adnexo ubi aliae quoque descriptiones distinctarum situationum terrarum includantur.

Venerabiles Patres, audiatis verba, optimismo plena, Pii XII, felicis recordationis, episcopis latino-americanis prolata: « Summo aeternoque Deo confisi ac suppliciter invocantes tutelam Deiparae Virginis, Americae Latinae Reginae, alienam a nobis censemus illam tristium eventuum praesentionem, quos futuros esse nonnulli ex his adiunctis rerum coniciendo suspiciunt. Immo hanc laetam in spem venimus fore, ut brevi America Latina alacri virium nisu illud officium et munus sustineat, quod providentissimus Deus commisisse videtur tantae Con-

tinenti terrae, catholicae religionis laude glorianti, ut ea ceteris gentibus quoque salutis et pacis optata dona in posterum dilargiatur »...[8] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] conclusiones investigationum sociologicarum. [3] Praenotandum est mutationem socialem esse transformationem societatis in qua structurae exsistenti alia substituit ita ut inducat novum regimen oeconomicum, sociale et culturale, penitus afficientem stratificationem socialem. [4] in aliquibus nationibus. [5] evolutis. [6] hac. [7] (v. g. in distributione terrenorum ecclesiasticorum etc.). [8] in praestantissimis rebus nobiles partes assecuta » (*Ad Ecclesiam Christi,* 29 iunii 1955 ad card. Adeodato I. Piazza).

Secretarius generalis: Ornatissimi Patres, crastina, intercepta parumper discussione super hoc schemate, incipiet disceptatio circa schema *de activitate missionali Ecclesiae.* Hanc disceptationem inaugurabit ipse Summus Pontifex [*plausus*], qui igitur aderit inter praesides nostrae congregationi generali [*plausus*]. Est honor maximus nobis datus, sed congregatio procedet ut omnibus diebus, ita etiam coram Summo Pontifice fient relationes, dicentur orationes, nempe habebitur disceptatio, et prosequetur etiam suffragatio. Ergo crastina.

Nunc lego textum VIII, ni fallor, suffragationis. Pag. 35, nn. 19-20 [*cf. pag. 140-141*]. *Placet*ne an *non placet?*

2

EXC.MUS P. D. IOSEPH A IESU ALBA PALACIOS
Episcopus Tehuantepecensis

Venerabiles Patres aliique carissimi audientes,

In praesenti discussione ad *n. 24* [1] schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* in re gravissimi momenti a qua pendet honestas coniugii lege naturali et revelatione cognita, recolenda sunt quaedam principia theologica.

Inter veritates ordinis moralis, naturali ratione non impervias, quae a Deo revelatae sunt et ab Ecclesia proponuntur, habentur certissime honestas et normae usus matrimonii ut docuit S. Pontifex Pius XI in Encycl. *Casti connubii* ...[2]. Et post eum Pius XII ...[3]. Hac in quaestione etiam theologi ut admonuit Conc. Vatic. I ...[4] et denuo inculcavit Pius XII in Encycl. *Humani generis* ...[5] adhaerere debent doctrinae Magisterii authentici eique interne assentire, etiam quando non exercet plene suam potestatem docendo infallibiliter et definitive.

Neque singulis fidelibus neque ipsis theologis divinus Redemptor concredidit fidei depositum authentice interpretandum, sed soli Ecclesiae Magisterio, de quo, etiam de magisterio ordinario, valent verba Domini: « Qui vos audit, Me audit » ...[6]. Non sunt explicanda clara ex obscuris, sed contrarium ordinem sequi necesse est, *ait Summus Pontifex, Pius XII.*[7]

Nobilissimum theologiae munus est *ostendere*[8] quomodo doctrina definita ab Ecclesia contineatur in sacro deposito, eo ipso sensu quo definita est.

Alia ex parte obliviscendum non est nos approbasse sententiam in Concilio, qua exegetis munus altissimum agnoscitur adlaborandi ad hoc ut praeparato studio futura Ecclesiae iudicia maturentur...[9]

Idcirco tanti facit Ecclesia theologos qui, ut S. Thomas, S. Bonaventura aliique Ecclesiae doctores coniunxerunt maximum studium declarandi scientifica expositione doctrinae depositum fidei, simul cum maxima docilitate erga magisterium vivum. Post Sacram Scripturam et Patres, praedictorum theologorum opera suppeditaverunt securissima manuductione ipsis successoribus apostolorum in magisterio solemni et in ordinario. *Ut dixit Summus Pontifex Leo XIII circa S. Thomam.*[10]

Iudicia solemnia Ecclesiae et indubitabilis professio fidei magisterii ordinarii episcoporum per orbem dispersorum, fideliter adhaerentium successori Petri est infallibilis; clara propositio doctrinae facta a magisterio Ecclesiae, praesertim a Summo Pontifice exigit assensum religiosum internum, maiori vel minori gradu, pro rei natura et vi documentorum quibus exprimitur; talis assensus praestandus est etiam a theologis et a fidelibus, peritis in quacumque arte, si ipsis non appareant argumenta certa inexactitudinis aut erroris in actibus magisterii authentici non infallibilis. Simili reverentia accipiendum est magisterium episcoporum, praesertim si collectivum et fere commune.

Scimus quantum aestimaverint Summi Pontifices testimonium episcoporum, non tantum ad praeparandas definitiones dogmatum marianorum, sed etiam in rebus socialibus, v. g. Pius XI in Encycl. *Quadragesimo anno.*

In Encycl. *Humani generis* dicitur: « Quod si Summi Pontifices in actis suis de re hactenus controversa data opera sententiam ferunt, omnibus patet rem illam, secundum mentem et voluntatem eorumdem Pontificum, quaestionem liberae inter theologos disceptationis iam haberi non posse » ...[11]

Ad rem nostram accedendo, dicamus doctrinam Summi Pontificis Pii XI, quoad reprobationem abusus matrimonii, habendam esse ut irretractabilem.

Ipse scripsit: « Cum igitur quidam, a christiana doctrina iam inde ab initio tradita neque umquam intermissa manifesto recedentes, aliam nuper de hoc agendi modo doctrinam solemniter praedicandam censuerint, Ecclesia catholica, cui ipse Deus morum integritatem honestatemque docendam et defendendam commisit, in media hac morum ruina posita, ut nuptialis foederis castimoniam a turpi hac labe immunem servet, in signum legationis suae divinae, altam per os nostrum extollit vocem atque denuo promulgat: quemlibet matrimonii usum in quo exercendo, actus de industria hominum naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere, et eos qui tale quid commiserint gravis noxae labe commaculari ». Si in hac declaratione non invenitur definitio ex cathedra et doctrina absolute infallibilis (quamvis ita opinati sunt magni theologi *v. g.*[12] Vermeersch et Hürth), non apparet tamen quomodo possit reformari et vi sua obligatoria evacuari, praesertim quia Summus Pontifex voluit opponere doctrinam semper constantem in Ecclesia solemni praedicationi novatorum promulgatae ab anglicanis. Ideo ab hac doctrina eiusque firmissima professione praescindi non potest in schemate.

Summus Pontifex Pius XII voluit authentice interpretari et applicare ad casus magis particulares, doctrinam sui praedecessoris, praesertim in allocutionibus ad obstetrices et ad hematologos, et quidem non dubitanter sed cum firma exclusione et reprobatione quorumdam theologorum...[13]

Nescimus cur neque in schemate neque in annexis citentur haec documenta...[14]

Moderator: Exc.me Pater, velis venire ad n. 23 huius cap. IV, de quo n. 23 fit nunc disceptatio.

Orator: Ego petieram ad nn. 21 et 24.

In textu scripto tradito: [1] nn. 21 et 24. [2] (*A.A.S.*, 1930, p. 579). [3] (*Humani generis*, DENZ. 3875 et *A.A.S.*, 1950, p. 843; 1958, p. 843). [4] (DENZ. 3005, 3015-3045). [5] (DENZ. 3875, 3881-3886). [6] (*Lc.* 10, 16). [7] deest. [8] deest. [9] (*de revelatione,* cap. III, n. 12). [10] (Enc. *Aeterni Patris,* Leonis XIII). [11] (DENZ. 3885). [12] ut. [13] (*A.A.S.*, 1950, p. 843 et 1958, pag. 743). [14] quamvis aliqui ea considerent ut solutionem provisionalem. Quo iure hoc faciunt? Forte quia agitur tantum de allocutionibus? Etiam allocutione quadam Pius IX approbavit doctrinam episcoporum Germaniae de potestate episcopali, ut authenticam interpretationem Concilii Vaticani I (DENZ. 3112-3117); alia occasione declaravit definitive matrimonium inter baptizatos semper et inseparabiliter habere dignitatem Sacramenti, excludendo opinionem quorundam theologorum. Vera methodus theologica quoad

interpretationem documentorum magisterii Ecclesiae procedere debet ab ipso documento, in sensu obvio et in contextu doctrinali et historico, necnon attendere ad interpretationem authenticam, si adsit; videndum est utrum documentum sit valoris absoluti et infallibilis vel tantum norma prudentialis et transitoria. Infallibilitas magisterii pendet ab adsistentia Spiritus Sancti in determinatis circumstantiis quas explicavit Concilium Vaticanum I; magisterium ante definitivam sententiam uti debet maxima prudentia omnibus mediis opportunis ad investigandum sensum qui continetur in Deposito fidei, sed propositio infallibilis proprie non pendet ab ipsa investigatione.

Absolute loquendo est possibile quaedam argumenta quae proponuntur a Magisterio ut illustrantia rationis propriae decisionis non esse prorsus apodictica, ideoque textus Sacrae Scripturae et monumenta traditionis posse in casu habere alium sensum, sed non propter hoc infirmatur vis definitionis doctrinalis vel potest modificari eius sensus: Utique poterit perfici vel compleri sed non interpretari sensu diverso.

Quando actus magisterii non sunt infallibiles, quia non constat ipsum voluisse infallibiliter docere et definire, huiusmodi actus possunt retractari a competente auctoritate; etiam aliquibus in casibus constare potest doctrinam propositam non sufficienter fundari in deposito fidei, immo habere contra se tales difficultates, ut assensus doctiorum, vel etiam totius populi fidelis non sit obligatorius.

In casu praesenti, quoniam Summus Pontifex Pius XII, non infallibiliter, sed certo, authentice voluit data opera sententiam ferre de quaestionibus discussis inter theologos, etiam in probando opiniones aliquorum, nisi aperte constaret Pontificem in applicatione doctrinae Ecclesiae a Pio XI sollemniter promulgatae excessisse, eius sententia habenda est ut firma, eo vel magis quod actualis Summus Pontifex dixit normas Pii XII habendas esse validas quoadusque ipse Romanus Pontifex, post maturam considerationem censuerit in conscientia eas esse modificandas.

In actuali cognitione legis divinae videtur non posse tuto doceri sententia opposita doctrinae Pii XII, neque publice neque private.

Ideo vel praescindendum est ab hac quaestione in schemate XIII vel transcribenda ipsissima verba Summi Pontificis regnantis. Agere ex professo in Concilio de ethica coniugali et simul silentio praeterire normas Pii XII, videretur improbatio saltem implicita eius doctrinae et duceret forte ad violationes legis divinae, quae imputabiles essent, saltem indirecte, negligentiae Magisterii vivi Ecclesiae.

Moderator: Loquatur nunc exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Lego textum suffragationis IX. Videatis n. 21 [*cf. pag. 141*]. *Placet*ne an *non placet?*

3

Exc.mus P. D. PAULUS ZOUNGRANA
Archiepiscopus Uagaduguensis

Venerabiles Patres conciliares, carissimi hic omnes adstantes,

Nomine 70 episcoporum Africae *et Brasiliae,*[1] humiliter haec sequentia expono.

Inter gravia problemata quae hodierno mundo ponuntur, eminet problema nationum evolventium. Ecclesiae autem est omnes homines bonae voluntatis monere de his quaestionibus omnibusque suis filiis normas dare.

Schema de hac re tangit in n. 23 et quoque 24, sed modo nimis conciso et nimis generali. Maxime vero interest pacis mundi. Optamur itaque ut Concilium, iuxta mentem Summi Pontificis Papae Ioannis XXIII in Litteris Encyclicis *Mater et Magistra*: 1. vividius exponat quis sit status oeconomicus et socialis nationum, ut aiunt, tertii mundi; 2. ostendat qualis novus ordo oeconomicus et socialis fundatus in nova ethica internationali necessarius sit.

I. *Status regionum tertii mundi.* Nationes sui profectus viam ingredientes nunc in dies tardiores fiunt, si comparentur nationibus ditioribus quarum evolutio celerior est; disaequilibrium, seu differentiae, quae alterutrarum sunt, in dies crescunt.

a) In primis, quia numerus hominum crescit. Ex enim certis scientiae praenotationibus, praevidetur in futuris annis numerus hominum plus crescere in nationibus sese evolventibus quam in nationibus iam ditioribus: e nostro tempore usque in annum bis-millesimum, numerus hominum duplicabitur in regionibus pauperioribus, dum nationes ditiores, quae iam homines habent pauciores, tantum crescunt tertia parte.

b) Aliunde, differentiae oriuntur quia regiones pauperes non possunt tantum evolvi quantum evolvuntur regiones opulentiores. Istius impossibilitatis causae sunt sequentes principales: deterior est status terrae et simul rudis ratio in agris colendis; perpaucae sunt facultates et pecuniae quibus res oeconomicae provehantur (*faible capacité d'investissement*[2]); magno tam complexo labori non multi suppetunt viri technice instructi; producta praesertim agraria, incertis mercatus subiecta, male venumdantur; deinde pauciores constant opes energeticae; nimis patitur mora in campo instructionis.

Quos defectus bene noverunt omnes qui curam habent problematum oeconomicae evolutionis.

c) Insuper recens Conferentia Genevensis de Commercio, in Helvetia acta, novam causam ostendit, scil. *terminos mutui in dies deteriores* fieri. Haec explicatio: producta ex industria extera in regionem pauperiorem importata maioris pretii fiunt dum producta eiusdem regionis pauperioris ad exterum exportata valore minuuntur in foro internationali. Per hunc modum agendi, etiam si auxilium pecuniae nationibus pauperioribus continue daretur, hoc, in praesenti rerum statu, impedire non posset quin redditus opum in regionibus pauperioribus in dies minuerentur, differentiis inter partes orbis sic semper crescentibus.

Ex his omnibus patet has nationes a bonis imperatas vere captivas esse in circulo vitioso...[3]

Quae mala minus proveniunt ex defectibus agricolis quam ex hodierno systemate ad tales deceptiones saepius ducente.

II. *Nova ethica necessaria est.* Agnoscere debemus, proh dolor, quod nationes opulentiores istud nocivum systema auxilii et mutui in re oeconomica nolunt funditus mutare quia lucra in negotiis perturbarentur. Quare oportet affirmare quam necessarium sit instaurare et promovere novum ordinem oeconomicum et socialem pro toto orbe, in nova ethica internationali fundatum.

Pro nationibus ditioribus. a) In mentem semper revocandum est superfluum esse pauperis, non solum ex officio eleemosynae sed ex iustitia. Sicut homines in periculo mortis versati non adiuvare, lege civili damnatur, sic « Quicumque, ait S. Basilius, in sua potestate mali remedium habens sed voluntarie ex avaritia renuerit, eiusdem poenae iure damnetur ac homo qui propria manu occidat ».

Itaque auxilium pecuniarium a nationibus ditioribus data, ex iustitia crescere debet.

b) Meminerimus etiam quam necesse sit egoistas donatorum utilitates, aut oeconomicas, aut militarias, aut ideologicas, locum dare amicitiae verae. In sola amicitia permittetur *evolutio universalis et integra in solidaria cultura* ubi quaelibet pars erit activa in aequalitate. Tunc circuli vitiosi disrumpi poterunt quoniam amor morte fortior est.

c) Insuper aequitas *commercii,*[4] in relationibus communibus inter nationes firmanda esset, quamvis capitalistae parati non sunt huic necessario sacrificio.

Pro nationibus pauperioribus. a) Consciae debent fieri necessitatis

in qua sunt non disperdendi parvas opes suas sed quam optime utendi auxiliis receptis non in bonum particularium sed in bonum commune.

b) Ob veridicitatem quae futuri condicio est, consciae etiam fieri debent quomodo res suae oeconomicae invicem sese compleant; itaque debent, secundum principium subsidiarietatis, sic in coetus sese adunare ut constituant spatia oeconomica quae per se vivere possint.

Concludo. Hodiernae res oeconomicae, quas brevissime conspeximus, sive in schemate, sive in adnexis, melius in lucem ponendae sunt. Quin Concilium det solutiones technicas, eius tamen est oculos christifidelium aperire in res tales quales hodie se habent; e rebus enim fiet evolutio, sed analysis rerum nimis imprecisa germen esset cladis.

Periti ergo audiendi sunt ut compleatur *n. 23 vel etiam 24*[5] schematis. Immo vocetur quidam peritus rerum oeconomicarum, *sive sit laicus sive*[6] sacerdos, ...[7] ista quaestione Tertii Mundi, nos omnes, Patres conciliares, in ipsa hac aula moneat; ita ut Ecclesia tandem munere suo materno fungatur, iustitia consummetur et nationes sese evolventes exspectationi suae responsum percipiant. Gratias maximas.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Ad modum exempli, liceat sequentia dicere: In quibusdam africanis regionibus, animatio ruralis incepta est a iuvenibus agricolis, quos adiuvarunt laboriosi et capaces technici viri; ob externis pecuniis et auxiliis, melior et magis varia agricultura facta est, quae fructus uberiores dedit. Saepissime autem hi conatus ad nihilum redacti sunt, quia defecerunt sive viri ad mediam technicam instructi, sive pecuniae necessariae pro novis inceptis dum producta male venumdabantur, sive suppetiae sat diu praestitae circa pecuniam aut media technica a nationibus ditioribus. [4] mutuorum. [5] n. 24. [6] deest. [7] qui de.

[*Subscripserunt etiam*] J. Coucherousset, arch. Bangui; J. Wolff, arch. Diego Suarez; M. Bernard, arch. tit. Are; Henry Véniat, év. Fort Archambault; A. Baud, év. Berberati; J. Fauret, év. Pointe Noire; V. Sartre, arch. tit. Beroensis; L. Chambon, év. Bossangoa; P. Dalmais; Samuel Gaumain, év. Moundou; Georges Guibert, év. Réunion; Pierre Célestin; Paul Etoga, év. Mbalmayo; Ad. Messmer, év. Ambanja; L. Sangaré, arch. Bamako; Jérôme Rakotomalala, arch. Tananarive; W. L. Schmidt, ep. Xapecoensis; J. Gazza, ep. tit. Circesio; José Lamartine Soares, ep. tit. Fussalensis; Claudio Colling, ep. Passo Fundo; Joâo Batista, arch. Vitoria E. S.; Iosephus, arch. Fortalexiensis.

Secretarius generalis: Notum facio exitum VII suffragationis:

Votum dederunt Patres		2.062
Dixerunt	*placet*	2.040
	non placet	22

Ergo textus est a congregatione approbatus. Nunc lego textum suffragationis X, pag. 36 nn. 22-24 [*cf. pag. 141-144*]. *Placet*ne an *non placet* hic textus? Ergo sunt nn. 22-23-24.

Moderator: Et nunc fiat transitus ad disceptationem de n. 24 huius cap. IV schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis*. N. 24 inscribitur: de solidarietate familiae populorum promovenda, et velit relationem nobis proponere clarissimus vir Iacobus Norris, relationem dico de paupertate mundiali.

Secretarius generalis: Et interea, Patres venerabiles, lego nomina eorum, qui verbum facere postulaverunt, post relationem circa hunc numerum. Sunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ioseph Frings, arch. Colonien. in Germania; Bernardus Alfrink, arch. Ultraiecten. in Neerlandia; exc.mi ac rev.mi DD. Ioannes Rupp, ep. Monoecen. in Monaco; Antonius Pildáin, ep. Canarien. in Hispania; Eduardus Swanstrom, ep. aux. Neo-Eboracen. in Stat. Foed. Amer. Sept.; Gregorius Thangalathil, arch. Trivandren. in India; Geraldus Mahon, sup. gen. Soc. Missionalis S. Ioseph de Mill Hill; Franciscus Šeper, arch. Zagrabien. in Jugoslavia.

Deinde nomine 70 Patrum loquetur em.mus D. Paulus Maria card. Richaud.

D. IACOBUS NORRIS

RELATIO

super n. 24 cap. IV schematis
de Ecclesia in mundo huius temporis

...[1] In ultimis duobus decenniis problema paupertatis — unum ex veterrimis et profundissimis coram quo stat conscientia christiana — novam formam, novas dimensiones et novam urgentiam assumpsit. « Semper pauperes habetis vobiscum » (*Mt.* 26, 11), verum est, sed hodie pauperes nobiscum sunt in novo contextu, quia cognitio scientifica, medicina et technologia creaverunt in mundo unicam oeconomiam et unam communitatem, quae interdependentes sunt. Haec autem communitas caret magna ex parte institutis atque rationibus agendi quae revera exprimunt solidaritatem, compassionem et obligationem humanam.

In hac communitate inaequali, aequilibrio deficiente, parvus circulus

nationum ingenter opulens factus est. Hae nationes constituunt solummodo sexdecim centenas (16/100) populorum mundi et possident septuaginta centenas (70/100) divitiarum mundi. Illae nationes inveniuntur in regione apud Oceanum Atlanticum Septemtrionalem atque historice christianae sunt, etsi non semper in praxi. Hodie prima vice in historia mundi nationes praevidere possunt prosperitatem semper crescentem. Simul autem tres quartae partes generis humani existunt in statu paupertatis quasi subhumanae.

Lacuna inter opulentes et pauperes festinanter latior fit — in hac unica communitate mundiali ubi nos omnes vicini sumus, opulentes fiunt opulentiores, dum pauperes fiunt pauperiores. Numquam antea in historia generis humani existebat talis condicio, quae tantum provocat (vulgo anglice "challenges") conscientiam christianam hominum nationum septemtrionalium, quia certum est media existere apud has nationes ad paupertatem in toto orbe terrarum gradatim eliminandam.

Professio christiana et traditiones humanae apud illas nationes nullum verum valorem habebunt si obliviscuntur quod ipsae sunt mere custodes opulentiae, et obligationes sociales fluunt ex tali possessione proprietatis. Haec possessio opulentiae ingentis qua hodie gaudent, a generositate redemi debet.

Variae organizationes — privatae, ecclesiasticae, nationales et internationales — laborant ad allevianda problemata paupertatis et famis in mundo; distantia tamen semper crescens inter opulentes et pauperes postulat ut nunc initietur actio realistica et dedicata ad plenam activitatem christianam contra haec problemata gerendam.

Haec responsabilitas ad omnes Ecclesias Christianas spectat. Proinde opportunitas datur ut in his laboribus uniantur. Hoc modo pondus opinionis christianorum in illos quibus est reipublicae administratio influeret ad non solum continuandum sed etiam ad extendendum auxilium, tum technicum tum pecuniarium, nationibus progredientibus. Sola magna communitas christiana habebit illam patientiam et spiritum quae tam necessaria sunt pro hoc opere, quod longum, arduum et saepe in vacuum cedit.

Paupertas mundialis non eliminabitur celeriter, neque statim solventur problemata nationum progredientium. Proinde populi christiani bonum faciendo non debent fatigari.

Possibile erit paupertatem eliminare in mundo si in omni terra opulenta numerosi homines et feminae cum deditione et spiritu caritatis, parati sunt aestimare problema paupertatis mundialis tamquam unum ex gravissimis problematibus in mundo huius temporis. Requiritur ut continuent instare atque urgere ut rationes rei publicae gerendae (vulgo

"policies") adhibeantur ad auxilium dandum et ad veram aequitatem in commercio internationali realizandam.

In nostro mundo complexo saeculi vigesimi solutio huius problematis non est solummodo in manibus nationum iam progressarum, sed etiam, uti sciunt duces prudentes terrarum progredientium, progressus oritur ex usu facultatum et opum indigenarum, cum materialium, cum humanarum, quibus Creator beneficus illas terras dotavit.

His ultimis diebus episcopus ex quadam natione progrediente mihi dixit: « Populi mei existunt non in paupertate sed potius in miseria permanente ». Haec forma paupertatis et miseriae affert secum multos alios dolores humanos. Paupertas affert famem — famem quae est permanens nec cessans — numquam alleviatur nec die nec nocte. Haec paupertas affert morbos (vulgo: Diseases - maladies - malattie) qui non curantur quia deficit servitium medicinale adaequatum. Causa huius paupertatis maior pars civium multarum nationum illiterati sunt. Causa huius paupertatis habitationes multarum familiarum sunt quasi habitationes animalium, ubi abundant crimen et peccatum. Haec paupertas significat quod mater videns cum amore novum natum, bene intelligit infantem probabiliter ante finem unius anni moriturum esse. Pro innumeris populis paupertas significat quod vita non plus quam triginta quinque annos perdurabit. Viventibus in tali paupertate mors saepe est dulcis dimissio e vita miseriae.

Amans familia humana non permitteret ut membra hoc modo paterentur. Quando omnia membra familiae christianae scient dimensiones miseriae et privationis pauperum mundi, certum est quod postulabunt ut terrae opulentes suae obligationi christianae respondeant.

Audeo proponere ut ex hoc Concilio Oecumenico edatur vox clamans ad actionem quae includat creationem structurae ad proponendum typos institutionum, relationes mutuas, modosque cooperationis, atque rationes agendi quibus obtineatur plena participatio omnium catholicorum in praelio universali contra paupertatem et famem. Hic coetus episcoporum repraesentat omnes nationes orbis terrarum. Quia paupertas mundialis tangit totam humanitatem, magna contributio nostrae Ecclesiae universalis posset esse illa manifestatio universalis amoris fraterni, quae efficeret ut doctrina socialis Ecclesiae applicaretur ad problema quod noster carissimus Sanctus Pater Paulus Sextus vocavit problema principale in mundo huius temporis. Loquendo de fame in mundo in suo nuntio natalicio anni transacti, Sanctissimus Pater dixit:

« Se non assistito da opportuni rimedi, si deve prevedere che non diminuirà ma che aumenterà... Se a Noi non è dato il potere miracoloso di Cristo di moltiplicare materialmente il pane per la fame del mondo,

è dato tuttavia di accogliere nel Nostro cuore l'implorazione, che sale dalle folle tuttora languenti e oppresse dalla miseria, e di sentirla vibrare in Noi con la stessa pietà del divino e umanissimo cuore di Cristo: *misereor super turbam.* " Ho compassione di questo popolo che... non ha da mangiare " (*Mt.* 8, 2). La sofferenza dei Poveri è Nostra e vogliamo sperare che questa Nostra simpatia sia di per se stessa capace di suscitare quel nuovo amore che moltiplicherà, mediante un'economia provvida e nuova al suo servizio, i pani necessari per sfamare il mondo ».

In oratione: [1] Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres conciliares, periti, observatores, auditores et auditrices. Faveant Patres me excusatum habere quia audeo loqui lingua antiquissimorum super problemata modernissima. Non propter meam scientiam linguae latinae, sed propter magnam reverentiam erga hoc sacrosanctum Concilium et etiam propter desiderium ardens exc.mi et amabilissimi secretarii generalis.

Moderator: Gratias agimus clarissimo relatori; loquatur nunc exc.mus D. Pericles Felici, secretarius generalis.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis VIII:

Praesentes votantes	2.063
Dixerunt *placet*	2.055
non placet	8

Ergo textus est in congregatione probatus. Et ecce textus, Patres venerabiles, suffragationis XI pag. 39 nn. 25-26 [*cf. pag. 144-146*]. *Placet*ne an *non placet?*

4

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. FRINGS
Archiepiscopus Coloniensis

Venerabiles Patres, carissimi omnes qui adstatis,

Ad concretisationem eorum, quae audivimus ex ore clarissimi Iacobi Norris, ut Ecclesia appareat mater et advocata pauperum, et ut signum demus collegialitatis nos episcopi haec proponere audeo.

1. Omnes conferentiae nationales ubique terrarum monentur ut condant opera *episcopalia* ad mitigandas miserias hominum et elevandum statum socialem vere pauperum, sive in proprio territorio, sive in alienis magis egentibus.

2. Haec opera sint *socialia* magis quam caritativa. Scopus eorum sit: eos adiuvare ut Deo favente, seipsos possint adiuvare. Quapropter praeter actiones et instituta immediate directa contra famem, morbos, calamitates imprimis formentur homines, foveantur scholae pro iuvenibus in agricultura, in artibus fabrilibus, pro puellis in rebus domesticis et hygienicis ordinandis. Pro adultis erigantur centra evolutionis socialis etc.

3. Haec opera sint *universalia* hoc sensu, ut omnibus prodesse velint sine discrimine stirpis vel religionis, imprimis quidem domesticis fidei. Personae iuridicae, quae singula obiecta portent et dirigant, sint episcopi missionum, societates religiosae, sed etiam alia instituta bene merita, sive catholica, sive non catholica.

4. Haec opera sint *religiosa.* Unicum motivum sit: Christo servire in fratribus. Collectae fiant in ecclesiis in ipsa missa temporibus liturgicis poenitentialibus, sive Quadragesimae, sive Adventus, si fieri potest, uno eodemque die cum non catholicis; donum uniuscuiusque christiani tantum sit ut verum et sensibile sacrificium pro suo posse constituat.

5. Haec opera sint *bene ordinata.* In quacumque natione commissio episcoporum distribuat pecunias collectas non sine cooperatione alicuius secretariatus qui perquirat proiecta proposita et non sine auxilio peritorum laicorum. Delegati horum operum nationalium semel saltem in anno conveniant ad mutuam informationem et coordinationem. Acta horum conventuum communicentur cum Sancta Sede, sive in scriptis sive si Sanctissimo placuerit per praesentiam Delegati Apostolici. Constituatur secretarius communis vel generalis, qui per totum annum curet propagationem huius operis in toto mundo et det informationes et curet coordinationem singulorum operum. Hic secretarius collaboret in sensu vere oecumenico cum consilio mundiali christianorum et cum aliis operibus internationalibus ad evolvendas gentes, uti sunt FAO, UNICEF, organisatio pro sanitate et pro labore et cum ipsa ONU.

Haec vel similis sit organisatio horum operum, quorum iam octo in magnis regionibus Americae et Europae existunt et feliciter laborant. Sed spiritus est, qui vivificat. Quare nos episcopi praecedamus in spiritu modestiae et fraternae caritatis deponentes vestimenta nimis triumphalia et ubique spirantes spiritum Christi, qui est paupertatis, humilitatis et caritatis fraternae. Dixi.

Textus scripto exhibitus:

Ad concretisationem principiorum in cap. IV contentorum, ut Ecclesia omni-

bus hominibus appareat ut mater et advocata pauperum, et ut episcopi dent signum visibile collegialitatis sub capite suo, haec audeo proponere:

1. Monentur conferentiae episcopales ubique terrarum, ut condant opera *episcopalia* ad mitigandas miserias et elevandum statum socialem vere pauperum, sive in propria natione, sive in aliis magis egentibus.

2. Opera ista sint *socialia* magis quam caritativa. Scopus eorum sit: adiuvare alios, ut Deo favente, adiuvent seipsos. Quare praeter actiones et instituta contra famem, morbos, calamitates immediate directa imprimis formentur homines, foveantur scholae pro iuvenibus in agricultura et in artibus fabrilibus, pro puellis in rebus domesticis et hygienicis ordinandis. Pro adultis erigantur centra evolutionis socialis etc.

3. Opera sint *universalia* eo sensu, ut prodesse velint omnibus sine distinctione stirpis et religionis, maxime quidem domesticis fidei. Personae iuridicae, quae portent et dirigant singula proiecta, sint episcopi missionum, societates religiosae, sed etiam alia instituta bene merita, sive catholica, sive non catholica.

4. Opera sint *religiosa.* Motivum unicum sit: Christo servire in fratribus. Collectae fiant in ecclesiis in ipsa missa temporibus poenitentialibus liturgicis, sive Quadragesimae, sive Adventus, si possibile sit, uno eodemque die cum Christianis non catholicis, ita ut donum uniuscuiusque sit sacrificium vere sensibile pro posse suo. Sic innoventur in forma hisce temporibus adaptata antiqua exercitia ieiunii et eleemosynae.

5. Opera sint *bene ordinata.* In quacumque natione pecuniae collectae distribuantur per commissionem episcoporum, adiuvante secretariatu ad perquirenda proiecta proposita non sine auxilio peritorum laicorum. Semel saltem in anno conveniant delegati horum operum episcopalium ad mutuam informationem et coordinationem eorumque propagationem curandam. Acta horum conventuum communicentur cum Sancta Sede, sive in scriptis sive per praesentiam Delegati Apostolici. Secretariatus generalis condatur, qui durante anno curet propagationem totius operis et informationem ac coordinationem singulorum operum et collaboret in sensu oecumenico cum consilio mundiali christianorum non catholicorum et cum organisationibus internationalibus pro gentibus evolvendis, uti sunt FAO, UNICEF, organisationes pro sanitate et pro labore et ipsa ONU. Haec vel similis sit organisatio horum operum quorum in magnis regionibus Americae et Europae iam octo existunt et feliciter laborant. Sed spiritus est, qui vivificat. Quapropter nos episcopi praecedamus in spiritu modestiae et caritatis deponentes vestimenta nimis triumphalia et ubique spiritum Christi spirantes, qui est paupertatis, humilitatis et caritatis fraternae.

Secretarius generalis: Lego textum suffragationis XII nn. 27-29 pag. 41 [*cf. pag. 146-148*]. *Placet*ne an *non placet?*

5

EM.MUS P. D. BERNARDUS IOANNES CARD. ALFRINK
Archiepiscopus Ultraiectensis

Venerabiles Patres,

Libentissime verbis em.mi card. Frings adhaereo.[1] Iam per aliquot annos Episcopatus Neerlandiae opus erexit inter fideles ad miseriam pauperum mundi sublevandum et sperandum est ut omnes fideles mundi ad istum finem vere christianum *cooperent.*[2] De cetero liceat loqui de alio problemate cum n. 25 adnexum. Schema nostrum in n. 25, de solidarietate familiae populorum optime tractat. Omnino placet, ut in hac materia valde discussa colloquium Ecclesiae cum mundo hodierno prudenter praeparetur. Sed omnes scimus quot homines vitam socialem populorum secundum ideas atheisticas et communisticas diiudicant. Quomodo etiam illos in cognitionem veritatis adiuvamus? Certo certius atheismus reiciendus est ubique terrarum invenitur; sicut et iniustitia socialis, oppressio et laesio libertatis religiosae ubique sunt repudiendae. Sed illis ex atheismi fautoribus qui bona voluntate veritatem inquirunt et in bonum commune operam dant, caritate fraterna occurramus. In favorem illorum hominum bonae voluntatis duas propositiones explanare liceat.

1. Ne iteretur *simplex damnatio* communismi. Pluries quidem talis damnatio hac in aula postulabatur. Cur tamen haec damnatio dissuadenda videtur?

Si usque adhuc Ecclesia periculum communismi atheistici nondum perlucidasset, utique: iudicium tale requireretur. Sed S. Sedes de eius indole atheistica iterum atque iterum locuta est. Cui adiuvaret ulterior iteratio eiusdem sententiae? Experientia teste ne in regionibus catholicis quidem mera et sola damnatio communismi periculum imminens superavit!

Non Summi Pontifices tantum sed et multi episcopi in magisterio suo ordinario de hoc periculo locuti sunt. Et recte egerunt, nam tempore nostro atheismus et materialismus per totum orbem terrarum diffunduntur, ubi inveniuntur sive in forma theoretica sive in forma practica. In utraque autem forma maximum periculum pro vita religiosa constituunt. Simplex damnatio communismi unam tantum formam attingeret, alteram autem praetermitteret. Sed quis auderet dicere atheismum aut materialismum practicum vitae religiosae fidelium minus nocere quam atheismus aut materialismus theoreticus?

Cura nostra pastoralis etiam in mundo communistico bona germina inquirat. Proh dolor, omnes hac in re periti ex experientia quotidiana confirmant conamen colloquii de quaestionibus fundamentalibus cum fautoribus officialibus communismi atheistici semper fuisse in vanum; sed iidem periti eadem firmitate dicunt, dialogum cum singulis hominibus bonae voluntatis quamvis ideis communisticis imbutis saepe saepius repraesentavisse dialogum nocturnum Christi cum Nicodemo.

Ad illum dialogum autem dilargiendum ulterior damnatio non adiuvet; quod requiritur, est documentum visibile amoris Christi qui venit quaerere et salvum facere quod perierat.

2. Si ergo damnatio communismi non iteranda videtur, de communismo autem atheistico agere debemus, quid videtur faciendum? En alteram propositionem.

Etsi Concilium atheismum ubi invenitur repudiare debet, invocet tamen omnes ad rectam et diligentem praeparationem colloquii cum singulis hominibus in atheismo obstricti.

Moderatores rei publicae obsecrentur ut vera libertas, speciatim libertas religiosa omnibus hominibus concedatur. Meminerint quod religio, experientia teste, et libertatem et aequalitatem et fraternitatem omnium hominum tuetur et explicat.

Viri in quacumque scientia eruditi hortentur ut pacato animo multiplicitatem mundi investigent et in operibus atheorum veras sententias a suppositionibus temerariis et falsis discernant.

Fideles in libertate religiosa viventes moneantur ut fidem suam catholicam omni modo possibili profundiorem reddant, ut omni diligentia ordinem oeconomicum et socialem instituere navent in qua vera iustitia socialis inhabitat ac ut caritate non ficta erga singulos pauperes et erga nationes egentes fulgeant.

Fideles vero, qui sub onere atheismi gemunt per caritatem nostram et per nostrum adiutorium, in quantum fieri potest consolentur, et in fide et fidelitate confirmentur per repromissiones quas ex ore Domini et Apostolorum Concilium repetat omnibus qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.

Videtur quod tali modo Ecclesia, quae ut mater omnium hominum et populorum in Christi nomine se gerere debet, omnia repudiat quod in atheismo, in communismo aut quacumque in parte repudienda sunt, dum ex altera parte non clauditur porta ad dialogum sincerum et fructuosum, ad quem Concilium omnes homines bonae voluntatis invitare vult et ad quem Ecclesia se ipsam paratam declarat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] adhaereant.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis IX:

Suffragium tulerunt Patres	2.044
Dixerunt *placet*	1.986
non placet	57
Suffragium nullum	1

En exitum suffragationis X:

Praesentes votantes	1.993
Dixerunt *placet*	1.979
non placet	12
Placet iuxta modum (ergo nullum) .	1
Suffragium nullum	1

Ergo duo textus sunt in congregatione approbati. Lego textum suffragationis XIII pag. 43 nn. 30-32 [*cf. pag. 148-151*]. *Placet*ne an *non placet?*

6

Exc.mus P. D. IOANNES RUPP

Episcopus Monoecensis

Venerabiles Patres, Fratres dilectissimi,

...[1] Quatuor animadversiones facere cupio. Prima est de modo dicendi seu de forma n. 24, secunda et tertia sunt de substantia, quarta est conclusio vel potius exhortatio. Emendationes quas propono scripto tradam.

Prima animadversio. Res de quo in n. 24 modo tam obscuro exponuntur ut quae ex sese clarae sunt in textu saepe obscurantur dum eiusdem stylus timidus vel emphaticus pauca dicit in multis verbis *et alia huiusmodi scripto tradam.*[2]

Altera animadversio. In § 5 sermo fit de problemate demographico. Dum aliqua ponuntur quae modo sat diplomatico limitationem prolis insinuant, *nil dicitur si bene intellexi,*[3] nil dicitur de iure ad emigrationem quod omnibus hominibus competit ac permultis, praesertim magna prole oneratis, omnino necessarium est.

Orbis christianus qui sicco oculo fratres nostros christianos vel non christianos ex Extremo Oriente contemplat, dum in territoriis sat

exiguis relegantur ac in regionibus fere vacuis vel saltem parum frequentibus, iure immigrationis omnino privantur quamvis paucae nationes, inter quas magna et nobilis natio brasiliensis exemplum Pontii Pilati non sequuntur. Orbis christianus, inquam, admirationem excitat, sensu non nostro sed latino qui plus minusve scandalum significat.

Ius ad emigrationem et immigrationem in textu nostro omnino affirmari debet.

Tertia animadversio. De fame non corporis sed amoris. Ad solidarietatem universalem inter populos fovendam aliqua in textu poni debent de solidarietate quae speciatim inter christianos diversarum nationum ac confessionum vigere debet.

Hoc punctum sat momentosum in uno tantum schemate huius Concilii tangitur, ni fallor, nempe in cap. II schematis *de Oecumenismo,* circa finem. Sed quae dicuntur, ad usum delphini, nempe rei oecumenicae nobis tam carae, sed quae sincere ac veraciter tractari debet, ponuntur. *Cap. II de populo Dei in schemate de Ecclesia aliquid ponere posset sed hoc caput est severum tantum erga christianos. Facilius salvari anima potest extra Ecclesiam quam intra Ecclesiam, si hoc caput bene legitur.*[4]

Defectus solidarietatis inter christianos magnum detrimentum affert universo mundo. Vim beneficam christianismi in mundo minuit, genus humanum stimulo pulchri exempli deprivat, ac etiam mala immensa secum ferre potest. Sufficit bellum universum primum memorare quod bellum civile fuit inter christianos.

Hodie si aliqua perficiuntur quae solidarietatem christianam optime exprimunt, nempe opus sic dictum « Misereor » ex Germania oriundum et ab omnibus *iure*[5] laudatum et alia opera eiusdem generis, si hanc solidarietatem adhuc fovemus dum sacerdotes in has nationes mittuntur quae vocationibus egent, tamen contra eam peccamus dum fratres nostros oppressos, persecutione afflictos, bonis spoliatos, domo, patria violenter orbatos raro defendimus, bona etiam temporalia quae a cultura christiana procedunt rarius extollimus, viros christianos parum adiuvamus qui bonum commune alicuius regionis vel totius orbis procurare intendunt, iudicia acerba ferimus de fratribus qui nobiscum legitime in materia libera dissentiunt ac miro modo saepe saepius magis contra christianos quam pro christianis verbum facimus.

Filii gloriosae ac christianissimae nationis armenae (Armenia) haec solent dicere: si christiani non essemus mundus christianus curam habuisset de sorte nostra. Etiam in regionibus ubi atheismus nondum regnat *non in regionibus communistis,*[6] fratres nostri persecutiones patiuntur. Sunt in hac aula episcopi sat multi qui ipsi tormenta passi sunt

vel etiam maiore dolore afficiuntur cum de sacerdotibus ac laicis suis cogitant qui, in hoc ipso momento ubi loquor in carceribus et tormentis gemunt. Cur haec mala, modo pacifico, sed strenue non impugnantur?

Defectus solidarietatis inter christianos variis modis explicari potest.

Psychologice praesertim[7]: Viget apud nos *complexus inferioritatis* qui ex aestimatione non recta rei christianae Spiritu Dei et gratia divina moderatae procedit et a mente christianorum antiqui temporis prorsus est alienus: cogitemus verba Tertulliani quae omnes memoriter tenemus.

Hic complexus miro modo cum megalomania quadam coalescit qua plebiscitum in favorem Evangelii expostulamus *ex universo orbe*[8] dum iuxta mentem Dei granum sinapis evangelicum humilitate vult crescere.

Alia explicatio ex sic dicta *mala conscientia* christianorum invenitur. Sed valor obiectivus christianismi a virtutibus vel peccatis nostris non *totaliter*[9] pendet. « Dummodo Christus annuntietur, etiam per invidiam vel contentionem (i. e. heu per peccatum), in hoc gaudeo sed et gaudebo ». Nulla superbia inde in iis qui « in cruce Domini nostri Iesu Christi gloriantur ».

Alii timent ne solidarietas inter christianos caritatem inter nos et non christianos minuat. ...[10] E contra Musulmani, Buddhistae, *praesertim*[11] Communistae (*quos melius novi*[12]) qui fratres suos *modo nonnunquam heroico* adiuvant non intellegunt cur apparenter saltem soli christiani christianos parum diligunt.

Re vera solidarietas inter christianos a fide procedit dum « unum corpus unus panis multi sumus qui de uno pane participamus » *et hoc verum est realiter non tantum in Ecclesia sed semper debet verum esse quia verum est in mente Christi*[13] et ad fidem ducit dum caritas inter christianos, etiam ...[14] in pluribus Ecclesiis congregatos, *aliquo saltem modo illud mandatum Domini implet* « unum sint » quod iuxta verbum Domini ad hoc tendit ut « mundus credat ». Crescat ergo, proficiat amor fraternus christianorum ut calor eius ignem amoris in toto orbe accendat!

Quarta animadversio in hoc vero consistit quod pauca verba a viris laicis dioecesis meae scripta legere nunc audeo. Hi viri sunt syndicalistae, *et in dioecesi mea non est tantum « casino » neque viri vel feminae ditissimae sed est populus bonus et sanus ad totum mundum ignotus*[15] et de solidarietate humana in genere loquuntur. Sufficiat haec e textu eorum assumere.

Silentium christianorum, loquuntur de solidarietate in genere non iam tantum de christianorum solidarietate.[16]

Silentium christianorum eos participes (gallice: complices) iniustitiae eos facit ubi loqui possunt.

Si regnat in hoc mundo fames, analphabetismus, si multi scholis, cultura etiam libertate privantur, si multae inaequalitates iniustae ubique inveniuntur et alia eiusmodi, sciant christiani se sat numerosos, sat potentes esse ut non *tantum malum* sed *causas* et *radices* mali feliciter impugnent.

Vocentur ab ipso Concilio iuvenes universi mundi, iuvenes qui hodie maior pars sunt mundi et magis efficax ad hoc bellum pacificum. « Un fil direct doit être établi entre le Concile et les jeunes ».

Si christianitas fit (*et finis* [17]) magis christiana, magis generosa, lux mundi erit.

Si, e contra, remanet sicuti est nimis prudens, nimis politica, nimis diplomatica, *uno verbo* [18] nimis feminea, *nimis ex hoc mundo,* mundum neque salvabit neque attrahet sed nec sibi ipsum ius *subsistendi* in hoc mundo sibi vindicare poterit. Dixerunt filii mei et dixi.

In textu scripto tradito: [1] Loquens de cap. IV art. 24 nempe de solidarietate inter populos fovenda. [2] E. g. in § 1 ad hoc exprimendum quod progressus humanus magis a spiritu quam a materia vel intellectu procedit, 80 verba requiruntur. Idem valet, salvo minore numero verborum de paragrapho altera. Ad recte intelligendum quid § 3 sibi vult, plura momenta necesaria sunt. § 4 eandem perseverantiam, patientiam, astutiam a lectore exigit. Haec sufficiant. Res, si fieri potest, clariore modo exponantur. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] Sed. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] adhuc. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] deest.

Secretarius generalis: En, venerabiles Patres, exitum suffragationis XI:

Praesentes votantes		2.005
Dixerunt	*placet*	1.982
	non placet	22
	placet iuxta modum	1

et nullum suffragium nullum: attamen est nullum *placet iuxta modum.*

Ergo textus probatus est a congregatione. Et nunc audiatis, Patres, textum suffragationis XIV, quae est ultima hoc mane. Pag. 45 nn. 33-35 [*cf. pag. 151-154*]. Ergo *placet* an *non placet?* Et gratias vobis agimus plurimas, Patres venerabiles; sat prata biberunt; gratias.

7

Exc.mus P. D. ANTONIUS PILDÁIN Y ZAPIÁIN
Episcopus Canariensis

Venerabiles Patres,

Loqui vellem, de gravissimo problemate, propter quod hodie gravibus iniuriis impetitur christianismus, immo et blasphematur ipsum Sanctum Dei nomen inter gentes, et de quo adeo eloquenter locutus est nobis clarissimus relator.

Loquor de problemate quod tangitur in hoc n. 24 schematis, quando hanc gravissimam posuit asseverationem, videlicet, quod, dum quaedam nationes, quarum saepe, maior incolarum pars christianorum nomine censentur, magna fruuntur bonorum copia, adeo ut, prout dixit nuper illustrissimus relator, hae nationes constituentes solummodo sexdecim centenas (sedecim per cento) populorum mundi, possident septuaginta centenas (settanta per cento) divitiarum mundi; aliae nationes privantur rebus vitae necessariis, et torquentur omnigena miseria, morbis et fame; fame inquam, qua plus quam dimidia pars generis humani hodie vexatur, et ex cuius sequelis, plura *millia centena* [1] millia millium hominum moriuntur.

Horrendum quidem scelus, quod futura Historia, veluti nefandissimum stigma, sculpet in fronte huius nostri saeculi xx.

Laudandum proinde hoc schema quando, in numero praecedenti, affirmat, Deum constituisse bona terrae totius generis humani patrimonium — quod est principium capitale, in tota hac quaestione, semper prae oculis habendum.

Sed minime tali laude dignum hoc schema — omni qua par est reverentia dico — quando, tam in illo, quam in praesenti numero, tacet omnino aliud principium capitale, ex primo illo logice profluens, et quod, omnibus gentibus praedicatum, principium efficax esse posset, pro solutione gravissimi problematis quod nos occupat.

De principio loquor, quod, ni fallor, omnino taceri solet ab omnibus vel celeberrimis Associationibus internationalibus hodiernis; principium a quo, tamquam a facie colubri, fugere solent, omnes capitalismi liberalis fautores; principium quod saepe saepius tacetur a quamplurimis scriptoribus non christianis, et, quod magis mirum est, aliquoties et ab aliquibus sociologis catholicis; quasi ageretur de principio aliquo demagogico, seditioso et turbulento, cum, e contra, agatur de principio, ex iure naturali profluente, ex Sacra Scriptura desumpto, a Sanctis Patribus eloquentissime pervulgato, a iurisperitis et theologis

catholicis scientifice expolito, et a Principe Theologorum S. Thoma, in sua Summa Theologica ...[2] quasi sculpto, illis simplicissimis, sed quasi lapideis verbis: « In necessitate sunt omnia communia », quia ea quae sunt iuris humani, non possunt derogare iuri naturali vel iuri divino et cetera quae omnes nostis.

Ex quibus, a Principe Theologorum splendide, ut solet expositis, sequitur, nullam nationem habere ius erogandi bona in luxibus, vel in superfluis, aut minus necessariis, dum in aliis nationibus adsint homines in extrema necessitate positi, qui, facientes quod in se est, eam superare non possint.

Quia ut dicit ipsemet S. Thomas, repetens verba S. Ambrosii: « Esurientium panis est, quem tu detines; nudorum indumentum est, quod tu recludis; miserorum redemptio et absolutio est, pecunia quam tu in terram fodis » aut in aere dissipas, addidisset hodie.

Necessitas vero haec, quam S. Thomas in sua asseveratione non qualificat — sit venia verbo — hodie perpensis Sanctae Sedis et posteriorum theologorum explicationibus, denominari solet extrema, et enuntiari, ut nostis, his verbis: « In casu extremae necessitatis, omnia bona sunt communia ».

Principium quod indigentibus, non solum individuis, sed et populis, facientibus quod in se est, nec tamen ab hac necessitate sese evadere valentibus, facultatem tribuit necessaria sibi assumendi ab altero ...[3] et maxime ab individuis et nationibus praedivitibus, « cui facultati, in indigente, accipiendi, respondet in altero, obligatio non impediendi ne ille accipiat ». Loquor verbis em.mi theologi card. de Lugo.

Necessitas autem haec suprema intelligenda est, non tantummodo pro casibus in quibus indigens inveniatur quasi in articulo mortis, animam suam iamiam exhalaturus sed, prouti dicit insignis theologus Soto, in hac necessitate invenitur homo, quandocumque appropinquat morbis insanabilibus, aut alterius miseriae *extremae,*[4] qualiter inveniuntur hodie centena millia millium famelicorum, ipsissimis his diebus, in hoc mundo hodierno.

Ex hac *ergo* doctrina ...[5] omnino certum est, prout dicitur in schemate, gravissima obligatione iustitiae et caritatis teneri illas nationes praedivites, distribuendi aliis nationibus, in extrema necessitate positis, et quod in se est facientibus, non tantum quaedam subsidia auxiliaria, quasi eleemosynaria, quae saepe nec centesimam partem reddituum divitiarum attingunt, sed media, sive terrigena, sive technica, quibus indigentes, laborando, acquirere sibimetipsis possint quaecumque ad vitam humanam dignam sunt necessaria.

En doctrina communitarismi christiani, quae adeo congruit cum doctrina et spiritu Evangelii, ut de Ecclesia primitivae generationis,

ab ipso Iesu Christo, vel ab Apostolis eius immediate edocta, dici potuerit: « nec quisquam egens erat inter illos »... utique laborantes, quia qui non laborat, neque manducet, *ait*[6] S. Paulus. « Nec quisquam egens erat inter illos »...[7]

En venerabiles Patres, omni reverentia dico, programma et quasi vexillum quod hoc nostrum Concilium ostendere deberet in universo mundo.[8]

Hoc est quod plusquam centena millia millium hominum spectant *a*[9] nostro Concilio.

Ne defraudemus exspectationem eorum, fratres enim nostri sunt, ...[10] filii eiusdem Patris, et unam familiam nobiscum constituunt. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (II-II, q. 66, a. 7). [3] vel ab aliis. [4] deest. [5] quae communitarismi christiani nomine insigniri posset, utpote solidissimis principiis christianis suffulta, sequitur quod. [6] ut dicit. [7] nec quisque egens — quod in se est faciens — sit inter nos. [8] Ecce quod — mea humili opinione — programma et veluti vexillum esse deberet huius nostri Concilii; extollendum, non solum coram filiis Ecclesiae, sed coram omnibus hominibus universi mundi. [9] ab hoc. [10] utpote.

Votum additum:

In hoc n. 24 — et inter numeros quartum et quintum pag. 29, post lin. 13 — interponantur sequentia verba: « Ex quibus sequitur nullam nationem habere ius erogandi bona in luxibus, vel in superfluis, aut in rebus minus necessariis, dum in aliis nationibus adsint homines in extrema necessitate positi, qui, facientes quod in se est, eam superare non possint.

Immo sive individuis, sive populis facientibus quod in se est, sed a praedicta necessitate sese evadere non valentibus ob defectu auxiliorum debitorum ex parte nationum divitum, facultas et ius est illis assumendi sibi ab his nationibus, illa bona quae ad sese liberandum a tali necessitate sint necessaria, quin praedictae nationes ius habeant impediendi, sed e contrario obligationem non impediendi ne tales indigentes assumant sibi necessaria.

In necessitate enim, ut ait S. Thomas, sunt omnia communia, et ea quae sunt iuris humani non possunt derogare iuri naturali vel iuri divino.

In necessitate autem extrema invenitur homo quandocumque appropinquat morbis insanabilibus, aut alterius miseriae, qualiter inveniuntur hodie centena millia millium famelicorum in hoc mundo hodierno ».

Secretarius generalis: Cum venia em.mi moderatoris lego exitum suffragationis XII:

Praesentes votantes	1.981
Dixerunt *placet*	1.956
non placet	25

Ergo textus est in congregatione probatus.

8

EXC.MUS P. D. EDUARDUS SWANSTROM
Episcopus tit. Arbensis, aux. Neo-Eboracensis

Venerabiles Patres,

Ego cum munere fungar rectoris consilii quod episcopi Civitatum Foederatarum Americae instituerunt ad indigentes terrarum alienarum populos sublevandos ...[1] et quod nunc septuaginta tres nationes amplectitur, honorem mihi duco collaborare cum multis ex vobis qui inopibus et afflictis in regionibus vestris subvenire studetis...[2]

Quae evangelistae narrant de egenis et afflictis, nobis iam pueris tradita, nos omnes perspicue et acriter recordamur. Quia parabola Lazari et divitis semper me vehementer movit, dum miseriis flagellatas regiones huius mundi peragrabam, ipsum Lazarum saepe ac saepe oculis mentis adspiciebam...[3]

In talibus narrationibus evangelicis ea ipsa videmus quae Summus Pontifex Paulus nos intellegere cupiebat cum Die Nativitatis proxima dixit gravissimam quaestionem omnium populorum esse famem totorum populorum. De necessitatibus totius mundi loquens, « quae quaestio », inquit Sanctissimus Pater, « vertiginem nobis facit, necessitates enim sunt tam vastae, tam multiplices, tam immensae », ipse definitive ait « fames primum locum tenet ».

Subiecit nos scire hanc famem iam diu exstitisse, « sed hodie comperta omnibus est. Rationibus scientificis nunc probatum est quod plures quam dimidia pars humani generis sat ciborum caret. Etiam hodie, totae generationes liberorum ob egestatem, quam describere nequimus, moriuntur aut angustiantur ». Quam vere locutus est!

Illud magnum chaos inter esurientes et bono impletos populos, inter divites et pauperes multa nobis pericula affert non solum temporalia sed etiam praecipue aeterna.

Si fratrum custodes sumus, testimonium huius facti dare debemus. Non iam satis est ut e domibus nostris exeamus et quemdam Lazarum ad ianuam sedentem inveniamus. Cum curae sit Oecumenico Concilio Vaticano II omnes missionis Ecclesiae rationes adaptare ut Evangelium Christi ad vitam hominum vigesimi saeculi pertineat, modi etiam sunt nobis renovandi quibus fratres nostros in hoc mundo nostro curaturi sumus. In his diebus oportet ut missio socialis Ecclesiae sit nobis magnae curae, pro aliquibus inter nos etiam maximae curae.

Quomodo, e. g., insufficientem nunc numerum sacerdotum indigenarum in multis regionibus augere possumus — quod nostra tantopere interest — donec statum socialem et oeconomicum plebis eo usque promoveamus ut homines decenter et honeste vivere possint atque filios suos in scholis inferioribus instituendos curare, uti necesse est pro candidatis ad sacerdotium?

Non novae quidem sunt hae condiciones nostrae aetatis, quia egestas, fames, et pestes in vita hominum ab initio fuerunt, sed in nostris temporibus tamen et in hac aetate maxime commutatum est idque non tam de praesentibus rebus quam de eis quae homines nunc ad posterum sperant atque expectant. Si autem homines ea quae nunc sperant commutationibus pacificis habere non possunt, ea commutationibus violentis adipisci proculdubio conabuntur.

Ex hodiernae vitae condicionibus iam orta est totum per orbem terrarum tanta copia rerum, tantum auspicium etiam plurium ut homines nunc loquantur de novo saeculo in quo demum homines sperant se ea habituros esse ad quae numquam antea adspirare ausi sunt. Omnes scil. populi nunc sibi eadem cupiunt quae alios populos habere sciunt, quae nos omnes dilectis, amicis et liberis praebere cupimus, quae quidem multi ex nobis iam possidemus. Videmus id quod vulgo nuncupatur "a revolution of rising expectations"...[4]

In hac nostra civili societate, notandum est multos rei publicae moderatores ad quaestionem tragicam egestatis et indigentiae animos plene advertisse. Etiamsi principes rebus politicis magna ex parte moveantur seditionesque et bella sedare maxime cupiant, ipsi tamen cordis caritate suorum civium plurimorum urgentur ut divitias opesque mundi inter omnes populos communicare conentur. Munus certe nostrum est uti episcoporum Ecclesiae quam Christus ipse condidit, rei publicae moderatores ad hos conatus exhortari, incitare, confirmare, eis in consiliis capiendis opitulari, eis nos ipsos adiungere in distribuendis cibis, vestibus, operis inter minus fortunatos quam nos, praesertim inter inopes et esurientes.

In par. 24 multa dicuntur praecipue de responsabilitate rerum publicarum et laicorum. Mihi videtur ut mentio fieri debet de magna responsabilitate episcoporum necnon sacerdotum participandi in modo activo in actionibus cum fine adiuvandi populum Dei se elevare ex abysso paupertatis et degradationis. Quia nos alii Christi sumus, ut Christus ipse, officium nostrum est adimplere non solummodo missionem spiritualem, sed etiam socialem.

Nobis quoque ante solium iudicantis Dei standum est; quem no-

bis dicturum esse volumus « Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus minimis, mihi fecistis ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (American Bishops' Foreign Relief Program). [2] Nobis qui in America habitamus species huius mundi etiam nunc serena et bene constituta videtur. Non enim occupati sumus illis nunquam cessantibus tumultibus quibus tot populi oppressi sunt qui aut e patria sua tanquam profugi sunt depulsi aut in locis antea dicioni colonicae subiectis viam ad libertatem patefacere enituntur statumque firmae et quietae civitatis efficere. Quamvis nonnullae res, tamquam nimbi minaciores, a longe nobis immineant, populus americanus mirum in modum est liber illis perturbationibus, exiliis, fame, angustiis quas ego hos aliquot annos ubicumque terrarum perspexi. [3] Illum Lazarum apertissime vidi in mendico leproso qui ad mendicandum in plaustro vehebatur per plateas urbis Calcuttae, cuius plateae aliquot decies centenis millibus scatent, quorum multi sunt profugi. Illum quoque vidi in quodam profugo qui a. 1961 continentem partem Sinae fugerat et comprehensus in castris vulgo dictis Fan Ling Transient Camp depositus est. Ad haec castra cum advenissem, millia miserorum illic vidi qui cum periculo vitae effugerant sed qui, postquam ad liberi mundi ianuas paucos dies sederant, in magna plaustra automotiva congregati sunt ut in interiorem Sinam reducerentur. Non enim erat eis locus in diversorio, i. e. in oppidis urbibusque societatis occidentalis. In pluribus et squalidissimis domibus pauperum quae circa urbes superbissimas Americae Latinae sicut fungi creverant, circa urbes Rio de Janeiro, Santiago, Lima, Bogotà, innumeros homines vidi ad portam humani conventus exspectantes ut occasio sibi daretur prospere vivendi; sed exspectabunt frustra. Ille Lazarus evangelicus sedebat ad ianuam « cupiens saturari de micis quae cadebant de mensa divitis ». Sed dives « qui induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide », a Lazaro aversus nihil illi dabat. Lazarus pauper mortuus est et a ianua « ubi canes lingebant ulcera eius » in pacem sinus Abrahae in caelum migravit. Dives autem cum mortuus esset migravit ad — esto, ad alium locum — et clamabat ut Lazarus, in locum tormentorum dimissus, guttulam aquae in ipsius linguam poneret. Sed evangelista narrat magnum chaos inter eos firmatum esse, magnam scil. distantiam quam dives inter se et Lazarum in terra munivisset, in aeternum permansurum esse. Cum nullum aliud peccatum diviti imputari intellegamus, praeter quod opera misericordiae in quantum poterat non faciebat, magna causa est cogitandi. Esurientes non implevit. [4] Omnes nunc volunt familias suas honeste esse victuras seque occasionem esse habituros ea merendi quibus se sustinere possint et etiam secundum humanae personae dignitatem vivant. Volunt fore ut liberi sui legere atque scribere doceantur, ut esurientes impleantur et aegrotantes curentur. Volunt fieri participes profectus magni hodierni atque aequam partem rerum habere quam homines nostri temporis producunt. Non fieri potest ut his iustis desideriis, simul ac liberantur, unquam resistatur. Omnes huius progredientis mundi populi ad meliora fortiter procedunt et nos, qui Ecclesiae catholicae ubicumque gentium praesunt, cum eis procedere debemus. In magnis encyclicis litteris *Mater et Magistra* quae felicis recordationis Ioannes XXIII paulo ante hoc Concilium conventum edidit, asseveravit: « In nos ad unum omnes cadere, quod populi tenuitate victus omnino vexentur » et iterum « iustitia et humanitas postulant ut

opulentiores illae civitates subsidio egentibus civitatibus adsint ». Hoc mihi persuasum est ut omnes plene intelligamus Ss.mum Patrem nostrum in his encyclicis litteris nihil minus facere conari quam praecepta Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi his nostris temporibus adaptare. Christus se esse lucem mundi dicit. Non solum verbis sed etiam vitae suae factis ostendit se terrenas etiam necessitates sibi curae esse, cum multitudinis famem compescendi causa non semel panem prodigialiter multiplicat. In omnibus hominibus, utpote creaturis Dei, insunt necessaria iura ad ea quibus se sustentare possint: ad satis cibi et vestitus, domum, operam fructuosam, idoneum otium, honestum levamen. Hoc Sanctissimus Pater nobis manifestum facere desiderat, ut si fratres nostri cuiusvis nationis talibus necessitatibus egeant, in nos pariter ac alios cadat culpa.

Exc.mus P. D. IOANNES VILLOT, *subsecretarius*: Communico Patribus exitum suffragationis XIII:

Suffragium tulerunt Patres		1.964
Dixerunt	*placet*	1.950
	non placet	14

9

EXC.MUS P. D. GREGORIUS B. VARGHESE THANGALATHIL
Archiepiscopus Trivandrensis Syrorum Malankarensium

Venerabiles Patres,

Loquor etiam nomine plus quam 70 Patrum.

De nationibus quae forsan nondum intra sed in vestibulo mundi hodierni ad portam stant et pulsant, schema agit tantum per transennam.[1] Iudicio expertorum in rebus oeconomicis, in hodiernis adiunctis ut quis vivat modo decenti, requirit redditum qui aequat quingenta dollaria per annum. Hodie autem redditus medius dimidiae partis hominum est circiter sexaginta dollaria per annum pro persona. Vere valde maior pars hominum obtinet multo minus.

Non est hic quaestio de constituendo paradisum terrestrem; de re morali agitur. Deus hominem constituit ex spiritu et materia. Ex divina ipsa ordinatione, sufficientia rerum materialium est conditio necessaria vitae humanae ut sit, et ut sit ordinata. S. Thomas docet quod usus earum est necessarius ad actum virtutis. Ceterum, hoc experientia patet. Res oeconomica sic vere habet aspectum moralem et spiritualem. Illis, qui privantur copia eius minima, vita honesta omnino difficilis fit. A. v. illi vivunt in proximo periculo peccati et damni spiritualis *ut etiam dixit hodie relator.*[2] Cum occasio proxima peccati eo-

dem modo vitanda est ac ipsum peccatum, habemus hic tremendum immensumque problema morale. Coram hoc facto, vox Ecclesiae Matris non potest esse illa quam audimus in schemate. De egenioribus Alma Mater Ecclesia specialissimam curam habere oportet. Hucusque ratio iustitiae socialis in documentis Ecclesiae attendebatur praesertim in industria, et in specie inter opifices et eorum dominos. Hodie discrimen quod obtinet inter opifices et dominos evanescit coram eo, quod intercedit inter nationes agriculturales et industriales.

...[3] In re oeconomica mundus *hodiernus*[4] dividitur ratione agriculturae et industriae. Nationes minus evolutae vere identificantur cum eis quarum structura oeconomica est omnino ...[5] et vice versa.

Paupertas et miseria de mundo eliminari nequeunt, nisi agricolae efficaciter adiuventur et eis iustitia praestatur, praesertim quando nationes iam evolutae hodie inter se uniuntur sicut in Mercatu Communi. Secus conditio nationum minus evolutarum in dies peior fiet et omnino intolerabilis.

Cum paterna sollicitudine locutus est, in Encyclica *Mater et Magistra,* Summus Pontifex Ioannes ...[6] de gravi iactura sectoris agriculturae quoad efficientiam laboris et alia huiusmodi gravissima et vehementer vindicavit iustitiam pro agricolis quoad provisionem Capitorum et alia beneficia multa.

Remedium: Secundum sententiam peritorum, ut aliqua natio ulterius evolvatur saltem duodecim percentum suorum reddituum reservare debet per annum. (*Anglice*: *A nation cannot make progress unless it saves 12% at least of its income per year*[7]). Quomodo possunt nationes quarum redditus ad victum civium vix sufficiunt, efficaciter reservare nisi ab aliis adiuventur? Hodie autem etsi maior pars familiae humanae tantas inter miserias vivat, et sese adiuvare nequeat, nationes evolutae insimul ne unum quidem percentum suorum reddituum expendit in favorem omnium nationum evolventium.

Hoc mirum videtur praesertim ex eo quod: 1) Nationes evolutae, paucis exceptis, ceteras ut colonias aliquando habuerunt; 2) in primis stadiis suae evolutionis magno emolumento eis fuerunt coloniae; 3) etiam hodie nationes quamvis evolutae multis in modis ab aliis dependent.

E contra, bene notandum est quod in historia hominis nunc primum existunt media sufficientia ordinis tum intellectualis tum technici quae si ordinatim adhibeantur, vita omnis personae in mundo nunc existentis vere humanam dignamque reddere possit. Secundum aestimationem ab ONU factam, summa capitorum necessaria ad inchoandum progressum inter nationes non evolutas, est circiter 4 procentum reddituum nationum evolutarum. (*In english*: *If the undeveloped nations*

are to start any development at all, the developed nations must assign 4% of their income for this purpose).[8] Num haec summa nimis est in se? Num infert injuriam oeconomiis evolutis?

Aliud magnum gravamen in mundo hodierno est quod multae nationes hodie opprimuntur per nimiam frequentiam incolarum (*Density of population*[9]). In quadam natione, *ut in mea regione,*[10] populatio ruralis accedit ad plusquam octingenti per kilometrum quadratum, et aliunde superficies immensae remanent fere desolatae ut monopolia paucorum ratione coloris et stirpis. Ecclesiae est de necessitate iustae divisionis populorum unius familiae humanae per superficiem terrae clare indicere.

Stabilitis principiis doctrinalibus, debemus tandem aliquando aggredi ipsa problemata actualia quae nos circumdant hic et nunc. Non potest Ecclesia ea sub specie aeternitatis praeterire vel rationibus speculativis offuscare. Neque nos deterrere debet immensitas laboris. Occurramus mundo cum omni fiducia « quia maior est qui in nobis est quam qui in mundo ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Schema agit praesertim de societatibus iam evolutis, de aliis autem quae forsan non intra sed in vestibulo mundi hodierni ad portam stant et pulsant, tantum per transennam. Quid est hodie problema inter omnia maxime urgens, si non illud famis et miseriae? Revera plus quam dimidia pars hominum hodie necessariis caret. [2] deest. [3] Hodie. [4] deest. [5] ruralis. [6] XXIII. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] deest.

[*Subscripserunt etiam*] P. Kerketta, arch. Ranchi; B. Mudartha, aux. Jhansi; L. D'Mello, ep. Ajmer et Jaipur; Thomas Fernando, ep. Tuticorin; Lurdu Selvanaden, ep. Salem; Eric Benjamin, ep. Darjeeling; F. da Veiga Coutinho, ep. Belgaum; D. Arulswami, ep. Kumbakonam; S. Vayalil, ep. Palai; Januarius, hierarcha ordinatus; S. Valloppilly, ep. Tellicherry; A. Yeddanapalli, ep. Bellary; R. A. Sundaram, ep. Tanjore; E. Pinto, ep. Ahmedabad; Leo Tigga, ep. Dumka; M. Arattukulam, ep. Alleppey; T. R. Agniswami, ep. Kottar; R. D'Mello, ep. Allahabad; J. J. Malenfant, praef. ap. Benares; G. Alapatt, ep. Trichur; Andrew D'Souza, ep. Poona; Albert D'Souza, arch. Calcutta; J. Ménager, év. Meaux; J. Attipetty, arch. Verapoly; O. Sévrin, ep. tit. Mossena; J. P. Léonard, arch. Madhurai; D. Athaide, arch. Agra; F. Fenech, ep. Jhansi; A. Fernandes, arch. tit. Neopatrasso; A. Mathias, ep. Chikmagalur; Ath. Polachirakal, ep. Tiruvalla; A. Patroni, ep. Calicut; J. Fernandes, arch. Delhi; A. Galbiati, ep. Jalpaiguri; St. Tigga, ep. Raigarh-Ambikapur; A. Padiyara, ep. Ootacamund; M. Fernandes, ep. Mysore; F. X. Muthappa, ep. Coimbatore; J. Mendonça, ep. Tiruchirapalli; J. Rosario, ep. Amravati; Ignatius M., ep. Guntur; J. Marcus Gopu, arch. Hyderabad; Ign. Gopu, coad. Visakhapatnam; J. Fernandez, ep. Quilon; D. S. Lourdusamy, aux. Bangalore; M. Kavukatt, ep. Changanacherry; J. Paracattil, arch. Ernakulam; G. J. Jacob, ep. tit. Eritro; B. Cristea, vis. Romeni; Ath. Hage, sup. gen. O.S.B.C.; Ath. Tutundji, arch. Alep; D. L. Capozi, arch. Taiyuan;

G. Ramantoanina, arch. Fianarantsoa; A. Martinez, ep. Tsiroanomandidy; J. Rakotomalala, arch. Tananarive; F. Vollaro, ep. Ambatondrazaka; C. B. de Mello, ep. Palmas; L. Arroyo, vic. ap. Requena; J. Campuzano, praef. ap. Galapagos; Fr. Hall, ep. tit. Castra Nova; V. Billington, ep. Kampala; J. Ireland, praef. ap. Falkland Islands; D. Vendargon, ep. Kuala Lumpur; M. R. Anglim, prael. null. Coari; A. Yemmeru; J. Perniciaro, ep. tit. Arbano; J. Cordeiro, arch. Karachi; J. Kiwanuka, arch. Rubaga; Z. Dachtou, arch. Urmya et Salmas; J. O'Sullivan, arch. Kingston; Th. Minisci, abb. null. Grottaferrata.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit crastina, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CXVI
6 novembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CXVI

6 novembris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Oecumenici Concilii secretarius generalis*:

Celebratur hodie coram Summo Pontifice congregatio generalis 116, quam, annuente eodem Summo Pontifice, moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Julius Döpfner, arch. Monacensis. Post augusta verba Summi Pontificis, relatio fiet super schemate *de activitate missionaria Ecclesiae* et deinde habebitur disceptatio in qua loqui petierunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Paulus E. Léger, arch. Marianopolitan. in Canada; Petrus Tatsuo Doi, arch. Tokiensis in Japonia; Laurentius Rugambwa, ep. Bukobaensis in Tanganika; Augustinus Bea.

Deinde, exc.mi DD., qui loquuntur nomine plurium Patrum: Martinus Legarra, prael. null. Buccae Taurinae in Panama; Deodatus Yougbare, ep. Kupelaensis in Alto Volta; Bernardinus Gantin, arch. Cotonuensis in Dahomey; Nicolaus Geise, ep. Bogorensis in Indonesia; Daniel Lamont, ep. Umtaliensis in Rhodesia Merid.; Cyprianus Kihangire, ep. aux. Guluen. in Uganda; Petrus Massa, ep. Naniamensis in Sinis; Petrus Carretto, ep. vic. ap. Rajaburien. in Thailandia; Petrus Moors, ep. Ruremondensis in Neerlandia; Ioannes Bapt. Velasco, ep. Sciiamenensis in Sinis; Iucundus Grotti, prael. null. Acren. et Puruen. in Brasilia; Ioannes Gahamanyi, ep. Butarien. in Rwanda; Guido Maria Riobé, ep. Aurelianen. in Gallia; Iacobus Moynagh, ep. Calabaren. in Nigeria; Stanislaus Lokuang, ep. Tainanen. in Sinis.

Venerabiles Patres, hodie prosequentur etiam suffragationes circa schema *de regimine dioecesium*; et nunc lego exitum suffragationis XIV, ultimae heri peractae, nempe refertur ad nn. 33-35, cap. II:

Praesentes votantes	. . . .	1.985
Dixerunt	*placet*	1.801
	non placet	172
	placet iuxta modum (ergo sunt nulla vota)	8
Suffragia	nulla	4

Ergo textus est in congregatione generali approbatus. Prima suffragatio hodierna erit super integro cap. II ut nuntiatum est: in qua suffragatione, uti nuntiabitur suo tempore, triplex forma adhibebitur: *placet, non placet* et *placet iuxta modum*. Gratias.

ALLOCUTIO SUMMI PONTIFICIS PAULI VI *

Pro certo habetote, dilectissimi Nobis, crebro Nostris esse in votis adesse coetibus Oecumenici Concilii, quod in hac sacra aula Vaticanae Basilicae celebratis.

Cum vero firmiter statuissemus saltem alicui uni ex generalibus vestris Conventibus praesidere, hunc delegimus praesentiae Nostrae diem, quo in schemate Missionum disceptatio vestra versatur. Hoc quidem ut praeoptaremus, certe suasit Nobis singularis gravitas et magnitudo argumenti, ad quod nunc mentes et animos convertitis.

Nobis, beatissimi Petri Successori, ac vobis Apostolorum Successoribus, nunc potissimum instanter insonat divinum mandatum: « Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae »,[1] e quo efficiendo iusso salus mundi pependit et pendet. Huic sacrosanctae Synodo praeter alia perinsigne constituitur consilium, ut ad Evangelium largius et efficientius evulgandum nova muniantur itinera, novae rationes excogitentur, nova contentio alacris instimuletur.

Hoc, quod vestris in manibus est schema, ubi de huiusmodi quaestione pertractatur, cum perpendissemus, multum, immo plurimum invenimus — sive materies, sive argumentorum pondus, sive edisserendi ordo spectatur — quod dignum laude Nostra existimaremus. Quapropter opinionem profitemur facile fore, ut, quamvis fortasse arbitremini hoc nonnullis in partibus perpoliendum et excolendum esse, idem adprobationem vestram consequatur. Librata ibi consilia, enucleata opera, definitae viae et rationes tantae rei causa utinam actuosam vim exserant ad Regnum Dei in terris incensiore cum studio provehendum; utinam evangelicae sationi spes messis inde paretur uberrima.

Perplacet praesertim Nobis, quod constanter hoc deposcitur, ut Ecclesia universa missionalis sit, ut singuli etiam fideles animo et re, quantum geri possit, missionales evadant. Qui inenarrabili fidei dono sunt praediti, qui illuminatione gloriae Evangelii collustrati sunt, qui regale sacerdotium et gens sancta Ecclesiae filii numerantur, maximas

---

* *A.A.S.*, 56, 1964, pp. 998-999.

[1] *Mc.* 16, 15.

semper Deo gratias de tanto accepto munere agant, preces, pietatis officia, stipem perquam liberalem afferentes in adiumentum scilicet et levamen eorum, qui praecones sunt Evangelii. Quocirca, cum nihil sit hominibus salutarius et Dei gloriae congruentius quam in fidem diffundendam pro virili parte anniti, missionali apostolatui, qui praestantia et efficacitate excellentissimus est, nobili cum certatione devotionis studium, providentiam largitatum, misericordiam donorum dispensent. « Munerator tuus vult te esse munificum, et qui dat ut habeas, mandat ut tribuas dicens: Date et dabitur vobis ».[2] Verumtamen Evangelicus ager, etsi diligenter excolitur, tantummodo rorante Dei gratia, novalium felici fecunditate vestitur. Quam ob rem eleemosynis et piis operibus roboratae, ascendant ferventiores ad Deum pro missionalibus precationes: « Deus, qui omnes homines vis salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire: mitte, quaesumus, operarios in messem tuam, et da eis cum omni fiducia loqui verbum Dei, ut sermo tuus currat et clarificetur, et omnes gentes te agnoscant solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum ».[3]

Antequam brevi sermoni finem imponimus, benevolentissima voluntate salvere iubemus Patres Oecumenici Concilii, qui in missionalibus finibus pro Christi Regno adlaborant; et sicut ad ipsos, cogitatio Nostra grata, gratulabunda bono cum omine ita advolat ad eorumdem sacerdotes, ad missionales sodales utriusque sexus, ad christianae doctrinae institutores, ad eos qui ibidem adiutricem operam navant, ad eos qui provida beneficia collocant et salutaria fovent incepta.

Haec flagrantissima vota Apostolica Benedictio Nostra confirmet, quam vobis universis peramanter impertimus.

« Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: et metuant eum omnes fines terrae ».[4]

Moderator: Dabit nunc introductionem ad schema *de activitate missionali Ecclesiae* disceptandum em.mus D. Gregorius Petrus Agagianian uti praeses commissionis conciliaris de missionibus.

---

[2] *Lc.* 6, 38. S. Leo Magnus, *Sermo XVII,* II, Migne, *PL* 54, 181.

[3] *Missa de Fidei propagatione.*

[4] *Ps.* 66, 8.

EM.MUS P. D. GREGORIUS PETRUS CARD. AGAGIANIAN
Praeses commissionis conciliaris de Missionibus

Beatissime Pater: benignitas qua dignatus es huic generali interesse seu praeesse congregationi in qua initium capit disceptatio circa « Schema de activitate missionali Ecclesiae », Patres conciliares omnesque alios hic astantes magno afficit honore. Et summo ex gaudio vehementique stimulo Ecclesiis in terris Missionum exstantibus et fraterna florentibus collaboratione, tum Missionariorum qui illas fundaverunt Ecclesias, tum cleri localis cui semper in dies numero suo crescenti semper in dies maior concreditur auctoritas ac potestas in iisdem Ecclesiis moderandis. Beatissime Pater, novum sane est hoc signum ac testimonium peculiaris amoris quod sanctitas tua innumeros, dissitissimas illas incolentes regiones, amplectitur populos et praesertim hos Ecclesiae filios qui ibidem nationum diligentem navant operam ut per evangelizationis opus quo valores humani et culturales nullo modo negliguntur et eduntur immo et nobilitatur magis ac magis Christi lumen effulgeat in animarum salutem. Quod mirabili quidem modo Sanctitas tua manifestavit tum in recenti et faustissima canonizatione sanctorum martyrum Ugandensium, tum propositum annuntiando in occasione Eucharistici ex omnibus nationibus Conventus Bombayensis iter ad Indiam faciendi perinde ac missionarius, qualis et quantus missionarius! [*plausus*] Idque non solum [*plausus*] in praeclara homelia ipsius diei canonizationis sed etiam die sequenti in audientia peregrinis Africanis concessa; quapropter, Beatissime Pater, dum integram renovamus mentem impensius adlaborandi ut sermo Dei currat et clarificetur usque ad ultimum terrae, libenti animo velis accipere una cum ferventibus votis pro diutissimo ac prosperrimo Pontificatu filiales sensus profundae gratitudinis pro perspicuis studia benevolentiae signis quibus prosequeris, accumulas missiones evangeliique praecones [*plausus*].

DISCEPTATIO [7]

1 – SCHEMA PROPOSITIONUM DE ACTIVITATE MISSIONALI ECCLESIAE *

Ecclesia cum finem habeat Regnum Dei, a Christo in terris annuntiatum et inchoatum, ubique dilatandi, ita ut Deus in omni loco glorificetur, omnibus temporibus, mandato sui Fundatoris oboediens et Spiritu S. compulsa Evangelium praedicavit. Praesentes autem rerum conditiones maxime postulant opus evangelizationis ita ordinari ut efficacius nostris diebus protrahi possit.

Multa enim, his ultimis temporibus evenerunt quae activitati missionali novas dimensiones dederunt. Dum enim per saecula plane distinctio viguerit inter terras missionum et terras christianas, propter crescentem diffusionem Evangelii in quibusdam partibus mundi et progredientem dechristianizationem in aliis, haec distinctio valde attenuata est ita ut merito dici possit ubique existere non-christianos et ubique Evangelium proclamandum esse. Progressus scientificus, praeterea, necessitatem ostendit homines attingendi in coetibus religiosis et culturalibus in quibus vivunt et qui tantopere in eorum vitam influunt. Ex altera parte mutatae condiciones sociales et conscientia oecumenica in Ecclesia, nova problemata missionariis catholicis ponunt. Tandem in terris missionum multae natae sunt Ecclesiae locales quae Universalis Ecclesiae adiutorio indigent, ut in unitate catholica secundum proprias notas specificas crescere valeant.

Necessarium ergo haec Sancta Synodus aestimat quaedam principia statuere quae activitatem et cooperationem missionalem Ecclesiae regant. Principia tamen pro opere evangelizationis, etsi in universum valeant, unice applicare intendit ad illas regiones coetusque humanos vel ad illas

---

* *In initio fasciculi legitur*: « Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in Audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, de quo in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo deliberabitur, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die III mensis Iulii anno MCMLXIV.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

Verba, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur ».

[7] dioeceses, sive in praesenti a S. Congregatione « de Propaganda Fide » pendeant sive non, in quibus ecclesia vel nondum implantata est, vel sibi non sufficit illas institutiones erigere aut sustinere sine quibus vita christiana evolvi nequit.

Inde Concilium, postquam de natura missionali Ecclesiae, de adaptatione missionali et de subiecto missionis in schemate « De Ecclesia » egerit, sequentia in mentem revocare vel decernere statuit:

1. [*Necessitas Missionis*]. Ecclesia est medium universale salutis a Christo institutum, ut omnes per illud ad caelestem Patriam perveniant.

[8] Ad hunc finem assequendum ipsa Evangelium ad omnes homines proclamat ut per eius praedicationem ad fidem adducantur et deinde per Baptismum Christo incorporentur. Quare activitas missionalis eo tendit ut Ecclesia ubique praesens reddatur, et media salutis ipsi a Christo commissa, omnibus pateant. Etsi ergo Ecclesia semper tenuerit homines qui Christum inculpabiliter ignorant salvari posse si conscientiae dictaminibus oboediant, nihilominus Dei voluntas est eos per Fidem et Sacramenta iustificari et salvari, ac proinde evangelizationem etiam hodie summum momentum integre servare.

2. [*De Evangelii Praeconibus*].

a) Episcopi totius mundi, una cum Romano Pontifice et sub Eius auctoritate munus habent ubique terrarum fidem promovendi, Evangelii Praecones ad quoscumque hominum non christianorum coetus mittendi et missionem canonicam eis conferendi.

b) In variis regionibus constituantur, praeter Conferentias Episcoporum, etiam Conferentiae Superiorum Religiosorum, et Uniones Religiosarum, quae omnes ad bonum totius missionis unanimiter collaborent. Quae Conferentiae novas proponant normas, a S. Sede approbandas, quae determinent relationes inter Ordinarios Loci et Superiores Religiosos ita ut Episcopus quidem Rector et Centrum unitatis sit apostolatus in dioecesi, Instituta autem missionaria [1] necessariam initiativam retineant propriae actionis. Ex his propositionibus, quaedam elementa ad recognoscendum ius eruantur, quod tale sit ut vere fiat toti Ecclesiae commune.

c) Instituta, quae in bonum totius missionis vel Ecclesiae localis sese pro sua parte devovent, mutua coniunctione virium in operibus communibus sub ductu Episcopi fraterne collaborent.

---

[1] In hoc documento nomine « Instituta Missionaria » intelliguntur omnia Instituta (Ordines, Congregationes, etc.) quae in missionibus laborant.

d) Evangelii Praecones, ad exemplum Apostolorum, Christum [8] Iesum quem gentibus praedicant, in seipsis primum exprimant solido virtutum exercitio. Memores se esse discipulos Christi pauperis et humilis, non solum spiritum paupertatis praedicent, sed Evangelicae simplicitatis exemplum praebeant. Eadem simplicitas, locis tamen accommodata, in mediis apostolatus et in aedificiis, etiam sacris, splendeat.

3. [*Labor Missionalis*]. In opere evangelizationis et implantationis Ecclesiae haec stadia prae oculis habeantur:

a) In patrimonio praesertim religioso cuiusque populi ea quaerantur quae, a Divina Providentia disposita clarificationem et plenitudi- [9] nem in Evangelio Christi inveniunt. Eodem tempore monstrent Evangelii Praecones caritatem Christi, pauperes adiuvando, ignorantes docendo, miseros sublevando, aegros curando, progressum socialem fovendo ut per haec hominibus appareat benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei (*Tit.* 3, 4).

b) Animis ad suscipiendum Verbum dispositis, Evangelii Praecones Deum vivum et Iesum Christum praedicent ut homines, divina gratia excitati et adiuti, ex corde credentes, ad Christum convertantur Eique sincere adhaereant qui est « via, veritas et vita » (*Io.* 14, 6).

c) Conversi, de pondere conversionis per catechesim edoceantur et ad vitam fidei cultus et caritatis in Ecclesia initientur, ut ita ad Baptismum, Confirmationem et Eucharistiam accedere possint. Catechumeni ut suo modo iam Ecclesiae aggregati in Iure Communi recognoscantur.

d) Post Baptismum in neophytis vita christiana evolvatur per catechesim ipsis accommodatam et deinde per participationem ad vitam communitatis quae praesertim in Liturgia locum habet. Sic paulatim communitas christiana spiritu apostolico animata crescere incipit, laicos ad apostolatum suscitat, vocationes proprias sacerdotales et religiosas exprimit et eo tendit ut hierarchiam propriam habere possit. Sic communitas christiana missionaria evadit et signum praesentiae Dei in mundo.

e) Ubi Christus plene evangelizari nequit, Ecclesia in salutem hominum operetur, gradatim eis accessum ad Deum patefaciens, docendo veritates religiosas et morales ordinis naturalis, quas Christus luce sua illustravit, eosque adiuvando ad assequendam iustificationem per caritatem erga Deum et proximum.

4. [*Consilium Centrale Evangelizationis*].

a) Ad rei missionalis profectum et ad omnium Ecclesiarum communionem quoad evangelizationem gentium complendam, in voto est ut

[9] apud S. Congregationem Fidei Propagandae Consilium condatur in quo partem habeant et quasi repraesententur illi omnes qui in opere missionali collaborant: Episcopi ex toto mundo, quicumque sit eorum ritus, necnon Instituta Missionaria et Opera Missionalia Pontificalia.

b) Huius Consilii est de evangelizatione et de cooperatione missionali, communia proposita elaborare quibus — ratione habita reflexionis hodiernae theologicae, methodologicae et pastoralis missionariae — navitas missionaria Ecclesiae Universalis dirigenda sit. Quae proposita, a Summo Pontifice approbata, ab ipsa Congregatione Fidei Propagandae executioni mandentur.

c) Tali Consilio praesto sit « Secretariatus Peritorum » cuius erit
[10] informationes circa condiciones religiosas mundi et methodos evangelizationis adhibendas colligere, et ex datis socio-religiosis conclusiones proponere pro cooperatione missionali et auxilio Ecclesiis egentibus praestando praesertim quoad communicationem personarum et bonorum.

5. [*Debitum Missionale Episcoporum*]. Opus missionale ad totam Ecclesiam sub ductu Romani Pontificis pertinet. Episcopi totius mundi sive singuli sive in conferentia coadunati nunquam in oblivionem tradant se pro totius mundi salute prius quam pro aliqua dioecesi consecratos esse. Inde oritur illa communio Ecclesiarum in qua ipsae sibi invicem suas necessitates aperiunt, suas res communicant, aliquos ex suis sacerdotibus ad dioeceses Clero carentes destinant, vocationibus iuvenum et clericorum ad Instituta missionalia libenter favent, Opera Pontificalia Missionalia promovent, curam gerunt eorum qui studiorum vel laboris causa ex locis missionum in suas dioeceses se conferunt. Valde desiderandum est ut Conferentiae Episcopales statuant unamquamque dioecesim summam aliquam propriis redditibus proportionatam quotannis ad opus evangelizationis destinare.

Quodsi Episcopi sint in locis missionum, enixe curent partem aliquam, eamque selectam, proprii cleri necnon subsidiorum ad evangelizationem directam destinare, ita ut activitas apostolica non ad solos iam conversos limitetur.

6. [*Debitum Missionale Sacerdotum*]. Sacerdotes ministerio Christi participant, et tota eorum vita in servitium missionis Ecclesiae dirigitur. Cum autem per proprium suum ministerium — quod essentialiter in Eucharistia, quae Ecclesiam perficit, consistit — Capiti communicent et communicare faciant, sacerdotes non possunt non sentire quantum Ipsi desit ad plenitudinem corporis, et quantum proinde praestandum sit ut in dies crescat. Etiamsi ergo in cura pastorali versantur, missionem ut aliquid

proprium habeant. Quod valet de sacerdotibus utriusque cleri. Ad eos [10] pertinet zelum pro mundi evangelizatione in fidelibus suscitare, praesertim in familiis, in quibus germen vocationis missionariae instillatur, et in iuvenibus associationum et scholarum catholicarum.

7. [*Debitum Missionale Institutorum Perfectionis*]. Sodales Institutorum Perfectionis orationes et sacrificia sua spiritu missionario foecundent. Si vero contemplationi dedicantur, meminerint innumerorum hominum salutem a suo pendere sanctitatis studio. Vehementer optandum est ut plura adhuc Instituta Perfectionis partem assumant in evangelizatione et adiumentum afferant Ecclesiis localibus in operibus suo fini magis accommodatis. Religiosi, qui operi missionali incumbunt, munus [11] apostolicum sibi concreditum in spiritu fundatoris atque constitutionum adimplere maximi faciant; quorum praesules studeant, ut vita religiosa ad culturam ambientem et loci condiciones aptetur.

8. [*Debitum Missionale Laicorum*]. Omnes et singuli christifideles tanquam membra viventes Corporis Christi, operi missionario cooperari debent. Ipsi missionem Ecclesiae iuvant orationes, tribulationes et sacrificia, et etiam materialia auxilia offerendo, quibus opera missionalia promovent. Laici qui consecrationem mundi sibi modo particulari commissam habent, cooperationem oeconomico-socialem populis sese evolventibus liberaliter praebeant; quae cooperatio eo magis laudanda est, quo magis institutiones fundare intendit quae structuras fundamentales vitae socialis attingunt. Ipsis commendatur cum aliis confessionibus christianis vel non christianis et etiam cum organismis internationalibus collaborare, ut una cum illis in evolutione sociali populorum partes habeant. Curent autem evolutionem socialem ad regenerationem hominum in Christo contribuere, quae nedum progressui humano contradicat, illum exigit, promovet et transcendit.

9. [*De Oecumenismo et Collaboratione cum non-Christianis*].

a) Communi professione Fidei in Deum et Iesum Christum coram gentibus atque cooperatione in re tam sociali et technica quam culturali et religiosa, catholici fraterne collaborent cum christianis non-catholicis ad normas Constitutionis de Oecumenismo.

Quicumque vero ad apostolatum in iisdem terris ac christiani non-catholici destinantur, de quaestionibus et fructibus Oecumenismi rite instruantur.

b) Etiam cum aliis coetibus religiosis, ad bonum commune libenter concurrant, iuxta normas legitime statutas.

[11] 10. [*Formatio Culturarum Christianarum*]. Ecclesia, utpote catholica, nullibi extranea est, sed formationem culturae christianae in omni populo sedulo curat, ut Fides catholica profundiores radices apud unumquemque populum ponere valeat, et sic totam Ecclesiam locupletet. Quapropter Instituta erigantur scientifica, ut in ipsis periti sacerdotes et laici, collatis viribus, operam dent adaptationi exsequendae in formatione et vita catechetica, ascetica, liturgica, philosophica, theologica, culturali. Insuper curent conferentiae Episcopales ut, in Seminariis, alumnorum mentes ita educentur ut recte iudicare valeant propriae gentis peculiarem culturam ad philosophicas praesertim ac theologicas disciplinas
[12] quod attinet, et ut percipiant peculiares rationes quae inter illam et christianam religionem intercedant.

11. [*Formatio Scientifica et Technica*]. Evangelii praecones linguam, mentem, psychologiam et mores populi apprime intelligant, in doctrina catholica et in theologia pastorali pro suo gradu solidam habeant institutionem, et in rebus technicis quae ad eorum laborem spectant, congruam habeant instructionem. Ideo studia altiora quoque apud Instituta Scientifica Missionalia vel alias facultates aut Universitates enixe commendantur, sive in propria natione, sive extra patriam prout necessitas exigit vel opportunitas suadet.

12. [*Formatio Catechistarum*]. Opus catechistarum quam maxime fovendum est tum institutis dioecesanis vel regionalibus pro congrua eorum formatione tum debita eorum sustentatione.

13. [*Instituta Superiora*]. Instituta Superiora condantur in quibus lingua, mens et psychologia, mores et religiones cuiuscumque populi profundius investigentur, ut ita Evangelii Praeconibus facilior pateat accessus ad coetus religiosos non christianos.

Evangelii Praecones in opere evangelizationis patrando, profunde persuasi sint se esse ministros Christi, per quos sermo Dei currit et clarificatur usque ad adventum Domini in consummatione saeculi.

APPENDIX [15]

RELATIO

CIRCA RATIONEM QUA SCHEMA ELABORATUM EST

1. *Commissio Praeparatoria* de Missionibus die 24 octobris 1960 statim divisa est in 5 Subcommissiones, quarum prima quaestiones de S. Liturgia et de Sacramentis tractaret, secunda quaestiones ad regimen missionum et ad reformationem Codicis spectantes, tertia quaestiones ad disciplinam cleri et populi christiani sese referentes, quarta quaestiones circa studia clericorum et circa religiosos, et tandem quinta de cooperatione missionali fidelium. Nam omnes illas materias, quae quidem ad alias etiam pertinent Commissiones, sub aspectu missionario quoque considerare debebat Commissio de Missionibus.

In nostra Commissione nullam distinctionem inter Membra et Consultores faciendam esse censuimus, sed omnes alacri animo partem suam laboris susceperunt.

Secretarii Subcommissionum singulis unam alteramve quaestionem examinandam attribuerunt, ad quam singuli relationem in scriptis in sessionibus subcommissionum protulerunt; quae relatio communi disceptatione reformata multis exemplaribus impressa omnibus membris et consultoribus Commissionis, etiam extra Urbem degentibus, transmissa fuit, ut omnes suas animadversiones in scriptis tradere possent. A speciali subcommissione diversae illae quaestiones in forma schematis seu decretorum sunt redactae.

Bis in sessionibus plenariis omnium membrorum et consultorum, diebus scil. 17-26 aprilis 1961 et 20-30 novembris 1961, illa schemata funditus discussa et reformata sunt.

Ex hoc labore prodierunt septem schemata quae fuerunt a Commissione Centrali Concilii examinata diebus 28-31 martii 1962, et die 21 maii 1962 cum animadversionibus ad Commissionem de Missionibus remissa. Convocato autem iam Concilio, sic explicit opus Commissionis praeparatoriae.

2. Electa mense novembri 1962, *Commissio Conciliaris* ad primum colloquium convenit die 28 novembris, sed nulla adhuc potuerunt institui studia. Statim autem ac normae pro tempore inter primam et secundam sessionum seriem prodierunt, membra Commissionis Romae degentia cum peritis inceperunt revisionem textus, ita praeparantes sessiones plenarias dierum 20-29 martii 1963.

In his sessionibus mensis martii 1963 durus fuit labor. Patres Commissionis inter se non conveniebant de natura schematis. Plures proponuntur reordinationes materiae; sed sub fine sessionum pervenerunt ad concordem ordinationem iuxta quam commissio redactionis novum textum composuit, praeter Prooemium et, in fine, Exhortationem, duabus partibus constantem. Prima pars De ipsis Missionibus, tria habebat capita: I. De principiis genera- [16]

[16] libus missionum; II. De Sacro Ministerio in Missionibus, scl. De Apostolatu Cleri et de Apostolatu laicorum; III. De Missionum Regimine tum in suis relationibus cum S. Sede tum in regimine interno. Altera vero pars item tria habebat capita: I. De debito missionali excolendo; II. De Cooperatione Episcoporum, Sacerdotum et Religiosorum; III. De Cooperatione laicorum.

Hic textus Commissioni pro laboribus coordinandis transmissus, examinatus fuit initio mensis iunii 1963 et cum quibusdam animadversionibus remissus.

Diebus 23 oct. ad 3 decembris 1963, tempore secundae Concilii sessionum seriei, Commissio iterum in sessionibus plenariis Schema sub luce harum animadversionum examinavit.

Interim notum fuit, Commissionem theologicam paratam esse speciale caput de natura missionaria Ecclesiae inserere in Constitutionem De Ecclesia, libenterque a nobis talem textum accepturam. Quare quibusdam peritis mandatum fuit ut textum ad hoc pararent. Hic textus in Sessione plenaria discussus et funditus renovatus, tandem approbatus fuit et Commissioni theologicae transmissus. Item examinatus fuit textus a Commissione de Seminariis nostrae Commissioni transmissus pro approbatione ut in schema de Sacrorum alumnis formandis inseratur.

Hisce factum est ut fundamenta theologica Missionis Ecclesiae in nostro schemate non amplius essent tractanda. Unde iterum ordinatio materiae sub lite posita est. Tandem concorditer statutum fuit ut Schema, praeter Prooemium, quatuor contineret capita: I. De Principiis doctrinalibus; II. Rationes generales apostolatus missionalis; III. De formatione missionali; et IV. De Cooperatione missionali. Quae capita singula diversis subcommissionibus concinnanda traduntur. Rebus hinc inde iteratim discussis et compositis, tandem die 3 decembris 1963 textus definitivus a 23 Patribus approbatus est, uno tantum dissentiente, et iterum Commissioni pro coordinandis laboribus transmissus. Ab ea approbatus, ad omnes Patres Conciliares pro examine datus est eosdem invitando ut ante diem 31 martii suas animadversiones mitterent.

Ad illas animadversiones examinandas novae sessiones plenariae pro die 4 maii 1964 convocatae fuerunt. Plures animadversiones ante diem praefixam advenerunt; earum facta sunt multa exemplaria et omnibus Patribus Commissionis via aerea transmissa; quaedam autem tardius venerunt et tempestive mitti non poterant, sed in manus Patrum datae sunt in prima sessione. Aliae tandem tempore sessionum, imo et post sessiones conclusas pervenerunt: de iis evidenter rationem habere non fuit possibile.

Animadversiones a 67 Patribus Conciliaribus fuerunt missae, quorum unus est Internuntius Apostolicus, 17 sunt ex Europa, 13 ex America, 16 ex Africa et 20 ex Asia. Quinque eorum scripserunt nomine Conferentiarum Episcoporum, septem vero nomine plurium.

Interim die 23 aprilis 1964 Secretarius Generalis Concilii nobiscum communicavit schemata ad paucas sententias seu propositiones esse reducenda,
[17] ratione utique habita animadversionum Patrum. Hic fuit ergo labor ultima-

rum sessionum plenariarum. Inutile duximus ipsum textum schematis iuxta animadversiones emendare, cum Concilio praesentari non debeat. Cum enim singuli Patres Commissionis integrum textum animadversionum (283 pag.) et insuper brevem earum synthesim prae manibus haberent, eas legere easque prae oculis habere poterant. Quod de facto et fecerunt: nam tum in Propositionibus redigendis, tum in emendationibus ad eas proponendis, saepesaepius motivum auditum est: hoc a Patribus in suis animadversionibus petitum fuit. Longe maior autem pars animadversionum ad ipsam compositionem Schematis se referebant, et proinde omitti poterant; quae autem ad ipsum contentum seu ad ideas se referebant, puto tuta conscientia dici posse, eas in debita fuisse assumptas consideratione. [17]

Hisce sessionibus interfuerunt omnes Patres Commissionis, praeter E.mum Gonçalves Cerejeira et Exc.mos Rossell y Arellano, Graner, Sigismondi, Yago, Sison et Bolte.

Labor redactionis iuxta novas normas statim assumptus est, et Commissio iterum in quatuor Subcommissiones, ut in praecedenti sessionum serie, divisa est. Unaquaeque, sibi quibusdam adscitis peritis, materiam proprii capitis, quam antea tractaverat, ad paucas sententias reduxit. Suppressa quidem erat divisio in capitibus, sed materia eadem remanebat. Dein Praesides et unus Pater singularum Subcommissionum cum iisdem peritis convenerunt ut sententias concordarent inter se, et repetitiones vitarent. Hic textus omnibus Patribus in scriptis propositus, in plenariis sessionibus discussus et a Patribus suis animadversionibus ornatus est. Dein redactio finalis Exc.mo Lokuang, Vice-Praesidi Commissionis, commissa est qui, a secretario adiuncto et a duobus peritis adiutus, novum textum Commissioni die 11 maii subiecit. Huic textui Patres Commissionis suas animadversiones adiecerunt, et textus definitivus die 13 maii tandem unanimiter 24 votis fuit probatus.

Breviter adhuc exponendum cur ultimatim titulus huius Schematis Propositionum datus non fuit « De Missionibus », sed « De Activitate Missionali Ecclesiae ». Praeter quod a nonnullis Patribus in suis animadversionibus petitum fuit, etiam visum est Patribus Commissionis titulum De Missionibus esse nimis largum quam qui hisce Propositionibus praeponatur; ex altera parte, cum iam centrum totius Concilii videatur esse doctrina de Ecclesia, opportunum visum est etiam missiones considerare in quantum sunt activitas essentialis Ecclesiae.

En ergo fructus huius laboris: 13 propositiones cum Prooemio. Tardius venit? Excusatos nos habeatis: materia fuit ardua. Nam non, sicut pro aliis Commissionibus ad unum restrictum obiectum se referebat: vix est problema quod sub aspectu missionario examinari non debuisset; nec parvior coetus vel territorium erat considerandum, sed ratio habenda erat immensae varietatis conditionum in orbe universo, varietatis culturae, psychologiae, progressus civilis, et ipsius progressus, maioris vel minoris, Ecclesiae. Vitanda insuper erant quae ab hominibus scientificis non uno ore profitentur, ne videatur Concilium in non necessariis suam facere sententiam unius partis quae cum omni [18]

[18] libertate adhuc disputari potest. Durus fuit labor Commissionis, quia voluit E.mus Praeses unicuique relinquere plenam libertatem propriam exponendi sententiam, ut inde appareat in quibusnam sit concordia, et quaenam proinde a Concilio proponi possint. Hanc libertatem ita salvam volebat, ut, satis habens praeesse primae tantum ac ultimae sessioni, maluerit disputationibus non intervenire, ne forte alii timerent Praefecto Sacrae Congregationis « de Propaganda Fide » contradicere.

Vestro nunc iudicio illae Propositiones De Activitate Missionali Ecclesiae proponuntur, si eas dignas habetis ut Concilio Oecumenico proponantur.

2 – Em.mus P. D. GREGORIUS PETRUS card. AGAGIANIAN *

Introductio ad schematis discussionem

Venerabiles Patres,

Non semel audivimus in hac aula, et quidem merito, Sacrosanctum Concilium Vaticanum alterum esse velut prosecutionem et consummationem Vaticani I.

Hoc ipsum dici potest ad schema Missionum quod spectat. Paratum erat tunc schema de Missionibus, illud tamen non potuit disceptationi exhiberi nec promulgari ob supervenientes circumstantias politicas, quae causa fuerunt cur Concilium interrumperetur, quin potuisset absolvi totum illud quod in programmate habebatur.

Concilium nostrum Vaticanum secundum reassumpsit momentosum hoc argumentum et a schemate seu schematibus extractae fuerunt, ex iussu Commissionis de coordinandis Concilii laboribus, aliquot propositiones ad instar conclusionum. Has propositiones habetis nunc, Venerabiles Patres, prae manibus oculisque vestris pro congrua discussione et, ut in votis est, approbatione.

Antequam tamen relatio fiat de ipsis ab Exc.mo Relatore designato a Commissione Conciliari de activitate missionali Ecclesiae, operis pretium videtur nec abs re brevibus verbis notare et comparare statum Missionum tempore Concilii Vaticani I cum statu hodierno dum feliciter celebratur, Deo favente, Vaticanum II. Clare et quasi graphice patebit magnus et vere extraordinarius et solacii plenus progressus in his quasi centum annis factus, benedicente Domino et opitulante Virgine Immaculata Dei Genetrice, Regina Apostolorum ac Missionum.

Anno itaque 1870, sub nomine Missionum, seu territoriorum a

---

* Fasciculus, continens etiam *relationem* exc.mi P. D. Stanislai Lokuang et *emendationes,* Patribus distributus est in congregatione generali 106, die 21 octobris 1964.

Sacra Congregatione de Propaganda Fide dependentium, comprehendebantur etiam Anglia, Hibernia, Hollandia, Luxenburgus, Germania Septemtrionalis, Status Foederati Americae Septemtrionalis et Canada quae subtracta fuerunt ab eadem Sacra Congregatione de Propaganda Fide per Constitutionem Apostolicam *Sapienti Consilio* diei 29 iunii 1908, necnon territoria omnia Orientalia, quae separata fuerunt ab eodem Sacro Dicasterio anno 1917 per « Motu Proprio » *Dei Providentis,* ac tandem ea territoria quae subtracta fuerunt per « Motu Proprio » *Sancta Dei Ecclesia* diei 25 martii anni 1938.

Anno igitur 1870 annumerabantur summatim 275 circumscriptiones ecclesiasticae et quidem 22 in Africa, 88 in Americis, 71 in Asia, 68 in Europa, 26 in Oceania.

Hodie, dum celebratur tertia periodus Concilii Vaticani II, territoria missionaria dependentia a Sacra Congregatione de Propaganda Fide implent numerum 770 circumscriptionum ecclesiasticarum et exacte 270 in Africa, cum 21 archidioecesibus, 185 dioecesibus, tribus abbatiis Nullius, 16 Vicariatibus Apostolicis, 24 Praefecturis Apostolicis, 1 missione sui iuris, 79 in Americis, 341 in Asia, 19 in Europa, 61 in Oceania.

Ad hierarchiam ecclesiasticam quod spectat, anno 1870 nullus erat episcopus, ortus in territorio missionum, exceptis Patriarchis et Praelatis rituum orientalium ex proximo et medio Oriente.

Hodie habentur 41 Archiepiscopi et 126 Episcopi, e quibus 4 purpura cardinalitia ornati, et exacte in Africa 16 Archiepiscopi et 50 Episcopi, in Asia 25 Archiepiscopi et 76 Episcopi.

Seminaria autem pro Clero autochtone efformando, quae tempore Concilii Vaticani Primi vix decem erant, hodie, tempore Concilii Vaticani Secundi sunt 385 Minora et 81 Maiora.

Numerus autem Catholicorum in terris Sacrae Congregationi de Propaganda Fide subiectis, qui anno 1949 viginti octo millia millium (seu miliones) numerabantur, hodie, post quindecim annos, fere duplicatus est ad circiter quinquaginta millia millium (seu miliones).

Plane conscii de immenso opere quod manet prosequendum, habemus revera ut infinitas Deo agamus gratias pro isto mirabili progressu. Vere a Domino factum est hoc et est mirabile oculis nostris!

Romani enim Pontifices praesertim a Leone XIII im. m. ad Paulum VI, feliciter regnantem, qui, aliquot menses ante suam elevationem ad Cathedram Apostolicam, celeriter quidem sed longe lateque visitavit Africam, vehementem pergratamque illius itineris conservans memoriam, et iam iter Bombayense feliciter ut Papa missionarius arrepturus, zelum Ecclesiae universae ad fidem propagandam mirabilibus Encyclicis Litteris vel flagrantibus nuntiis efficacius promovere studuerunt.

Satis videtur revocare Encyclicam *Maximum illud* a Benedicto XV die 30 novembris 1919 editam, quae merito appellata est Magna Charta Missionum; illud « Motu Proprio » *Romanorum Pontificum* a Pio XI, die 30 maii 1922 publicatum, vi cuius Pontificium Opus a Propagatione Fidei Lugduno in Gallia Romam translatum fuit.

Quoties audivimus Ioannem XXIII, v. m., libenti aeque ac humili animo narrantem seipsum confecisse, iussu Pii XI, idem « Motu Proprio ». Paucis annis post secuta est Encyclica *Rerum Ecclesiae* pariter a Pio XI die 28 februarii 1926 promulgata. Deinde Pius XII duas edidit missionales Encyclicas, scilicet *Evangelii Praecones* die 2 iunii 1951 et *Fidei donum* die 21 aprilis 1957. Recurrente vero quadragesimo anno a promulgatione Encyclicae *Maximum illud* Benedicti XV, Ioannes XXIII, Encyclicam *Princeps Pastorum* die 28 novembris 1959 pervulgavit. Et Paulus VI, cui applicare possumus illa verba de Sancto Ignatio Loyolensi dicta: « Cor eius latius patebat quam mundum », inde ab exordiis sui Pontificatus, in pluribus allocutionibus, maxime in illa pro annuali dominica missionali superioris anni necnon huius anni faustissima occasione canonizationis viginti duorum Martyrum ex Uganda, curam studiumque in Missiones impensissime convertit.

Interim sedulo ac potenti Sedis Apostolicae impulsu praeeunte, missionalis impetus ubique terrarum acriter increvit: a quo Summus Pontifex Benedictus XV totam christianitatem halitu fervoris permeavit, studia superiora et instituta missiologica scientifica floruerunt, congressus nationales et internationales missiologiae et hebdomadae studiorum missiologicae semper frequentius habentur; Hierarchiae episcopales catholicarum regionum maiore usque incensae zelo, spiritum missionalem in fidelibus sibi subiectis magis magisque alere pro viribus nisae sunt; erectae fuerunt Directiones Nationales atque Dioecesanae pro Pontificiis Operibus missionalibus respective Propagationis Fidei, Sancti Petri Apostoli pro clero Autochthone, et Unionis Missionalis pro Clero; ...[1] insignes Ordines atque Instituta religiosa uberiorem usque sodalium partem operi missionali addixerunt, dum iuxta exemplum illustris ac benemeriti Seminarii Parisiensis Missionum ad Exteras gentes, orta sunt, Spiritu Sancto inspirante et Apostolica Sede approbante, complura Instituta specifice Missionaria sive pro viris sive pro feminis. Quae et quanta iam ab ipsis strenue invicteque gesta sunt in territoriis missionum vera continuatio Actuum Apostolorum dici possunt. Recentius vero florere coeperunt Instituta saecularia missionariorum laicorum, qui pretioso sunt auxilio Missionibus iuxta diversas gravesque rerum, temporum locorumque necessitates.

Ex abundantia cordis, ut videtis, locutus sum proindeque mihi veniam libenter concedere velitis.[2]

Nunc autem mihi reliquum est gratissimum officium significandi gloriationem atque laudem Ecclesiae tot tamque generosis filiis ac filiabus, qui interdum pretio sui sanguinis saepiusque inter multas lacrimas et angustias, etiam hisce nostris diebus, et quidem dum coram vobis loquor, in compluribus dilectissimis ac vexatissimis regionibus praeclarum testimonium perhibent Evangelio.

Eodem tempore summopere gaudeo salutare novas in Missionibus christianitates earumque Pastores praesentes vel absentes necnon christifideles, fidem faciens eas ut inscindibilem partem unicae Ecclesiae, quae est Corpus Mysticum Christi, a Sede Apostolica et antiquis Christianitatibus vehementissime diligi in visceribus Christi. Quae quidem Ecclesiae firmam habere possunt fiduciam in veteribus christianorum communitatibus pro opere evangelico magis magisque in futurum provehendo et munere praedicationis, necessario atque universali, absolvendo.

Vobis igitur, venerabiles Patres, qui in hac Aula Conciliari tam frequenter ac ardenter votum deprompsistis ut universa Ecclesia se sentiat missionariam atque talis revera sit, profundos grati animi sensus ex parte Dicasterii missionalis promo eosdemque Moderatoribus Nationalibus ac dioecesanis Pontificiorum Operum Missionalium necnon cunctis fidelibus extendere percupio.

Nullum sane est dubium quin spiritus atque zelus missionarius plurimum conferat renovationi dioecesium, paroeciarum omniumque christifidelium iuxta optata ac placita huius Sacrosanctae Synodi.

Nunc denique mihi, dicendi finem facienti, liceat magnas agere gratias atque laudes tribuere omnibus membris atque peritis Commissionis pro Missionibus ob opus laboremque egregie ab illis adimpletum in concinnandis propositionibus, quae materia sunt praesentis Congregationis Generalis...[3]

In oratione: [1] liceat hic notare quod florent profecto in orbe catholico alia quoque opera seu incepta in iuvamen missionum et digna prorsus ut in iis gratias referamus; de iis tamen non putavi specialem mentionem faciendam esse in relatione in typis impressa, vel quia non sunt Pontificia, vel etiam, licet Pontificia, ut praesertim opus a Sancta Infantia optime meritum de missionibus et carum populo fideli, at non sunt dependentia directe et immediate a Dicasterio Missionali; praeterea. [2] deest. [3] singulariter honorificatae augusta praesentia Summi Pontificis quem Deum supplicamur, auspice Regina dulcissima Missionum, ut diutissime sospitet atque incolumem servet pro populo Dei orbe universo in sinu Ecclesiae congregando.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, nunc Sanctus Pater benedictionem impertit et benedicere intendit omnes fideles commissos curae pastorali Patrum et omnia obiecta devotionis quae secum Patres deferunt.

Summus Pontifex:

« Sit nomen Domini benedictum »
— ex hoc nunc et usque in saeculum —
« Adiutorium nostrum in nomine Domini »
— qui fecit caelum et terram —
« Benedicat vos omnipotens Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus ».
— Amen.

Exc.mus P. D. IOANNES VILLOT, *subsecretarius*: Proceditur ad suffragandum cap. II schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia*; quaeritur a vobis, Patres: *placet, non placet,* an *placet iuxta modum?* Qui suffragia dant *placet iuxta modum,* velint dare modos assignatoribus locorum una cum scheda suffragationis.

3 – EXC.MUS P. D. STANISLAUS LOKUANG
Episcopus Tainanensis

RELATIO
SUPER SCHEMA PROPOSITIONUM
DE ACTIVITATE MISSIONALI ECCLESIAE

Venerabiles Patres,

Iter sat longum et arduum schematis De Activitate Missionali Ecclesiae vobis iam notum est per relationem typis editam in Appendice huius schematis. Apologiam pro labore Commissionis De Missionibus apud vos praebere haud necessarium opinor, etiamsi brevitas ac paucitas propositionum in schemate expositarum, earum apud vos aestimationem forsitan minuere potuisset.

A die constitutionis Commissionis Praeparatoriae De Missionibus, et postea Commissionis Conciliaris De Missionibus, usque ad hodiernum diem omnes quaestiones ad Missiones spectantes magna cum diligentia fuerunt studio subiectae, perpensae et iudicatae, et tandem in forma schematis conscriptae.

Prima redactio schematis De Missionibus a Commissione Praeparatoria confecta, septem constabat libellis, qui singuli unum continebant Capitulum circa diversa problemata ad Missiones spectantia.

Iuxta autem « Ordinem Agendorum » pro tempore inter primam et secundam sessionum seriem, e schemate nostro ablatae sunt omnes materiae quae cum aliis Commissionibus communes erant, etsi in Missionibus particularem prae se ferebant aspectum. Nobis, ex septem, duo tantum relicta sunt capitula...[1]

De facto, Constitutio De Sacra Liturgia amplum praebuit locum quaestionibus sub respectu missionario. Item in schemate De Ecclesia tractantur principia theologica in quibus activitas missionalis Ecclesiae fundatur. Reliqua vero, quae potius ius missionarium spectabant, Commissioni pro Iure Canonico revisendo erunt tradenda, quae, uti speramus, de necessitatibus Missionum debitam habebit rationem.

Materia nobis relicta, dein, a Commissione iterum elaborata est in schema quatuor Capitulorum, quod mense ianuario huius anni omnibus Patribus Conciliaribus transmissum est.

Antequam autem Patrum animadversiones ad schema considerari potuerint, iam venit mandatum Commissionis pro Coordinandis Concilii Laboribus schema ad paucas « propositiones » reducendi. Quamvis Commissio nostra, propter momentum obiecti in vita Ecclesiae, propter magnam exspectationem omnium illorum quibus problemata missionum intersunt, libentius schema magis evolutum praebuisset, mandato obtemperandum erat, sicut oboedire debebant aliae Commissiones quorum schemata ad paucas Propositiones reducta sunt. Quod Commissio mense maio huius anni fecit. Fructus huius laboris est schema Propositionum De Activitate Missionali Ecclesiae.

Meum esse duco, venerabiles Patres, illas Propositiones vobis breviter illustrare et de animadversionibus in eas receptis rationem reddere.

I - De propositionibus

Propositiones huius schematis tredecim sunt, quae argumenta trium Capitulorum schematis praecedentis comprehendunt, scil. Rationes generales apostolatus missionalis, De formatione missionali et De cooperatione missionaria.

Materia autem primi Capitis, quod vocabatur De Principiis doctrinalibus, omissa est, utpote in schema De Ecclesia translata. Ibi enim in Capite II, in n. 13 De universalitate seu catholicitate unius Populi Dei, in n. 16 De non-christianis, et praesertim in n. 17 De indole mis-

sionaria Ecclesiae, necnon in Capite III n. 23 De relationibus Episcoporum in Collegio, principia doctrinalia, in quibus Activitas missionalis Ecclesiae fundatur, sat fuse exponuntur.

Tredecim ergo Propositiones ...[2] ad tria Capitula referuntur: nn. 1-4 necnon pars n. 9 agunt de rationibus generalibus apostolatus missionalis, nn. 5-8 de cooperatione missionaria, et nn. 9-13 de formatione missionaria.

A) *Rationes generales Apostolatus missionalis.*

Liceat praemittere plures Patres definitionem quandam de Missionibus in schemate exspectavisse. De facto etiam in Commissione talis necessitas sentiebatur. Attamen, eam non dandam esse statuit, quia ipsi docti de ea nimis discrepant. In ipsis sessionibus pluries et prolixe discussa fuit, et conclusum est definitionem evitare, sed in Prooemio declarare in quibusnam regionibus principia in schemate exposita applicanda intendat. Quodsi quibusdam videatur ...[3] in linn. 7-20 de facto dari quatuor definitiones Missionis, ...[4] textus emendari posset ut appareat Commissionem noluisse has definitiones ut suas dare.

Prima Propositio affirmat necessitatem Missionis, in quantum etiam hodie evangelizatio gentium summum suum momentum servat quamdiu non omnes ad unicum Christi ovile sunt adducti. Haec enim Sancta Synodus solemniter declaravit libertatem conscientiae; clare etiam docuit (De Ecclesia p. 37 lin. 38): « Qui Evangelium Christi Eiusque Ecclesiam sine culpa ignorantes, Deum tamen sincero corde quaerunt, Eiusque voluntatem per conscientiae dictamen agnitam, operibus adimplere, sub gratiae influxu, conantur, aeternam salutem consequi possunt. Nec divina Providentia auxilia ad salutem necessaria denegat his qui sine culpa ad expressam agnitionem Dei nondum pervenerunt et rectam vitam non sine divina gratia assequi nituntur ». Et non desunt qui ex hac veritate perperam deducunt: ad quid ergo in eorum evangelizatione insudare? Ad huic falsae deductioni radices absumendas, censuit Commissio de Missionibus necessariam esse etiam solemnem declarationem de necessitate missionis, ne zelus missionarius in clero et in populo, et praesertim in iuvenibus ad hoc opus vocatis, frigescat.

In secunda Propositione describitur Ecclesiae activitas missionalis in suis subiectis, Evangelii Praeconibus. Hi sunt imprimis Romanus Pontifex *omnesque*[5] Episcopi totius mundi, qui munus habent fidem ubique terrarum promovendi per eos qui ad hoc mittuntur, uti etiam in schemate De Ecclesia n. 23 declaratur.

Cum vero in terris missionum magis ac magis crescat numerus sa-

cerdotum qui in illis terris sunt nati, cum immo ex hoc clero saepius ac saepius desumuntur locorum Ordinarii, missionariorum autem ab exteris regionibus venientium pretiosa opera adhuc plerumque sit necessaria, Sacra Synodus omnium Praeconum fraternam collaborationem firmare debebat, quod in secunda Propositione sub litteris b et c factum est ...[6]

Quod vero in schemate De Episcoporum Munere Pastorali omnibus inculcatur de paupertate et humilitate Christi in suo munere imitandis, propter peculiares condiciones Missionum quae non raro inter pauperrimos et humillimos actuositatem suam explent visum est sub littera d hoc idem enixius inculcare.

Tertia dein Propositio ipsum laborem missionalem in suis elementis describit. Non deest qui hoc in loco desiderasset declarationem de fine missionis. Hanc autem Commissio consulto non dedit, quia nimiae de hac re inter doctos adhuc exsistunt disputationes. Laborem proinde missionalem simpliciter in suis elementis descripsit, indicans, quin terminos nimis scholasticos adhibeat, doctrinam de praeevangelizatione, de evangelizatione, de initiatione catechetica et sacramentali catechumenorum et neophytarum, de vita eorum in Ecclesia deque eorum spiritu missionario excolendo.

Propositio tandem quarta primam partem, de rationibus generalibus Apostolatus missionalis claudit proponendo constitutionem Consilii Centralis Evangelizationis apud Sacram Congregationem de Propaganda Fide, cuius erit tum laborem ipsum missionalem tum cooperationem missionariam coordinare et ita ad semper maiorem efficacitatem evehere.

Intentio Commissionis nullo modo est ut, dum ubique ad decentralizationem tendunt, pro missionibus maior introducatur centralizatio. Non est centralizatio, sed coordinatio; est imprimis organum studii quo possint omnes missiones uti ad problemata sua melius solvenda. Unde etiam huius Consilii competentia perfecte distinguitur ab illa Secretariatus pro non-christianis. Hic enim Secretariatus de relationibus externis cum non-christianis qua talibus tractat; Consilium vero Centrale agit de rebus internis missionum...[7]

In praecedenti schemate insertus erat articulus de Novellis Ecclesiis. Hic articulus, tum quoad nomen tum quoad rem, per animadversiones Patrum in scriptis datas, magnas controversias excitavit. Quare Commissio de Missionibus votis secretis decrevit de distinctione inter missiones et novellas Ecclesias nihil statuere.

B) *De Cooperatione Missionaria.*

In quatuor sequentibus Propositionibus vel — si placet quod inter emendationes Commissio, proponentibus duobus Patribus, inserendum iudicavit, ut postea videbimus — in quinque Propositionibus exponitur debitum quod erga missionem diversis categoriis (Ecclesiae toti, Episcopis, Sacerdotibus, Institutis Perfectionis, Laicis) incumbit. Pro singulis categoriis in singulis Propositionibus describitur quomodo missiones adiuvare et ita in universali Ecclesiae missione partem habere possunt ac debent.

Schema De Ecclesia iam optime p. 66 linn. 1-19 et schema de munere Episcoporum pastorali p. 8 debitum missionale Episcoporum descripserunt. Ne autem una categoria absit, Commissio opportunum duxit etiam breviter de debito missionali Episcoporum agere. Notare etiam vellem, quod linn. 14-17 dicitur de summa propriis redditibus proportionata quotannis ad opus evangelizationis destinanda, non esse rem novam; iam enim in nonnullis regionibus in usu est. Nec illud, quaeso, tanquam taxationem considerare velitis, sed tanquam oblationem caritatis, splendorem virtutis religionis.

C) *De Formatione Missionaria.*

Missionarii, uti patet, sive in loco nati sint sive ab extero adveniant, ad munus suum adaequatam debent recipere formationem seu educationem. Ad mentem schematis De Oecumenismo nona Propositio exponit adaptationem in missionariis requisitam ne dolendas lites inter diversas christianas communitates ad terras missionum deferant.

Decima vero Propositio exponit habitudinem missionis ad culturam venerandam localem, dum undecima petit Praeconum Evangelii adaequatam formationem scientificam et technicam.

Duodecima tandem Propositio convenientem requirit catechistarum formationem et sustentationem, dum, in fine, tertiadecima promovere intendit illa Instituta studiorum superiora, quae suis studiis Missioni tanto prodesse poterunt...[8]

Et concludit schema consideratione eschatologica ex qua Missionarii, etiamsi in condicionibus particularibus forsan deprimi possent, animum sibi addere valent in contemplatione illius adventus Domini quem ipsi labore suo praeparant.

II - De animadversionibus

Postquam schema Propositionum De Activitate Missionali Ecclesiae ad omnes Patres Conciliares transmissum fuit, non multae, sed nonnullae bonae animadversiones ad nostram Commissionem De Missionibus pervenerunt, quibus sedulo perpensis in sessionibus dierum 24 septembris ad 6 octobris huius anni, Commissio textum perficere sategit. Non autem censuit rationem habendam esse nunc de minoribus, praesertim de iis quae ad stylum tantum se referunt; illa enim corrigi poterunt, quando, disceptatione in Aula habita, definitiva redactio parabitur. Pro nunc ad substantiam attendatur. De his animadversionibus nunc ratio est reddenda.

* *Ad Prooemium.*

Unus Pater censuit Prooemium omitti posse cum nihil novi afferat, et immo quaedam minus accurata contineat. Commissio vero iudicavit Prooemium esse necessariam introductionem, utpote quae novas activitatis missionalis condiciones, et proinde ipsam rationem schematis, exponit.

Alii Patri visum est in prima linea opponi Ecclesiam et Regnum Dei. Quae oppositio Commissioni non liquet: non opponuntur, sed contradistinguuntur, eodem modo quo in schemate De Ecclesia (p. 10, linn. 23-28) contradistinguuntur, ubi dicitur: « Ecclesia... missionem accipit Regnum Christi et Dei annuntiandi et in omnibus gentibus instaurandi ». Item idem Pater oppositionem videt positam inter Ecclesias locales et Ecclesiam universalem, ubi dicitur Ecclesias locales adiutorio indigere Ecclesiae universalis: iterum, hic non exprimitur oppositio, sicut non opponuntur corpus et unum membrum quod adiutorio totius corporis indiget.

Ad n. 1.

Unus Pater obiicit textum innuere quod quis Christum inculpabiliter ignorans, posset sine Fide salvari. Haec certe non fuit Commissionis intentio. Ad autem falsae interpretationis periculum praecavendum, textus lineis 5-9 ita corrigatur: « Ecclesia quidem semper tenuit ac tenet homines, qui Dei adiuvante gratia dictaminibus conscientiae oboediunt, ad fidem sine qua impossibile est placere Deo, licet difficilius,

* Relator, in oratione, sequentia usque ad n. 13 omisit.

pervenire posse etiamsi Evangelium non audierint; simul autem tenuit ac tenet Dei voluntatem esse ut omnes per Fidem ex Ecclesiae praedicatione ortam et per Sacramenta Ecclesiae iustificentur et salventur, ac proinde Evangelizationem summum momentum etiam hodie integre servare ».

Ad n. 2.

Plures Patres errorem iudicaverunt missionem canonicam conferri ab Episcopo praecones Evangelii mittente. Revera textus hoc modo intendi potest; quapropter Commissio censuit lineam 14 esse omittendam.

Textus proinde legitur: « 2. *De Evangelii Praeconibus.* - *a*) Episcopi totius mundi, una cum Romano Pontifice et sub Eius auctoritate, munus habent ubique terrarum fidem promovendi, et Evangelii Praecones ad quoscumque hominum non christianorum coetus mittendi.

b) ... *c*) ... *d*) ... ».

Ad n. 3.

Unus Pater, nomine Patrum totius suae nationis notavit « stadia » de quibus lin. 35, non semper eadem esse apud omnes populos, immo apud omnes individuos. Cui remedium afferre voluit Commissio omittendo vocem « stadia », ita ut legatur: « haec prae oculis habeantur »; et hoc eo libentius quod de facto quae sequuntur non omnia « stadium » signant.

Quare initium textus n. 3 legitur: « 3. *Labor Missionalis.* - In opere evangelizationis et implantationis Ecclesiae haec prae oculis habeantur: *a*) ... ».

Ad n. 4.

Aliquis Pater dubium movit de efficacitate Consilii Centralis apud Sacram Congregationem de Propaganda Fide condendi. Experientia docebit utrum ille Pater an Commissio recte iudicaverit. Interim numerus hic servetur.

Alius vero movet quaestionem quid significat « apud » Sacram Congregationem de Propaganda Fide: estne supra vel infra, vel extra vel intra hoc Dicasterium? Recte vidit ille Pater, nam Commissio scienter hoc verbum « apud » selegit, utpote omnes possibilitates continens, ne decernat formam quam censuit voluntati Summi Pontificis relinquendam.

Ad n. 5.

Duo Patres censuerunt, antequam de Debito Missionali Episcoporum agatur, prius agendum esse de Debito Missionali Ecclesiae: nam primo loco est debitum totius Ecclesiae. Quod Commissioni omnino rectum videtur; quare inter nn. 4 et 5 inserendum censet:

« *Debitum Missionale Ecclesiae.* - Opus missionale ad totam Ecclesiam pertinet quae est sacramentum salutis. Lucentes " sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes " (*Phil.* 2, 15-16), baptizati omnes tenentur, ex ipsa insertione in Corpore Christi per Sacramenta, testimonium Christi diffundere ».

Textus vero actualis numeri 5 tunc adaptandus est, et numerus Debitum Missionale Episcoporum incipit: « Opus missionale etiam ad totum Collegium Episcopale, sub ductu Romani Pontificis, pertinet ».

Verba autem (lin. 7) « sive singuli sive in conferentia coadunati » Commissio non necessaria censuit eaque delevit.

Expressio « nunquam in oblivionem tradant » (lin. 7) nonnullis Patribus nimis negativa videtur; quare Commissio libenter illam substituit positiva « semper memores sint ».

Linea vero 8 plures obiicientes invenit: quare Commissio statuit loco « prius quam pro aliqua dioecesi » dicere « simul ac pro aliqua dioecesi ».

Ad verbum « destinant » (lin. 11) obiicitur, hoc innuere missionem sacerdotis etiam nolentis; quapropter Commissio illud mutavit in « aliquos ex suis sacerdotibus dioeceses Clero carentes adire curant »; quae verba, de cetero, etiam adhibentur in schemate De Pastorali Episcoporum munere in Ecclesia (p. 8, linn. 8-9).

Insuper aliquis Pater proponit ut lineae 11-12 « vocationibus iuvenum et clericorum ad Instituta missionalia libenter favent » ponatur linea 10 ante « aliquos ex suis sacerdotibus dioeceses Clero carentes adire curant », ut insinuetur prius vocationes missionarias inter iuvenes esse fovendas quam « aliquos ex suis sacerdotibus » alias dioeceses adire curent.

Unde textus huius numeri nunc sonat: « *Debitum missionale Episcoporum.* - Opus missionale etiam ad totum Collegium Episcopale, sub ductu Romani Pontificis, pertinet. Episcopi totius mundi memores semper sint se pro totius mundi salute simul ac pro aliqua dioecesi consecratos esse. Inde oritur illa communio Ecclesiarum qua ipsae sibi invicem suas necessitates aperiunt, suas res communicant, vocationibus iuvenum et clericorum ad Instituta missionalia libenter favent, aliquos ex suis sacerdotibus dioeceses Clero carentes adire curant... ».

Ad n. 6.

Lineae 24-26 duobus Patribus non clarae apparent; quare Commissio textum ab ipsis paratum recipit, scil. « Cum autem ministerii eorum excellentissimus actus, ad quem ceteri omnes ordinantur, in Eucharistica celebratione consistat, qua Ecclesia perficitur et Capiti suo communicat, sacerdotes acutissime sentiant oportet quantum Ipsi Christo Capiti desit... ».

Quare n. 6 legatur: « 6. *Debitum missionale sacerdotum.* - Sacerdotes ministerio Christi participant, et tota eorum vita in servitium Missionis Ecclesiae dirigitur. Cum autem ministerii eorum excellentissimus actus, ad quem ceteri omnes ordinantur, in Eucharistica celebratione consistat, qua Ecclesia perficitur et Capiti suo communicat, sacerdotes acutissime sentiant oportet quantum Ipsi Christo Capiti desit ad plenitudinem Corporis, et quantum proinde praestandum sit ut in dies... ».

Ad n. 7.

Unus Pater notat in hoc numero nullum indicari fundamentum debiti missionalis. Commissio hoc agnoscit, et accipit textum novum propositum: « 7. *Debitum Missionale Institutorum Perfectionis.* - Membra Institutorum Perfectionis votis suis Deo se dedicant non mere in propriam perfectionem attingendam, sed ut magno animo caritati salvificae universali Dei omnino se tradant. Quod si contemplationi... ».

Ad n. 8.

Aliqui Patres obiiciunt in hoc numero nihil dici de apostolatu directo laicorum. Revera sollicitudo Commissionis textum abbreviandi effecit ut hic aspectus debiti missionalis laicorum quasi evanuerit; quare in textu definitivo aliquid de eo addendum erit tum relate ad laicos in illis terris natos tum relate ad advenas, uti habebatur in schemate De Missionibus mense ianuario probato.

Similiter accedendum est desiderio illius Patris qui vellet ut laicorum notetur obligatio curandi vocationes missionales his verbis: « Familiae et educatores maxime foveant vocationes missionarias » inserendis lin. 9 post « promovent ».

Ad n. 9.

Unus Patrum periculosam censet expressionem de collaboratione in re religiosa (lin. 22). Ad omnem aequivocationem tollendam, et ad

clariorem indicandam concordiam huius dicti cum Decreto De Oecumenismo, linea 23 ponatur post verbum « atque » in linea 21, et textus legatur: « 9. *a*) Communi professione Fidei in Deum et in Iesum Christum coram gentibus, atque, ad normas Constitutionis de Oecumenismo, cooperatione in re tam sociali et technica quam culturali et religiosa, catholici fraterne collaborent... ».

Ad nn. 10-11.

Pluribus Patribus non placet titulus numeri 10: Formatio Culturarum Christianarum. Iuxta quosdam dicendum esset: Formatio Culturae Christianae; iuxta alios nulla cultura dicenda esset christiana — et hoc ad mentem schematis De Ecclesia in mundo huius temporis — cum nullibi nova cultura, haecque christiana, introducenda sit, sed exsistens cultura debeat principiis christianis imbui. Unde acceptatur novus titulus ab uno Patre propositus: « Activitas missionalis et Cultura ».

Evidenter tunc etiam linn. 30-32 corrigendae sunt, et textus legendus: « *Activitas missionalis et Cultura.* - Ecclesia, utpote catholica, nullibi extranea est, sed omnium culturarum veros agnoscit et fovet valores illosque assumit, christianis principiis imbuit atque elevat. Ex mutuo commercio inter religionem et culturam, non tantum cultura incrementum accipit, sed etiam Fides catholica profundiores radices apud unumquemque populum ponere valet, et tota Ecclesia diversarum culturarum bonis locupletatur. Quapropter Instituta multiplicentur scientifica, ut in ipsis periti... ».

Plures etiam Patres proposuerunt reordinationem magis logicam materiae nn. 10 et 11. Quorum suggestiones Commissio grata accipit. Unde proponit ut n. 10 ad linn. 35-36 post verbum « culturali » abrumpatur.

Numerus vero 11 vocetur: « Formatio Evangelii Praeconum », et sit actualis n. 11, addita ultima phrasi numeri 10: « Insuper curent... » (lin. 36). In fine, adhuc addatur: « Cum tanta sit evolutio mentium in universo mundo, necesse est ut etiam Evangelii Praeconum formatio frequenter, statis temporibus, renovetur ».

Unde textus nn. 10 et 11 ita legatur:

« 10. *Activitas missionalis et Cultura.* - Ecclesia, utpote catholica, nullibi extranea est, sed omnium culturarum veros agnoscit et fovet valores illosque assumit, christianis principiis imbuit atque elevat. Ex mutuo commercio inter religionem et culturam, non tantum cultura incrementum accipit, sed etiam Fides Catholica profundiores radices apud unumquemque populum ponere valet, et tota Ecclesia diversarum

culturarum bonis locupletatur. Quapropter Instituta multiplicentur scientifica, ut in ipsis periti sacerdotes et laici, collatis viribus, operam dent adaptationi exsequendae in formatione et vita catechetica, ascetica, liturgica, philosophica, theologica, culturali.

11. *Formatio Evangelii Praeconum.* - Evangelii Praecones linguam, mentem, psychologiam et mores populi apprime intelligant, in doctrina catholica et in theologia pastorali pro suo gradu solidam habeant institutionem, et in rebus technicis quae ad eorum laborem spectant, congruam habeant instructionem. Ideo studia altiora quoque apud Instituta Scientifica missionalia vel alias facultates aut Universitates enixe commendantur, sive in propria natione, sive extra patriam prout necessitas exigit vel opportunitas suadet.

Insuper curent Conferentiae Episcopales ut, in Seminariis, alumnorum mentes ita educentur ut recte iudicare valeant propriae gentis peculiarem culturam ad philosophicas ac theologicas disciplinas quod attinet, et ut percipiant peculiares rationes quae inter illam et christianam religionem intercedant.

Cum vero tanta sit evolutio mentium in universo mundo, necesse est ut etiam Evangelii Praeconum formatio frequenter, statis temporibus, renovetur ».

Ad n. 12.

Aliqui Patres proposuerunt ut hic mentio fiat de novo Pontificio Opere Missionario, quod institui vellent sub nomine S. Pauli Apostoli pro Catechistis. At Commissio de Missionibus iam mense maio rem discussit, et censuit illam non esse rem Concilio submittendam.

Ad n. 13.

Aliqui tandem proposuerunt ut hic numerus ad n. 11 De Formatione Evangelii Praeconum adderetur. Sed Commissio animadvertit hic non agi de Institutis pro formandis Missionariis, sed de Institutis Superioribus scientificae investigationis, quae quidem labori missionariorum proderunt, sed non directe missionarios formare intendunt. Quare ille numerus suo loco maneat.

Venerabiles Patres,

Post rationem redditam de animadversionibus acceptis, Commissio de Missionibus nunc placido animo observationes ...[9] Patrum in Aula Conciliari adhuc faciendas ...[10] exspectat, ut eadem diligentia etiam illas

examinare possit, et tandem Propositiones de Activitate Missionali Ecclesiae perfectiore forma omnibus satisfacere valeant.

Exspectationes plurimorum Patrum, praesertim illorum qui honorem, sed et pondus Evangelium apud non-christianos annuntiandi portarunt ac portant, per brevitatem huius schematis delusae audiuntur. Hi Patres a Concilio exspectabant normas pro activitate missionali in temporibus modernis; directivas in hodiernis difficultatibus postulabant; et in specie sperabant Sanctam hanc Synodum in tota Ecclesia aestimationem, amorem et adiutorium pro Missionibus fore excitaturam. Quibus exspectationibus evidenter hoc parvum schema, de mandato Directionis Concilii ad paucas sententias reductum, satisfacere haud valet. *Sed*[11] memorandum est in diversis Concilii documentis, extra schema nostrum, non pauca, eaque gravia, de Missionibus esse edicta. Quodsi haec omnia — uti fieri speramus — in uno fasciculo colligerentur, proculdubio vox Concilii circa Missiones valido clamore resonaret. Normae directivae a Commissione Post-Conciliari, ut in Propositione quarta auspicatur, erunt elaborandae ...[12]; sed interim, si Sancta Synodus, afflante Sancto Spiritu, novum spiritum novasque methodos actuositati pastorali totius Ecclesiae infundere nititur, vos ipsos, venerandi Patres, ardenti erga Christum Eiusque Ecclesiam inflammavit amore, ita ut etiam pauca verba vos ad debitum missionale intelligendum incitare valeant. Ideo exspectationes Patrum minime delusae esse debent, nonobstante brevitate schematis, sed novus ardor novusque zelus pro Fidei propagatione, per vos, venerabiles Patres, in universo mundo excitabitur et inflammabitur post solemnem hanc Sacrosanctam Synodum Vaticanam Secundam.

In oratione: [1] scil. de regimine missionum et de cooperatione missionaria. [2] vel potius quatuordecim in textu emendato. [3] in prooemio. [4] haec non est intentio nostrae commissionis, sed. [5] et sub eius ductu atque auctoritate omnes. [6] « Eadem ratione in hac propositione disponitur modus procedendi ad revisendas normas quae relationes determinent inter ordinarios loci et superiores religiosos; normae vigentes statutae a S. Congregatione de Propaganda Fide respicientes relationes vigentes inter ordinarios loci et superiores religiosos de eadem Congregatione cui concredita est missio nunc sunt incompletae post constitutionem hierarchiae autochtonae ». [7] Aliqui Patres quaestionem moverunt circa verbum « apud », quaesiverunt quid significent: « apud Congregationem de Propaganda Fide », estne supra, vel infra, vel extra vel intra hoc Dicasterium? Recte vident illi Patres, nam commissio scienter hoc vocabulum « apud » selegit utpote omnes possibilitates continens, utpote ne decernat formam quam censuit ex voluntate Summi Pontificis relinquendam. [8] In his propositionibus intentio commissionis, quae sat facile detegi potest, insistit de altiore formatione culturali Evangelii praeconum, quia in hodiernis temporibus sive in Asia

sive in Africa omnes populi ad progressum civilem properantes magnopere studio culturam colunt. [9] forsan numerosas. [10] quae mentes Patrum manifestare poterunt. [11] Attamen praesentia hodierna S. Pontificis in hac aula, quae est unica adhuc, pro disceptatione huius schematis et clara allocutio Pontificia documentum eloquentissimum constituunt de alta et universali aestimatione totius Ecclesiae versus missiones. Postea. [12] et leges a commissione in Codice revisendae contentae erunt.

[19]

4 – EMENDATIONES

Textus prior *

p. 8 linn. 5-9.

Etsi ergo Ecclesia semper tenuerit homines qui Christum inculpabiliter ignorant salvari posse si conscientiae dictaminibus oboediant, nihilominus Dei voluntas est eos per Fidem et Sacramenta iustificari ac proinde evangelizationem etiam hodie summum momentum integre servare.

p. 8 linn. 10-14.

2. [*De Evangelii Praeconibus*].

a) Episcopi totius mundi, una cum Romano Pontifice et sub Eius auctoritate munus habent ubique terrarum fidem promovendi, Evangelii Praecones ad quoscumque hominum non christianorum coetus mittendi et missionem canonicam eis conferendi.

p. 8 linn. 34-35.

3. [*Labor Missionalis*].

Textus emendatus

Ecclesia quidem semper tenuit ac tenet homines, qui Dei adiuvante gratia dictaminibus conscientiae oboediunt, ad Fidem sine qua impossibile est placere Deo, licet difficilius pervenire posse etiamsi Evangelium non audierint; simul autem tenuit ac tenet Dei voluntatem esse ut omnes per Fidem ex Ecclesiae praedicatione ortam et per Sacramenta Ecclesiae iustificentur et salventur, ac proinde Evangelizationem summum momentum etiam hodie integre servare.

2. [*De Evangelii Praeconibus*].

a) Episcopi totius mundi, una cum Romano Pontifice et sub Eius auctoritate, munus habent ubique terrarum fidem promovendi, et Evangelii Praecones ad quoscumque hominum non christianorum coetus mittendi.

3. [*Labor Missionalis*].

* *Cf. pag. 328 ss.*

Textus prior

In opere evangelizationis et implantationis Ecclesiae haec stadia prae oculis habeantur:

Textus emendatus [19]

In opere evangelizationis et implantationis Ecclesiae haec prae oculis habeantur:

p. 10 linn. 5-14.

Textus prior

5. [*Debitum missionale Episcoporum*].

Opus missionale ad totam Ecclesiam sub ductu Romani Pontificis pertinet. Episcopi totius mundi sive singuli sive in conferentia coadunati nunquam in oblivionem tradant se pro totius mundi salute prius quam pro aliqua dioecesi consecratos esse. Inde oritur illa communio Ecclesiarum in qua ipsae sibi invicem suas necessitates aperiunt, suas res communicant, aliquos ex suis sacerdotibus ad dioeceses Clero carentes destinant, vocationibus iuvenum et clericorum ad Instituta missionalia libenter favent, Opera Pontificalia Missionalia promovent, curam gerunt eorum qui studiorum vel laboris causa ex locis missionum in suas dioeceses se conferunt...

Textus emendatus

5. [*Debitum missionale Episcoporum*].

Opus missionale ad totam Ecclesiam pertinet quae est sacramentum salutis. Lucentes « sicut luminaria in mundo, verbum vitae con- [20]
tinentes » (*Phil.* 2, 15-16) baptizati omnes tenentur, ex ipsa insertione in Corpore Christi per Sacramenta, testimonium Christi diffundere.

6. [*Debitum Missionale Episcoporum*].

Opus missionale etiam ad totum Collegium Episcopale, sub ductu Romani Pontificis, pertinet. Episcopi totius mundi memores semper sint se pro totius mundi salute simul ac pro aliqua dioecesi consecratos esse. Inde oritur illa communio Ecclesiarum qua ipsae sibi invicem suas necessitates aperiunt, suas res communicant, vocationibus iuvenum et clericorum ad Instituta missionalia libenter favent, aliquos ex suis sacerdotibus dioeceses Clero carentes adire curant, Opera Pontificalia Missionalia promovent, curam gerunt eorum qui studiorum vel laboris causa ex locis missionum in suas dioeceses se conferunt...

p. 10 linn. 22-28.

Textus prior

6. [*Debitum Missionale Sacerdotum*].

Sacerdotes ministerio Christi participant, et tota eorum vita in servitium missionis Ecclesiae dirigitur. Cum autem per proprium suum ministerium — quod essentialiter in Eucharistia, quae Ecclesiam perficit, consistit — Capiti communicent et communicare faciant, sacerdotes non possunt non sentire

Textus emendatus

7. [*Debitum Missionale Sacerdotum*].

Sacerdotes ministerio Christi participant, et tota eorum vita in servitium Missionis Ecclesiae dirigitur. Cum autem ministerii eorum excellentissimus actus, ad quem ceteri omnes ordinantur, in Eucharistica celebratione consistat, qua Ecclesia perficitur et Capiti suo communicat, sacerdotes acutissime sentiant

[20] *Textus prior*

quantum Ipsi desit ad plenitudinem corporis, et quantum proinde praestandum sit ut in dies crescat. Etiamsi ergo...

Textus emendatus

oportet quantum Ipsi Christo Capiti desit ad plenitudinem Corporis, et quantum proinde praestandum sit ut in dies crescat. Etiamsi ergo...

p. 10 linn. 33-36.

7. [*Debitum Missionale Institutorum Perfectionis*]. Sodales Institutorum Perfectionis orationes et sacrificia sua spiritu missionario foecundent. Si vero contemplationi dedicantur, meminerint innumerorum hominum sa-
[21] lutem a suo pendere sanctitatis studio. Vehementer...

8. [*Debitum Missionale Institutorum Perfectionis*]. Membra Institutorum Perfectionis votis suis Deo se dedicant non mere in propriam perfectionem attingendam, sed ut magno animo caritati salvificae universali Dei omnino se tradant. Quod si contemplationi dedicantur, meminerint innumerorum hominum salutem a suo pendere sanctitatis studio. Vehementer...

p. 11 linn. 19-23.

9. [*De Oecumenismo et Collaboratione cum non-christianis*].

a) Communi professione Fidei in Deum et Iesum Christum coram gentibus atque cooperatione in re tam sociali et technica quam culturali et religiosa, catholici fraterne collaborent cum christianis non catholicis ad normas Constitutionis de Oecumenismo.

10. [*De Oecumenismo et Collaboratione cum non-christianis*].

a) Communi professione Fidei in Deum et in Iesum Christum coram gentibus atque, ad normas Constitutionis de Oecumenismo, cooperatione in re tam sociali et technica quam culturali et religiosa, catholici fraterne collaborent cum christianis non catholicis.

p. 11 lin. 29 - p. 12 lin. 10.

10. [*Formatio Culturarum Christianarum*]. Ecclesia, utpote catholica, nullibi extranea est, sed formationem culturae christianae in omni populo sedulo curat, ut Fides catholica profundiores radices apud unumquemque populum ponere valeat, et sic totam Ecclesiam locupletet. Quapropter Instituta erigantur scientifica, ut in ipsis periti sacerdotes et laici, collatis viribus, operam dent adaptationi exse-

11. [*Activitas Missionalis et Cultura*]. Ecclesia, utpote catholica, nullibi extranea est, sed omnium culturarum veros agnoscit et fovet valores illosque assumit, christianis principiis imbuit atque elevat. Ex mutuo commercio inter religionem et culturam, non tantum cultura incrementum accipit, sed etiam Fides Catholica profundiores radices apud unumquemque populum ponere valet, et tota Ec-

Textus prior

quendae in formatione et vita catechetica, ascetica, liturgica, philosophica, theologica, culturali.

Textus emendatus [21]

clesia diversarum culturarum bonis locupletatur. Quapropter Instituta multiplicentur scientifica, ut in ipsis periti sacerdotes et laici, collatis viribus, operam dent adaptationi exsequendae in formatione et vita catechetica, ascetica, liturgica, philosophica, theologica, culturali.

11. [*Formatio Scientifica et Technica*]. Evangelii Praecones linguam, mentem, psychologiam et mores populi apprime intelligant, in doctrina catholica et in theologia pastorali pro suo gradu solidam habeant institutionem, et in rebus technicis quae ad eorum laborem spectant, congruam habeant instructionem. Ideo studia altiora quoque apud Instituta Scientifica Missionalia vel alias Facultates aut Universitates enixe commendantur, sive in propria natione, sive extra patriam prout necessitas exigit vel opportunitas suadet.

(n. 10) Insuper curent conferentiae episcopales ut, in Seminariis, alumnorum mentes ita educentur ut recte iudicare valeant propriae gentis peculiarem culturam ad philosophicas praesertim ac theologicas disciplinas quod attinet, et ut percipiant peculiares rationes quae inter illam et christianam religionem intercedant.

12. [*Formatio Evangelii Praeconum*]. Evangelii Praecones linguam, mentem, psychologiam et mores populi apprime intelligant, in doctrina catholica et in theologia pastorali pro suo gradu solidam habeant institutionem, et in rebus technicis quae ad eorum laborem spectant, congruam habeant instructionem. Ideo studia altiora quoque apud Instituta Scientifica Missionalia vel alias Facultates aut [22] Universitates enixe commendantur, sive in propria natione, sive extra patriam prout necessitas exigit vel opportunitas suadet.

Insuper curent conferentiae episcopales, ut, in Seminariis, alumnorum mentes ita educentur ut recte iudicare valeant propriae gentis peculiarem culturam ad philosophicas praesertim ac theologicas disciplinas quod attinet, et ut percipiant peculiares rationes quae inter illam et christianam religionem intercedant.

Cum vero tanta sit evolutio mentium in universo mundo, necesse est ut etiam Evangelii Praeconum formatio frequenter, statis temporibus, renovetur.

p. 12 lin. 11.

12. [*Formatio Catechistarum*].

13. [*Formatio Catechistarum*].

p. 12 lin. 12.

13. [*Instituta Superiora*].

14. [*Instituta Superiora*].

Moderator: Maximas gratias agimus em.mo praesidi et exc.mo relatori pro relationibus valde apte confectis, necnon commissioni pro strenuo labore.

Ut nunc continuari possit suffragatio de cap. III schematis *de pastorali munere episcoporum,* faciet relationem de hoc capite exc.mus D. Hermannus Schäufele, ep. Friburgensis in Germania.

EXC.MUS P. D. HERMANNUS SCHÄUFELE
Archiepiscopus Friburgensis

RELATIO

(*De pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* cap. III)

[*Cf. pagg. 196-201*].

Secretarius generalis: Velitis, Patres, ad vestra loca remeare, quia urget labor suffragationum. Lego textum suffragationis XVI. Videatis pag. 85, nn. 36-37 [*cf. pagg. 189-190*]. *Placet*ne an *non placet* hic textus, Patres venerabiles?

Attendatis parumper. Modi, qui dati sunt ad cap. II, possunt exhiberi etiam in congregatione, crastina. Et lego exitum suffragationis (XV) iam peractae super integrum cap. II:

Praesentes votantes		2.129
Dixerunt	*placet*	1.219
	non placet	19
	placet iuxta modum	889
Suffragia nulla		2

Ergo textus est iterum examinandus iuxta modos et exhibendus nostrae congregationi generali iterum.

Respondeatis ad suffragationem propositam: *placet* an *non placet.*

Moderator: Transeamus nunc ad disceptationem de schemate *de activitate missionali Ecclesiae.*

1

EM.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Venerabiles Patres,

Inde ab initio huius Concilii non tantum episcopi sic dicti terrarum missionum, sed episcopi omnes ardenter sperant hoc Concilium novum impetum communicaturum esse apostolatui missionali Ecclesiae. Totius enim mundi evangelisatio, sicuti saepe dictum est, ad essentiam missionis Ecclesiae pertinet.

Nunc autem, Concilium Vaticanum II multas rationes sperandi nobis praebet.

1. Concilium non tantum agnovit legitimitatem diversitatis in Ecclesia, sed etiam hanc diversitatem possibilem reddidit, episcopatibus nationalibus debitam libertatem praebendo in re liturgica et generatim in variis pastoralibus inceptis. Nullibi magis quam in terris missionum necessaria erit haec nova libertas episcoporum: illa libertate deficiente, uti patet ex ipsa historia, evangelii nuntii adaptatio ad diversas regiones impossibilis est. Sollicitudo, nuntium evangelicum adaptandi variis populis, praesens est menti schematis. Tamen, cum tanti momenti tantaeque difficultatis sit hoc problema, opinor schema fusius et magis vigorose illud tractare debere. In hac enim materia, pondus historiae superare debemus.

2. Spes nova apud nonnullos episcopos ex prospecta possibilitate permanentis diaconatus instaurandi, orta est. Pretiosum adiumentum recipient novellae Ecclesiae aliaeque Ecclesiae ubi vocationes desunt, quando votum eorum exauditum erit.

3. Alia spes nata est ex initio alicuius dialogi Ecclesiae cum religionibus non-christianis. Ecclesia per multa saecula, uti scimus, hunc dialogum sicut et dialogum cum fratribus separatis nimis timuit. Grati sumus de recenti institutione Secretariatus ad hunc dialogum fovendum deque miro modo quo de illo dialogo sermo fit in Litteris Encyclicis *Ecclesiam suam*. Dolui tamen schema fere nihil dicere de hoc dialogo. Alia ex parte, notavi schema — quod bene loquitur de occursu Ecclesiae cum culturis non-christianis — potius silere de occursu religionis christianae cum aliis religionibus. Opinione mea, haec quaestio praetermitti nequit si vere novam aetatem aperire volumus. Optarem ergo ut, una cum novo Secretariatu, commissio hanc quaestionem aggrediatur, saltem ad normas indicativas praebendas. Explicite dici deberet etiam

omnes Evangelii praecones — sive missionarios sive indigenos — extensivam cognitionem religionis loci ubi laborant acquirere debere.

4. Cum gaudio notavi textum schematis fovere cooperationem institutorum religiosorum inter se atque cum episcopis. Maximum enim obstaculum est progressui apostolatus missionarii, ista nimis fragmentatio virium missionalium quae etiam hodie in terris missionum saepe videri potest. Timeo tamen pauca verba quae in pag. 8 habentur, non satis esse ad efficacem et adaequatam cooperationem stimulandam.

5. Denique, inter fructus Concilii qui spem Ecclesiae suscitant relate ad promotionem missionalis operis, peculiariter eminet conscientia nova quam omnes nunc habemus de solidarietate omnium Ecclesiarum in munere mundi evangelizandi.

Moderator: Em.me, excusatum me habeas. Vult secretarius generalis indicare sequentem suffragationem.

Secretarius generalis: Lego textum suffragationis XVII, pag. 86 n. 38 [*cf. pagg. 190-192*]. *Placet*ne an *non placet?*

Orator: Etenim, uti res apprime affirmatur in schemate constitutionis *de Ecclesia,* munus collegialitatis versatur prius circa evangelisationem totius mundi, circa mutuum adiutorium inter omnes Ecclesias.

Nunc, melius quam antea, scimus constantem sollicitudinem de Ecclesiae incremento officium supplementarium non esse, sed ex ipso nostro munere episcopali oriri. Simul enim ac pro aliqua dioecesi, pro totius mundi salute consecramur. Ut autem illa doctrina effectum suum obtineat, necesse est — sicuti de cetero votum proponitur in schemate — ut quaedam instituantur structurae quibus omnes, non tantum singillatim sed et collective, sub ductu Summi Pontificis, responsabilitates nostras assumere possemus.

Mihi videtur Consilium Centrale Evangelisationis, de quo in art. 4, considerari oportet ut institutionem natam ad collectivam responsabilitatem episcoporum in actu exercendam versus totius mundi evangelisationem. Cum votum de illo consilio centrali iam formuletur in ipso schemate et suffragationem nostram postulet, mihi videtur votum illud etiam nostras propositiones requirere.

Mea sententia, oportet ut clarificetur propositio facta in art. 4. Modo enim ambiguo loquitur schema cum proponit Consilium Evangelisationis instituendum esse *apud* Congregationem Fidei Propagandae. Relatio schematis affirmat illud verbum « apud » omnes interpretationes recipere posse. Propositio autem sic formulata potius invitat ad consi-

lium creandum *extra* illud Dicasterium romanum. Humili meo iudicio et salva ampliori informatione, haec solutio videtur non parvas difficultates pati. Etenim, iuxtapositio institutionum quae similem competentiam de eadem materia habent difficilem reddit ordinationem mutuae eorum habitudinis. Proponerem ergo ut in art. 4 votum formuletur ponendi Consilium Evangelisationis *intra* ipsam Congregationem tamquam eius supremum consilium.

Illo modo efficacior reddetur sollicitudo episcoporum erga urgens opus missionale Ecclesiae. Nexus vitalis creabitur inter ipsos episcopos sicut et inter centrum Ecclesiae eiusque omnes partes. Ecclesiae locales melius cognoscent necessitates Ecclesiae universalis; et item regimini totius Ecclesiae afferetur aptior cognitio de reali statu evangelisationis mundi. Dixi.

Animadversiones additae:

1. Pag. 19 relationis, linn. 1-11. Textus emendatus mihi non placet. Non enim concordat cum doctrina in Constitutione « De Ecclesia » exposita. In illa constitutione enim deliberate vitantur verba quibus diceretur « salutem non-christianorum difficiliorem esse ». Hoc autem factum est propter petitiones Patrum. Praeterea, non possibile videtur probare doctrinam in novo textu propositam traditionalem esse, cum olim nonnisi de possibilitate vel non possibilitate locuti sunt Patres (cf. Const. *de Ecclesia,* pag. 37, linn. 37 sq.; etiam pag. 53, sub littera D).

2. Pag. 20, lin. 4. Loco verborum « ex ipsa insertione in Corpore Christi per sacramenta » dicatur: « ex ipsa incorporatione in Corpore Christi per baptismum ». Ratio est obvia: non omnibus sacramentis aliquis incorporatur in Corpore mystico.

3. Pag. 20, linn. 34-35. Loco « membra Institutorum Perfectionis », dicatur: « religiosi ». Hoc verbum « institutum perfectionis » expresse vitare voluit const. *de Ecclesia,* pag. 182 sub littera A.

Secretarius generalis: Lego textum suffragationis XVIII. Videatis pag. 87 nn. 39-41 [*cf. pagg. 192-193*]. *Placet*ne an *non placet,* Patres?

Audiatis, Patres! Crastina erit visitatio solemnis ad Romanum Pontificem Praesidis reipublicae. Quapropter rogantur Patres, ut alias factum est: Patres quidem qui vel ducunt autocinetum vel ducuntur ab autocineto proprio ut stationem faciant tempore congregationis in loco qui indicabitur a publicis Vaticanis. Gratias.

2

Em.mus P. D. PETRUS TATSUO card. DOI

Archiepiscopus Tokiensis

Venerabiles Patres,

Liceat mihi paucas observationes facere ad hoc schema emendandum et perficiendum.

1. *In prooemio* ambiguitas haberi videtur circa obiectum huius schematis. Secundum ea, quae dicuntur in pag. 7, linn. 24 ss., tractari videntur tum activitas missionalis stricte dicta in terris non-christianis tum variae activitates in subsidium dioecesium egentiorum. Melius est ut hoc schema agat solum de activitate missionali stricte dicta; circa alias activitates satis provisum est in aliis schematibus...[1]

2. Ubi agitur de labore missionali, pag. 8-9, n. 3, prudenter in emendatione omissa est vox « stadia ».

Desideratur tamen ut sub *a*) ostendatur etiam quomodo disponendi sint homines exculti in philosophia et in scientiis modernis per dialogum pro ipsis aptum.

Attendendum est etiam, in *b*) et *c*), quod relate ad tempus conversionis habentur magnae diversitates secundum indolem singulorum et operationem Spiritus Sancti in unoquoque. Ita apud nos multi non-christiani instructionem catecheticam in scholis catholicis recipiunt, conversio autem apud alios citius apud alios tardius evenit. Si schema indicare vult lineam generalem, locum relinquere debet his diversitatibus de quibus constat ex experientia.

Sub *d*) dicitur quod communitas christiana, paulatim crescens, « missionaria evadit et signum praesentiae Dei in mundo ». Desideratur ut magis in concreto ostendatur quomodo nova communitas christiana ad hoc dirigenda sit, ut vere fiat signum praesentiae Dei in mundo.

3. Laudanda est nova redactio n. 11, qui agit de activitate missionali et cultura.

Addendum tamen est quod omnes Praecones Evangelii, etiam illi qui non laborant in Institutis scientificis, amplam cognitionem culturae populi sibi acquirant, et quidem hanc culturam spiritu apostoli Pauli ex corde amplectantur ...[2]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. Const. *de Ecclesia,* cap. III, n. 23; Decr. *de pastorali episcoporum munere,* cap. I, nn. 6-7). [2] (cf. *1 Cor.* 9, 19-22).

Animadversiones additae:

Ad num. 1. Interventus: Verum est quod dicitur in schemate, pag. 8, linn. 3-5, quod: « activitas missionalis eo tendit ut Ecclesia ubique praesens reddatur, et media salutis ipsi a Christo commissa omnibus pateant ». Et hoc sensu activitas missionalis se extendit ad omnes populos.

Magna tamen existit differentia inter activitatem Ecclesiae in populis antiquae historiae et culturae christianae, et illam in populis, quorum historia et cultura ab aliis religionibus formatae sunt et in quibus nunc Ecclesia implantanda est. Diverso enim modo, in utroque casu, Ecclesia suum colloquium cum hominibus instituere debet, diverso modo se ad eorum condiciones adaptare curabit. Et prima implantatio ac expansio Ecclesiae in aliquo populo sub variis respectibus differunt ab eius restauratione et ulteriore progressu in aliquo populo christiano. Quare omnino retinenda est, et in theoria et in praxi, notio *activitatis missionalis stricte dictae,* quae nempe significat implantationem et primam expansionem Ecclesiae in terra nondum christiana. Et de hac re evidenter agere vult nostrum schema, ut patet, v. g. ex nn. 10 et 11.

Quare necessarium videtur ut etiam in prooemio haec intentio schematis clare exprimatur.

Secretarius generalis: Lego textum suffragationis XIX. Videatis pag. 88, nn. 42-43 [*cf. pagg. 193-194*]. *Placet*ne an *non placet,* Patres?

3

EM.MUS P. D. LAUREANUS CARD. RUGAMBWA
Episcopus Bukobaensis

Venerabiles Patres,

Velim aliqua dicere de necessitate et de modis adaptationis in Missione.

S. Paulus, Apostolus Gentium et omnium futurorum apostolorum exemplum, magnam chartam adaptationis missionariae scripsit in epistula prima ad Corinthios, in qua dicit: « Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos » ...[1]. Quare valde gaudendum est, quod propositiones *de activitate missionali Ecclesiae* sat fuse et clare de adaptatione tractant. Velim tamen illa, quae iam dicta sunt, ita explicare, ut illud rerum missionalium caput distincte et plane illucescat.

1. Urgens huius adaptationis necessitas non concluditur ex rationibus mere methodicis aut strategicis, velut si adaptatio esset novus et callidus modus captandi benevolentiam auditorum.

Adaptatio enim potest et debet commendari ex attenta totius historiae missionum consideratione. Si certae quaedam missiones tam pulchre floruerunt, nonne hoc accidit quia missionarii Ecclesiam solide

plantaverunt in populis, quorum valores reverenter agnoverunt et (ut ita dicam) baptizaverunt. E contra nonne Ecclesia tempore moderno in certis quibusdam regionibus tarde progressa est, quia per defectum adaptationis speciem mere occidentalem praebuit et cum colonica dicione confusa in suspicionem cecidit?

Attamen adaptatio, cuius effectus in historia missionum consideramus, ad ultimum innititur modo, quo ipse Deus et Christus erga homines redimendos egerunt. Deus homines diversos creavit et illa humani generis diversitas rite exculta ad gloriam Dei confert. Verbum Dei caro factum est et Christus Salvator in totam multiplicitatem vitae humanae quasi « inseri » volunt, « habitu inventus ut homo » (*Phil.* 2, 7). Ipsa etiam Ecclesia, ut per Missionem Incarnationem Christi revera continuet omne quod humanum est, reverenter penetrare atque veras uniuscuiusque populi divitias redimere ac baptizare debet.

2. Illae autem divitiae, quarum summa culturam populi constituit, prima et externo modo sunt illa numerosa *utensilia* quae hominis vitae quotidianae inserviunt notamque propriam imprimunt. Sacerdos, qui illis rebus ad normam consuetudinum regionis utitur, ab incolis libenter admittitur. In *aliquibus*[2] regionibus missionum saepe sat pauperibus omnia, quae superflua sunt, in scandalum facile vertuntur. Quodsi pro apostolatu necessaria sunt magna aedificia, vehicula magni pretii, etc. omnia illa clare et manifeste debent esse instrumenta laboris, qui fit pro tota communitate christiana. Ad omnem ambiguitatem removendam multum confert, si illa instrumenta non tantum pro populo adhibeantur, sed etiam ipsi populo concredantur. In administratione illorum bonorum et operum responsabilitas et auctoritas dari debent christifidelibus laicis. Ita fiet, ut ipsi opes vel pecuniam promptius tribuant Ecclesiae, quae « res eorum propria » erit; sic bona Ecclesiae et opera Ecclesiae cordi habebunt et pro viribus adiuvabunt.

Adaptatio vigere debet non tantum in usu rerum externarum, sed etiam in bonis regionis *consuetudinibus* observandis. Multa requiruntur ad perfectam eiusmodi adaptationem veluti linguae peritia, observantia spontanea popularium consuetudinum urbanitatis, victus, habitationis atque vestitus. Ad normam denique novae Constitutionis de Sacra Liturgia ipsa quoque Liturgia ad mentem populi adaptari debet.

Praeterea tam illi qui aliunde veniunt quam illi qui ex ipsa regione oriuntur, fideliter observare tenentur *leges* regionis, quia illis legibus innititur progressus patriae. Illis ergo sincere non quasi vi coacti, oboediant et cum omnibus concivibus collaborent ad bonum commune. Ii, qui aliunde veniunt, memores sint verborum Dei ad Abraham: « Egredere de terra tua, et de cognatione tua... et veni in terram, quam mon-

strabo tibi » ...[3]. Illam ergo terram ut novam patriam sincere eligant et ament.

Adaptatio praesertim etiam requirit, ut agnoscantur et assumantur valores morales et religiosi qui intimum cuiusvis culturae nucleum constituunt.

In thesauro morali et religioso uniuscuiusque populi, sunt multa bona, *sacra*[4] et pulchra, quae per saecula creverunt, secundum mysteriosum Dei Consilium, ut, tempore divinitus stabilito, Christi Corpori seu Ecclesiae insererentur et in eo mirabilem elevationem acciperent. Illa tantum derelinquenda sunt quae ultimo fini hominis redimendi adversantur; pro omnibus aliis valet verbum S. Pauli: « Quod bonum est, tenete! »...[5]

Ut ait Pius Papa XI, Ecclesia sat ampla est, ut sub eius « cupola » omnes populi cum suis dotibus particularibus, locum suum inveniant; ipsaque illa Ecclesia, ex tali varietate, magnum et novum emolumentum accipiet.

3. Sed illa catholicitas plena, ex sana et intenta adaptatione oriunda, nasci non potest nisi in spiritibus qui sunt vere *catholici* in sentiendo, cogitando atque agendo. Illa autem intellectio profunda diversitatis humanae, ut rei providentialis, illa reverentia erga populos quos Deus pedetemptim et multimodis ad maturitatem perducit, illa assumptio totius vitae alicuius populi in sinum Ecclesiae ad plenitudinem Christi, haec omnia acquiri non possunt nisi diligenti et accurato studio, nisi patienti conatu.

Quare omnino approbandae sunt propositiones, quae rogant ut multiplicentur coetus peritorum apud conferentias episcopales, Instituta studiorum de religionibus et culturis et scholae apostolatus. Ex formatione accurata profluet melior cognitio et maior aestimatio naturae propriae uniuscuiusque populi.

Tunc, demum, quando illa adaptatio et quasi incarnatio Evangelii et Ecclesiae, in unoquoque populo, secundum propriam eius indolem perfecta fuerit, « in omni loco offeretur oblatio munda » ...[6] et Christus esse poterit « omnia et in omnibus » ...[7]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*1 Cor.* 9, 22). [2] deest. [3] (*Gen.* 12, 1). [4] sana. [5] (*1 Thess.* 5, 21). [6] (*Mal.* 1, 11). [7] (*Col.* 3, 11).

Secretarius generalis: Lego textum suffragationis XX: n. 44, pag. 89 [*cf. pag. 194*]. *Placet*ne an *non placet* hic textus?

Lego exitum suffragationis XVI:

Praesentes votantes		2.014
Dixerunt	*placet*	2.000
	non placet	11
	placet iuxta modum (ergo nulla suffragia)	2
Suffragium nullum		1

Ergo textus est in congregatione generali approbatus.

4

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Venerabiles Patres,

Mihi magno honore et magna laetitia est loqui nomine omnium episcoporum Africae et multorum episcoporum Asiae.[1]

Cum Concilium renovationi Ecclesiae studeat ac vestigia iuventutis *suae fervorosae*[2] quaerat — uti Summus Pontifex Ioannes XXIII dicebat — nullum dubium esse potest, quin a Concilio etiam novus impulsus pro activitate missionali Ecclesiae procedere debeat. Haec enim activitas inter Ecclesiae munera maxime essentialia numerari debet. Dico Concilium, « novum impulsum » hac in re debere *dare,*[3] i. e. novas vocationes missionarias et novum fervorem in hac activitate exercenda, suscitare et non tantum novam ordinationem iuridicam afferre. Quod *igitur*[4] non solum a natura ipsa Ecclesiae, sed etiam a conditionibus particularibus nostrorum temporum *postulatur.*[5] Notum est enim vocationes missionarias his ultimis temporibus ob varias rationes numero diminutas esse et passim dubia spargi, utrum activitas missionaria *proprie dicta* etiam hodie actualis et opportuna sit. His periculis schema occurrere et remedium aliquod afferre debet.

...[6] *Scopus* activitatis missionalis in vera luce ponatur, qua praesertim ab hodierno homine bene *intellegatur*[7] et recte aestimari possit. Ad quem finem interrogemus apostolum gentium maximum omnium temporum missionarium. Ille annuntiabat « mysterium quod absconditum fuit a saeculis et generationibus » ...[8] « gentes esse coheredes et concorporales et comparticipes promissionis in Christo Iesu per evangelium » ...[9]. Est ergo grande illud consilium Dei respiciens sortem temporalem et aeternam totius generis humani, omnes populos arctissime uniendi cum Christo in eius Corpore mystico et ita etiam inter se. Deus enim sibi proposuit « instaurare omnia in Christo » ...[10] i. e.,

...[11] omnia unire sub *uno* [12] Capite Christo Iesu. Christus enim per suum sanguinem populum electum Veteris *testamenti* [13] una cum « gentibus », i. e. omnibus aliis populis in semetipso in unum novum hominem condidit, reconcilians ambo in uno corpore Deo per Crucem eosque concives sanctorum et domesticos Dei ...[14] *efficiens,*[15] i. e. membra familiae Dei...[16]

Hic est profundus sensus eorum quae Christus dixit in precatione sacerdotali post ultimam Cenam: « Pater... clarifica Filium tuum, ut Filius tuus Te clarificet; nam dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam aeternam. Haec est autem vita aeterna: *dicit Dominus* [17] ut cognoscant Te solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum » (*Io.* 17, 1-3).

Si scopus activitatis missionalis, venerabiles Patres, hoc modo explicatur, nonne *ipse scopus est omnino actualis et semper actualis et maxime hodie, actualis* [18]? Nonne inde bonus nuntius hominibus vere ut talis apparebit et qui illum praedicant non considerabuntur ut praedicantes inventum aliquod stirpis albae vel culturam *quandam* [19] vel civilem cultum occidentalem *vel alterius generis,*[20] sed vere ut ministri Christi, capitis generis humani et dispensatores mysteriorum Dei, i. e. donorum Dei, ...[21] omnem naturam et scientiam humanam *superans.*[22] Nonne hoc modo novi populi tale propositum minime seipsis indignum reputabunt sed tamquam maxime honorificum, quia ita ut membra pleni iuris *in Christo conficiantur* [23]? Id quod clare apparebit hanc activitatem usque ad consummationem saeculi continuandam esse, usquedum hoc magnum consilium Dei plene ad effectum perductum sit. Apparebit etiam quam longe hodie ab hac meta distemus cum decies centeni milliones nondum Christum cognoscant et proinde opus missionum hodie novo iuvenili ardore promovendum esse patebit.

Dicunt fortasse aliqui [24] aliquando: hodie iam in omnibus fere populis *constituta est S. Hierarchia,*[25] quae Christi causam promovet, ac proinde non *datur* [26] rationem missionarios ad novos populos mittendi, dum ex alia parte in regionibus olim christianis permulti cuidam neopaganismo *indulgeant* [27] et proinde denuo evangelizandi *sint.*[28] Iamvero certe Deo maximae agendae sunt gratiae ob S. Hierarchiam iam constitutam in omni terrarum parte — uti vestra quoque, *exc.mi Fratres, praesentia luculenter* [29] ostendit — tum ob conscientiam in Ecclesia in dies magis invalescentem gravis illius officii regiones olim christianas iterum *evangelizandas esse.*[30] Tamen ne obliviscamur quaeso *primam* annuntiationem Evangelii, iis scil. factam, qui nunquam de Christo audiverunt, Ecclesiam semper *habitam esse* [31] carissimam, ut pupillam oculi.

...[32] Ne quaeso, illudamus nobis, hodie rem se aliter habere et in

multis illis populis novis ideo iam omnia fere peracta esse, quia in ipsis S. Hierarchia constituta est. Immo hierarchia ex se sola immensum laborem evangelizandi gentes praestare non potest neque plerumque ei satis multi *collaboratores et* [33] cooperatores indigeni praesto sunt: potius egent nostro adiutorio. Nostrum ergo est nunquam oblivisci illius veritatis fundamentalis expositae in constitutione *de Ecclesia,* omnibus membris scil. collegii episcopalis *simul* incumbere curam pro tota Ecclesia et grave officium, Evangelium in toto genere humano annuntiandi. Haec eadem cura aliquo modo omnibus membris eiusdem mystici Corporis Christi incumbit, secundum illud S. Pauli: « Pro invicem sollicita sint membra; et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra » ...[34] Omnia igitur membra, ...[35]

Moderator: Em.me Domine, maxime doleo, tempus tuum exhaustum esse.

Orator: *Adiungo adhuc brevem aliquam expositionem, quam puto praemittendam esse, ipsi expositioni in schemate.*[36] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] magis fervorosae Ecclesiae. [3] excitare. [4] requiritur. [5] deest. [6] Primum ac principale remedium sine dubio illud est ut. [7] intelligi. [8] (*Col.* 1, 26). [9] (*Eph.* 3, 6). [10] (*Eph.* 1, 10). [11] secundum textum originalem graecum. [12] deest. [13] Foederis. [14] (cf. *Eph.* 2, 11. 15 s. 19). [15] effecit. [16] Quicumque enim baptizantur, in uno eodemque Spiritu in unum corpus baptizantur sive Iudaei, sive Gentiles, sive servi sive liberi, et omnes in uno Spiritu potantur (cf. *1 Cor.* 12, 12 s.), ita ut non sit Iudaeus neque Graecus, non servus nec liber, sed omnes unus sint in Christo Iesu (*Gal.* 3, 28). [17] deest. [18] ipsa ut omnino actualis et maxime hodie, apparebit? [19] deest. [20] deest. [21] quae. [22] superant. [23] fiunt regni Christi et ad cooperandum vocantur in novo genere humano in Christo construendo? [24] Sed obiicitur. [25] constitutam esse S. Hierarchiam. [26] dari. [27] indulgent. [28] sunt. [29] hic praesentia. [30] evangelizandi. [31] habuisse. [32] Undenam haec praedilectio pro tali prima annuntiatione? Fortasse quia hi homines magis Christo indigent et generatim melius dispositi ac magis humiles sunt. Ecclesia praeterea semper vivum sensum habuit « tempus esse breve » (*1 Cor.* 7, 29) et immane opus evangelizandi genus humanum nunquam satis cito progredi posse. [33] deest. [34] (*1 Cor.* 12, 25 s.). [35] quodcumque suo modo, curam gerere debent de activitate missionali Ecclesiae. Gradus et intensitas renovationis Ecclesiae eiusque fervoris maxime dignoscuntur e fervore in activitate missionali exercenda, promovenda, iuvanda. Factum decies centenos miliones hominum nondum cognoscere nec agnoscere Christum, omnia Ecclesiae membra zelo et fervore implere debet secundum illud S. Pauli: « Caritas Christi urget nos » (*2 Cor.* 5, 14 ss.).

Concludo: ut ergo Concilium renovationem Ecclesiae in hac parte essentialiter et efficaciter promoveat, liceat proponere ut initio num. 1 textus nostri necessitas activitatis missionalis modo magis forti et menti hodierni hominis magis consentaneo imprimatur. Scio equidem hic agi de brevi decreto et omnino assentior, sed puto id quod propono sat breviter expediri posse. Paravi talem brevem textum, quem non est opus nunc legere. Addo: hinc ipsum decretum novam lucem acciperet, cum secus nimis sobrium et fere solum iuridicum sit. Hoc eo magis necessarium est, quia loci constitutionis *de Ecclesia* ad quos in decreto remittimur solum de Evangelizatione in genere et non praecise de activitate *missionali* agunt. Ceterum decet etiam tale breve decretum aliquas paucas sententias de spiritu, quo activitas missionalis exercenda est, continere. Spiritus enim et fervor maioris sunt momenti, quam normae iuridicae, etsi hae quoque necessariae sunt. [36] deest.

Secretarius generalis: Venerabiles Patres, praefectus cubiculi Summi Pontificis haec mihi mandavit dicenda: « Patres Orientales coram Summo Pontifice admittentur una cum Patribus nationis vel linguae ad quam pertinent ».

Nunc lego exitum suffragationis XVII:

Patres votantes	2.021
Dixerunt *placet*	1.948
non placet	71
placet iuxta modum (votum nullum igitur)	1
Suffragium nullum	1

Denique procedamus, Patres venerabiles et patientissimi revera, ad ultimam suffragationem quae respicit totum cap. III. Incipit in pag. 85 n. 36 et desinit pag. 90 n. 44 [*cf. pagg. 189-194*]. Sinatis ne legam haec omnia quae mox iam legi, summatim, saltem. Ergo Patres, placet vobis, non placet an placet iuxta modum cap. III istud schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia?* Qui modos proferunt, exhibere possunt, ut iam dictum est, in congregatione proxima, nempe crastina. Gratias.

5

REV.MUS P. D. MARTINUS LEGARRA TELLECHEA

Praelatus nullius Buccae Taurinae

Venerabiles Patres,

Quamquam schema fortasse exiguum videatur pro momento et magnitudine argumenti Missionum, tamen optima adsunt in eo quae debite revisa in bonum practicum missionum redundare possunt.

Itaque peropportune exprimitur in schemate conditio vere missionalis qua tota Ecclesia hodiernis temporibus versatur, optimeque pariter oculi convertuntur, tanquam ad debiliora membra, ad eas iurisdictiones seu regiones in quibus Ecclesia sibi non sufficit, quaeque proinde debent multiformiter adiuvari.

Quo hoc ordinate et efficacius fiat, stabiliuntur in schemate quaedam principia ad activitatem et cooperationem missionalem regulandam. Haec principia, uti dicitur in schemate etsi in universum valeant, unice applicari intenditur « ad illas regiones coetusque humanos vel ad illas dioeceses, sive in praesenti a Sacra Congregatione de Propaganda Fide pendeat sive non, in quibus Ecclesia vel nondum implantata est, vel sibi non sufficit ad illas institutiones erigere aut sustinere sine quibus vita christiana evolvi nequit.

Nunc vero praefata principia, sicuti desiderata cooperatio amplectuntur aspectum spiritualem, culturalem, personalem, ac etiam oeconomicum. Estne qui dubitet de momento huius adspectus, oeconomici nempe, ut Evangelii praecones caritatem explicare possint suumque adimplere ministerium.

Opportune igitur schema nostrum cooperationem oeconomicam peroptat: *a*) sive sacrae hierarchiae, cum innuit ut conferentiae episcopales statuant unamquamque dioecesim summam aliquam propriis redditibus proportionatam quotannis ad opus Evangelizationis destinare; *b*) sive singulorum episcoporum prout in schemate de Ecclesia suffragatione XX acceptatum fuit; *c*) sive laicorum, eos urgendo ut praeterquam spiritualibus, materialibus quoque subsidiis missiones adiuvent, et hoc ex debito qua membra viventia Corporis mystici Christi...[1]

Ut notum est organum centrale atque praecipuum ad subsidia pro missionibus colligenda et distribuenda est quambenemerita Sacra Congregatio de Propaganda Fide. Sed, quibus haec subsidia ordinarie praeberi solent? Communiter imprimis et quasi ex norma, iurisdictionibus quae ab eadem Sacra Congregatione pendent: aliis vero, per exceptiones plus minusve frequentes, et ob quas ex corde gratias reddimus. Aeque sane consilio, huiusmodi differentiam schema nostrum videtur velle e medio tollere, ita ut in cooperatione oeconomica praestanda, in futuro magis quam ad nomina, ad reales et veras necessitates unice attendatur.

Praelaturae Nullius sunt classicum exemplum. Sors enim illorum, a nomine pendens, fuit saepe incerta et precaria.

Praelaturae Nullius in iure et quoad honorem, ut ita dicam, dioecesibus appropinquantur; quamplurimae autem sunt vera territoria missionum iuxta conceptum qui generaliter de missionibus habetur, sive

quoad necessitates spirituales, culturales, materiales; sive defecto primordialium institutionum ad vitam ecclesialem (Seminaria, scholae) sive quoad condiciones geographicas et hygienicas. Et sunt quaedam Praelaturae, inquam, in quibus fere nihil factum est et fere totum est faciendum. Sit in exemplum Praelatura Buccae Taurinae mihi commissa, in qua ex triginta quinque millia incolarum, duodecim millia circiter non sunt christiani, et sex millia sunt acatholici, et maior pars in paupertate laborantes. Et quid, venerabiles Patres, si his descriptis adiunctis, extraordinaria superveniunt, ut destructio magnae partis civitatis, ecclesiae cathedralis, scholae, etc. ... quae omnia Praelaturae meae obvenerunt dum ego vix in Romam perveneram? Nonne ista atque similes iurisdictiones inter missiones recenseri debent et qua tales generositer adiuvari?

Verum est, repeto, S. Congregationem de Propaganda Fide non raro dictis Praelaturis subsidia praebere, sed cum hoc non fiat periodice et regulariter, deest illis haec consolatio et spes fixa, quae permittunt animo tranquillo ad futurum respicere. Alioquin, necessitate compulsi, vires et tempus etiam erubescentes in mendicando pro nostris Praelaturis frequenter, impendere debemus.

Venerabiles et generosissimi Patres, ad conclusionem veniam.[2] Petimus ut in definitiva schematis redactione magis explicita fiant principia circa cooperationem oeconomicam in missionibus praestandam, ita ut Praelaturae Nullius quae, etsi non vocantur, missiones sunt, modo aequo et regulari participationem accipiant ex eleemosynis quae ad missiones provehendas afferunt christifideles. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (pag. 11, n. 8). [2] Concludendum mihi videtur.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis XVIII:

Praesentes votantes	2.025
Dixerunt *placet*	1.998
non placet	27

Ergo textus est a congregatione approbatus.

Moderator: Proxima congregatio erit crastina die, hora 9, in qua prosequetur disceptatio *de activitate missionali.*

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CXVII

7 novembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CXVII

7 novembris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

In hac congregatione generali 117, quam moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis, prosequetur disceptatio circa schema *de activitate missionali Ecclesiae,* et de eo verbum facere postulaverunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ioseph Frings, arch. Coloniensis in Germania; Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis in Hollandia; Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis in Belgio; et, deinde, nomine plurium Patrum, exc.mi DD. Deodatus Yougbare, ep. Kupelaënsis in Alta Volta; Bernardinus Gantin, arch. Cotonuensis in Dahomey; Nicolaus Geise, ep. Bogorensis in Indonesia; Daniel Lamont, ep. Umtaliensis in Rhodesia Meridionali; Cyprianus Kihangire, ep. aux. Guluensis in Uganda; Petrus Massa, ep. Naniamensis in Sinis; Petrus Carretto, ep. vic. ap. Rajaburiensis in Thailandia; Petrus Moors, ep. Ruremondensis in Neerlandia; Ioannes B. Velasco, ep. Sciiamenensis in Sinis; Iucundus Grotti, prael. null. Acrensis et Puruensis in Brasilia; Ioannes Gahamanyi, ep. Butarensis in Rwanda; Vido Maria Riobé, ep. Aurelianensis in Gallia; Iacobus Moynagh, ep. Calabarensis in Nigeria; Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis in Sinis; Laurentius Picachy, ep. Jamshedpurensis in India; Xaverius Geeraerts, ep. tit. Laganitanus; Secundus García de Sierra, arch. Burgensis in Hispania; Elias Zoghby, arch. vic. patr. Melchitarum in Aegypto; Ioannes Kodwo Amissah, arch. Litoris Capitis in Ghana.

Communico vobis, Patres, exitus suffragationum reliquarum heri peractarum.

Suffragatio XIX:

Super Patrum		2.065
dederunt votum	*placet*	2.053
	non placet	11
Suffragium nullum		1

Suffragatio XX:

Praesentes votantes	. . . .	2.074
Dederunt suffragium	*placet*	2.049
	non placet	15
	placet iuxta modum (quae sunt vota nulla) . .	10

Ergo uterque textus est probatus a congregatione generali.

Denique, *suffragatio super integro cap. III* dedit hunc exitum:

Suffragium tulerunt	. . . .	2.070
Ex his dixerunt	*placet*	1.582
	non placet	15
	placet iuxta modum: reliqui, i. e.	469

Et non desunt vota nulla, quae sunt 4

Ergo caput est probatum a congregatione generali; attamen, ut moris est, modi examinabuntur.

1

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. FRINGS
Archiepiscopus Coloniensis

Venerabiles Fratres, carissimi adstantes omnes,

Res missionaria, secundum meum iudicium humile, est tam essentialis Ecclesiae et tanti momenti, tam absolute quam in hodiernis adiunctis, ut paucis propositionibus absolvi non possit, sed oporteat ut proprium et integrum schema perficiatur, theologicum et practicum, et ut hoc schema proponatur quartae huius sacri Concilii sessioni. Hoc est etiam fervens desiderium multorum episcoporum Africae et ceterarum missionum, et superiorum generalium. Rogo humiliter ut hoc desiderium impleatur.

Ad singula:

1. Ex theologia missionali: in primis propositionibus, haec theologia debet esse multo profundior quam nunc. Sed ex his verbis expungatur usus analogicus verbi « missio » pro terris olim christianis, nunc autem magna ex parte dechristianizatis, sed appareat conceptus missio-

nis in suo fulgore originali ut significet evangelizationem Iesu Christi Domini Nostri Salvatoris in iis locis ubi hoc Sanctissimum et Dulcissimum Nomen Iesu nondum praedicatum est. Et, enucleantur magis verba Apostoli Sancti Pauli: « Vae mihi est si non evangelizavero », sicut heri clarissime fecit em.mus cardinalis Bea.

2. Adhaereo propositioni quartae, quae postulat ut Sacrae Congregationi de Propaganda Fide, sub Praefecto suo, aggregetur quidam senatus consistens ex quibusdam excellentibus episcopis missionum et antiquae christianitatis et ex optimis peritis in re missionali tam practicis, tam theoreticis. Qui senatus studeat et proponat Summo Pontifici modella accommodationis et adaptationis pro singulis culturis, et evolvat quamdam strategiam missionariam inquirendo ubi sint hic et nunc maiores possibilitates vel necessitudines evangelizationis et quibus mediis, quibus personis, quibus adiumentis materialibus in his locis missio debeat adiuvari; ita ut Sacra Congregatio de Propaganda Fide magis transeat in statum dynamicum, et sit vere Consilium generale (germanice « Generalstab ») Summo Pontifici pro evangelizatione mundi.

3. Adhaereo etiam propositioni quintae, in qua postulatur ut tributum annuale ab omnibus dioecesibus solvatur per annum. Exempli gratia, in nostris regionibus, salvis donis voluntarie datis sat magnis a nostris fidelibus et a dioecesibus, circa decem millia millium marcarum ex taxis ecclesiasticis sumuntur pro re missionaria.

Venerabiles Patres, omnis organismus vivens in hoc saeculo aut crescit aut decrescit, et nunquam in eodem statu manet. Huic legi subiacet etiam Ecclesia Christi: aut crescit, aut decrescit, tertium non datur; sive: rogamus Spiritum Sanctum ut Ecclesia nostra semper vivat et crescat interius et exterius; et nos omnes co-responsabiles sumus. Dixi.

Textus scripto traditus:

Res missionaria secundum meum humile iudicium tam essentiale pro Ecclesia esse videtur et tam absolute quam speciatim in nostris adiunctis tanti momenti, ut non sufficiat eam paucis propositionibus absolvere, sed oporteat proprium et completum schema perficere et quartae Concilii sessioni proponere. Hoc non solum est meum iudicium, sed est etiam fervens desiderium Superiorum Generalium necnon multorum episcoporum Africae et ceterarum missionum. Rogo humiliter, ut hoc desiderium adhuc impleatur.

Ad singula:

1. Ex theologia missionis, quae multo profundior esse deberet, expungatur usus analogicus verbi « missio » pro regionibus olim christianis hodie autem magna ex parte dechristianisatis. Sed conceptus missionis appareat in suo fulgore

originali, quatenus significat evangelizatio Iesu Christi Salvatoris nostri, ubi hoc sanctissimum et dulcissimum nomen nondum praedicatum est. Et explicetur verbum S. Pauli « vae enim mihi est, si non evangelizavero » (*1 Cor.* 9, 16), sicut heri clarissime ostendit eminentissimus cardinalis Bea.

2. Aggregetur Sacrae Congregationi de Propaganda Fide, ut in propositione quarta dicitur, Consilium Centrale Evangelizationis consistens ex aliquot episcopis tum ex missionibus tum ex antiqua christianitate et ex peritis missionariis tam practicis quam theoreticis, quod Summo Pontifici proponat modella accommodationis et adaptationis, quae in singulis regionibus et culturis apta sint, et evolvat strategiam missionariam inquirens, ubi sint maximae necessitates et possibilitates pro evangelizatione quibusque mediis, quibus personis, quibus adiumentis materialibus praedicatio evangelii ibi fiat, ita ut Sacra Congregatio de Propaganda Fide magis ad statum dynamicum transeat sitque vere Consilium Centrale Summi Pontificis pro evangelizatione mundi.

3. Assentior propositioni quintae, secundum quam unaquaque dioecesis tributum annuale pro re missionaria Ecclesiae solvere debet; nam vere indignum et iniustum est episcopos missionum per menses vel per medium annum mendicari debere, ut suis ecclesiis providere possint. Sic in nostris regionibus e. g. salvis omnibus donis voluntariis fidelium vel dioecesium sat magnis circa decem milliones marcarum ex taxis ecclesiasticis solvi possent.

Omnis organismus vivens in hoc saeculo aut crescit aut decrescit, sed numquam in eodem statu manet. Huic legi etiam Ecclesia subiacet. Quare Ecclesia Christi semper vel intus vel exterius crescere debet, nisi decrescere velit.

2

EM.MUS P. D. BERNARDUS IOANNES CARD. ALFRINK
Archiepiscopus Ultraiectensis

Venerabiles Patres,

Rogatus a multis episcopis ex Ecclesiis novellis et e terris missionum qui a mea patria originem ducunt, liceat mihi de problemate missionario sequentia proferre, in festo hodierno Sancti Willibrordi, primi episcopi Ultraiectensis, qui hic Romae a Summo Pontifice Sergio I consecratus ut missionarius apostolicus est remissus in terram Frisorum.

In propositionibus « de activitate missionali Ecclesiae » vix agitur de ipsa vocatione missionaria. In uno tantum loco quasi per transennam de ea sermo fit et quidem in paucis verbis ...[1], ubi de episcopis dicitur quod vocationibus iuvenum et clericorum ad Instituta missionalia libenter faveant.

Fortiori quidem modo de ea loquitur constitutio *de Ecclesia,* ubi in n. 23 ...[2] legitur: « Singuli episcopi... missionibus... messis operarios... suppeditare omnibus viribus debent ». Sed videtur quod in ipsis his

propositionibus *explicite* [3] agi deberet de necessitate, de natura et de conditionibus vocationis missionariae.

Si in hoc schemate in n. 2 dicitur quod « Episcopi totius mundi una cum Romano Pontifice et sub eius auctoritate munus habent *ubique terrarum* fidem promovendi et Evangelii praecones ad quoscumque hominum non christianorum coetus mittendi », bene conscii esse debemus quid hoc mandatum Domini nostri Iesu Christi sibi velit.

« Praedicate evangelium omni creaturae » et « Docete omnes gentes », hoc sibi vult ...[4] quod Ecclesia hodierna duobus milliardis hominum non-christianis, *i. e. fere duobus tertiis partibus totius humanitatis,*[5] Evangelium Christi annuntiare debet...[6]

Opus evangelizationis mundi vix inchoatum est, non obstantibus conatibus vere magnis et fructuosis huius ultimi saeculi, quorum tot episcopi ex Ecclesiis novellis hic praesentes testes sunt gaudiosi.

Attamen erectio novellarum Ecclesiarum quae his ultimis annis in terris missionum floruit — et optime et necessario floruit — neminem fallat, acsi missio sacerdotum missionariorum ex nostris regionibus minus esset necessaria. Hae enim novellae Ecclesiae, in quibus pauci adhuc sacerdotes indigeni inveniuntur, maximum et valde grave implere debent munus et officium. Non tantum enim aggravantur cura animarum pro iis qui fidem catholicam iam acceperunt, sed ipsarum erit munus et officium mandatum Domini de praedicatione Evangelii implere omnibus iis qui in illarum territorio nuntium salutis nondum perceperunt. Ita ipsis Ecclesiis novellis incumbit sat magna pars muneris missionarii totius Ecclesiae per se ipsas implere, dum ex altera parte sine adiutorio externo vix adimplere possunt alterum officium, consolidationis nempe Ecclesiae in iis qui iam fidem acceperunt.

Ecclesia universa habet Domini mandatum ut Evangelium annuntiet omnibus gentibus ubique terrarum. Quomodo autem — dicit S. Paulus — audient sine praedicante? et quomodo praedicabunt nisi mittantur?

Sed in his ultimis annis, *sicut iam dictum est,*[7] numerus missionariorum valde diminuit ...[8]. Manifestum videtur, quod hic retrogressus compensari non potest per sacerdotes dioecesanos, qui per aliquot paucos annos in novellis Ecclesiis et in terris missionum adiutorium praestare volunt — neglecta quaestione an isti sacerdotes qui per paucos solummodo annos in campo valde difficili laborant, adiutorium praestare valent revera fructuosum.

Quomodo Ecclesia Christi mandatum Domini implebit nisi numerus sacerdotum missionariorum augeatur? Sacerdotes missionarios dico, qui speciali vocatione se huic muneri dedicant dedicatione totali pro tota

vita. Sacerdotes qui optime sunt praeparati ad hoc munus sub respectu theologico, sub aspectu linguistico, pastorali, psychologico, etc., ita ut ad eorum praeparationem institutio specialis requiratur quae eo perfectior et uberior esse debet, quo in regiones mittuntur qui his ultimis annis sub aspectu politico, culturali etc. maximos fecerunt progressus.

Nonne est necessarium quod Concilium Oecumenicum in hoc schemate *de activitate missionali Ecclesiae* his sacerdotibus missionariis — sicut de cetero et aliis operariis in campo missionum, religiosis et laicis quoque, qui cum zelo exemplari et cum multis sacrificiis ad eximiam utilitatem Ecclesiae in spiritu apostolico se dedicant — specialem tribuit honorem et gratias et animi attentionem? Nonne Ecclesia hac nacta occasione loqui deberet de necessitate vocationis missionariae et de natura et essentia huius vocationis? Concilium parentes et iuvenes adhortetur ut has vocationes foveant, loquens de situatione Ecclesiae in regionibus missionum et in novellis Ecclesiis, loquens etiam de alto et sublimi munere quod missionarii in Ecclesia complent, quae per istos suos filios dilectos primarie mandatum Domini perficit ut omni creaturae et omnibus gentibus nuntium salutis annuntiet.

Tertia pars omnium sacerdotum originis neerlandicae, quinque millia scil. ex quindecim millibus extra patriam in novellis Ecclesiis et in regionibus missionum laborant. Et inter episcopos missionarios hic praesentes circa septuaginta ex nostra parva Ecclesia originem ducunt. His rationibus fretus rogare auderem ut in hoc schemate *maxima*[9] et specialis attentio detur vocationibus *specifice*[10] missionariis.

Et si gravissimum momentum huius quaestionis consideramus, quaerere liceat an Concilium nostrum loquens de munere missionario totius Ecclesiae, quod ad essentiam Ecclesiae pertinet, haec momentosa problemata tractare possit in quibusdam propositionibus et non in quodam tractatu quod momento horum problematum sit adaptatum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] scil. pag. 10, linn. 11-12. [2] pag. 66, linn. 11-15. [3] deest. [4] sicut dixit iam heri tam egregie em.mus card. Bea. [5] deest. [6] Statistici nos docent sequentia: in campo religionum sinensium quatuor tantum centenae partes sunt catholicae; in Iaponia tres centenae partes; in campo religionis buddhisticae fideles catholici duas centenas partes non attingunt; in campo hinduismi vix una centena pars et item in campo religionis islamiticae, ut de aliis regionibus non loquar. [7] deest. [8] v. g. durantibus annis 1955-1957 novi missionarii 733 in Africam sunt profecti; in annis 1957-1959 hic numerus erat 556 et in annis 1959-1961 tantum 331, i. e. nondum dimidia pars numeri annorum 1955-1957. [9] magna. [10] deest.

3

EM.MUS P. D. LEO IOSEPH CARD. SUENENS
Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

Venerabiles Patres,

Loquor ex fraterna collegialitate nomine episcoporum totius Africae.

In propositionibus nobis praeparatis, quaedam inter alia videntur esse retractanda.

1. Et primo quidem, ipse n. 1, *de necessitate missionis,* qui principium fundamentale exponere intendit omnium quae sequuntur. Textus non satis clare nec satis instanter affirmat momentum primordiale activitatis missionariae.

Ibi, enim, et recte, in memoriam revocatur Ecclesiam esse medium universale salutis a Christo institutum et ideo, ad hunc finem assequendum Ecclesiam praedicare evangelium ad omnes homines. Sed tunc, non sufficit dicere, ad finem paragraphi, evangelizationem *etiam hodie* summum momentum integre servare.

Quidquid sit enim de possibilitate salutis extra Ecclesiam, activitas missionaria de essentia est Ecclesiae, quae opus Domini continuat. Secundum sollemne mandatum Christi Domini, « Euntes docete omnes gentes... praedicate evangelium omni creaturae... », Ecclesia strenue adlaborare debet ut « verbum salutis » ad omnes homines perveniat et baptismus ipsis offeratur. Hoc est « maximum et sanctissimum munus » eius, sicut aiebat Benedictus XV, quod exigit conamina semper iteranda et semper urgentia.

Porro quot homines existunt qui nomen Domini penitus ignorant! Christiani minoritas sunt in populatione actuali terrae; immo numerus proportionalis eorum minuit de die in diem.

Firmius ergo asseratur munus missionarium et Ecclesiae et omnium filiorum eius.

2. Consequenter in n. 8 plura dici deberent de « debito missionali laicorum » praesertim a Concilio quod activitatem laicorum in Ecclesia vult promovere.

Ibi optime dicitur omnes christifideles tamquam membra viventes Corporis Christi, operi missionario cooperari debere. Sed postea schema nimis restringit istam cooperationem laicorum, sive agatur de opere evangelizationis, sive de sic dicta « consecratione mundi ».

Quoad *primum,* opus evangelizationis, textus loquitur tantum de adiutorio laicorum per preces ac sacrificia et per auxilia materialia. Sed

et ipsi *apostolatui directo* laici cooperare possunt et debent. Possunt et debent et ipsi, unusquisque secundum vocationem, esse « evangelii praecones »:

In novellis Ecclesiis ac regionibus missionum: v. g. laici possunt instructionem religionis multipliciter impertiendo, apostolatui paroeciali cooperare, variis organizationibus apostolatus opem ferre et sic porro. Singuli baptizati in missionibus a conversis debent evadi convertores. « *On n'est pleinement évangélisé qu'en devenant évangélisateur* ».[1]

In antiquioribus Ecclesiis: laici possunt spiritum missionarium propagare, studentes e terris missionum oriundos adiuvare, vocationes missionarias suscitare, subsidium non materiale tantum sed etiam spirituale pro missionibus organizare.

Quoad *secundum,* munus specificum laicatus missionarii, sive localis sive extranei erit utique « consecratio mundi ». Et optime commendatur in textu omnimoda cooperatio evolutioni sociali-oeconomicae terrarum missionum quae plerumque sunt regiones in statu evolutionis. Satis laudari non possunt, et incitari viri technici servitio missionum devoventes et organizationes quae illos mittunt. Sed non evocatur aspectus forsitan praecipuus istius collaborationis. Laici imprimis solliciti erunt ut in ipsis missionibus apostoli et duces sociales formentur. Subsidium e terris christianis proveniens, sive quoad personas specializatas ...[2] sive quoad pecuniam, primum finem habet: formetur laicatus localis adultus, ad omnia munera idoneus.

Super hunc ultimum punctum insistere volumus. Missio laicorum extraneorum quam supra et ipse laudavi, ex natura rei nequit esse nisi solutio provisoria, sane ad tempus necessaria, sed quae viam praeparare debet ad statum rerum in quo laici indigenae plenam assument suam responsabilitatem.

Patet 1° quia vocatio haec, ut experientia docet, valde difficilis est. Si pro sacerdotibus dioecesanis iam laboriosum opus est quod se solide praeparent, quod necessarium spiritum adaptationis acquirant, linguam et culturam novas addiscant, solitudine non deprimantur, sine dubio haec pro laicis adhuc difficiliora apparent. Addi debet quod, pro laicis, praesertim si in matrimonium iniverunt, securitas socialis in tuto ponenda est. Romantismo hic ne cedamus. Magis ac magis evidens videtur quod laici electi tantum, bene praeparati sive quoad technicam, sive quoad spiritum mitti debent. Sed haec ratio non est praecipua.

Patet praesertim 2° quia fides et Ecclesia nondum vere et plene « implantantur », ut dicunt, donec indigenae ipsi capaces sint totam responsabilitatem et animationem vitae christianae plene assumere. Hoc, Ecclesia semper fecit pro sacra Hierarchia; ad hoc etiam tendere debe-

mus pro laicatu. Dies veniet in quo laici extranei functionem suppletivam et subsidiariam tantum exercere valebunt.

His dictis de schemate,[3] hac occasione et hac via liceat mihi brevissimum responsum afferre quibusdam reactionibus opinionis publicae qui ita interpretati sunt interventum meum de ethica matrimoniali ac si dictum fuisset quod doctrina et disciplina Ecclesiae hac in re nunc mutatae essent.

Quoad doctrinam, non agebatur, ut clare dictum fuit, nisi de studio faciendo in materia ista, non vero de reiiciendo quidquid in doctrina Ecclesiae hac in re authentice et definitive declaratum est, sed de synthesi facienda omnium principiorum in hac re concurrentium.

Quoad disciplinam, evidenter conclusiones commissionis de qua actum est iudicio Summi Pontificis subiiciendae sunt et suprema sua auctoritate diiudicandae, ut expressis verbis dictum fuit. Ut patet, modalitates in laboribus istis conficiendis unice ab eadem suprema auctoritate pendent.

Haec dicta sint ad omnem aequivocationem tollendam in opinione publica. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (experts - periti). [3] deest.

4

EXC.MUS P. D. DEODATUS YOUGBARE

Episcopus Kupelaënsis

Venerabiles Patres conciliares,

Circa schema *de activitate missionali Ecclesiae,* cuius definitiva redactio hoc pastorali Concilio digna sit oportet, loqui cupio nomine plurimorum episcoporum conferentiae Africae occidentalis et aliorum episcoporum missionum ad quaedam desiderata exprimenda quae censemus non parvi esse momenti.

Vota nostra tria sunt sequentia:

1. Par. 3, in pag. 8 schematis, lineam directivam indicat quam sequi oportet in opere missionali; necesse est, ut nobis videtur, ut imprimis fundamentum totius evangelizationis bene collocemus; ad hunc finem, optamus ut ab initio huius paragraphi ponantur haec verba prioris schematis quae sic sonant: « Ecclesia a Christo missa nullum aliud fundamentum ponit in gentibus nisi Christus, cum non sit in alio aliquo

salus nec aliud nomen sub caelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri ».

Numquam satis affirmabitur: missionem Ecclesiae essentialiter spiritualem esse et locum centralem habere Christum qui omnis aedificii lapis est angularis. Ecclesia igitur, in sua missione, nullum scopum habet imperialisticum nec spem felicis successus evangelizationis fundat in adiutorio potestatis temporalis cuiusvis nationis.

2. In pag. 10, ad par. 5, systema proponitur ad missionibus necessarias opes colligendas. Quae opes, ut speramus, per pontificia opera pro missionibus traducentur. Illa enim opera pontificia ex diuturna experientia efficacitatem suam probaverunt. Plures ac plures organismi creantur nationales qui missionibus in terris adhuc in via progressionis adiuvare intendunt. Laeti sumimus occasionem nobis hic datam dignas laudes referendi illis qui his generosis motibus initium dederunt et omnibus qui in his caritativis organismis suam collaborationem variis modis praestant. Tale auxilium, in regionibus non paucis, permisit ut malum vinceretur et bonum adimpleretur. Attamen, nos aestimamus huiusmodi organizationes efficaciores fore si tantum, modo regulari, institueretur dialogus inter illos qui dant et eos qui recipiunt. Non agitur de dialogis istis ubi stant partes multo inaequales, sicut inter divitem et mendicum. Dialogus ille quem hic optamus sese vult potius ut elaboratio prospectuum a diversis responsabilibus eiusdem communis operis. Revera, nos in missionibus exsecutores sumus programmatis quod Ecclesiae universali interest. Illi qui dant habent media ad opus necessaria. Illi vero qui recipiunt in ipso campo navant et eo ipso aptiores videntur ut sciant concrete quid urgentius, quid praestantius, quid utilius sit faciendum. Talis dialogus efficiet ne opera mere temporalia finem essentialem missionis indebite obruant, ne v. g. fames et aliae miseriae materiales in cogitationibus nostris maiorem locum occupent quam miseriae spirituales. Certe dolendum esset si Evangelii praecones pure assimilarentur illis qui vocantur operarii technici pro incremento in re oeconomica.

Omnibus his rationibus perspectis, libenter petimus ut in schemate praevideatur talis dialogus, addendo supradicto par. 5 id quod sequitur: « Liberalitas christiana pro missionibus plenum effectum assequi nequit nisi serius instituatur dialogus inter Ecclesias quae dant et eas quae recipiunt, ut auxilia plane respondeant pastorali operi ab episcopis missionum statuto ».

3 et ultimo. Par. 12, in pag. 12, qui Opus catechistarum commendat, nimis brevis apparet. Declaratio, ut in textu iacet, praesentem conditionem catechistarum minime mutabit. Ulterius oportet progredi et

decisiones concretas in hac re assumere. Cum necessitas institutionis catechistarum ab omnibus admittatur, tantum remanet ut talis institutio sustineatur et amplificetur. Solum opus pontificium ad hunc finem auxilium certum et regulare providere potest, ita ut operarii messis, nec numero, nec qualitate deficientes, inveniantur in agro Domini. Quapropter proponimus ut hic art. 12 sic conscribatur: « Cum extrema necessitas postulet ut catechistae habeantur tum pro evangelio afferendo inter non-christianos, tum pro servitio catholicorum coetuum qui sacerdotibus carent, Opus catechistarum quam maxime foveatur, sive quoad eorum formationem sive postea quoad eorum materialem subsistentiam. Haec Sancta Synodus necessarium aestimat et postulat ut Opus Pontificium pro Catechistis instituatur quod v. g. nomen haberet « Opus Sancti Pauli Apostoli ». Dixi. Gratias.

[*Subsignaverunt etiam*] J. Strebler; J. Brétault, év. Koudougou; Paul Zoungrana, arch. Ouagadougou; L. Sangaré, arch. Bamako; H. Berlier, év. Niamey; E. Durrheimer, év. Katiola; J. K. Amissah, arch. Cape Coast; J. Lingenheim, év. Sokodé; J. Etrillard, év. Gagnoa; P. Rouanet, év. Daloa; L. Durrieu, év. Ouahigouya; J. Lesourd; E. Kwaku, év. Abengourou; B. Hanrion, praef. ap. Dapanga; A. Duirat, év. Bouaké; A. Konings, év. Keta; G. Bertrand, év. Navrongo; J. Essuah, ep. Kumasi; N. Boucheix, év. Porto Novo; P. Dery, ep. Wa; D. de Montclos, év. Sikasso; J. Coudray, praef. ap. Kankan; J. Perrot, év. San.

5

Exc.mus P. D. BERNARDINUS GANTIN
Archiepiscopus Cotonuensis

Venerabiles Patres,

Nomine loquar episcoporum Africae et Madagascar.[1] Iam multa dicta sunt de necessitate missionis in Ecclesia, et de urgentia evangelizationis; et iam bene notatum est missionem duraturam esse usque in consummationem saeculi necnon expansuram usque ad extremum terrae.

Sed, in mundo actuali, remanent multa praeiudicia contra illud opus expansionis Ecclesiae; illa enim interdum consideratur tamquam potestas aliqua timenda, extranea, tradita tota in manibus aliquarum nationum ad dominationem confirmandam non semper manifeste, sed discreto et immo occulto modo, quod sat periculosum apparet. Ut tollatur, quantum fieri potest, talis ambiguitas necnon suspicio, propositiones de

Missione clare et in modo solemni aliquid dicere deberent *de universalitate Ecclesiae et Missionis*.

1. Universalis enim est Ecclesia missa eiusque spiritus servitii quia Deus Caritas qui eam mittit omnes homines vult salvos fieri; quia Christus pro omnibus mortuus est et resurrexit. Sicut ipse Christus, dicere potest: « Sunt mihi aliae oves adducendae et quidem omnes oves quae nondum sunt de unico ovili ». In tota historia salutis, nec Deus Creator, nec Christus Redemptor, nec Spiritus qui replet orbem terrarum, nec Ecclesia quae omnes convocat in populum Dei, nec ipsa Missio sunt aut esse possunt « acceptores personarum » ...[2]

Proclamatio iterata, firmius etsi suaviter expressa, huius universalitatis provocare poterit, ut speramus, maiorem fiduciam illorum populorum in quibus laborat Ecclesia missa. Haec Ecclesia assimilari minime potest cum aliqua particulari natione, eiusque interesse vel influxu mere humano, politico, culturali, oeconomico. Nulla in ea solidarietas dominationis, sed unica voluntas ministrandi. Qui ergo in Ecclesia aggregantur per baptismum « non nascuntur ex voluntate carnis » secundum regulas et discriminationes raciales, « neque ex voluntate viri » secundum aliquas normas culturae specialis, vel secundum leges alicuius tentaminis politici. Sed « ex Deo » nascuntur et ex Ecclesia nascuntur, quae est Mater omnium, spiritu universalitatis, caritatis animata. Quod pressius in propositionibus declarandum videtur.

2. Ecclesia est etiam supra omnes culturas, ita ut non absorbeatur, immo essentialiter non colligatur cum ulla cultura particulari, sed sic etiam aperitur omnibus culturis. Iam de Deo creante dicit Scriptura ...[3]: « Nihil odisti eorum quae fecisti ». Nec Christus ullam culturam respuit, ille Christus per quem omnia facta sunt, in quo omnia constant et in quem omnia tendunt, ut ab eo *recapitularentur*[4] in gloriam Patris. Ecclesia cum Capite suo non vult ergo ligari nec limitari ab ulla cultura, ut omnibus praesto sit et ab omnibus recipi possit...[5]

Dialogus inter Ecclesiam et quamlibet culturam fit secundum legem « commercii », id est *gallice*[6] « *échange* », secundum effatum: « *Le rendez-vous du donner et du recevoir* », i. e. mutua donatio valorum propriorum simul ac mutua acceptatio valorum alterius « ita ut totum (christianum) et singulae partes (seu culturae variae) sic augeantur ex omnibus invicem communicantibus et ad plenitudinem conspirantibus »...[7]

Ut tale commercium in praxi melius ostendatur, multiplicari utiliter debebimus Instituta Superiora et Commissiones peritorum qui in unaquaque regione, sacerdotes ac laicos, nativos vel missionarios, praesertim iuniores, in pleniorem intellectionem et aestimationem ducant culturae illius regionis in qua vivere debent, et quaestiones specialiter

ad nos respicientes, in campo sociali praesertim; nobis v. g. magni pretii est Institutum INADES Patrum e Societate Iesu, in parte occidentali Africae positum ut talem formationem dilargatur ac diffundat.

3. Ecclesia, ut aiebat Pius Papa XII, est etiam supra nationes. Sane Ecclesia missa, temporibus recentibus, fuit contemporanea cum colonizatione; immo vivens in regionibus colonizatis, non potuit non habere contactus cum regiminibus tunc existentibus. Sed ille occursus historicus, etiam si aliquando nimis intimus fuit, non impedit quin Ecclesia, natura sua, non ligatur cum ullo regimine politico determinato, omnibus regiminibus oboediat et oboedire faciat, dummodo sint honesta.

Non possumus non gaudere, videndo quomodo universalitas et transcendentia Ecclesiae ei permittat revelare, in concreto, multiplicitatem formarum in unitate Spiritus, et quomodo ei possibile sit progredi « circumdata varietate » versus mundum nostrum pluralisticum.

In illa universalitate (a propositionibus firmius et clarius notanda), in illa libertate, in illa « incarnatione », poterit Ecclesia respondere exspectationi huius mundi multiformis ad quem mittitur.

Ut aiebat magnifice Summus Pontifex Paulus VI in Canonizatione Sanctorum Martyrum Africanorum: « Evangelii praedicatione principium introducitur, i. e. religio Christiana, eo pertinens, ut vires propriae, virtutes insitae, latentes ingenii facultates autochtonum erumpant, scil. eo nititur, ut gentes illae liberae reddantur, suis legibus vivant, maturescant, atque idoneae fiant ad exprimendas formas civilis cultus et artis proprias ingenii sui, idque modo ampliore ac meliore ».

Mihi tandem liceat verbum ultimum addere, quod hodie non inutile videtur: Terra nostra patria, gens nostra Africana semper aestimationem magnam et praxim continuam hospitalitatis habuerunt erga illos qui, a longe venientes, nova afferebant, et occasionem praebebant pro novis et utilibus contactibus.

Nos autem christiani africani corde et grato animo uniti cum Ecclesia in Concilio coadunata, populos ac duces nostros volumus rogare et immo adiurare ut semper illam traditionalem hospitalitatem exercere faveant ac foveant erga Ecclesiam salutarem quae unam tantum vult afferre novitatem, novitatem scil. vitae in Christo. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*Act.* 10, 34). [3] (*Sap.* 11, 25). [4] recapitulentur. [5] (cf. *de Ecclesia,* II, 13). [6] deest. [7] (*De Ecclesia,* II, 13).

Animadversiones additae:

Schema quod nobis hodie proponitur multo praecedentibus textibus elaboratis

praestat. Primo quidem ob titulum *De activitate missionali Ecclesiae* cuius resonantia magis universalis est quam anterioris tituli *De Missionibus*.

Ex altera parte, liceat nobis notare aspectum concretum huius schematis, bene evolutioni hodiernae Ecclesiae in sic dictis « Terris Missionum » aptatum.

Denique hoc schema omnino respondet voto spiritum Ecclesiae essentialiter missionalem fovere apud episcopos, sacerdotes et laicos.

Attamen liceat mihi aliquas animadversiones enuntiare quae versantur circa relationes inter episcopos residentiales et alios « Evangelii Praecones ». Hae relationes, ut mihi videtur, non sunt satis accurate in hoc schemate definitae.

1. In n. 2, pag. 8, sub littera « a », definitur responsabilitas collegialis episcoporum quoad evangelizationem mundi. Haec responsabilitas evidenter directe ex collegialitate episcopatus ut in schemate *de Ecclesia* declarata fuit, manat.

Sed nullum locum datur episcopo residentiali. Hoc nobis non videtur accipi posse, specialiter ubi agatur de « missione canonica » sacerdotibus conferenda in aliqua dioecesi particulari.

Ergo, propono ut haec paragraphus sic emendetur, vel quadam aequabili formula: « Episcopi totius mundi, una cum Petro et sub Petro, munus habent ubique terrarum fidem promovendi, Evangelii Praecones ad quoscumque hominum non christianorum coetus mittendi. Ubi tamen hierarchia est constituta, illi Evangelii Praecones prae manu Ordinario Loci assignantur qui eis officium et missionem canonicam conferat ».

2. Sub littera « b » eiusdem n. 2, definiuntur relationes inter episcopum et Instituta Missionaria.

Exc.mus D. Mels, in interventione sua, proponit quaestionem « commissione alicui Instituto Missionario facta » in terris Missionum. Haec quaestio est magni momenti in novellis Ecclesiis et solutionem debet accipere quae progressum illius Ecclesiae novellae maxime serviat.

Conclusionibus exc.mi D. Mels omnino congruo et cum eo opto ut ad definiendas relationes inter episcopum et Instituta Missionaria, cui omnia pacta particularia sese accommodare deberent.

3. In n. 7, pag. 11, linn. 1-4, textus sic emendetur: « Religiosi qui operi missionali incumbunt, munus apostolicum sibi concreditum implere debent iuxta praescripta et mentem Ordinarii loci, salvo tamen spiritu fundatoris atque Constitutionum ».

Ita melius explicitur munus episcopi ut centrum unitatis apostolatus in Ecclesia locali.

6

Exc.mus P. D. PATERNUS NICOLAUS I. CORNELIUS GEISE
Episcopus Bogorensis

Venerabiles Patres, omnes adstantes dilecti,

Coetus episcoporum in Indonesia, cuius nomine loquor, unanimiter rogat ut, post plenas et liberas disceptationes institutas de his propositionibus, commissioni copia detur faciendi novum schema, *normale*

schema,[1] et non tantum aliquas propositiones. In elaboratione dicti novi schematis, animadversiones Patrum, quae *allatae sunt inter secundam et tertiam sessionem et*[2] *nondum* — uti dicitur in Relatione — considerari potuerunt insimul cum interventionibus nunc in aula faciendis, materiam abundantem praestabunt *commissioni.*[3] Et ratio nostrae petitionis non est alia quam in relatione, nempe: momentum obiecti in vita Ecclesiae et magna exspectatio omnium illorum, quibus problemata missionum intersunt. Porro dicendum est hanc petitionem suam facere alios Patres repraesentantes viginti quinque conferentias episcoporum et *iam*[4] septuaginta superiores generales et maiores ex ...[5] Institutis, Congregationibus et Ordinibus, qui activitati missionali addicti sunt, ad eamdem conclusionem pervenisse.

1. Em.mus praeses commissionis ipse iam dixit vos, venerabiles Patres, in hac aula conciliari frequenter ac ardenter votum deprompsisse ut universa Ecclesia se sentiat missionariam atque talis revera sit. Quaeritur nunc: numquid hae quatuordecim propositiones *demonstrabunt*[6] nostris fidelibus, nostris missionariis, generationi futurae hoc Concilium Oecumenicum Vaticanum II revera se missionarium sentisse atque tale revera fuisse? Numquid inspectio intimae naturae Ecclesiae, quae est per essentiam missionaria, tantum quatuordecim propositiones generare potest? Reduco in memoriam vestram verbum poetae: Parturiunt montes, nascitur ridiculus mus! Sane, propositiones *non*[7] sunt ridiculae, sunt satis bonae, sed sunt paucae, nimis paucae et certe non exhaustivae relate ad materiam de qua agitur.

Alia ratio ut novum schema conficiatur: nos missionarii putamus, moderatores illarum nationum, qui — *uti dicitur*[8] — sunt in evolutione, *si* quid legant de textibus *ab hoc Concilio edendis,*[9] probabiliter non lecturos esse schema *de Ecclesia* aut *de pastorali episcoporum munere,* sed, *si quid legant, legent*[10] hoc schema de activitate missionali Ecclesiae, *cum attentione benevola aut non benevola.*[11] Quapropter necesse est ut fusius et clarius et profundius tractetur de natura et fine huius activitatis missionalis, etiamsi haberentur aliquae iterationes illorum quae in aliquo alio schemate iam dicta sunt.

2. Quoad n. 1 in voto est ut in nova redactione activitas missionalis arctius connectetur cum intima natura Ecclesiae ...[12], et ut nexus enuntietur inter debitum missionale et voluntatem universalem salvificam Dei, quae in textu tantummodo iuxtaponuntur. Christi missionem implens et eius Spiritu vivens Ecclesia est illa visibilis communitas salutis, qua omnes homines vocantur, ut una cum Domino, in gloria regnante et super omnes potestatem habente ...[13], unum populum Dei efformant et ad caelestem Patrem adducuntur. Ut sacramentum unitatis intimae

totius generis humani et universale medium salutis Christi, Ecclesia Evangelium ad omnes homines proclamat ut per eius praedicationem ad fidem adducantur et per Baptismum et participationem mysterii Eucharistiae Corpori Christi *plene* incorporentur. Quae activitas missionalis eo tendit, ut Ecclesia, ut communitas salutis, ubique praesens reddatur et sic media salutis, ipsi a Christo commissa, omnibus pateant. Sic faciendo Ecclesia manifestat et complet praeparationem Evangelii Christi, quae apud omnes gentes et in omni religione, ex voluntate salvifica universali Dei et ex dominio Christi super omnes homines, in aliqua forma adest. Non est quaestio — ut habetur in textu — de faciliore aut difficiliore salvatione, sed de impletione missionis nostrae ad clarificandum Patrem per Filium, coadunando genus humanum in Ecclesiam Dei.

3. Quoad laborem missionalem, rogamus ut ea quae dicuntur in n. 3 sub *e*), i. e. in postremo loco, ponantur ante omnia alia. Ratio: ...[14] haec situatio, ubi ...[15] Christus plene evangelizari nequit, adhuc praevalet in maiore parte mundi, immo de die in diem sese magis magisque extendit. Christus frequenter plene evangelizari nequit ubi populatio in sua totalitate et cum perfecta tranquillitate animi, alicui magnae religioni nonchristianae adhaeret; Christus saepe plene evangelizari nequit, ubi gentes per evolutionem in novis circumstantiis versantes, sibi, suae culturae *et* suae religioni emotionaliter consciae factae sunt; et nos omnes testes sumus, immo complures ex vobis, Fratres, cum dolore et tristitia experti estis in propria vita apostolica, quomodo verbum Dei, non tam longe a nostris hisce diebus adhuc libere praedicatum, nunc ita coarctatum est ut Christus amplius immensis turbis plene evangelizari nequit ...[16]

Concludo. Omnibus bene perpensis, conferentia nostra *non potest dare placet, sed dabit votum non placet ut schema conficiatur tam bonum et tam pulchrum ut gaudium afferat omnibus Patribus, immo universali Ecclesiae.*[17] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] etiam. [5] variis. [6] demonstrare possunt. [7] nequaquam. [8] deest. [9] huius Concilii. [10] tantum. [11] deest. [12] ut fit in schemate *de Ecclesia*. [13] (*Mt.* 28, 18). [14] quia. [15] nempe. [16] Numerus christianorum, in comparatione cum populatione totius mundi, constanter imminuit: post viginti aut triginta annos christiani constituent circiter novem centenas tantum hominum in toto mundo. Desit ergo in novo schemate omne verbum quod aliquantulum sapit spiritum arrogantiae; sed exprimetur nostra humilis laetitia, quod nos, non obstantibus multiplicibus difficultatibus, adhuc praesentes esse et hominibus spirituale servitium praestare possumus, iis praebentes, verbo et opere, hanc initialem evangelizationem in aedificationem populi Dei. Utinam novum schema, modo

realistico novas circumstantias in mundo hodierno et futuro agnoscens, det nobis novas directivas ad componendam actionem missionalem vere adaptatam, quia patet in nostro tempore Ecclesiam ulterius non esse vocatam ad splendorem dominationis, sed ut fiat fermentum pro massa farinae, i. e. pro massa generis humani. Urget verbum apostoli Ecclesiam missionariam huius et futuri temporis, dicentis: fidem esse substantiam *sperandarum* rerum; argumentum *non* apparentium. [17] et — uti iam audistis — etiam multi alii Patres, votum dabit *non placet,* quando progreditur ad suffragationem: « an placet Patribus, ut post disceptationem schematis transeatur ad suffragationem faciendam ». Et quidem, uti dicitur in Notificatione, quia post responsionem negativam, tota res remittetur ad commissionem ad recognoscendum, intra breve tempus, schema iuxta Patrum animadversiones. Petimus humiliter ut haec revisio instituatur cum adiutorio plurium peritorum qui hodiernas novas dimensiones activitatis missionalis bene dignoscere possunt, ita ut deinde conficiatur aliquod schema tam bonum et tam pulchrum ut gaudium afferat omnibus Patribus, immo toti Ecclesiae.

Animadversiones additae:

Aliquae breves animadversiones, opinionem sat communem inter sodales coetus episcoporum Indonesiae reddentes, cum omni qua par est reverentia allatae ad construendum novum schema *de activitate missionali Ecclesiae.*

Plures Patres nobis aperuerunt opinionem suam ac si notio activitatis missionalis applicari poterit omni actioni evangelizationis; ita habetur in interventione Mgr. Geeraerts, die 9 nov. in parte II, sub secundo; afferuntur in loco citato motiva theologica. Iterum habetur in interventione Mgr. Sheen (eodem die) et afferuntur motiva profluentia ex actione caritativa (« Misereor super turbam »).

Noster coetus unanimiter putat hanc minus rectam opinionem rectificari deberi in novo schemate.

In sua nota *de activitate missionali Ecclesiae,* pag. 4 ubi datur definitio dictae activitatis, P. Greco S.I. enumerat in alinea 1 elementa quae utilia sunt pro definitione construenda activitatis missionalis.

Ubi Ecclesia nondum integrata est in vita societatis et ideo heterochthona manet, alienigena, plerumque ab alienigenis adhuc praedicata, ibi est adhuc missionaria. « Elle n'existe pas encore ou existe seulement à l'état embryonnaire ». *Nondum integrata* nequaquam significat « nondum maioritatem complectens ». Etiam in minoritate consistens, Ecclesia potest esse bene integrata in aliqua societate. Status embryonalis adhuc habetur ubi familiae christianae sunt paucae et nondum dant vocationes sufficientes ad ordinandum vitam religiosam Ecclesiae. Haec omnia indicantur in *de Ecclesia* n. 17 ubi dicitur quod Ecclesia in « mittendis praeconibus indesinenter pergit, usquedum novellae Ecclesiae *plene constituantur atque opus evangelizandi et ipsae continuent* ».

Et sequitur quod structurae modernae non-christianae nequeunt dici obiectum « activitatis missionalis », uti fit in interventione Mgr. Geeraerts; quia hae structurae manent substructurae alicuius societatis in qua Ecclesia sufficienter integrata et evoluta sufficienti apparatura gaudet ut etiam hae categoriae sociales spiritu christiano imbuantur.

Sequitur etiam quod communitates aut Ecclesiae locales inopes (materialiter et spiritualiter) sed sufficienter in societate civili integrata (e. g. cum traditione

catholica) uti habetur in America Latina, nequeunt dici esse obiectum activitatis missionalis, uti habetur in interventione Mgr. Sheen (« Misereor super turbam »). Unaquaeque Ecclesia localis in inopiis degens debet adiuvari et omnes Ecclesiae locales pauperes obiectum sollicitudinis totius corporis episcoporum sint; sed adiutorium iis praestitum (etiam ab Ecclesiis « missionariis »! per preces et eleemosynas, si possibile est) nequit dici activitas missionalis.

Ut opinio minus recta rectificetur, schema forsan incipere debet ab actione evangelizationis in genere, in qua activitas missionalis habet suum proprium locum; et hoc adstruetur cum argumentis quae iam superius scripta sunt.

Actio evangelizationis fundetur in doctrina de aeterno consiilo Patris uti fit in *de Ecclesia,* in interventione card. Bea (die 6 nov.) et in interventione Mgr. Zoghby (die 9 nov.), qui pulcherrime loquitur de Epiphania et de aspectu eschatologico in activitate missionali. Quod dicitur de actione evangelizationis in his contextibus a fortiori applicari potest actioni missionali. Ut aliquatenus obviam eamus fautoribus opinionis, iuxta quam structurae sociales non-christianae sunt obiectum activitatis missionalis, dicatur quod actio evangelizationis semper renovari debet pro ambitu sociali noviter orto.

Deinde dicitur clare quod in actione evangelizationis activitas missionalis habet suum proprium locum quia in his societatibus, ubi Ecclesia nondum integrata est et destituta ab apparatu sufficienti, Christus adhuc ita implicite tantum adest et adhuc ita abscondite, ut homines Eum prorsus nequeant agnoscere neque nomen Patris possint invocare. Elaborandum esset hic quid *explicita* cognitio Christi et Patris gratiae affert hominibus et societati.

Porro tractetur de Ecclesia ut *communitas visibilis salutis* omnium hominum. Cum pro illis gentibus, Ecclesia adhuc heterochthona est et prorsus alienigena, ab iis *nondum* agnosci *potest* ut illorum propria salus, immo nec realizatur ut talis. Sed pertinet ad ipsam naturam Ecclesiae ut communitas visibilis salutis ut sese praesentem faciat omnibus, illis proclamans, ut universale medium salutis Christi, Evangelium Domini, ut per eius praedicationem ad fidem adducantur et per Baptismum et participationem mysterii Eucharistiae Corpori Christi *plene* incorporentur (vide interventionem factam a Mgr. N. Geise, die 9 nov.).

Hoc modo dogma de voluntate salvifica universali Dei et debitum missionale Ecclesiae opportune coniunguntur.

In fine dicatur expresso modo quod activitas missionalis, utpote directa ad plantandam et integrandam Ecclesiam tali modo ut *plene* constituatur atque opus evangelizandi et ipsa novella Ecclesia possit continuare, renovationem in habitudine ipsorum missionariorum exigit propter novas circumstantias in « mundo tertio », ubi fere omnes gentes sui consciae factae sunt, cum sequelis maximi momenti pro « approach », faciendo a missionariis. Ubi habentur magnae religiones, illarum asseclae ferventius illis adhaerent quam antea, scientes nostram religionem « tantum » esse unam ex multis. Ubi habetur evolutio politica, resistentia emotionalis contra missionarios exteros minuit occasionem dialogi instituendi cum iis. Haec omnia efficiunt missionarios esse in illis oculis alienigenos non tam desideratos, qui melius pergunt ad alias regiones aut simpliciter redeunt ad patriam suam. Inter novas dimensiones, de quibus loquitur schema, activitatis missionalis, « dimensio spiritualis » i. e.: mansuetudo, patientia, relicta omni specie superioritatis, humilitas et spiritus inserviendi, est maioris momenti quam novae dimensiones quae enumeratae sunt in schemate. Est haec illa classificatio Christi,

ab Eo merita per crucem, quam nos missionarii efficere conamur per viam humilitatis, frustrationis et difficultatum humiliter acceptarum in nostra activitate missionali, usque ad adventum Domini.

Totum schema ideo redigatur ut revera novum impulsum et methodum melius adaptatum novis circumstantiis dare queat toti populo Dei. Necessitas missionis potest etiam exprimi ex idea urgentiae (ex epistolis Pauli) et relate ad adventum Domini et relate ad novam situationem in mundo. Quanto tempore adhuc possibile erit mittendi novos missionarios? Et ideo processus adultas faciendi novellas Ecclesias debet celerius evolvi; schema nunc paucis verbis loquitur de hierarchia et clero indigenis. Dialogus cum magnis religionibus fortius inculcetur; suggestiones card. Frings quoad reorganizationem S. C. de Propaganda Fide, ita ut possit evenire verum *centrum* activitatis missionalis, nominetur; aliquod centrum quod per suos *peritos* et per sua membra magna experientia dotata, potest dare impetum, efficientiam, coordinationem, consilia et missionariis et episcopis et fidelibus extra regiones missionum.

Consilia in schemate quoad paupertatem elargiantur, quippe quod paupertas, sobrietas in mediis etc., servitium pauperibus etc. bonam voluntatem excitabunt in tertio mundo: confer cum hodie, propter differentiam in materialibus missiones non bonam voluntatem sed odium excitant in tertio mundo. Nominentur Instituta Missionalia laicorum.

Hae sunt aliquae animadversiones, propter defectum temporis non pulchre formulatae, sed humiliter allatae ut schema melius evadat.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, brevis pausa in nostra disceptatione..., ut annuntiem episcopatibus Africae linguae anglicae quod Summus Pontifex eos coram admittet feria tertia proximae hebdomadae, nempe die 10 huius mensis, hora 19.

Et episcopatus sunt ex Africa Sud-Ovest, Eritrea-Etiopia, Gambia, Ghana, Isola Maurizio (lego italice, uti scriptum est), Isola Reunione, Isole Seychelles, Kenya, Liberia, Nigeria, Nyassaland, Rhodesia, Sierra Leone, Somalia, Sudan, Uganda, Tanganika, Unione Sud-Africana.

Ego, Patres, legi uti scriptum est. Si quis error sit, vos potestis denuntiare et, si quae natio memorata non fuerit, potestis nostram secretariam adire, vel melius, prout dixi, officium Praefecti Cubiculi Summi Pontificis et has correctiones vel emendationes denuntiare, ita ut audientia rite perfici possit.

Ergo feria tertia proxima, die 10 huius mensis, hora 19.

Aliquis Pater mihi dixit, melius scripsit: quare ego nunquam praebuerim incensationem triplici ductu assignatoribus locorum..., qui sunt, ut nos, sacerdotes, servi indefatigabiles Concilii, et semper amabiles cum Patribus conciliaribus [*plausus*]. Patres venerabiles, assignatores sunt de secretaria generali, quapropter non est bonum ut nos laudes faciamus de nostro officio. Sed vos laudes plurimas dedistis; est thurificatio non triplex, sed decuplex! Gratias.

7

EXC.MUS P. D. DANIEL RAIMUNDUS LAMONT

Episcopus Umtaliensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine multorum episcoporum Africae. Schema, uti iacet, statim revelat quam graves difficultates protulerit. Genitum enim videtur inter tot ac tantos partus dolores, quos relator nobis benigne notos fecit. Eidem et commissionis membris gratias agere debemus. *Uti notum est,*[1] ea quae inter difficultates et dolores nascuntur, magis amantur et pulchra videntur. Tamen, episcopi missionarii etsi aliorum doloribus compati sciant, aliquid aliud exspectabant, non nudas et eas simplices propositiones, sed schema ...[2] doctrina et propositis plenum, capax generandi in missionariis vires apostolatu dignas.

Non dico nihil boni in schemate contineri. E contra, positivum est; propositiones utiles sunt, necessariae sunt, sed non sufficiunt. Aequiparari possunt infrastructurae systematis electricae quae comprehendit columnas, lucifera fila, et alia adiumenta technica, cum motore tamen nondum coniuncta, vel a motore nondum excitata.

Disceptatio quae hic agitur certe quamdam consolationem affert nobis episcopis missionariis; immo ipsa praesentia Summi Pontificis heri in aula, iam est consolatio omnino praeter exspectationem nostram, et in hoc, missionarii omnes laeti quod Primus Missionarius ...[3] inter ipsos sedeat gratias quam maximas ex corde ei reddunt [*plausus*]. Sed frustratio exspectationis pro populis et ...[4] missionariis esset, si opus gloriosum missionale Ecclesiae ad paucas nudas propositiones comprimeretur.

Uti iacet, schema non sufficit. Loco alicuius auxilii virilis et fortis, habemus ossa arida. In memoriam vocat visionem quam Dominus Ezechieli ostendit: « Erat campus plenus ossibus... et ossa erant multa et sicca vehementer ». Licet mihi a vobis quaerere quod Dominus ab Ezechiele: « Fili hominis, putasne vivent ossa ista? Et dixi: Domine Deus, tu nosti! » ...[5] Ossa sicca sine carne, sine nervis... solus Deus scit utrum vivant an non.

Omni qua par est reverentia, dicam: funditus recognoscatur schema. Aliquid amplius faciendum est. Quid vivum volumus; quid huius secundae Pentecostes dignum. Hoc deficiente, tota activitas missionalis Ecclesiae carebit dynamismo quem a Concilio exspectamus. Parum valet dicere multos aspectus activitatis missionalis alibi a Concilio tractari.

Dolendum enim est quod hoc schema praeparatum fuit antequam in Concilio fundamentale schema *de Ecclesia,* quod omnia alia schemata illustrat, perfectum est. Ideoque dico: funditus recognoscatur...[6]

Tota Ecclesia seipsam considerans exspectat renovationem impulsus primitivi divini mandati apostolis commissi, ad mundum lucrandum. Nos, quibus honor et privilegium est in terris missionum laborare, exspectamus a Concilio novum pignus gravis propositi episcoporum, novam infusionem zeli, novum ardorem, novam spem cooperationis ab omnibus. Parcite mihi, vos theologi, si adhuc termino « terra missionis » utor. Quomodo possumus non loqui de mundo missionario dum quatuor ex quinque partibus hominum adhuc Christum nesciunt?

Dicite mihi,[7] venerabiles Patres, si hoc documentum aliquem ex vobis *privatim*[8] iam inspiravit ad aliquod sacrificium vel ad nova conamina instituenda pro missionibus? Si episcopos non movet, multo minus superiores Ordinum et Congregationum movebit.

Mihi persuasum est nudam hanc seriem propositionum nunquam impulsuram fore superiores generales religiosorum vel (quod forsan plus est) religiosarum ad sibi subiectos in missiones mittendos, et eorum loco e. g. in scholis et in nosocomiis patriae idoneos ponendos laicos.

Quid valent aridae iuridicae propositiones? Num corda iuvenum zelo, generositate aut spiritu sacrificii implebunt? Nonne Christus dixit: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » ...[9]. Documentum nostrum nihil accendet.

Frustramur! Sperabamus audire vocem unanimam Patrum Concilii resonantem usque ad fines orbis terrarum, sed ad hoc faciendum, schema istud tam inutile videtur ac si una tantum vox humana totam hanc basilicam implere vellet sine auxilio huius microphonii!

Quaerebamus a Concilio lucem pentecostalem quae splenderet ad illuminandas mentes hominum ubique terrarum...: accensa est haec candela!

Volebamus arma moderna efficacia contra tela nequissima paganismi...: oblata sunt in schemate arcus et sagittae!

Panem petivimus, et dederunt nobis (non dico lapidem), sed aliquas propositiones ex tractatu de missiologia!

Venerabiles Patres, volumus ab hoc Concilio Vaticano II inspirationem evangelicam, novas apostolicas visiones, novos impulsus, nova conamina communia.

Volumus nos zelo a vobis accendi, ut eo incensi ardorem aliis communicare possimus. Hic in Spiritu Sancto congregamur, veri apostolorum successores, ad aggrediendum eumdem laborem quem illis Dominus commisit...[10]

Venerabiles Patres, veniam peto si ad similitudinem ossium tandem recurram. Mihi persuasum est, nos et posse et velle haec ossa in schemate contenta, nervis et carne induere. Nolite ossa ista sicca relinquere. Inspirate in ea spiraculum vitae. Date nobis quid dignum hac altera Pentecoste, ut a Spiritu impulsi in Concilio, tamquam apostoli in prima illa Pentecoste, fide et virtute renovati, proficiscamur ad loquenda magnalia Dei in quatuor mundi partes.

Ezechiel vidit et « ecce, super ea nervi et carnes ascenderunt, et extensa est in eis cutis desuper... et dixit Dominus: A quatuor ventis veni, spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant... et ingressus est in ea spiritus, et vixerunt: steteruntque super pedes suos, exercitus grandis nimis valde ».

Haec spes mea. Ecce labor noster. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] schema verum i. e. [3] quasi. [4] nostris. [5] (*Ez.* 27, 1-3). [6] istud schema. [7] Aperte quaeram a vobis. [8] deest. [9] (*Lc.* 12, 46). [10] Numquid possumus a Concilio exire contenti de coexistentia cum mundo pagano de die in diem increscente?

Moderator: Audire velint Patres! Ut accidere solet in progrediente disceptatione, repetitiones fiunt. Proinde enixe rogantur Patres ut pressius et concrete loquantur ad quaestiones de schemate, ad quaestionem utrum admittatur et ad singulas propositiones, ne fiant orationes rhetoricae.

8

EXC.MUS P. D. CYPRIANUS KIHANGIRE
Episcopus tit. Maurensis, aux. Guluensis

Em.mi et rev.mi Patres,

Loquor in nomine ...[1] episcoporum missionalium Africae. Iam multa et pulchra dicta sunt in hac aula de « laicis christianis », de illa gente sancta, de illo regali sacerdotio; multi Patres notaverunt eos posse et debere apostolatum sacerdotum complere et adiuvare.

Inter laicos illos apostolicos, magnum et forsan primum locum habent *catechistae,* viri et mulieres, qui, conatu indefesso, in instructionem christianam adultorum et puerorum laborant. Iam in Europa aut in America, ubi tamen adest copia sacerdotum, reputantur utilissimi, immo necessarii.

Quid tunc dicendum est de *terris missionum* et de necessitate cate-

chistarum in illis terris? Ibi deest copia sacerdotum; ibi, rari sacerdotes apostolatui directo dediti non sufficiunt, ne ad christianos quidem in vita christiana confirmandos et perficiendos; suntque sacerdotes qui de duobus, de quinque, de decem millibus christianorum curam pastoralem habent. Tempus ergo eis non superest ad non christianos adeundos. In illa incredibili sacerdotum inopia, catechistae numerosi et bene formati maximum habent momentum.

Catechistae sunt auris missionarii, ad informationes colligendas de statu communitatum; sunt os missionarii, ad veritates paganis praedicandas; sunt denique manus missionarii ad catechumenos efformandos, immo baptizandos. Bonos hortantur, malos arguunt; in suo quoque viculo, afferunt praesentiam Ecclesiae. Multum possunt ad vitam christianam sustinendam et augendam. Praesentia, vel absentia, catechistae est pro multis regionibus magis dissitis, quaestio vitae aut mortis animarum. Catechistae sunt, ut ita dicam, sacerdotes sine Missa et supradictis exigentiis aliquomodo satisfacere valent. Et notandum est tempus opportunum ad convertendam Africam est hodie, non crastina die — rape occasionem — et etiam media ad conservandam fidem neophytorum applicanda sunt hodie, secus « sero medicina paratur ».

Quare videtur textus de catechistis in propositionibus de activitate missionali Ecclesiae nimis ieiunus, debilis et generalis. *Debet*[2] perfici.

1. Ut mihi apparet, declaranda sunt sequentia: *a*) necessitas immediata et immensa catechistarum, praesertim in Africa; *b*) exigentiae formationis accuratae, tum in studio praeparationum evangelicarum quae iam existunt in *regione*[3] locali, tum in cognitione profunda christianismi, non tantum ex libris hausta, sed roborata etiam et magis ex vita christiana personali et interna; *c*) necessitas assecurandi eis statum vitae (standard of life) decentem pro propria persona et pro familia.

Illa tria puncta melius et clarius in textu apparere debent.

2. Ut commendationes praecedentes in effectum duci possint, varii *passus practici* faciendi sunt, quorum aliquos indico:

A. Creandae sunt *scholae speciales* pro catechistis, semper numerosiores, in ipsis terris missionum, in quibus, per tempus sufficienter longum, instruantur non tantum de officiis adimplendis sed etiam de modo practico adimplendi illa officia.

B. Designandi sunt, inter *missionarios itinerantes,* aliqui qui de situatione spirituali et technica catechistarum permanenter curent, ut semper meliores fiant.

C. Ad quem scopum attingendum, multum utiles erunt *sessiones speciales* pro « aggiornamento » catechistarum, quae habendae sunt ad minus unoquoque tertio anno.

D. Immo, si quis catechista donis excellentibus praeditus sit, nil impedit quin mittatur ad scholam magis specialem et elevatam, etiam — si casus fert — in Europam aut Americam, ut ibi studia ampliora et altiora perficiat, methodosque meliores addiscat.

Optandum videtur ut textus etiam aliquid dicat de his mediis, saltem breviter.

3. Mihi liceat addere etiam *aliquas quaestiones.*[4] Catechistae sunt maximi momenti; eorum formatio magnas curas et multam pecuniam requirit, et quidem modo urgenti. Nonne bonum sit ut pro eis condatur vel aliquod *opus missionale pontificium* novum, vel saltem aliqua sectio specialis in Opere Propagationis Fidei?

Timendum est ne, apud populos christianos, quaestio catechistarum appareat usque nunc tanquam parva res, parvum opus pium; debet, e contra, omnium christianorum attentioni proponi tanquam aliqua *necessitas primordialis,* tanquam adiutorium selectum ad Regnum Dei ubique stabiliendum.

Textus ampliores requiruntur, sed non satis erunt nisi creentur opera requisita, sive in centro Ecclesiae, sive in unaquaque regione ecclesiastica per conferentiam episcopalem, sive interdum ab episcopo aliquo pro necessitate suae propriae dioecesis.

Quod si fiet, sperare possumus miseriam spiritualem tantarum ovium sine pastore errantium efficacius minui posse. Quod nobis det Deus! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] multorum. [2] Deberet. [3] religione. [4] aliam quaestionem.

9

Exc.mus P. D. PETRUS MASSA
Episcopus Naniamensis

Venerabiles Fratres,

Paucas tantum animadversiones submittere vellem benignae vestrae attentioni.

Schema est bonum, sed *tantum*[1] iuxta modum. Animadvertere vellem quae sequuntur.

1. Titulus *de activitate missionali Ecclesiae,* non mihi placet, quia occasionem ingenerat confusionis. Melior erat titulus primi schematis: *de Missionibus.*

2. In schemate, pag. 7, linn. 8-10, dicitur: « Dum enim per saecula plane distinctio viguerit inter terras missionum et terras christianas, etc. ».

Distinctio inter regiones quae christianae vocari adhuc merentur, etsi earum incolae baptizati nimia ex parte a fide videantur defecisse, et regiones illas quae fidem numquam receperunt mihi videtur rerum veritati etiam hodie congruere. Difficultates enim in his et in illis non eaedem sunt; media et methodi apostolatus diversa esse debent.

« Ecclesia tota in statu missionis esse debet ». Effatum hoc hodie usurpatum (vulgo « slogan ») etiam nos libenter admittimus, eo tamen sensu, quod Missiones ad Gentes iam non relinquantur spontaneae actioni paucorum operariorum, ut per nimium tempus factum est, verum in activitate Ecclesiae universalis inserantur, ut praecipuus adspectus huius activitatis. In hac linea, ni fallor, *Summus Pontifex* [2] Ioannes XXIII de actione missionaria tamquam de « praecipua, ne dicam unica, Ecclesiae activitate » locutus est.

3. Eadem pag. 7, linn. 13-20, legitur: « Progressus scientificus praeterea necessitatem ostendit homines attingendi in coetibus religiosis et culturalibus in quibus vivunt, etc. ».

Ad hoc animadvertimus hic innui normam pastoralem summi momenti, *adaptationis* nempe propriis cuiuscumque gentis moribus et ingenio. Quam normam de cetero numquam Sedes Apostolica missionariis commendare desiit, et omni tempore missionarii permulti, alterna licet fortuna, in praxim deducere conati sunt.

Attamen textus affirmare posset clariore formula, principium adaptationis nullo modo extendi posse ad elementa veluti essentialia religionis christianae, ne quis sibi somniet christianismum aliquem deminutum seu, ut ita dicam, aqua dilutum.

Meminisse hoc loco placet, si opus est, universalem adaptationem tribuendam esse Legi evangelicae pro sua ipsa divina origine.

Difficultates contra eamdem evangelicam Legem magis a vulneribus quae peccatum intulit humanae naturae proveniunt, quam a peculiaribus cuiusque gentis moribus et cultu.

Quo posito consentimus omnes, ut puto, in externis structuris et organizatione Ecclesiae catholicae plura adhuc exsistere, quae poterunt pro diversis populorum et regionum adiunctis immutari. Clare hoc docuerunt Summi Pontifices Pius XII et Ioannes XXIII.

Hic adiungere vellem fructum aliquem experientiae meae. Per longos annos quos in Sinensibus Missionibus expendi, in hanc deveni persuasionem: Sinenses a fide christiana amplectenda non praecipue eiusdem fidei exigentiis impediri (mores namque illius nobilis populi iam naturaliter christiani dici poterant), sed hac potius difficultate, quod qui

christianus fieret valedicere cogebatur multis vetustis institutis et moribus maiorum, eique facinori imputabatur, quod extraneorum cultui adhaesisset.

4. In propositione secunda, pag. 8, littera *a*), lin. 11, dicitur: « Episcopi totius mundi, una cum Romano Pontifice... ». Sic forsan melius: « Summus Pontifex, et sub eius auctoritate episcopi totius mundi... ».

5. In propositione 12, pag. pariter 12, sermo est de *Catechistis* in terris Missionum, et duobus tantum lineis hoc magni ponderis argumentum absolvitur.

Aequum videtur hac ipsa in aula conciliari publice et solemniter laudis tributum solvere numeroso illo agmini, humili quidem et fere ignorato, de opere tamen Missionum ad gentes benemerito, catechistarum scil.; qui spiritu vere apostolico imbuti magnis laboribus inaestimabile adiumentum contulerunt ad fidem omnibus gentibus communicandam; quod adiumentum etiam in posterum conferre poterunt.

Optandum tamen, sicut iam dixit alius Pater, ut iisdem catechistis sustentandis et numero augendis novum peculiare Opus Pontificium instituatur.

Alias animadversiones in schemate scripto tradam secretariae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

[*Subscripserunt etiam*] Caietanus Pollio, arch. metr. Hydruntinus; Marius Civelli, ep. Ueihoeivensis; Laurentius Bianchi, ep. Sciiamchiamensis; Ioseph Obert, ep. Dinajpurensis; Ambrosius Galbiati, ep. Jalpaiguriensis; Alphonsus Beretta, ep. Varangalensis; Aristides Pirovano, ep. tit. prael. Macapensis; Ioannes B. Gobbato, ep. Taunggyiensis; Archangelus Cerqua, ep. tit. prael. Parintiensis.

10

Exc.mus P. D. PETRUS CARRETTO

Episcopus tit. Zenobiensis, vic. ap. Rajaburiensis

Venerabiles Patres,

Nos, episcopi Thailandiae, Laos, Cambodgiae ...[1], magno cum gaudio legimus in priore schemate de Missionibus in n. 25, pag. 23, quaestionem de « Gemellatione » uti practicam solutionem nostrarum difficultatum tam materialium quam psychologicarum et personalium; at non parvo stupore et dolore vidimus hanc propositionem deletam esse in altero schemate.

Dum res politicae ita hodie aguntur ut regiones et civitates solidio-

ribus vinculis inter se socientur, ita hodie — impellente Concilio Vaticano II quod omnes episcopos ad sollicitudinem universalem in regimine Ecclesiae instimulat — oportebit ipsas dioeceses validiore vinculo obstringere in re missionali.

Compertum est in partibus infidelium, vicarios apostolicos et novos episcopos residentiales mandatum accipere creandi Ecclesiam Dei, saepe quasi ex nihilo, cum laborent carentia sacerdotum, religiosorum et religiosarum, carentia laicorum qui in agro Domini ut medici, ut technici, ut magistri vires conferant, carentia denique subsidiorum et pecuniarum.

Hucusque Sacra Congregatio de Propaganda Fide una cum singulis familiis religiosis non parum enixae sunt has difficultates solvere; cui quidem adiungendae sunt piae operae uti Sanctae Infantiae, Sancti Petri Apostoli pro Clero Indigena; praeterea recolendae sunt, magna cum gratitudine, institutiones non mediocris nominis uti « Cooperatio Missionalis » (Mission Co-operation Plan) in Foederatis Statibus Americae Septemtrionalis, uti « Misereor » in Germania, et aliae. Diffitendum tamen non est res posse in meliorem statum adduci ne dioeceses in partibus infidelium quasi quaedam insulae vivant, et ut ipsae, si Sanctae Sedis Organa excipias, de magno pelago solitudinis subleventur in quo ne mergantur, vires exspectant et preces.

En propositum: Sunt in Ecclesia dioeceses « fortes, bene stabilitae », uti dicitur, et quasi « novellae Olivarum ». Quae dioeceses — indicante Sacra Congregatione de Propaganda Fide vel alio modo — possent « veram gemellationem » cum novella dioecesi inire. Ex hac fraterna gemellatione, aliquid *personale in verae familiae specie,* fieri posset, cum episcopo, cum sacerdotibus, cum laicis; et ita innumerabilia orirentur bona, non tantum pro Missione, sed etiam pro dioecesi adoptante: communes aspirationes, auxilia, orationes, sacrificia. Missio adoptata verum, *verum idealismum missionarium* ingeret in sacerdotes et laicos, in iuvenes cuiuscumque conditionis et facile multiplicabuntur vocationes sive pro Missione sive pro clero locali et pro diversis familiis religiosis. Dioecesis adoptans, certo certius, multiplicabit adiumenta pecuniaria (fideles libentius dant cum personaliter norunt quos adiuvant), *multiplicabit*[2] sacerdotes, religiosos, laicos peritos.

Nos ergo humiliter petimus ut in schemate secundo inscribatur quaestio de gemellatione et problema profundius expolietur ad maiorem frugem in Missionibus obtinendum et ad vitam missionariorum facilius reddendam. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] etc. [2] deest.

11

Exc.mus P. D. PETRUS IOANNES ANTONIUS MOORS

Episcopus Ruremondensis

Venerabiles Patres, adstantes omnes carissimi,

Nomine conferentiae episcoporum Neerlandicae relate ad schema *de activitate missionali,* sequentia proferre velim.

Constat hoc Concilium non posse silere activitatem missionalem, cuius successu Ecclesia universalis iuvenesci potest et debet. Opus nobis proinde est alicuius magnae chartae in hac materia.

Attamen, in schemate praesenti deest visio theologica activitatis missionalis. Iuvat ut haec visio in aliqua parte prima anteponatur secundae parti de practicis, de quibus nunc praesertim schema agit.

Tali in prima parte oportet explanetur idea biblica nexus inter praedicationem evangelicam et secundum adventum Domini nostri Iesu Christi, ita ne necessitas missionalis activitatis unice fundetur in praecepto positivo Christi, cuius sensus ab intrinseco non elucidaretur.

Ibi etiam explanandum esset sic dictam « plantationem Ecclesiae », — *sic dictam « plantationem Ecclesiae »* [1] — non *esse* [2] unice per institutionem Sacrae Hierarchiae, scholarum, etc. Vi voluntatis salvificae Dei, omnibus dantis gratias sufficientes, vique universalis dominii Christi resuscitati, Regnum Dei et redemptio Christi latenter sed operose iam praesentes sunt antequam Ecclesia activitate sua missionali operari inceperit in istis regionibus, i. e. antequam fiat historica confrontatio illarum culturarum non christianarum cum concreta Ecclesia. Hac gratiae praesentia praesupposita, oportet instituatur verus contactus seu concursus (« rencontre », « Begegnung », aut « *meeting* » [3]) inter Ecclesiam et illas culturas (cum homines considerari nequeant seorsim ab illorum cultura). Ut concursus talis *reapse* adsit, prius oportet in illis culturis exsuscitetur vera indigentia Christi. Porro, de facto non raro Ecclesia concreta istis culturis sese manifestat non talis indolis, quae possit reapse alloqui et allicere istas culturas. Quam ob rem concursus ille inter Ecclesiam et culturas non christianas per prius debet gignere locupletationem ipsius Ecclesiae, ita ut, sic ditata, Ecclesia re ipsa possit occurrere illis culturis et plantatio Ecclesiae initium sumere possit. Ast, neminem fugit praesentiam christianorum ex extraneis regionibus et culturis non raro secumferre ad illas regiones, ubi missionalis activitas exercetur, problemata occidentalia necnon symptomata culturae occidentalis christianae aliqualiter decadentis. Consequens est quod de

facto confrontatio historica inter culturas non christianas et concretam formam Ecclesiae non raro periculum secumferre alicuius detrimenti pro cultura autochtona.

Omnia ista silet schema, dum tamen haec problemata maxime pertinent ad id quod est vera plantatio Ecclesiae. Agitur enim de testimonio Ecclesiae praesentis in mundo non christiano, et *non tantum* de directa actione in favorem individualis conversionis. In quo testimonio essentialiter etiam intrat problema scissurae Ecclesiarum christianarum.

Demum, schema de facto potius silet relationem inter activitatem missionalem et problemata sic dicti « mundi tertii », qui materialiter plerumque coincidit cum regionibus in quibus activitas missionalis exercetur.

Proponitur proinde, ut in hoc prospectu exaretur prima pars huius schematis loco prooemii et n. 1, dempto quidem toto n. 3 ...[4]

Ex hac quodammodo substantiali mutatione sequitur quod loco aliquarum « Propositionum » iuvat ut hae propositiones statum obtineantur maiorum schematum, scil. statum alicuius constitutionis vel ad minus solemnis decreti.

Quaedam particularia. 1. Quaeri potest, utrum structura « Propagandae Fidei » sit indolis talis, quae correspondeat condicionibus modernis evolutis.

2. Nonne etiam Concilium debeat gratias reddere illis missionariis, qui nunc in perdifficillimis circumstantiis, non raro etiam cum periculo vitae, activitatem missionalem prosequuntur? Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] adesse. [3] encounter. [4] (pag. 8-9)

12

Exc.mus P. D. IOANNES B. VELASCO
Episcopus Sciiamenensis

Venerabiles Patres,

Episcopus sum e Sinis expulsus, in praesenti laborans in Insulis Philippinis, iam per novem annos, *et quidem cum magna collaboratione episcoporum illarum terrarum,*[1] tamquam vicarius episcopalis pro plus quam trecenta millia civium Sinensium ibi diuturne commorantibus, ex quibus 75 millia catholici baptizati sunt. Natione sum hispanus et ad sacerdotium promotus in Statibus Foederatis Americae Septemtrio-

nalis ubi per quatuor annos studia theologica perfeci. Ergo missionarius sum quadam experientia et, parcat mihi exc.mus D. secretarius generalis Concilii, latinista vere princeps atque ornatissimus, cosmopolitate sat praeditus (*hispanice*: *cosmopolita, cosmopolitan*).[2]

...[3] His, *quae dico cum aliqua* [4] bona ulteriore intentione, praelibatis, ad animadversiones circa nostrum schema transeo. Animadversiones particulares secretariatui tradam. En generales:

I - Si schema hoc reformari non possit, melius esset ut omnino supprimatur et puncta maioris momenti in eo contenta, ad schema *de Ecclesia* necnon *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* transferantur. Aequum facere schema nostrum cum schematibus « De scholis catholicis », « De matrimonio », *etc.*,[5] omni sensu proportionis caret!!!

Ergo schema *de activitate missionali Ecclesiae* vel totum atque completum, vel nihil!

II - Nobis multum placeret si in hoc *novo* [6] schemate plura dicerentur, et hoc absque ulla ambiguitate, de obligationibus non tantum Evangelii praeconum — missionariorum — exterorum sed etiam cleri nativi, congrua congruis referendo. Aequalitas plena planaque in omnibus, in iuribus simul ac in obligationibus, *inter utrumque clerum, nativum nempe et exterum*,[7] meo sensu, erit fons pacis, mutuae intimiorisque cooperationis inter *nativum — repetam — clerum* [8] et exterum.

In nostro schemate fere nihil habetur quod ad clerum nativum directe spectet, et tamen in compertum est opus missionale esse pensum utriusque cleri...[9]

Optimum est, immo et maxime necessarium, missionarios exteros graviter admonere de eorum obligationibus peculiaribus — de adaptatione, de studio linguae, *de accommodatione etc.*[10] populorum quibus Evangelium praedicatur, de simplicitate, paupertate atque caritate, etc. *etc.*[11] —. Sed adsunt quoque munera et officia a clero nativo observanda. Officia dicam et peculiaria (de generalibus obligationibus omnium sacerdotum hic non agitur) ex peculiaribus adiunctis in quibus clerus nativus versatur, in suo animarum apostolatu — nempe, diuturna cum sacerdotibus exteris consuetudo atque conversatio — originem ducentia.

Tantummodo mentionem facere — uti etiam fit in manualibus de iure missionali ...[12] — de obligationibus, moribus et legibus ab exteris sacerdotibus fungendis et observandis, *paternalismi* spiritum gignere potest, sensim sine sensu. Paternalismus a sensu saltem cuiusdam « superioritatis » non multum distat! Prima facie videtur elenchum illarum regularum, legum, consiliorum, etc., esse quid clerum illum nativum et

nativas gentes favens atque honorans, re factoque ita non est, ut diximus, si omnia profundius considerantur... Latet anguis in herba!

Accedit et alia ratio, nempe progressus scientifici atque culturales in nostris temporibus patrimonium iam sunt fere omnium *gentium.*[13] Qui quidem progressus dissimilitudines inter populos et gentes magis ac magis obruit vel tollit, illos inter se coadunando et coaequando ...[14].

Haud parum quidem huic iustitiae et caritatis spiritui conferet sequens, pro nobis obvia, consideratio, homines, videlicet, cuiuscumque stirpis sint, cuiusque loci, cuiusvis gentis, non adeo ab invicem differre ut communiter a nobis tenetur. Differunt quidem, sed rem nostram quod respicit, non profecto ratione boni, seu virtutis, quae quidem est amabilis, sed potius ratione defectuum, quos peccatum originale in iisdem hominibus, in toto genere humano, induxit.[15]

Quaedam exinde consequuntur corollaria, quibus hic spiritus unionis magis magisque foveri deberet. Imprimisque potius quam de defectibus et dissimilitudinibus, loquamur de similitudinibus, de illis omnibus in quibus uni, et non iam diversi sumus. Differentias proclamare atque exaltare esset quodammodo quemdam murum inexpugnabilem construere *psychologice*[16] occidentales inter et orientales, *populos inter et populos,*[17] clerum autochthonum inter et exterum, et sic porro de ceteris. Differentiarum via secuta, vel numquam, vel saltem difficulter ad optatam unionem et animorum concordiam perveniemus. De cetero, nemo non videt quomodo hoc praevalens colloquium circa ea in quibus homines convenimus, valde consentaneum sit oecumenico spiritui, quem animam ...[18] dicimus huius Oecumenici Concilii Vaticani II.

III - Imperfecta haec nostra remaneret oratio nisi quaedam dictis adiiciamus circa sic dictum *nationalismum,* qui, omnibus ac potissimum missionariis consentientibus — *simus sinceri*[19] —, intimam connexionem habet cum opere evangelizationis ...[20]. Pernota sunt omnibus quot quantaque obstacula hoc systema praedicationi verbi Dei non minus insidiose *aliquando*[21] quam tenaciter *frequenter*[22] opponat. Necesse, itaque, est non modo quaedam in huiusmodi nationalismum animadvertere, verum quoque petere ut hoc Sacrum Oecumenicum Concilium, sive in hoc schemate, sive etiam in illo *de praesentia Ecclesiae in mundo huius temporis,* rem serio perpendat, et saltem sequentes quaestiones ad quamdam obiectivam trutinam *seu iudicium ...*[23] revocet, scilicet:

1. Accurate definiatur quid sit nationalismus et quid item patriotismus, sub quo vocabulo ille venit naturalis sensus affectus, quem erga propriam patriam quisque nostrum experitur. Eorumdem consectaria tum in campo politico tum in illo religioso pariter adamussim statuantur.

2. Absque ulla ambiguitate sequens principium proclametur: ius est naturale, igitur omnibus hominibus competens, propriam relinquendi patriam aliamque petendi, animo sibi suisque procurandi congruam sustentationem, animo quoque inibi exercendi alia licita opera, salvo semper, uti evidens, illo, naturali quoque, iure, quo Moderatores aliarum nationum, ratione boni communis, pollent huiusmodi immigrationem moderandi atque restringendi, *sed raro prohibendi. Haec est doctrina Divi Thomae et est doctrina etiam Encyclicae Pacem in terris, in n. 25, Mater et Magistra, etc.*[24]

3. Aperte statuatur immigrantes, qui adoptionis patriae leges fideliter custodiant, qui eorumdem honesto labore, communi bono conspirent illius novae patriae, non uti hospites, plus minusve *benigne patienterque*[25] tolerandos, sed tamquam cives, naturali iure praeditos manendi in natione ubi degunt, instar nativos cives, agnoscendos atque admittendos esse. Et dicimus signanter instar nativorum civium in ordine dumtaxat ad permanentiam agendam in illa nova patria, non autem in ordine ad sic dicta civilia iura, quae, uti evidens, solis nativis competunt quaeque pro non nativis generatim connaturalizationis adipiscuntur litteris seu documentis.

Habemus etiam praeceptum Christi: « *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae* », *quod ex iure divino omnibus absque ulla exceptione competit.*[26]

Demum, 5. Necessarium, denique, existimo universos cives — cuiusvis sint patriae, Occidentales vel Orientales, septemtrionales vel meridionales, Europaeos, Asiaticos vel Afros — serio monere iisdem nequaquam licere exteros cives qua plus minusve toleratos hospites habere, sed tamquam gentes naturali iure inibi gaudentes tum manendi cum etiam laborandi aestimare. Nullum, proh dolor!, exstat dubium quod contraria mentalitas fere apud omnes — *apud me*: *apud omnes!*[27] — etiam hodie, licet nullo solido argumento fulcita, grassatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Silere hic non possum quot quantaque beneficia, collaborationes atque ubique signa amoris ab omnibus, praesertim ab episcopis Insularum Philippinarum, accepi pro quibus coram hoc Sacrosancto Concilio illis maximas gratias manifesto. [4] cum. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] utrumque clerum, nativum nempe. [9] nativi et exteri. [10] et morum. [11] in modo sese gerendi. [12] agentibus. [13] nationum. [14] Ab hac unitate, ac proinde morali aequalitate moventes, fas sit nobis hoc etiam principium sine ambagibus, sine politicis expressionibus, statuere; quibus aequa sunt in vinea Domini excolenda, onera, aequa pariter et sint non modo honores verum etiam munera, item et officia vicissim praestanda. Relationes hisce verbis tangimus quas adesse debere aestimamus exterum clerum

inter et nativum. Optimum quidem est, prout in schemate opportune fit, exteros missionarios admonere, Romanorum Pontificum Benedicti XV *Maximum illud,* Pii XII *Evangelii Praecones,* Ioannis XXIII *Pastor aeternus* etc. indelebili exemplo mirabilique magisterio secutis, de propriis peculiaribusque obligationibus adimplendis. Tales v. g. obligatio discendi linguam et mores illarum gentium, obligatio praedicandi Evangelium Christi, proprio politico, culturali, ambientali nationalismo penitus excluso, obligatio sese omnibus et in omnibus conformandi ut omnes Christo lucrifaciat, et ceteras obligationes, clericis communes praetermittamus. Unus itaque infrangibilis adsit spiritus, ille, nimirum, caritatis, quo habito omnia alia absque ulla difficultate exsequantur. Tali spiritu e contra non habito, seu deficiente, quae exteris collaboratoribus imponuntur — accommodatio, linguae cognitio, illarum gentium morum observantia, etc. — ad nihil proh dolor inservient. [15] deest. [16] deest. [17] gentes inter et gentes. [18] esse. [19] deest. [20] et propterea cum nostro schemate. [21] deest. [22] deest. [23] deest. [24] (cf. Encyclicas *Pacem in Terris,* nn. 25, 106, 107; *Mater et Magistra,* n. 45; Declaratio universalis iurium hominis nn. 13, 15; *Exsul familia*: *A.A.S.,* 44, 1952; Nuntium radiophonicum Natalis 1952: *A.A.S.,* 1953). Hominum fraternitas — quippe quod omnes simus filii Patris qui in caelis est et a quo omnis paternitas in caelis et in terris nominatur — etiam ipsa materialium bonorum providentiali distributione facta, decreta fuit atque, proinde, hoc liberae emigrationis et immigrationis iura exercenda atque applicanda. [25] patienter. [26] 4. Sollemniter quoque proclametur catholicos fidei praecones non tantummodo nuper citato naturali iure gaudere ubique terrarum manendi, verum in illo divino, servatis utique de iure servandis, illis Christi Domini verbis expresso: « Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae ». Mandatum Christi est: euntes praedicate. Omnes proinde ligans, utpote datum ab Eo qui Rex Regum est et Dominus dominantium. [27] deest.

Animadversiones additae:

Prima. Debita amplitudo atque extensio huic schemati tribuatur. Admittimus ultro libenter quae in eiusdem prooemio asseruntur, Concilium hoc Oecumenicum, videlicet, iam alias hac de re egisse, in generaliore schemate *de Ecclesia.* Esto. Sed, missionalis argumenti praestantia exstante, qua illud haud paucis quidem aliis schematibus exaequare neque possumus, neque debemus, hoc modo cogimur argumentari: — aut quam procul dubio ipsum meretur amplitudo eidem detur, — aut, secus, ad paucas lineas, paucasve paginas in schemate *de Ecclesia* reducatur. Quae Missiones ecquidem respiciunt non generalioribus, sed specificis principiis, non doctrinalibus dumtaxat, sed practicis potius principiis investiganda sunt atque resolvenda. Vel ipsa nimia brevitas, qua hoc schema redactum apparet, non modo mihi infrascripto, verum quoque pluribus aliis missionali operi constanter ac gloriose operam dantibus, videbitur hoc Oecumenicum Concilium missionale argumentum minus aequo existimasse, vel quod inglorium esset, et parvipendisse.

Igitur hoc schema — aut totum, sive completum, prout addecet, exhibeatur, — aut aliis similibus amandetur schematibus, ipso de pastorali episcoporum munere in Ecclesia haud excluso.

Secunda. Quaedam expressiones huius schematis quandoque decurrentes cursu (talia, exempli gratia, terrae missionum, missiones apud paganas gentes, item

et nationes), uti iam alias diximus dictaque a nobis et nunc confirmamus, tenemus delendas esse. Idque propterea quod non tantum cuiusdam inferioritatis sensum prae se ferant, verum quoque et illum peiorativum, illas nationes multoque magis earumdem catholicas gentes vel de facto laedentes vel saltem laedere valentes. Numquam satis repetetur catholicam Ecclesiam *unam* esse, sanctam et Apostolicam per totum orbem diffusam.

De nominibus nunc agentes, hoc nostrum votum reverenter significamus, expressiones, scilicet, Missiones in Sinis, Missiones in Afram terram, Missiones in Japoniam, etc., hoc alio propriore substituendas esse: Ecclesia in Sinis, Ecclesia in Vietnam, Ecclesia in Japonia, etc. Imprimis namque supremum romanum Dicasterium evangelizationis curis praepositum non Congregatio Missionum appellatur, sed digniore, ni fallimur, Congregatio *De Propaganda Fide*. Altum hoc proinde imitemur exemplum quod Romani Pontificis veneranda Curia nobis inde iam a pluribus saeculis praebet. Sed et secundo nonne et id congruentius esset schemati *De praesentia Ecclesiae in mundo?* Mater nostra Ecclesia cum sit, quinimmo sive actu, sive etiam potentia, et omnium hominum, quos Christus proprio sanguine redemit, omnes homines omnesque gentes materno sinu amplectitur omnibusque praesens esse totis viribus laborat. Etiam, igitur, maiorique nisu, sedentibus in tenebris atque umbra mortis, quatenus Evangelii lumen indeficiens nondum proh dolor ad illas usque pervenit gentes.

Relinquamus, etsi haud uno numero maesti, veterem terminologiam *Missionum* (in Sinis, in Afras gentes, in Japonicam nationem, etc.) dicamusque: catholicam Ecclesiam ubique locorum atque terrarum praesentem, in Sinis, in Australes oras et sic porro de ceteris.

Pag. 7, lin. 24: « unice applicare intendit... ». Melius dicatur: « praesertim applicare intendit ». *Ratio*: certe multa dicuntur in schemate quae applicationem sustinent ad terras seu regiones praeter illas « in quibus ecclesia (melius Ecclesia) vel nondum implantata est, vel sibi non sufficit etc. ».

Pag. 8, lin. 6: « salvari posse si conscientiae dictaminibus oboediant... etc. ». Addatur verbum « animo sincero » post coniunctionem « si ». *Ratio*: ut bona fides seu ignorantia inculpabilis in illis gentibus vel hominibus praesumatur, et quod illa bona fides necnon oboedientia dictaminibus conscientiae semper et in omnibus actionibus praesens sit et maneat.

Pag. 8, lin. 33: « ... et in aedificiis *sacris* splendeat ». Verbum « sacris » omittatur. *Ratio*: aedificia sacra domus Dei sunt in quibus aedificandis seu construendis lex vel consilium relate ad simplicitatem valere non videtur, iuxta illud Psalmistae « Domine dilexi *decorem* domus tuae et locum habitationis gloriae tuae! ». Numquid privilegium erit aliorum exclusivum — in Europa, in America etc. — grandes et pulcherrimas ecclesias seu templa habere dum nos nostraeque gentes in terris missionum templa simplicia tantum aedificare debemus?

Pag. 9, lin. 4: ad verba «aegros curando, progressum socialem... » addatur: « et materialem ». *Ratio*: progressus socialis et progressus materialis non convertuntur seu omnino idem sunt. Et puto quod Evangelii praecones de duobus in suo opere evangelizationis curare debent et fovere tenentur. Saepe saepius, historia evangelizationis teste, illum progressum materialem fovendo animae citius lucrantur. Est illud D. Pauli: « Per visibilia ad invisibilia ».

Pag. 9, lin. 14: « Catechumeni etc. in Iure Communi recognoscantur ». Tota sententia expungatur. *Ratio*: in Iure Canonico actuali iam sermo est de catechu-

menis sub nn. 1148, 1152, 2218 etc. Quid nunc auctores schematis significare velint per verba « in Iure Communi recognoscantur » nescio. Certe catechumeni aequiparari non possunt neophytis et iam baptizatis, in iuribus neque in obligationibus. Praeterea, catechumeni, uti catechumeni, sunt in periodo instructionis et, bene notetur!, probationis — an sincero corde ad fidem venire intendant, an motiva eorum sint recta, etc. Res ergo nimis periculosa esset iura et privilegia baptizatorum illis in Iure Communi concedere.

Pag. 9, linn. 22-26: tota haec paragraphus sequenti modo iterum apparetur: « In terris ubi opus evangelizationis plene exerceri *nequeat, Ecclesia in salutem* earum gentium ita *operetur ut gradatim eis accessum ad Deum patefaciat docendo veritates religiosas et morales ordinis naturalis, easque* parando *ad assequendam salutem aeternam. Ratio*: paragraphus uti iacet in schemate defectibus laborat non paucis, etiam doctrinalibus — uti nobis saltem videtur — estque intellectu difficilis...

Pag. 10, lin. 8: « Episcopi totius mundi... etc. se pro totius mundi salute " prius quam " pro aliqua dioecesi consecratos esse ». Ita corrigatur: « et non solum » loco « prius quam ». Forsan etiam posset dici « potius quam », sed credo quod numquam recte dici potest quod episcopi « prius quam pro aliqua dioecesi consecrati sunt pro totius mundi salute ». « Prius » est, ex se, adverbium temporis. *Ratio*: pro priori emendatione seu usu verborum « et non solum »: pro illis enim qui principium collegialitatis episcoporum ex iure divino tenent — auctores huius schematis inter illos — necesse non est ut in casu nostro mentio fiat de dioecesibus in particulari, cum de consecratione episcopali sermo est, cum omnia iura et obligationes ex illa proveniant. Praeterea non omnes episcopi consecrationem suscipiunt ad aliquam dioecesim postea gubernandam — uti sunt auxiliares, titulares, etc. — et tamen et isti vi consecrationis de salute totius mundi animarum curare debent.

Ex hac ergo consideratione manifeste apparet quod in schemate nostro, et in hac paragrapho, multo melius esset dicere simpliciter: « Episcopi totius mundi sive singuli sive in conferentia (melius hic dicere " in conferentiis episcopalibus ") coadunati numquam in oblivione tradant se pro totius mundi salute consecratos esse (forsan melius " consecratos fuisse ") ».

Pag. 10, lin. 20: « Ita ut activitas apostolica etc. ». Addatur verbum « eorum » post verbum « activitas ». « Ita ut eorum activitas apostolica etc. ». *Ratio*: ita postulat sententiae claritas et complementum.

Pag. 10, n. 6: paragraphus haec de novo apparetur tota. *Ratio*: sententiae sequentes expungi debent ideo quia ad rem non veniunt: « quod essentialiter in Eucharistia, quae Ecclesiam perficit, consistit »; « Quod valet de sacerdotibus utriusque cleri » nimis evidens est, ita ut de re loqui fere ridiculum quid sit; implicitam prae se fert accusationem sive contra clerum dioecesanum sive contra regularem; « Quantum Ipsi desit ad plenitudinem corporis, et quantum proinde praestandum sit (cui? quid?) ut in dies crescat (Caput? Corpus?) ». Sententia haec ultima emendari debet. Est scabra, obscura... etc.

Pag. 11, lin. 17: « quae nedum progressui humano contradicat », sic emendetur: « quae nedum *vero* progressui humano etc. ». *Ratio*: patet. Non omnis progressus laudandus est etsi progressus nomine gaudeat et dicatur, etsi immerito.

Pag. 11, n. 10, titulus huius paragraphi « Formatio culturarum christiana-

rum ». Quid sibi hoc vult? Cultura christiana una est, sicuti aliae culturae. Forsan melius dicere « Formatio culturae christianae » vel « Formatio culturalis » simpliciter.

Pag. 12, n. 12: « Formatio catechistarum »: forsan omnino a schemate expungi deberet, vel saltem aliquid addendo iis quae hac in paragrapho dicuntur. *Ratio*: venerabilis meritisque plena catechistarum institutio, quae tot uberrimos fructus etiam nuperrime transactis temporibus Ecclesiae obtulit, iam eam obsoletam esse dici possumus. Saltem modo ac structura qua usque nunc usa fuit. Hodie non mere catechistis sed magistris, atque vere peritis, indigemus. Cultura populorum progressus magnos ubique fecit. Tempora mutata et nos cum illis methodos mutare debemus.

13

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Praelatus Nullius Acrensis et Puruensis

Venerabiles Patres,

Non tantum nomine meo loquar, sed nomine secretariatus pro *Praelatis*[1] Brasiliensibus, quae quidem 38 sunt.

1. Laudanda commissio pro labore; non equidem laudandus laboris fructus.

Nam, exspectationi generali et ipsius commissionis labori non respondet. Tractatio est generalis, speculativa, non semper obiectiva, perraro realibus necessitatibus accommodata. Et mirum est, cum intentum Concilii nostri sit spiritu missionario omnes christifideles imbuere, in tredecim propositionibus argumentum totum exhaurire! Quae propositiones, nota dicunt et necessario dicenda non dicunt: ergo inutiles etsi verae et bonae!

2. Ex generali vero charactere missionali Ecclesiae pluries declaratum et ad ordinem practicum non ductum, timendum est accidat quod semper accidere solet in similibus, quando scil. plures vel omnes curam habere debent de aliqua re: nemo agit! Et Ecclesia missionaria semper erit Ecclesia mendicans et indigens; erit exercitus bellans in prima acie et simul praeparans sibi arma et munimina: pessima strategia.

3. Clare apparet tandem tendentia fugendi problemata per recursum ad exhortationes paternales et ad verba generaliora (« parole generiche »): pulcherrimum exemplum habetis in pag. 14 relationis ubi aliquis Pater « movet quaestionem quid significat " apud " S. Congregationem de Propaganda Fide: estne supra, vel infra, vel extra, vel intra hoc Dicasterium? ». Et dicit relator: « Recte vidit ille Pater! ».

4. Sed, quod mirum et absurdum, post lectionem propositionum,

ignoratur de qua re sit sermo, et ipse finis activitatis missionariae ignoratur. Et ignoratur quia consulto commissio missionem et finem missionum noluit declarare, ut legitur in pag. 10-11!

Ratio adducta: discordia opinionum inter peritos; solutio: ut isti periti facilius ad unitatem deveniant, in missionem mittantur!

Sed aliqua definitio est necessaria; quaenam elementa? Breviter videamus!

a) *Dependentia a Sacra Congregatione de Propaganda Fide,* ut ipse em.mus card. Agagianian in sua relatione videtur affirmare?

Minime, quia sunt territoria fere identica quae a diverso Dicasterio pendent, ut accidit v. g. in amplissima regione amazonensi, quorum 44 a S. Congregatione de Propaganda Fide pendent et 38 non; et sunt territoria adhuc sub S. Congregatione de Propaganda Fide sed sine ulla necessitate, ut accidit v. g. cum Gibraltar, prout in Annuario Pontificio huius anni videre fas est.

b) *Actualis definitio,* implicite data in lin. 24, *pag.* 7 [2] nostri schematis? Minime, quia ab initiali restrictione (dependentia a Propaganda Fide) fit transitus ad ampliationem talem ut et ipsa Roma, omnium Ecclesiarum mater, censeri posset « missio ».

c) *Coetus humani extra Ecclesiam?* Minime pariter, quia ut supra, ad complures coetus applicari potest etiam in terra nostra catholica, ubi tamen aliqui coetus sunt forsan extra Ecclesiam.

d) Quaenam tandem elementa positiva? Consideremus: ideam communem fidelium omnium, Evangelium ubi legitur « euntes...[3] », genesim ipsius missionis, schema nostrum de Ecclesia (cap. II, num. 17 ...[4]), et concludere possumus: missio importat: *territorium* ubi clerus autochtonus non existit vel est insufficiens; *commissum* alicui Instituto qui ex natione alienigena venit.

Haec sunt elementa necessario ponenda in definitione, quia essentialia, nam omnis missio, sive propria sive impropria, sive in sensu stricto sive in sensu lato, nequit subsistere et progredi si alicui Instituto non committitur. Et problemata solvenda sunt praesertim relationes inter: episcopum et institutum; institutum et clerum autochtonum; institutum et provisionem cleri missionis...[5]

Quod si aperte non proponuntur haec problemata, cetera ad nihil inserviunt! Et sub hac luce, parum loquitur, nostro in schemate, de religiosis qui ferunt pondus diei et aestus; dum e converso plura et pulchra dicuntur tum de clericis tum de laicis qui ad activitatem missionalem se devovent ad tempus, et aliquando, propter inadaequatam praeparationem, potius Dei « turistae » quam missionarii vocari possent.

5. Quod si exigentias nostri temporis consideramus — praesertim:

nationalismum, influxum crescentem activitatis politicae, gloriam sui et suorum (« orgoglio nazionale ») — ne « missiones » appareant veluti « coloniae » alicuius nationis, forsan ipsa gloriosissima vox « missio » esset immutanda; forsan vox « Ecclesia Novella » in usu apud Ecclesiam antiquam et studiose derelicta a commissione nostra sed frequens aliis in schematibus...[6] esset reassumenda.

Forsan, attenta ipsa theologia quae asserit « ubi episcopus ibi Ecclesia » et — ut supra dixi — ne fides confundatur cum imperialismo vel cum massa ad alvescendos dentes (« dentifricio »), et ipsum nomen benemerentisismae Sacrae Congregationis de Propaganda Fide immutari deberet in « Dicasterium pro Ecclesiis novellis » et dicam *pro omnibus et solis Ecclesiis Novellis.*

« Tota enim activitas missionalis eo tendit ut novae communitates christianae crescant in veras et proprias Ecclesias Novellas suo episcopo commissas. Quae Ecclesiae, etiam postquam Sacra Hierarchia instituta iam est, in eodem spiritu missionali ab universali Ecclesia adhuc adiuvandae sunt, usquedum propriis viribus et mediis fideles pascere et iis qui foris sunt viam salutis efficaciter annuntiare valeant » ...[7]

Evidenter, ad hanc restructurationem faciendam, tempus est necessarium et tempus concedimus; tamen, donec haec omnia fiant, cum complures Ecclesiae Novellae hodie a Sacra Congregatione Concistoriali pendeant, et iisdem et aliquando peioribus necessitatibus premantur, rogamus ut in ipsa Sacra Congregatione Concistoriali excitetur Commissio Centralis quae, in stricta relatione cum Sacra Congregatione de Propaganda Fide agat de istis missionibus quae, licet in sensu lato, verae missiones sunt. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] praelatiis. [2] pag. 5. [3] in mundum universum. [4] pag. 38. [5] etc. [6] (cf. *De religiosis, De Ecclesia,* deque *pastorali episcoporum munere*). [7] (cf. Commentarius in schema propositionum de activitate missionali Ecclesiae, a compluribus Patribus Romae editum die 3 augusti 1964, p. 5; schema decreti *de Ecclesia* l. c.).

Animadversiones additae:

Titulus novus proponitur: *De omnibus ad Ecclesiam plene adducendis. Ratio*: *a*) Constitutio *de Ecclesia,* quae centralis est in nostro Concilio, hoc in modo, melius suum locum videtur tenere, nam, ex una parte Ecclesiam habemus omnibus mediis ad salutem ditatam, et ex altera gentes... quae in umbra mortis sedent.

b) Qui sunt extra Ecclesiam, aliquo in modo esse possent in Ecclesia (recolere fas est quae inveniuntur in manualibus de ad animam Ecclesiae pertinentibus et quae audivimus in aula quando de libertate religiosa disserebatur).

Intentum Concilii: accommodatam proponere renovationem missionalis activitatis Ecclesiae, doctrinam et normas tradens ad hoc.

Divisio: duo capita: *a*) de activitatis missionalis Ecclesiae principiis (theoria); *b*) de activitatis missionalis Ecclesiae exercitio (practica). *Ratio*: *a*) haec postulat ordo rerum; *b*) est divisio victoriosa, ut ita dicam, schematis *de Oecumenismo.*

I - *De activitatis missionalis Ecclesiae principiis*:

a) *De Aeterni Patris universalis salutis consilio*: « salus a Deo per homines ».

b) *De executione consilii Patris*: 1) apud populum electum: Patriarchae, Prophetae, B. Virgo Maria, Christus Iesus, christiani: episcopi (mandatum Domini), ceteri (Baptismum - Confirmatio);

2) apud gentes: omnis homo, ductus a quadam inclinatione et ab intelligentia (dona Dei), Deum quaesivit, ideo: *a*) quaevis religio habet aliquid boni; *b*) quaevis religio est aliquid bonum quatenus est conamen hominis ad Deum amandum.

Conclusio: *a*) Omnes christiani ad apostolatum vocantur; *b*) omnes gentes ad christianismum vocantur; *c*) elementa bona cuiuscumque religionis, in christianismo servantur et ad perfectionem ducuntur.

Definitio missionis: est Ecclesia quae ad maturitatem nondum pervenit et necessaria ad vitam independentem non habet ita ut necessario sit alicui Instituto committenda qui de ea curam gerat et eam ad maturitatem ducat.

Dicitur Ecclesia quia Ecclesia, ab Abel iusto usque ad ultimum electum (cf. schema constitutionis *de Ecclesia*) est congregatio fidelium (sine relatione ad numerum fidelium!): Episcopus et missionarii sufficiunt ad hoc! Missio enim est veluti persona humana quae licet parva, immo embrionalis, semper persona est.

Dici posset Nova (Ecclesia), ratione habita vel *a*) ad tempus, vel *b*) ad usum antiquum apud Ecclesiam, vel tandem *c*) ad Ecclesiam matrem.

II - *De activitatis missionalis Ecclesiae exercitio.* « Tota Ecclesia missionaria est (Paulus Pp. VI). Ideo de singulis christianis vel de singulis coetibus christianorum aliquid dicendum est.

Populus: *a*) scire debet populus de statu et progressu fidei; *b*) formari debet populus ad cooperationem: oratione; auxilio pretio aestimabile: argentum, bona materialia, labor ad bona colligenda; *c*) formari debet populus ad apostolatum sive sua in terra, sive in terra aliena (missionis) qui ad hoc fuerint vocati (agitur de vocatione, non de piissimo tantum desiderio!).

Spiritus missionalis videtur non praerogativa alicuius coetus, v. g. Actionis Catholicae, sed praerogativa hominis christiani qui lux, vita, sal et fermentum esse debet. Ubi deest, habetur quies quae non est christiani propria (non veni pacem mittere...).

Clericis ostendere debemus sequentia: *a*) opus missionale est praecipuum opus evangelicum; *b*) in opere missionali, etsi habeantur incommoda, habetur totius hominis et christiani plena realizatio; *c*) necessarium est ut sacerdos sit spiritu missionario imbutus, ut christianus et ut sacerdos, seu aliorum dux; *d*) seligant (et ad hoc praeparentur) clerici portionem quamdam Ecclesiae degentis ubi possent, in futurum, ministerium suum sacerdotale, etsi ad tempus exercere; et cum missionariis illius loci frequentes habeant relationes; *e*) aliqua activitas missionalis collectiva excitari debet in quocumque seminario, sub episcopi necnon rectoris disciplina.

Sacerdotes debent: *a*) « informarsi » seu scire de statu et progressu fidei; *b*) « informare » seu populum certiorem facere de statu et progressu fidei; *c*) « stimolare » seu esse anima activitatis missionalis in paroecia; *d*) se offerre, ad quinquennium, pro labore ubi Ecclesia eum vocaret (in missione vel simpliciter alia in dioecesi).

Religiosi-missionarii: *a*) gratias plurimas pro ingenti labore tribuendas ipsis esse censeo! *b*) missionem numquam habeant veluti « coloniam » sibi propriam; *c*) si insufficientes, alios sacerdotes, etsi diversi Instituti, acceptent in sua missione; *d*) formationem cleri autochthoni faveant, dioecesani praesertim! *e*) missionem non derelinquant, etsi episcopus autochthonus missionem regat, usque dum Ecclesia Nova ad aetatem maturam non pervenerit.

Episcopi non missionarii: *a*) sunt corresponsabiles (cf. schema *de pastorali episcoporum munere*) Ecclesiae, et quidem totius Ecclesiae, ideo: *b*) studeant et cognoscant problemata missionalia; *c*) solutiones problematum proponant; *d*) faveant vocationes missionarias; *e*) faveant auxilia missionibus; *f*) seminarii sui portas missionariis pandant.

Auctoritas ecclesiastica in missione: *a*) sit charactere episcopali insignita (ubi episcopus ibi Ecclesia; ubi nullus episcopus, nulla Ecclesia); *b*) sit residentialis et non titularis (cuius regio... illius episcopus!) ut Ecclesiae novae vere fundamentum; *c*) sit prima et non novissima (ceteri post ipsam et non vicissim); *d*) sit « anima » missionis et cogitet de conversis, de convertendis, de clero missionario; *e*) praeparet dissolutionem gradativam formae apostolatus minus sacerdotalis; *f*) cogitet non modo de auxilio accipiendo sed omnia bona promoveat ut ad aetatem adultam Ecclesia nova sibi commissa perveniat, scil. ut necessaria sibi producat, i. e. clerum, bona materialia; ut ceteras Ecclesias possit adiuvare.

Missiones: in quantum possibile inter se uniantur, in limite nationis, per modum cuiusdam « conferentiae episcopalis »: ad problemata solvenda, ad bona fovenda, ad informationes colligendas, ad informationes tradendas, Sanctae Sedi, missionariis, diariis etc.; ad relationes cum Sede Apostolica et nationalibus necnon internationalibus organis fovendas.

Sancta Sedes: *a*) nomen benemerentissimae S.C.P.F. immutari debet; *b*) omnis missio sub unico dicasterio ponere; *c*) in hoc dicasterio, pro unaquaque regione, peritos ponere qui regionem vere cognoscant; *d*) ad tempus, donec haec omnia fiant, sectio specialis pro missionibus excitari debet in quovis dicasterio sub cuius ductu habentur missiones; *e*) S.C.P.F., in stricta relatione cum Congregatione Concistoriali, colligat sacerdotes ubi adsunt copiosi, media ubi adsunt copiosa; ut possit, postea suppeditare egentibus Ecclesiis sacerdotes, media; *f*) S.C.P.F. excitet « officium informationis », ita ut omnes, clerus et populus, scire possint de statu et progressu fidei (organum, variis in linguis editum, Ecclesiae et non particularis Ecclesiae esse debet); *g*) S.C.P.F. Instituta erigat ad laicos missionarios, vere vocatos, formandos ad validitatem auxilii, ad continuitatem operis.

* * *

1. *Praeparatio seu formatio laicorum*: *a*) simplicem humanitarismum cavere (evitare il puro umanitarismo); *b*) humanitarismum in vera vita christiana absorbere; *c*) vocatio missionaria sit potius ab intrinseco (ex plenitudine scilicet vitae christianae) quam ab extrinseco (ex circumstantiis) repetenda.

2. Praeparatio aliqua specifica pariter est praemittenda, habito respectu *a*) ad artem seu professionem laici missionarii; *b*) ad reales necessitates et possibilitates loci missionis. Forsan ad hoc sufficeret aliquod epistulare commercium inter auctoritatem assumpturam et laicum assumendum.

3. *Quaestiones practicae*: *a*) excitandi sunt cursus praeparatorii (a S.C.P.F.?) immo, *b*) instituta praeparatoria laicis reservata excitanda essent (semper a S.C.P.F.?), sub ductu alicuius sacerdotis qui vitam et problemata missionalia revere cognoscat; *c*) capsa seu fundatio aliqua ad expensas missionarii laici sustentandas pro: 1) formatione, 2) dotatione in exitu, 3) adsistentia in labore, 4) reintegratione in primaeva societate, si necessaria; *d*) organizatio (et adsistentia) ut laicus missionarius absorbendus in primaeva societate, vivere decenter possit (recognoscere, v. g., ad finem cursus [per fini di carriera] annos in missione elapsos!).

Nota: Haec omnia sunt necessario perpendenda quia in multis missionibus urget necessitas laicorum, sed nec missionarii clerici habent unde vivant!...

14

EXC.MUS P. D. IOANNES B. GAHAMANYI

Episcopus Butarensis

Venerabiles Patres,

Interventus noster spectat par. 2 schematis propositionum *de activitate missionali Ecclesiae.*

In hac paragrapho loquitur de unanimi collaboratione inter Ordinarium loci et Instituta missionaria: *ut Ordinarius loci sit centrum unitatis in dioecesi sua.*[1]

Eo fine ut melius in luce ponamus scopum huius interventus, praetermittimus pauca verba de situatione actuali in regionibus missionariis.

Sub regimine dicto « Ius commissionis », aliquae partes mundi adhuc evangelizandi commissae sunt institutis missionariis, quae ita commissionem acceperunt annuntiandi Evangelium et implantandi Ecclesiam in determinatis regionibus.

Hoc modo missa in regionibus eis commissis, instituta missionaria dirigebant omne opus pastorale in his regionibus.

Effectus magni obtenti sunt opere laboris et sacrificiorum institutorum, inter quos maximus est creatio Ecclesiarum novellarum cum propria hierarchia. Attamen hi effectus definitivi non sunt.

Novellae Ecclesiae, quamquam hierarchia propria dotatae, adhuc maxime egent operariis apostolicis provenientibus ex institutis missionariis, necnon subsidiis materialibus aliunde provenientibus. Ita fit ut saepe saepius maxima pars sacerdotum in dioecesi episcopi dioecesani

qui ipse non pertinet ad institutum sint sacerdotes instituti missionarii.

Ex hac situatione multa problemata profluunt in novellis Ecclesiis quorum altera canonica, altera pastoralia sunt.

Hic de problemate pastorali agere volumus. In dioecesibus nostris novellis collaborant Ordinarius loci et superior instituti missionarii.

Haec collaboratio interdum difficultatibus non caret, immo supponit mutuum respectum et spiritum vere ecclesialem.

Quoad Ordinarium loci: plene agnoscere debet spiritum proprium instituti, quod habet suam spiritualitatem, suas regulas vitae internae, quae vita interna saepe est conditionata circumstantiis in quibus activitas pastoralis exercetur.

Quoad Instituta missionaria: plene agnoscere et accipere debent autonomiam Ordinarii loci in gubernatione dioecesis suae. Quamquam spiritualitatem suam propriam instituta habeant, maxime in hac includere debent eam quae spiritualitas dioecesana vocatur. Haec spiritualitas dioecesana centrum suum habet in doctrina de episcopo ut successore apostolorum, ut centrum vitae unitatisque communitatis christianae suae. Iam per omnes annos formationis eorum, membra institutorum, praeter spiritum proprium instituti, suum facere debent hunc spiritum ut ita dicam dioecesanum, et hoc propter naturam ipsam eorum vocationis quae est implantatio Ecclesiae dioecesanae.

Interdum non multa alumni institutorum missionariorum de hac spiritualitate dioecesana audiunt in novitiatu aut in scholasticatu.

Tantummodo si ipsi hoc spiritu animati sunt, missionarii eum communicare poterunt suis fidelibus et faciliori modo cum clero dioecesano collaborare poterunt...[2]

Hoc ipso spiritu ducti, superiores institutorum continuo modo in spiritu habebunt desiderium corroborandi Ecclesiam localem ab ipsis fundatam, et quae est corona et gloria eorum. Error nimis esset et infidelitas si aliqua instituta magis curarent de sui ipsius incremento quam de incremento cleri dioecesani localis, quamquam — ut patet — vocatio propria uniuscuiusque personae consideranda sit.

Immo, et quoad missionarios ipsos attinet, qui voluntate superiorum suorum in servitio episcopi dioecesani positi sunt, maior collaboratio inter superiores et episcopos saepe optanda est. Nimis facile superiores sacerdotes suos revocant propter proprias necessitates non satis perpensis necessitatibus dioeceseos in qua hi sacerdotes laborant.

Nullus episcopus laborem suum pastoralem efficaciter et tranquillo animo organizare potest nisi certitudine morali praevidere possit servitia stabilia sacerdotum cum eo collaborantium.

Nemini effugit quod propter varias rationes, nominationes et muta-

tionem sacerdotum fieri possunt et debent, sed semper fiant prae oculis habitis necessitatibus tam dioeceseos localis quam instituti missionarii, et numquam inconsulto Ordinario loci.

Venerabiles Patres, his rationibus motus optare audeam ut in schemate nostro mentionem fiat horum elementorum pastoralium quae nobis maximi momenti sunt. Propter easdem rationes, rogo ut quae scribuntur in schemate pag. 8, linn. 21-22, nempe quod « Instituta missionaria necessaria initiativa retineant propriae actionis », explicentur et modo magis praeciso exprimantur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Immo, ut saepe membra institutorum in seminariis dioecesanis docent, quomodo poterunt formationem adaequatam seminaristis suis dioecesanis praebere, ipsi ea carentes?

15

EXC.MUS P. D. VITUS M. RIOBÉ
Episcopus Aurelianensis

Venerabiles Patres,

Multi episcopi, qui inter nos religiosi non sunt, et etiam religiosi, dolent quia aliquis nuper in aula dixit sacerdotes et laici qui eunt ad tempus in missiones essent mere « turisti », ut dicitur.[1]

Nomine loquor septuaginta episcoporum missionariorum et superiorum generalium Institutorum missionalium.

Membrum sum commissionis *de Missionibus.* Subscribo propositionibus quae fructus sunt magni studii omnium qui in commissione laboraverunt. Attamen mihi videntur non sufficere ad procurandam solutionem totalem problematibus hodiernis missionum. Ad hoc non sufficit ut Consilium Centrale Evangelizationis instituetur: Concilium Oecumenicum nostrum per seipsum debet quam profundissime investigare necessitates evangelizationis mundi et conditiones implantationis Ecclesiae, et exinde eruere doctrinam cohaerentem et principia quorum ope illud Consilium Centrale Evangelizationis suum opus aggredi poterit. Doctrinam dico et principia: quia toto decursu sui laboris durantibus his tribus annis, commissio de missionibus anceps remansit inter conceptum missionis theologice enucleatum et conceptum mere iuridicum prout nunc in Iure condito iacet. Insuper quamvis in prooemio alludatur ad conditiones novas in quibus evangelizatio mundi protrahenda est, quamvis etiam ibidem agnoscitur felix ortus Ecclesiarum novella-

rum, tamen in propositionibus ipsis non enuntiantur satis principia quae satisfacere valeant tum necessitatibus hodiernis evangelizationis mundi, tum ipsis novellis Ecclesiis.

Ex alia parte: Impossibile est aliquid de activitate missionali decernere, ad rem vere pertinens, nisi tota ratio missionum reinvestigetur, tum luce adiunctorum hodiernorum, cum luce doctrinae quam in constitutione *de Ecclesia* apprime enucleavimus.

I. *Ratio missionum recognoscenda est luce adiunctorum hodiernorum.* Adiuncta hodierna spectant ad contextum sociologicum in quo evangelizatio evolvitur, et ad fructus iam adeptos in plantatione Ecclesiae.

1. Ad contextum, quod attinet, in quo evangelizatio evolvitur, mihi sufficiat mentionem facere de istis rebus omnino novis (« une véritable révolution sociale ») in quibus missiones versantur, in ordine politico, sociali, ideologico, psychologico et culturali. Hae mutationes sociales renovationem exigant in methodis missionariis, ita ut denuo accommodentur mentalitati ambienti; exigant ut, in operibus Ecclesiae socialibus et educativis, recognoscatur applicatio principii subsidiarietatis, ita ut haec activitas Ecclesiae rite componatur cum socializatione quae celerrime instauratur apud nationes progredientes. Tandem summopere exigant ut missio Ecclesiae appareat prouti est, scil. mere spiritualis.

2. Si vero fructus iam adeptos perspeximus, duo notatu digna apparent: ex una parte, in aliquibus locis de facto iam exstant Ecclesiae locales; ex altera parte, necessitas evangelizationis integra remanet ubique, ita ut distinctio inter terras missionum et terras sic dictas christianas evanescit. Missio Ecclesiae magis magisque circumscribitur in coetus humanos non-christianos penetrandos. In propositionibus de activitate missionali Ecclesiae, nec situatio actualis atque problemata specialia novellarum Ecclesiarum satis inspiciuntur, nec conclusiones satis eruuntur ex problematica hodierna evangelizationis universalis quae fere tota sistitur in penetratione coetuum non christianorum. Vitantur ergo quaestiones actuales quia, ut legimus in relatione, commissio « statuit de distinctione inter missiones et novellas Ecclesias nihil dicere ».

...[2] Non sufficit schema rationem habere adiunctorum hodiernorum; necesse est insuper ut tota ratio missionum illustretur luce doctrinae enucleatae in nostro Concilio Vaticano.

Ad modum exempli, quattuor puncta in memoriam revocabo, scil. naturam missionariam totius Ecclesiae, catholicitatem eius, collegialitatem episcopalem et communionem Ecclesiarum. Haec forsan remanerent in categoriis pure idealisticis, si activitas missionalis ea in actum

non traduceret. De cetero asseri potest totam activitatem missionalem Ecclesiae defluere ex his principiis fundamentalibus. Ergo reassumi deberent modo dynamico in nostro schemate. Sed, ad hoc, requiritur decretum completum.

Aliud exemplum afferam: in propositione 3, agitur de evangelizatione proprie dicta et de initiatione christiana catechumenorum. Sed haec propositio apparet ut merus modus procedendi quin explicite enucleentur principia theologica in quo innititur.

Concludo. Concilium Vaticanum II optimas suas partes consecravit Mysterio Ecclesiae. In hoc mysterio, duo obiecta specialia inspicienda sunt, utpote essentialia, nempe Unitas et Missio, in quibus elucent et catholicitas et apostolicitas. De Unitate, rem habuimus in speciali decreto conciliari, scil. in decreto *de Oecumenismo.* Aequalitas, rei veritas et urgentia problematis postulant ut de activitate missionali Ecclesiae tale decretum promulgemus, et non tantum simplices propositiones; quod desiderant omnes qui in commissione laboraverunt.

In schema *de Missionibus* mense ianuarii editum, multi Patres emendationes et animadversiones transmiserunt, ex quibus quaedam sunt maximi momenti. Sed haec omnia iam reposita sunt in pace archivarii et dormiunt somnum suum. Oportet ut resurgant sub forma decreti, allatis etiam iis quae in hac aula dicta fuerunt.

Quid ergo, Patres venerabiles? Si propositionibus ex toto corde subscribo, attamen magno cum ardore rogo ut schema a commissione mense ianuarii apparatum et ex in aula dictis renovatum propositionibus ut adnexum addatur, ita ut illas explicet et clarificet.

Memores simus necessitatum et desideriorum nostrorum venerabilium Fratrum, hic praesentium, inter maximas difficultates prima acie militantium ut Regnum Christi dilatetur ubique terrarum. Magna exspectant ex parte huius Concilii qui, utpote Concilium « de Ecclesia », revera « grande Concilium missionarium » esse debet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] II. Ratio missionum recognoscenda est luce doctrinae iampridem illustratae a Concilio Vaticano II.

16

Exc.mus P. D. IACOBUS MOYNAGH

Episcopus Calabarensis

Venerabiles Patres conciliares,

Loquor in nomine plurimorum episcoporum Africae et aliarum regionum.

Quam maximi res est momenti, ut haec Sacrosancta Synodus, toti mundo catholico elata voce edicat activitatis missionalis Ecclesiae necessitatem, magnitudinem ac splendorem. Haec enim activitas est finis primarius Ecclesiae, mandante Domino « Euntes... docete... » ...[1], exclamante apostolo « Vae... mihi est si non evangelizavero! » ...[2]. Uti Pius XI ait in *Rerum Ecclesiae* ...[3]: « Neque enim ad aliud nata Ecclesia est, nisi ut, regno Christi ubique terrarum dilatando, universos homines salutaris redemptionis participes efficiat ».

Hoc schema non est adaequatum. Neque proclamat verbis sat gravibus atque urgentibus necessitudines illorum millionum animarum, qui de Christo nondum audiverunt; neque verbis sat fortibus atque fidentibus provocat ad fidem et generositatem catholicorum, qui necessitudinum probe conscii facti, Christi caritate sese instantius urgeri sentirent. Ideoque schema ex integro elaborandum *est.*[4]

Statim ad particularia veniam:

1. Si distinctio inter activitatem missionalem proprie dictam et activitatem pastoralem ordinariam Ecclesiae aboleatur, magnum exinde detrimentum causae missionum eveniet.

Verum est quod cura pastoralis ovium praesertim dispersarum in terris traditionaliter catholicis insignis labor est, et indispensabilis. Sed in hisce terris opus est potius activitate pastorali intensiore, dignitatis et sanctitatis sacerdotii renovata aestimatione, apostolatus laicorum amplificatione. Ecclesia semper distinctionem fecit inter *primam* annuntiationem Evangelii iis qui *nunquam* de Christo audiverunt, et subsequentem curam pastoralem baptizatorum.

Verumtamen Summi Pontifices qui tam egregie in hoc saeculo Ecclesiam rexerunt nunquam confunderunt apostolatum pastoralem erga lapsos cum Evangelii praedicatione ad non-christianos. Idem Pius XI in Litteris citatis ait: « Quisquis autem est, qui Iesu Pastorum Principis vices in terris divinitus gerat, ...[5] praecipuo muneri suo desit, nisi alienos externosque Christo lucrari atque adiungere omni contentione nitatur ».

Si ergo haec distinctio nunc repudietur, ratio specifica activitatis missionalis in umbram vertetur. Quare enim in terras longinquas pro Christo peregrinandum, si eiusdem esset *pretii*[6] in patria ministerium exercere? Quare catholici tot pro missionibus sacrificia sustinerent, si paris esset pretii apostolatui erga lapsos in patria inservire?

Inevitabilis huius confusionis effectus esset ut sensus urgentiae diminueretur. Et re quidem vera hic urgentiae sensus, in schemate nostro notabiliter deficit. E. g., in pag. 8, lin. 10 ...[7], dicitur: « Evangelizationem summum momentum *etiam* hodie integre servare ». Nonne potius dicendum est: « ... *semper* integre servare, et *praesertim* hodie »? Verba quidem istius primae propositionis longe distant ab urgentibus verbis Summi Pontificis Pii XII in *Fidei Donum,* qui, sollicitus de brevitate temporis utilis pro Africa evangelizanda, exclamat: « Iam *nunc* igitur sacris pastoribus opitulari necesse est, ut *quam primum* eorum apostolicus labor succrescentibus temporum necessitatibus opportune respondeat ». Missionarii qui in nationibus independentiam nuper adeptis laborant probe sciunt quam breve sibi tempus maneat, multis saltem in casibus, ad Ecclesiam implantandam.

Neve nos consolemur (ex schematis propositione prima) spe fallaci quod hierarchia multis in locis iam constituta, *praesentiae Ecclesiae* est eo ipso satis provisum. Minime quidem. Cognosco dioecesim quingentorum millium catholicorum ubi quinquaginta millia in Ecclesiam unoquoque anno ingrediuntur. Pro horum cura viginti quinque novi sacerdotes singulis annis requirerentur quamvis tantummodo quattuor vel quinque praesto sint. Cognosco autem Provinciam ubi habentur duo milliones infidelium et duo sacerdotes tantum. « Messis quidem multa, operarii autem pauci! » ...[8] Urgentibus ergo verbis loquatur schema.

De cetero, textus constitutionis *de Ecclesia* a vobis, Patres, approbatus, dicit, cap. II, n. 17: « (Ecclesia) in mittendis praeconibus *indesinenter* pergit, usquedum novellae Ecclesiae *plene* constituantur atque opus evangelizandi et ipsae continuent ».

2. De clero dioecesano in missionibus formando et constabiliendo, in schemate *ne verbum quidem*: gravis vero omissio.

3. De zelo missionario fovendo in Ecclesiis antiquis nimis pauca, in novellis nihil ...[9] habet schema.

4. Iuvenibus nostris dentur *idealia* generositate eorum digna: *peregrinandi pro Christo.*

Praeterire autem non possum ultimum defectum gravissimum. Schema loquitur de debito episcoporum, sacerdotum, Institutorum perfectionis, et laicorum. Nihil omnino habet de debito ipsarum missionum erga Ecclesiam matricem. Quid de constanti et paterna sollicitudine Sacrae

Congregationis de Propaganda Fide pro omnibus Ecclesiis? Numquid aliquis ex nobis missionariis petens panem unquam recepit lapidem? Quid de nostro debito erga hierarchiam patriae et de sacrificiis absconditis fidelium ubique terrarum? Unus ego, maxima gratitudine testor, me plusquam centumviginti sacerdotes dioecesanos voluntarios hucusque ex patria accepisse. Eadem parva insula, si liceat citare, quinque societates missionales intra quadraginta annos ex sacrificiis fidelium paruit. Ex una dioecesi Scotiae, quae et ipsa insufficientia sacerdotum laborat, episcopus his ultimis annis iam septem sacerdotes dioecesanos, in spiritu « Fidei Donum », missionibus praebuit. Institutum « Misereor » ex generositate fidelium Germaniae ortum, scholas, valetudinaria, etc., per orbem missionum construit. Caritas populi Americae Septemtrionalis etiam nomades desertorum iam attingit. Et quid de heroicis sororibus? Et de glorioso agmine missionariorum laicorum? Et de parentibus quid dicamus, qui, filiorum oblatione, de proprio sanguine, donum omnium pretiosissimum praebent? His ergo omnibus dicamus saltem « Gratias »!

Vita missionalis revera nunquam intentius, nunquam gloriosius effulsit in historia Ecclesiae...[10]

Moderator: Exc.me Domine, doleo tempus tuum exhaustum esse.

Orator: Nonne documentum conciliare de hac vita testificare pro futuris saeculis deberet? ...[11] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Mt.* 28, 18-20). [2] (*1 Cor.* 9, 16). [3] (18 februarii 1926). [4] esse proponimus. [5] is tantum abest ut dumtaxat in tuendo ac servando quem regendum accepit grege dominico possit acquiescere, ut, contra. [6] meriti. [7] (textus emendati). [8] (*Mt.* 9, 17). [9] omnino. [10] ut pulchre illustrat relatio em.mi card. Agagianian; sed hoc minime erueretur ex nostro schemate. [11] Nonne ultimam radicem spiritualem totius huius vitae clare enucleare schema deberet, nempe unionem populi Dei cum Deo? Nam: « Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus » (*1 Cor.* 3, 7).

Animadversiones additae:

1. De clero dioecesano in missionibus formando. Schema adhuc graviter deficit in hoc quod totaliter silet de clero dioecesano in novellis Ecclesiis instituendo et constabiliendo, quod essentialis activitas missionariorum esse debet. Interim Pius XII ad Consilia Superiora Pontificiorum Operum Missionum (in Allocutione 1 maii 1954): « Maximi momenti est in singulis gentibus constituere ecclesiam eique proprium ex indigenis sacrorum administratorum agmen tribuere ». Nemo enim negabit quod nisi clerus dioecesanus rite formatur, debite aestimatur atque merito honoratur, magnum animabus detrimentum necessario eveniet. « Quod

si sal evanuerit, in quo salietur? » (*Mt.* 5, 13). Rite ergo tractetur hoc fundamentale thema in schemate novo.

2. De zelo missionario fovendo tum in ecclesiis antiquis tum in novellis. Schema nimis pauca habet de primo omnium ad evangelizationem requisito, nempe de supplendis atque melius semper formandis sacerdotibus ex antiquis ecclesiis apostolico zelo imbutis. Recte quidem propositio 5 lin. 10. Sed vividius et fervidius proponatur generositati episcoporum. Ex ecclesiis antiquis de laicis peritis inspirandis et mittendis in terras missionum similiter rite tractatur in schemate. Episcopis antiquarum ecclesiarum proponatur ideale de seminaristis e terris missionum in seminariis suis acceptandis.

In novellis ecclesiis inculcatio zeli missionalis in indigenis seminaristis et sacerdotibus tractetur in schemate ne cura pastoralis ita tempus sacerdotum occupet ut vix curetur de evangelizatione non-christianorum.

3. De iuvenibus ad activitatem missionalem alendis. In schemate dentur iuvenibus nostris idealia generositate eorum digna. Si pro idealibus mere humanis vel ad melius philanthropicis, tanti iuvenes hodierni ad magna moventur (e. g. in Peace Corps et huiusmodi institutis) quanto magis pro idealibus supremis: *peregrinandi pro Christo.* Tot instituta pro iuvenibus (Legio Mariae, The Grail, Christian Family Movement) possunt ad activitatem missionalem vi schematis excitari.

4. De episcopo rectore et Centro Unitatis apostolatus in dioecesi. Praecisius loquatur schema extollendo meritum cooperationis caritativae in Corpore mystico Christi. Iam vero instituta missionaria in tota historia Ecclesiae et missionum gloriosa gesserunt. Corona autem et consummatio laboris eorum in missionibus erit institutio et formatio cleri dioecesani ab omnibus maximi aestimati. Certe non est semper facile relationes inter instituta missionaria et clerum dioecesanum debita libra temperare. Ambo tamen et Ecclesiae et sibi invicem necessarii sunt.

5. De praesentia vitae contemplativae in terris missionum. Cum ad plenitudinem vitae Ecclesiae in qualibet natione requiritur praesentia vitae contemplativae, valde desideratur ut ordines monastici contemplativi et virorum et mulierum in terris christianitatis antiquae obligatos se esse sentiant ad vitam monasticam et contemplativam in terris missionum pro suo posse implantandam et ad illarum regionum ephebos ad vitam monasticam initiandos.

6. De merito spontaneitatis ex parte fidelium in eorum cooperatione missionaria. Propositum de singulis dioecesibus taxandis (taxa fixa) non placet quia laedet principium libertatis et spontaneitatis ex parte taxatorum. Praeterea nimis legalistice sonat. Melius responderent fideles ad appellationem ad eorum generositatem ex parte episcopi.

7. De beneficiis spiritualibus pro iis qui in activitate collaborant (indulgentiis etc.). Praesertim de parte intima habita in maximo omnium labore, nempe evangelizatione animarum et incremento vitae gratiae in Corpore mystico.

Secretarius generalis: Venerabiles Patres, in proxima congregatione generali, i. e. feria secunda proximae hebdomadae, absolvetur disceptatio circa schema *de activitate missionali Ecclesiae.* Post absolutam disceptationem, fiet suffragatio praeliminaris, quemadmodum factum est pro aliis schematibus ad propositiones redactis. Et prosequetur dein disceptatio super schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis.* Gratias.

17

Exc.mus P. D. STANISLAUS LOKUANG

Episcopus Tainanensis

Venerabiles Patres,

Mos non est ut relator loquatur de suo schemate, nisi pro conclusione disceptationis. Exceptionem facio quia rogatus sum a pluribus Patribus Asiae et speciatim a pluribus Patribus Africae, ut loquar de conversione et de fide.

In schemate nostro breviter sed clare locutum est de conversione.[1] Sed plures Patres ampliorem explanationem desiderant. Ideoque nomine eorum quaedam dicere audeo.

Rogatus sum forsan quia loquor semper de cultura, idcirco Patres me rogaverunt de hoc argumento aliquid dicere.[2]

Circa totalem conversionem non-christianorum, i. e. transformationem radicalem quam conversio ad Christum operari debet, fit hodie communis difficultas, quae missionarios non parum angit. Timetur nempe novos christianos isolari a proprio ambiente et cultura in qua vivunt et cuius filii sunt. Praeoccupatio ista est legitima et prae oculis habenda est, sed non debet nos trahere in errorem. Conversio enim natura sua includit rupturam *quamdam* [3] cum vita transacta, *quatenus* [4] mutationem in modo cogitandi et agendi *secum fert.*[5] S. Paulus vocat conversum neo-christianum hominem novum qui exuere debet habitum veteris hominis. Ut ad fidem accedat, non-christianus non tenetur quidem abrenuntiare ad propriam culturam ut talem, sed ad ea omnia in hac cultura quae erronea et inauthentica sunt et inconciliabilia cum nova vita in Christo.

Idcirco adaptatio missionaria non potest significare conversionem incompletam vel conversionem secundum modum. Conversio est totalis adhaesio interna ad Christum quae in vita externa manifestari etiam oportet.

In conversione tria elementa habentur: fides supernaturalis, gratia sacramentalis baptismi et modus vitae consentaneus veritatibus fidei. Haec tria post baptismum perfici et progredi debent. Fides progreditur per instructiones catecheticas; gratia uti fundamentum vitae supernaturalis perficitur per receptionem sacramentorum et modus vitae consentaneus veritatibus fidei constituitur per culturam spiritu christiano animatam.

Summus Pontifex Paulus VI, feliciter regnans, in Litteris Encyclicis *Ecclesiam suam* ita nos monuit: « Quousque oportet Ecclesia se ad

rerum temporumque rationes conformet, in quibus sua munera gerat? Quomodo sibi ipsae praedicaverit, ne pericula relativismi, quem vocant, fidelitatem suam erga dogmata suasque morales praeceptiones labefactent? ... Quoniam hominum coetui nulla salus afferri extrinsecus potest, opus est utique, ut primum, non secus atque Verbum Dei, quod seipsum fecit hominem, eorum vitae formas induamus, quibus Christi nuntium delaturi sumus; ... Profecto fratrum adeundorum sollicitudo eo nos nullo pacto moveat oportet, ut veritatem vel extenuemus, vel de ea aliquid imminuamus; ... ». *Haec sunt verba Summi Pontificis.*[6]

Optandum est igitur ut de hac quaestione in schemate aliquid plus dicatur.

Cultura enim est forma vitae socialis: neo-christiani socialiter vivere cum suis concivibus, at consentanee cum fide et legibus moralibus, debent. Ideoque forma vitae socialis christianorum in missionibus correspondere oportet exigentiis tum culturae localis tum veritatis evangelicae.

Postea, forsitan in schemate potest etiam vel debet etiam indicari aliquo modo[7] differentia inter conversionem ad Christum et subiectionem colonialem. Summus Pontifex in sua homilia intra missam canonizationis Martyrum Ugandae bene dixit *ita*[8]: « Uterque modus civilem cultum inducendi in regione, quae ab antiquo in quodam humanitatis gradu erant collocatae, non una de causa laudabili sed in gradu inchoatae et immobilis humanitatis, efficit ac promovet incrementa et rationes constituit quibus societas mutatur; sed Evangelii praedicatione principium introducitur, i. e. religio christiana, eo pertinens, ut vires propriae, virtutes insitae, latentes ingenii facultates autochtonum erumpant, scil. eo nititur, ut gentes illae liberae reddantur, suis legibus vivant, maturescant, atque idoneae fiant ad exprimendas formas civilis cultus et artis proprias ingenii sui, ideoque modo ampliore ac meliore; coloniarum autem deductioni, si tantum ad emolumentum ac temporales fructus omnia referuntur, alii fines sunt propositi, qui honori et utilitati gentis ea ex regione oriundae non semper inserviunt ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] De conversione schema nostrum breviter sed clare locutum est. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] Dicatur etiam de. [8] deest.

Moderator: Proxima congregatio erit feria secunda, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CXVIII

9 novembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CXVIII

9 novembris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 118 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

Patres venerabiles, nocte pluit tota. Redeunt spectacula mane; nam aquae multae non potuerunt exstinguere erga Concilium caritatem!

Prosequitur igitur disceptatio circa schema *de activitate missionali Ecclesiae,* circa quod verbum facere postulaverunt exc.mi DD. Laurentius Picachy, ep. Jamshedpurensis in India; Xaverius Geeraerts, ep. tit. Laganitanus; Secundus García de Sierra, arch. Burgensis in Hispania; Elias Zoghby, arch. vic. patr. Melchitarum in Aegypto; Ioannes Kodwo Amissah, arch. Litoris Capitis in Ghana; Fulton Sheen, ep. aux. Neo-Eboracensis in Stat. Foeder. Am. Sept.; Ioseph Hasler, ep. S. Galli in Helvetia; Victor Garaygordobil, ep. prael. null. Fluminum in Aequatore; Victor Sartre, arch. tit. Beroensis; Ioannes de Reeper, ep. Kisumuensis in Kenya; Ioannes Zoa, arch. Yaundensis in Camerun; Petrus Dery, ep. Vaënsis in Ghana.

Patres venerabiles, nuntio vobis mortem piissimam exc.mi D. Iosephi Francisci Rummel, arch. Novae Aureliae. Oremus pro anima ipsius.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis clamavi...*

Secretarius generalis: Patres venerabiles, in hac congregatione distribuetur fasciculus continens modos a Patribus conciliaribus propositos, a secretariatu ad christianorum unitatem fovendam examinatos, circa prooemium et cap. I schematis propositi *de Oecumenismo,* quod inscribitur *de catholicis Oecumenismi principiis.*

Expensio horum modorum suffragationi subiicetur crastina, ut iam fieri consuevit. Gratias.

Moderator: Velitis audire, Patres venerabiles! Ad felicem tractationem omnium schematum propositionum, omnino optandum est ut in hac sessione, omnia haec schemata brevi saltem disceptatione a Patribus discutiantur, ita ut commissiones competentes, intervallo interiecto, textus possint emendare, vel, si casus fert, novum textum reficere.

Pro paucis diebus adhuc restantibus, remanent, praeter aliquos interventus circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* qui, schemate de Missionibus finito, habebuntur, — remanent, dico, sequentia schemata hoc ordine chronologico discutienda: *de religiosis; de institutione sacerdotali; de educatione catholica; de matrimonio.*

Proin, Patres humanissime rogantur ut presse ac concinne ad schema loquantur: quomodo, nempe, perpoliatur in concretis, vel cur remittatur. Et tempore opportuno, discussioni finiendae consentire velint.

1

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS TREVOR PICACHY
Episcopus Jamshedpurensis

Venerabiles Patres conciliares, dilecti adstantes omnes,

Loquor nomine totius hierarchiae Indiae, et nomine aliquot episcoporum Pakistan, Birmaniae et Malaysiae.

Nos episcopi missionarii cum multis Patribus dolemus quod schema ad meras propositiones reductum fuisse. Volumus tamen aliquas considerationes constructivas proponere.

Christus Dominus primo fecit deinde docuit. Proindeque placet quod in n. 2, Evangelii praecones enixe rogantur, ut exempla apostolorum secuti, Christum Iesum, quem gentibus praedicant, ante omnia in seipsis exprimant solido virtutum exercitio.

Laudandum est schema quia gratias agit illis viris et mulieribus qui orationibus, sacrificiis et tribulationibus, laboribus missionalibus cooperantur. Missionarii conscii sunt de maximo auxilio quod eis venit a sodalibus contemplativis, eorum vitae sanctitate et orationibus. Missionum caelestis patronus est, non tantum S. Franciscus Xaverius, qui tot labores sustinuit, sed etiam S. Theresia a Iesu Infante, quae inter saepta monasterii apud Lisieux degens, non minus adlaboravit.

In propositione 5, ultima paragrapho, bene accentus ponitur in evangelizatione directa. Nam tentatio adest institutiones existentes colendi, et ad iam conversos se limitandi, pro quibus ceteroquin quandoque clerus vix sufficienter numero adest. Quod em.mus card. Frings tam luculenter dixit: « Aut crescit Ecclesia aut decrescit, non datur tertium », penitus menti omnium membrorum Ecclesiae infigatur oportet.

Puto autem *schema in tribus sat graviter deficere.* 1. Quod declaratio de Catechistis nimis brevis est et absque ullo vigore. Cum autem de hac re duo Patres optime locuti sint, non expedit ea repetere. Cum

eis instanter peto ut in schemate fusius et firmius tractetur de formatione, munere et remuneratione horum fidelium cooperatorum in vinea Domini.

2. Deficit schema quia missiones tantum ut obiectum caritatis et misericordiae considerare videtur. Loquitur de auxiliis quae dantur et quae magis praebenda essent missionibus, sed fere nihil dicit de eis quae missiones dant et dare possunt. Pro Ecclesia, missiones et vita in missionibus non onus sed privilegium sunt, quae possunt contribuere multum ad vitalitatem, fervorem et catholicitatem eius.

Utique, caritate Christi compulsi, sat multum mendicant missionarii, sed petitio auxiliorum non est pars essentialis vitae missionariae. Dominus ipse dixit: « Quaerite primum regnum Dei ». Et certe nunc minor adhuc ratio anxietatis missionariis erit, cum nuper ...[1] mille nongenti duodecim Patres *placet* dixerunt ad n. 6 schematis *de pastorali episcoporum munere,* quod sic sonat: « Prae oculis habeant praeterea episcopi in usu bonorum ecclesiasticorum, rationem quoque habendam esse necessitatum, non tantum suae dioecesis sed et aliarum particularium Ecclesiarum, quippe quae unius Ecclesiae Christi sint partes ». Spes enim nobis est quod hoc in praxim reductum iri.

S. Paulus ad Romanos scribit: « Nemini quidquam debeatis nisi ut invicem diligatis » ...[2]. S. Ignatius Loyola addit: « Amor semper tendit ad aequalitatem ». Ecclesia missionaria multum accipit et gratias agimus Sacrae Congregationi de Propaganda Fide et omnibus benefactoribus nostris. Sed animo hilari Ecclesia missionalis suam quoque partem praebet. Praebet enim exemplum communitatum ubi christiani vere vivunt ut christiani. Non habemus ecclesias amplissimas et ornatissimas, sed missae dominicali tam multi a longe venientes intersunt ut saepe ecclesiae non possint continere omnes et missa celebrari debeat sub arbore vel sub diu. Immo in pagis remotis, ducibus catechistis, christiani diebus festis ad paraliturgiam et preces conveniunt. Multis in locis concursus fit populi missis quotidianis, sacramenta frequentantur et fideles orationi incumbunt. Non parum prodesse puto Ecclesiae tot sacerdotum, religiosorum et fidelium vitam sacrificiis plenam. In sanctorum communione, in ordine gratiae, missiones quam multum conferunt in aedificationem Corporis Christi.

Sed est alia contributio quam novellae Ecclesiae Universali afferre debent. Haec contributio est quod catholicitatem Ecclesiae ditant, quod iuxta propriam indolem cuiusque culturae, fidem et vitam christianam suo modo exprimunt. Propositiones 11 et 12 optima quaedam de hac re statuunt. Rogamus ut etiam amplientur, et in genere hoc schema directiones magis positivas exhibeat.

3 et ultimo. Deficit quoque schema in eo quod non sufficienter insistitur in promotione spiritus apostolici. Venerabiles Patres, activitas missionalis non censenda terminari cum constituta sit hierarchia indigena. In omni missione imbuendi sunt presbyteri, religiosi et fideles spiritu apostolico. Sicut fidem ab aliis accepimus, citius tempus veniet quando nobismetipsis Christus mandatum dabit: « Euntes docete omnes, baptizantes eos ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (die 4 novembris). [2] (*Rom.* 13, 8).

[*Subscripserunt etiam*] E. D'Souza, arch. Bhopal; D. Mathias, ep. Chikmagalurensis; F. X. Fenech, ep. Jhansi; G. Alapatt, ep. Trichur; J. B. Evangelisti, Meerut; M. Potanamuzhi, ep. Kothamangalam; E. Pinto, ep. Ahmadabad; A. V. D'Souza, arch. Calcutta; Ath. Polachirakal, ep. Tiruvalla; O. Sevrin, ep. tit. Mossinensis; S. Vallopilly, ep. Tellicherry; L. D'Mello, ep. Ajmer-Jaipur; F. da Veiga Coutinho, ep. Belgaum; R. D'Mello, ep. Allahabad; Eric Benjamin, ep. Darjeeling; St. Tigga, Raigarh-Ambikapur; A. Galbiati, Jalpaiguri; P. Kerketta, arch. Ranchi; Alban Swarbrick, praef. ap. Jullundur; B. Mudartha, ep. tit. Idebesso, aux. Jhansi; Januarius, hierarcha ordinariatus Chandensis; S. Vayalil, Palai; Aldo Patroni, Calicut; L. Selvanaden, ep. Salem; R. A. Sundaram, ep. Tanjore; A. Yeddanapalli, ep. Bellary; Ign. Gopu, coad. Visakhapatnam; Th. R. Agniswami, ep. Kottar; F. X. Muthappa, Coimbatore; I. Mummadi, ep. Guntur; J. Mark Gopu, arch. Hyderabad; M. Arattukalam, ep. Aleppey; J. Fernandez, ep. Quilon; J. Mendonça, ep. Tiruchirappalli; Th. Fernando, ep. Tuticorin; J. P. Leonard, arch. Madhurai; D. C. Aruiswami, ep. Kumbakonam; J. Rosario, ep. Amravati; J. Malenfant, praef. ap. Benares; A. Fernandes, arch. tit. Neopatrasso; D. Athaide, arch. Agra; A. A. D'Souza, ep. Poona; D. S. Lourdusamy, ep. aux. Bangalore; J. Attipetty, arch. Verapoly; Leo Tigga, ep. Dumka; J. Fernandes, arch. Delhi; A. Padiyara, ep. Ootacamund; A. Berretta, ep. Warangal; M. Fernandes, ep. Mysore; V. Bazin, Rangoon; Ph. Côté, ep. Süchow; J. Oste, ep. Jehol; J. Burke, ep. Simla; J. Howe, ep. Myitkyina; H. Byrne, ep. tit. Lamia; P. Cleary, ep. Nancheng; P. Bouckaert, ep. Popokabaka; R. L. Guilly, ep. Georgetown; O. McCoy, ep. Oyo; L. O. C. Nwaezeapu, ep. Warri; A. De Vito, ep. Lucknow; J. Houlihan, ep. Eldoret; D. Desperben, praef. ap. Hainan; J. Parecattil, arch. Ernakulam; A. Wildermuth; D. Vendargon, ep. Kuala Lumpur; C. Van Melckebeke, ep. Ninghsia; O. Marengo; L. La Ravoire Morrow; Alb. van den Hurk, arch. Medan; M. Olçomendy, arch. Malacca-Singapore; J. Cordeiro, arch. Karachi; P. Tobar Gonzáles, ep. Cuttack; B. M. Gregorius, arch. Trivandrum; F. Simons, Indore.

2

Exc.mus P. D. XAVERIUS GEERAERTS
Episcopus tit. Laganitanus

Venerabiles Patres,

Loquor nomine septuaginta quinque Patrum qui fere omnes activitatem exercent aut exercuerunt in regionibus sic dictis « Missionis ».

Quamvis schema iam plura indicet in diversis propositionibus quae facienda *sint*[1] ut novus spiritus per media nova « missiones » ad tempora moderna accommodet, tamen nimis breve de his omnibus tractat. Sperabamus utique ut haec quaestio vitalis et primordialis Ecclesiae fusius tractaretur et in schemate completo nobis proponeretur. Quapropter proponimus ut post disceptationem remittetur ad commissionem ad recognoscendum et profundius tractandum.

Imprimis enim considerandum est, Patres venerabiles, momentum maximum huius schematis pro magno numero Patrum hic praesentium quorum fere unus ex tribus adlaborant in campo missionis. Oportet ut Concilio peracto documentum recipiant completum et secum portare possint quod missionibus novum impulsum daturum sit.

Tria tantum dicam et sunt animadversiones generales intime tamen inter se connexae...[2]

1. Theologia quaedam de missione in praesenti schemate deest, quae tamen optabilis apparet. Aliqua tantum theologica tanguntur in n. 1, insufficienter tamen. Audivi commissionem de missionibus commissioni de fide et moribus curam remisisse sufficientem doctrinam de missione proponendi in constitutione dogmatica *de Ecclesia.* Quod quidem factum est, competenter sane, sed utrum sufficienter dubitare licet. Est enim n. 17 supradictae constitutionis aliquid ieiunus, forsan quia praesupponit cap. I eiusdem constitutionis, in quo alta fundamenta missionis Ecclesiae indicata sunt, nempe consilium Patris, missio Filii, missio Spiritus Sancti. Attamen etiam in hoc capite, coniunctio missionis Ecclesiae cum missionibus Verbi et Spiritus Sancti potius implicita remanet quam expressa, quum revera sit fundamentum primum indolis essentialiter missionalis ipsius Ecclesiae: fundamentum, dico, altissimum, quia, secundum S. Thomam Aquinatem, missiones temporales divinarum Personarum originem suam habeant in processione aeterna divinarum harum Personarum. En intimum rei et altissimum fundamentum indolis missionalis Ecclesiae... Nonne oporteret haec bre-

viter resumi in initio schematis nostri Propositionum? Nonne oporteret principaliora themata constitutionis *de Ecclesia,* quasi capitibus eius successivis alludendo, breviter repetere ita ut ostendetur indoles essentialiter missionaria eorum: indoles missionaria unitatis de qua in cap. I agitur; catholicitatis, de qua in cap. II; apostolicitatis et collegialitatis episcopalis, de quibus tractatur in cap. III; laicalis conditionis, de qua diserte tractat cap. IV; indoles missionaria sanctitatis, de qua in capp. V-VI, et tandem momentum missionale totius activitatis christianae, in consummationem eschatologicam tendentis (cap. VII)...

2. Mihi, in eadem inspiratione perseveranti ac pergenti, insistendum videtur ideae feliciter expressae in prooemio ...[3], ideae scil. *unitatis Missionis.* Quae idea iam ipso titulo schematis innuitur, ubi non amplius scribitur, sicut antea, « De Missionibus », sed « De activitate missionali Ecclesiae »: Ecclesia ipsa, et non pars tantum *specialis* eius, describitur ut missionaria. Verum enim est missiones in recenter evangelizatis regionibus differre ab Ecclesiis regionum ubi iam antiquitus fides diffusa et instituta maiora Ecclesiae instaurata fuerunt: sed tantum sub adspectibus administrativo et iuridico. Theologice tamen rem considerando, nefas est missiones sic dictas longinquas (longinquas a quo?) distinguere a vita Ecclesiarum in terris christianis radicatarum. Sub adspectu enim ipsius missionis, nil interest locus vel distantia, nil interest Ecclesias aliquas locales adhuc indigere adiutorio Ecclesiae universalis vel aliarum Ecclesiarum particularium. Ubi enim et pro tanto Ecclesia esse incipit, quia missio eodem passu incipit, quia missio a vivente Ecclesia necessario procedit.

...[4] Unitatem missionis indolemque missionariam universae Ecclesiae, ubicumque et qualiscumque sit, manifestare et affirmare oportet.

3. Oporteret denique ut ista missionalis indoles, ista missionis unitas monstrarentur coalescere cum *collegialitate episcopali.* Cum de collegio apostolorum quaestio est in constitutione *de Ecclesia,* citatur textus ex Evangelio Matthaei ...[5]: « Ite, docete omnes gentes, etc. ». Collegialitas episcopalis non est tantum aliqua structura ad constitutionem divinam Ecclesiae pertinens, sed statica: est in seipsa missionaria et ad universalem evangelizationem ordinata...[6]

Oecumenismus unus est, missio una est, uno episcopatui in solidum concredita!

Conclusio. 1. Fundamenta theologica missionis melius adumbrentur; 2. Unitas missionis amplius affirmetur, in connexione cum doctrina collegialitatis episcopalis, de qua ultimi Papae, scil. Benedictus XV,

Pius XI et Pius XII, locuti sunt praecise in suis Encyclicis de re missionaria. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] sunt. [2] omnia particularia ad curam aliorum Patrum relinquam. [3] pag. 7, linn. 8 ss. [4] Haec est ratio quare missionem his verbis designare vel describere, nempe « plantatio Ecclesiae », meo sensu non sufficit, quantumvis licet descriptio haec vera sit. Quare? 1. quidem quia vox « Ecclesia » ivi supponit vel sumitur tantum pro institutionibus: cum vocabulum « Ecclesia » designet quoque congregationem fidelium seu communitatem christianorum vel plebem sacerdoti suo adunatam; 2. quia, etiam in regionibus ubi Ecclesia omnibus et excellentissimis institutionibus gaudet, adsunt increduli, adsunt non christiani, adsunt mali christiani, qui omnes, unusquisque suo modo, evangelizari indigent! Quibus rationibus antiqua locutio « dilatatio Ecclesiae » (vel dilatatio fidei) priorem definitionem missionis optime complere potest ac forsan debet. [5] 28, 18 ss. [6] In ipsa manifestatur solidarietas episcoporum, et consequenter unitas missionis. Aestimare licet hanc doctrinam, nostris temporibus, divina favente Providentia, denuo declaratam esse, cum in tot ac tantis rebus saeculi nostri appareat indoles aliqua solidarietatis et communitatis. Mundus fit magis magisque unus, quam minus minusque res singulariter procedunt, ad instar insularum quarundam.

[*Subscripserunt etiam*] L. card. Rugambwa; A. Van den Bosch, ep. Matadi; A. Creemers, ep. Bondo; F. Scalais; G. Bouve, ep. Kongolo; U. Morlion, ep. Baudouinville; V. P. Keuppens, ep. Kamina; J. Cornelis, arch. Elisabethville; A. Jacques, ep. Boma; F. van den Bergh, ep. Lisala; R. Ndudi, aux. Boma; A. Leroy, ep. Kilwa; A. Van Oorschot; B. Cleire, ep. tit. Tadamata; J. Lesourd, ep. Nouna; M. Mihayo, arch. Tabora; L. Sangaré, arch. Bamako; P. Leclerc, arch. ep. Ségou; F. X. Lacoursière; J. Ogez; O. McCoy, Oyo; V. McCauley, Fort Portal; M. Van Rengen, ep. el. Mweka; J. Bretault, ep. Koudougou; F. Bouckaert, ep. Popokabaka; G. van den Elzen, praef. ap. Doruma; J. Van Cauwelaert; B. Mels, arch. Luluabourg; P. Molin; L. Volker, sup. gen. P. A.; P. Zoungrana, arch. Ouagadougou; L. Durrieu, ep. Ouahigouya; J. Busimba, ep. Goma; A. Dupont, Bobo-Dioulasso; R. Landru, praef. ap. Gao; E. Trudel; A. Makarakiza, ep. Ngozi; E. Socquet, arch. tit. Selimbria; G. Mercier, ep. Laghouat; P. Pinier, ep. Constantine; M. Daubechies, ep. Kasama; J. Holmes-Siedle, ep. Kigoma; M. Ntuyahaga, ep. Bujumbura; H. Catry, ep. tit. Semta; V. Chang; P. Hugentobler; A. de Moura; E. Maillat, ep. N'Zérékoré; H. Pinault, ep. Chengtu; A. Roy, ep. tit. Ambia; C. Vanuytven; C. Verfaillie, ep. tit. Oea; J. Guffiet; O. Degrijse, sup. gen. CICM; A. Lanctot, Rulenge; H. Baaken, ep. tit. Gordo; P. M. Arntz, ep. Bandung; J. Fady, ep. Lilongwe; N. Geise, ep. Bogor; C. Van Melckebeke, ep. Ninghsia; J. V. Daem; L. Morel, arch. tit. Eno; E. Courtois, ep. Kayes; H. Vermeiren; A. Fürstenberg, ep. Abercorn; D. De Montclos; M. Beovich, arch. Adelaide.

3

EXC.MUS P. D. SECUNDUS GARCIA DE SIERRA Y MENDEZ

Archiepiscopus Burgensis

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

Loquor nomine 84 Patrum ex Hispania, America ac ex Africa.[1]

« Veluti signum levatum in nationes », Ecclesia, a qua mundus tot exspectat, mandato Domini obsecundans: « Euntes..., docete..., baptizate » ...[2], vivit et vitam hominibus communicat. Ultra exspectationem hominum, eis communicat vitam illam abundantiorem ad quam afferendam Christus venit ...[3]. Haec activitas missionalis Ecclesiae ex ipsis visceribus eius nascitur, ei essentialis est, immo ipsi vigorem praestat. Exinde momentum huius schematis.

Agitur summatim de dynamicitate Ecclesiae permanenter et urgenter exercenda, de unica quaestione vere necessaria ...[4] ut Dei voluntas adimpleatur ...[5]. Longe maior pars hominum, scil. ultra 72% totius humanitatis, Christum ignorat. Et, licet aevo moderno, ut em.mus card. Agagianian referebat, notabile incrementum activitas missionalis cognoscat, tamen progressus maior et urgentior in ea requiritur, ne Ecclesia in mundo deveniat in dies relative minor; processus enim demographicus sufficit ut numerus non credentium proportionaliter crescat. Accedunt peculiares conditiones actuales, quae animadvertuntur in pluribus territoriis missionum, ita ut hoc sit « tempus acceptabile », quod, si transeat, difficilius postea in eis Ecclesia plantabitur. Recolere iuvat quae Summus Pontifex Paulus VI die 18 octobris proferebat: « His ipsis diebus epistulam accepimus, cui plures episcopi regionum Africae mediae subscripserant, et qua flagitatur, ut sacerdotes, immo nova agmina sacerdotum, eaque multa, et quidem statim, hodie, non cras, eo mittantur » ...[6]. Etiam pro aliis regionibus adhuc est tempus, adhuc Ecclesia plantari potest. Regiones sunt albae « ad messem » ...[7]. Quisnam *earum* [8] messor erit? Materialismus aut Ecclesia?

Quod si agmina numerosiora, et quidem urgentissime, sunt paranda, praeconum Evangelii, hoc prae oculis habendum est: omnia quae in schemate dicuntur de selectione et efformatione eorumdem accuratissime esse servanda; testes enim Ecclesiae erunt apud infideles et non raro a qualitate testium ipsa Ecclesia iudicabitur. ...[9] Proinde quae attinent ad efformationem spiritualem, intellectualem ac humanam missionariorum urgere oportet.

Non autem sufficit ut eam exigamus sed requiritur ut eam nos omnes

pro viribus praebeamus. Quod difficilius fiet et absque sufficienti coordinatione, si unusquisque episcopus in propria dioecesi solus in re tanti momenti adlaboret. Verum quidem est quod in schemate dicitur, n. 2, episcopos totius mundi munus habere ubique terrarum fidem promovendi et Evangelii praecones ad quoscumque hominum non christianorum coetus mittendi. Oportet autem determinare modo magis concreto quomodo hoc munus statim et efficaciter exercere valeant.

Omnibus notum est variis in nationibus catholicis adesse Instituta pro Missionibus Exteris, quae pendent a Sacra Congregatione de Propaganda Fide. Iam vero haec Instituta centrum naturale videntur esse coordinationis pro selectione et efformatione missionariorum, cooperantibus conferentiis episcopalibus.

In mea quidem dioecesi sedem habet Institutum Hispanicum Sancti Francisci Xaverii pro Missionibus Exteris, quod in dies magis florescit. Eius vero incrementum multiplicari *absque dubio* [10] posset si, sub ductu Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, sacerdotes saeculares seligeret et efformaret ut etiam *ad tempus* in territoriis missionum apostolatum suum exercere valeant. Ita obtineretur accurata selectio, amplior numerus, incrementum spiritus missionalis etiam in territoriis iam catholicis, amplior cooperatio laicorum, et, vel maxime, coordinata cooperatio et rationabilior distributio missionariorum pro maioribus necessitatibus missionum.

Oporteret igitur ut conferentiae episcopales, huius generis Instituta ubi non sint erigant et iam existentia foveant, immo, approbante Sacra Congregatione de Propaganda Fide, determinent, attentis circumstantiis, modum concretum cooperationis sacerdotum saecularium, necnon et laicorum, ad opus evangelizationis in territoriis missionum etiam ad tempus. Ita in praxim vere deducentur quae nn. 5 et 6 schematis continentur.

Haec Instituta medium efficax etiam esse possunt ad efformandos praecones Evangelii qui in territoria missionum adire velint mediantibus aliis formis cooperationis: non enim *hoc tanquam minus* [11] foveatur, e. g. gemellatio dioecesium vel paroeciarum.

Secus, vel talis urgentissima cooperatio non aderit, vel erit omnino insufficiens et non raro anarchica. Ut iam in aula aliquando audivimus, ad virium catholicarum efficaciam multiplicandam, urget rationabilis ordinatio earumdem.

Ad ea quae magis in concreto aliquas propositiones attinent, haec notare velim, ut accuratius redactentur:

1. Aliquando confusio adesse potest inter dispositiones quae tantum territoria missionum important et universam Ecclesiam; ita, e. g.,

in n. 2, littera *b*, lin. 15, ubi dicitur: « In variis regionibus », adiungi debet « missionum ».

2. In eodem numero, littera *d*, quae dicuntur: « et in aedificiis, etiam sacris », non videntur opportuna, nec apta ut a Concilio expresse proponantur, nam simplicitas, de qua in textu, est quid valde relativum; aliunde fundamentum praebere possint immoderatae criticae aliquorum respectu aedificiorum iam existentium.

3. In n. 3, pag. 9, lin. 2 verba « Eodem tempore monstrent » *nimis barbare sonant.*[12] Praeterea integra paragraphus videtur fere exclusive prae oculis habere populos adhuc non evolutos. Enumeratio etiam comprehendat alios aspectus activitatis missionalis indirectae inter magis exicultos.

4. N. 9, pag. 11, lin. 9, ubi dicitur « Laici qui », interponendum est comma ut vitetur sensus partitivus, ita ut sonare debeat: « Laici, qui consecrationem etc. ... ». Etiam desideratur in hoc numero expressa doctrina de laicis directe cooperantibus ad extensionem Evangelii in territoriis missionum.

Patres venerabiles, rem inter omnes gravissimam nunc tractamus *missionariam,*[13] urgentissimam quidem. Iam est agendum, totis viribus! Mundus spectat, immo, dicerem ipse Deus! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*Mt.* 28, 19). [3] (cf. *Io.* 10, 10). [4] (cf. *Lc.* 10, 42). [5] (cf. *1 Tim.* 2, 4). [6] (*L'Osservatore Romano,* 19 octobris 1964). [7] (*Io.* 4, 35). [8] earumdem. [9] Ea. [10] deest. [11] obstant quominus. [12] videntur nimis barbara locutio. [13] deest.

Textus additus:

Statuta Concilii, quae paraturi sumus, respicere deberent, quantum fieri potest, tum in sua amplitudine cum etiam in sua perspicuitate, universam Ecclesiam, ita ut ad omnes gentes, populos et nationes applicari queant.

Nunc autem schema hoc *de activitate missionali Ecclesiae,* quamquam accurate paratum, solum asiaticum et africanum genus missionum considerat; ignorat vero missiones Americae Centralis et Meridionalis, quamvis constet has quoque missiones non parvo territorio pro indigenis extendi, nec minoris esse momenti.

Notum est missiones americanas ab asiaticis et africanis haud parum differre; nam missionarii in Asia plerumque commorantur inter gentes excultas, vetustae humanitatis moribus firmatas et civili convictu viventes; missionarii vero qui inter tribus silvestres in America adlaborant, generatim mores omnino incultos, vitam omnino efferatam et barbaram inveniunt; hic neque cultus servandus est neque traditio incorporanda est, quia nullus cultus ibi est, nulla cultura quae homines deceant. Immo vero in illis regionibus missionarii veluti primum impensum habent ut, antequam Evangelium nuntient, de ipsa civilitate inferenda cogitare debeant; quare — quod nullo modo est praetereundum si velint gentes barbaras ad Crucem Domini deducere, primum ad genus vitae vere humanum,

ad statum civitatis, ad decentem et honestum convictum eas tribus erigere debent; quod opus, veluti necessaria condicio quaedam est ad ipsam veritatem revelatam nuntiandam.

Nunc autem usque in praesentem diem, non parum contulerunt ipsae civiles potestates tum Americae Centralis cum Meridionalis: omnes iuvenes illae Respublicae praebitis subsidiis, pecunia exposita, viribus etiam honestorum hominum exercitatis, huic operi impense praesto fuerunt, ex officio sibi explendo.

Attamen non infrequenter missionarii illarum regionum soli in silvis sine auxilio, unice propriis et exiguis subsidiis operam hanc navaverunt; neque tacendum est eos plerumque modo empirico, inordinato adlaborasse, ideoque nullo fere cum fructu vel parvo cum successu etiam post plura decennia.

Hodie autem novum quiddam notamus: singulae civitates et internationales institutiones (verbi gratia sic dictum « Instituto Indigenista Interamericano ») quaestionem hanc ex integro aggredi volunt: en igitur prae nostris oculis congressus scientifici ad rem examinandam, ut optimus conventus internationalis his diebus in Quito celebratus, en coetus virorum peritorum ad regiones melius explorandas, en subsidia locupletia ad barbariem illarum tribuum debellandam, en domus, en medici, en scholae.

Nos gratulamur de tanta operositate et dilaudamus incepta; sed hae novae res in nova quadam temperie Ecclesiam collocant; nam si attente consideremus civilia et profana haec incepta, notamus ea ab Ecclesia praescindere vel saltem Ecclesiam ignorare. Nemo non videt ergo quantum intersit ut Ecclesia et Concilium tale eventum attente consideret. Ab eo pendebit enim si missionarii duplicatas vires capessere valeant ad tribus ipsas civili more instituendas, et eas ad lumen Christi perducendas, vel fortasse occasionem postremam amittant.

Quibus expositis, sequentes animadversiones humiliter propono:

1. Necesse est omnes illos Vicariatus et Praefecturas Apostolicas in scala interamericana organizare, quae similibus necessitatibus divexentur, ita ut proposita, incepta, methodi ipsae et viri, mutuo communicentur atque ipsa actio missionalis apte et veluti generali programmate statuto procedat.

2. Necesse est missionarios modo magis conformi, magis scientifico instituere eosque non tantum ad Evangelium nuntiandum verum etiam ad ipsam civilitatem diffundendam iam in seminariis exercitare.

3. Necesse est ut Ecclesia et missionarii sese incorporent in organisationes internationales iisque nomen dent, nam Ecclesia vim et praesentiam suam in his quoque institutionibus manifestare debet atque ita cum ipsis civilibus potestatibus, sociata opera, ad tribus elevandas adlaborare.

Faxit Deus ut plantatio Ecclesiae, instimulante Concilio, etiam in nostris regionibus novam vigorem adipiscatur.

4

Exc.mus P. D. ELIAS ZOGHBY

Archiepiscopus tit. Nubiensis, vic. patr. Melchitarum

Venerabiles Patres,

Miramini forte episcopum orientalem de missionibus sermonem facere, cum orientales Ecclesiae, ex quibusdam historicis adiunctis, opus missionale interrumpere conatae sunt. In decursu tamen saeculorum Ecclesiae orientales activitatem missionalem maxime foverunt; immo, usque ad hodiernum diem, aliquam — ut ita dicam — mysticam missionalem servant, quam schema nostrum ignorare — magna saltem ex parte — videtur.

Schema nostrum [1] parum curat de sensu missionis, deque novis viis aperiendis, quae necessitatibus mundi nostri temporis magis accommodatae sint. Ad pleniorem expositionem elaborandam, traditionalis Patrum orientalium doctrina missionalis aliquid conferre potest. En ergo modus quo Patres orientis missionem Christi eiusque Ecclesiae cogitarunt:

1. Inde a primis saeculis, Ecclesiae orientales missionem Christi in mundum aspiciunt tanquam aliquam *Epiphaniam,* i. e. aliquam lucis divinae irruptionem in opus creationis. Ecclesia autem pro missione habet hanc Epiphaniam Domini perpetuare, et ita in saeculorum decursu adventum Regni Dei praeparare.

2. Aliam ideam cordi habent Patres orientales: missionem nempe redemptivam Christi et Ecclesiae respicere humanitatem, quae iam foecundata est semini divino, germinibus Verbi (graece: *spermata tou Logou*), ut aiunt Iustinus, Clemens Alexandrinus et Origenes. Evangelicus enim nuntius, qui terram nondum evangelizatam adit, semen verbi Dei seminat in animas quae a Verbo Dei penitus alienae non sunt, sed potius a Spiritu Sancto iam diu praeparatae sunt; nam illae animae inde a sua creatione germen Verbi creatoris receperunt, i. e. semen divinum quod rorem novi diluculi exspectat ut crescat et fructificet.

Hanc progressivam mundi praeparationem pro Salvatoris adventu iidem Patres describunt ut divinam Paedagogiam, in qua S. Irenaeus et S. Gregorius Nazianzenus (inter alios) aspiciunt admirantes divinum consilium, iam ab initio, de salvando genere humano.

Ex hac duplici consideratione circa missionem, duo commoda defluunt:

Primum commodum in eo consistit quod nulla fit scissura inter Verbum redemptorem et Verbum creatorem, vel inter genus humanum redemptum et genus humanum creatum. In missione, tamquam epipha-

nia descripta, irruit in mundum ipsa divina lux quae hominibus communicata est cum vita in die creationis: « In principio erat Verbum... In ipso vita erat, et vita erat lux hominum ».

Sicut Verbum, vitam communicando, in unoquoque hominum « germen Verbi » condidit, ita etiam unusquisque homo plenitudinem vitae ex Incarnatione Verbi eiusdemque Redemptione accepit ...[2]. « De plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia » ...[3]

Patres ergo, nexum ostendentes inter missionem Verbi Redemptoris et missionem Verbi Creatoris, ipso facto declarabant indolem universalem missionis Christi et Ecclesiae.

Secundum commodum istius Patrum descriptionis de missione in eo consistit quod Ecclesia missionalis invitatur maximi momenti facere illius germinis Verbi in unoquoque homine conditi ...[4] Ecclesia in populis evangelizandis illud divinum semen detegere primum debet, atque divitias naturales quas idem semen produxit.

Cum Verbum Redemptor idem sit ac Verbum Creator, aequaliter ad omnes homines et ad omnes populos pertinet. Ipsum ubique debet esse in domo sua, ubique inter suos. Itaque Ecclesia missionaria non debet populis imponere Christum, ut ita dicam, praefabricatum, Christum unius populi vel alicuius civilizationis determinatae. Populi qui fide accipiunt Iesum Christum debent eum exprimere et reincarnare ad imaginem et similitudinem suam ut Ipse sit revera omnia omnibus. Ecclesia in tantum est catholica, i. e. universalis, in quantum capax est identificare Christum Evangelii, quem dedit populis, cum Christo transfigurato, quem ab illis accipit.[5]

In nostra hac aetate, qua novellae nationes legitime gloriantur suo culturali et spirituali patrimonio ad genus humanum et ad Ecclesiam conferente, maxime oportet schema nostrum illam traditionalem doctrinam de missionali apostolatu proponere et enucleare.

Tempus, cum absumatur, ad secretariam dabo textum de tertio missionis aspectu Patribus orientalibus praedilecto, i. e. aspectus quo missio praesentatur ut aliqua Pascha seu paschalis effusio in Ecclesia perpetuata per Eucharistiam, vinculum scil. Novi Testamenti inter Deum et homines.[6]

Novam elaborationem schematis exoptantes, in ea *nos orientales*[7] invenire speramus hanc profundam et foecundam *Patrum orientalium*[8] *de activitate missionali*[9] intelligentiam, *qua cum Fratribus nostris occidentalibus cooperare adiuvabimus ad magnum Missionis opus.*[10] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Missionalem Ecclesiae latinae activitatem strenuam liberrime admiranterque agnoscentes, diem optatum exspectamus quo oriens chri-

stianus nisum suum missionalem iterum capere poterit. Ecclesia enim universaliter est missionalis, natura sua est missionalis. Schema autem nostrum de sola Ecclesiae latinae activitate cogitat, quam iam exstantem ordinare intendit; ita. [2] Lux ergo, quae in principio aderat, in Incarnatione refulsit; germen Verbi in creatione tribuitur, plenitudo autem Verbi in Redemptione nobis datur. [3] Ecclesia vero ad instar Ioannis Baptistae, pro missione habet « ut testimonium perhiberet de lumine..., quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ». Sed Ecclesiae opus iam ultro pergit: Ecclesia namque hominibus plenitudinem vitae tribuit; et ita minimus in regno Dei maior est Ioanni Baptistae. [4] maximi etiam momenti facere illius progressivae Dei actionis in genere humano, i. e. ipsius Dei paedagogiae. [5] Non sufficit populos evangelizatos ab Ecclesia recipere nuntium evangelicum: ipsi possunt et debent Ecclesiam locupletari. Ecclesiam autem ditabunt non tantum fide quam ab ipsa accipiunt, sed etiam ei afferendo suas proprias humanas valores a Deo acceptas cum germine Verbi, et per divinam Spiritus paedagogiam saeculorum decursu exultas. [6] Tertius activitatis missionalis aspectus Patribus orientalibus praedilectus locum privilegiatum in nostro schemate obtinere deberet. Missio non est tantum Epiphania Domini et germinatio Verbi, sed etiam Pascha effusa quae valores creatas per gratiam Spiritus Sancti transfigurat. Eucharistia est signum sacramentale istius effusionis, quae perdurare debet donec veniat Dominus. Per Eucharistiam Ecclesia in populis plantatur; per Eucharistiam communio inter homines instituitur. Dominus Iesus regnum Dei annuntians pluries parabolam convivii adhibuit: ad quod convivium non tantum amici patrisfamilias eiusque concives vocantur, qui invitanti respondere negligunt, sed omnes qui intrare volunt. Ecclesia, ubique ipsa adest, pro missione habet proponere mensam suam (*Prov.* 9, 2), et homines praeparare et convocare ad mensam sacrificii eucharistici, circa Agnum immolatum. Ita altare quo Dominus praesens adest, centrum fit congregationis populi Dei, et ex eo Ecclesia in loco novo stabilitur. « Hic calix, dicit Iesus apostolis suis, est novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur » (*Lc.* 22, 20). Ecclesia ergo videre debet Eucharistiam ut vinculum novi testamenti inter Deum et homines. Per Eucharistiam enim Ecclesia se inserit regionibus terrarum; et gradus quibus infideles in Ecclesiam introducuntur, illi sunt quibus paulatim officii eucharistici participes fiunt: catechumenorum liturgia eos parat ad baptismum, et per baptismum ad fidelium liturgiam introducuntur. Haec eucharistica Verbi Incarnati praesentia primum munus est quod Ecclesia gente evangelizanda affert. Communio caritatis, qua inter se et cum Christo nectuntur participantes coenae eucharisticae, est principium et finis totius missionis, donec veniat Dominus. Ideo celebratio eucharistica in oriente est simul celebratio mysterii paschalis. Vita Ecclesiae ita apparet ut aliqua Pascha perpetua. Ecclesiae praesentia in nationibus evangelizandis est ergo praesertim praesentia paschalis. [7] deest. [8] deest. [9] activitatis missionalis. [10] deest.

5

EXC.MUS P. D. IOANNES KODWO AMISSAH
Archiepiscopus Litoris Capitis

Ne patientiam vestram, venerabiles Patres et omnes adstantes in Christo dilecti, abutar, neve tempus Sacrosancti Concilii pretiosissimum perdam, multa mihi dicenda, quae ab aliis iam dicta, praetermitto. Aliqua tantum ex capite recentiori aetati accommodationis necnon indolis pastoralis adnotare liceat.

Schema nostrum ne mentionem quidem facit et etiam minus tractat de illo « ente iuridico-missionali » omnino novo ac recenti in historia activitatis missionalis, scil. novella Ecclesia cui praeest Ordinarius indigena e clero dioecesano cum subsidiis et facultatibus haudquaquam sufficientibus ad finem huiusmodi activitatis missionalis exsequendum. Desiderandum valde est — etiamsi de hoc ente in historia activitatis missionalis novo in schemate nostro ex professo non tractatur — duo saltem ex parte ipsius entis novi expetenda atque optabilia plenius tractentur, nempe: *a*) Necessitas praevalens necnon indispensabilis atque adhuc persistens Institutorum missionalium; et *b*) Ordinatio causarum necessitudinis inter Ordinarios harum Ecclesiarum novellarum et haec illustrissima atque animosa Instituta missionalia.

A. *Missionalia Instituta.* O vos Instituta, quae ex professo dicuntur Missionalia, Instituta i. e. ad laborem missionalem sive ad id ipsum sive per circuitionem et tacite fundata, utinam linguam auream S. Chrysostomi, aciem intellectualem S. Augustini, perspicuitatem Divi Thomae, necnon mirabile ingenium poeticum Virgilis habeam ad laudes vestras iure meritas cantandas, et ad illustrandum fundamentum theologicum ac pragmaticum necessitatis persistentis et actualis Institutorum apostolicorum vestrorum! Dignetur Sanctus Paraclitus non solum commissionem conciliarem illuminare ut necessitatem in schemate de hoc themate tractandi perspiciat, sed etiam membra eiusdem commissionis adiuvare ut revera hoc thema tractent ea perspicuitate theologica et biblica atque ea aestimatione practica quae par sit. Hoc valde optandum est ut quavis hoc ex capite diminutio vocationum ad haecce Instituta missionalia praevertatur.

Consideratis speciatim eis quae a Summo Pontifice feliciter regnante dicta die canonizationis Ss. Martyrum Ugandaënsium, haud dubitandum est quin omnes Ordinarii loci huiusmodi vocationes ad Instituta missionalia sustentent, suffragentur atque alant.

B. *Ordinatio causarum necessitudinis Ordinarios loci inter et Instituta Missionalia.* Velit Concilium Sacrosanctum in schemate votum exprimere in hanc sententiam, ut, ad hunc finem, a competente auctoritate conficiatur Instructio auctoritativa, quae necessitudinem inter Ordinarios indigenas e clero saeculari novellarum Ecclesiarum et Instituta missionalia in huiusmodi dioecesibus laborantia ordinet.

Non ignoro in schemate nostro, pag. 8, linn. 15-24 consilium generale ac latum quoddam allatum esse. Sed hoc consilium generale prorsus insufficiens est, neque problematis cornua in manibus fortibus solutionemque afferentibus arripit. Saepe enim saepius accidit quod antequam Ordinarius, noviter tali novellae Ecclesiae constitutus, problematum necnon status dioeceseos suae gnarus sciensque factus fuerit, en Institutum missionale, cum contractu iam parato ac subsignando — nonnunquam intempestive ante installationem vel possessionem dioeceseos captandam.

Ratione habita igitur de eo quod talis Ordinarius 1. officio suo novicius adhuc est, 2. saepe dioeceseos ipsiusque status rerum communium haud gnarus est, et 3. altera ex parte, cum sufficientem numerum sacerdotum propriorum non habeat, missionariis Instituti absolute adhuc eget, quaeritur num contractus iste, iam praeparatus ac subsignandus, revera a duobus partibus vere liberis et in aequo sibimetipsis stantibus subsignetur?

Cum ergo Instructio similis, a Sacra Congregatione de Propaganda Fide anno 1929 edita, ordinansque relationes inter Instituta missionalia et Ordinarios eisdem Institutis pertinentes, iam exsolescat, Concilium Sacrosanctum hoc in schemate nostro Instructionem aliam similem, recentiori aetati temporibusque nostris accommodatam, necnon isti enti in historia activitatis missionalis prorsus novo propriam et congruentem postulet. Qua in Instructione dentur principia generalia quibus ea quae dicuntur in pag. 8, linn. 15-24 schematis nostri, ad exitum felicem perducantur. Hoc imperat et flagitat finis Sacrosancti Concilii pastoralis necnon scopus aetati recentiori nostrae accommodationis seu « aggiornamento »!

Uti iam explicatum est ab aliis, inter quos enumerandi sunt omnes cardinales qui sabbato locuti sunt *et exc.mus D. Iacobus Moynagh,*[1] activitas missionalis, cum sit maximi momenti et pars perenniter essentialis totius missionis Ecclesiae a Iesu Christo Fundatore suo acceptae, postulat — *i. e. haec activitas missionalis*[2] — a Concilio Sacrosancto schema penitus planeque elaboratum. Ad minimum schema debet esse eodem gradu eademque perfectione ac schema *de apostolatu laicorum,* qui apostolatus nihil aliud ac pars totius activitatis Ecclesiae est.

Itemque ea quae dicta sunt de libertate conscientiae in re religiosa in schemate *de Oecumenismo* postulant ut schema nostrum funditus recognoscendum sit et argumentis theologicis et biblicis magis magisque suffulciendum, ne indifferentismo in terris sic dictis missionum ansa praebeatur, neve afferatur taedium ac insulsitas ad spiritum et fervorem eorum illustrissimorum et illustrissimarum, qui et quae ibi in vinea Domini laborent. Haec argumenta theologica ac biblica halitu necessario ad excitandum in conscientia christiana sensum permanentiae et pressurae distringentis muneris essentialis Ecclesiae, *scil. muneris missionalis,*[3] schema nostrum exornare possint.

Faxit Deus ut inter nota huius Concilii Sacrosancti Vaticani II characteristica et distincta adnotentur et annumerentur non solum indoles ecclesiologica et oecumenica, sed etiam et speciatim indoles missionalis! ...[4] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] His quae protuli omnibus adhaerent plurimi Patres missionales Conciliares.

6

Exc.mus P. D. FULTON I. SHEEN

Episcopus tit. Caesarianensis, aux. Neo-Eboracensis

Venerabiles Patres,

Paulus VI, missionaliter regnans, nobis proposuit schema hoc « perpoliendum ac excolendum esse ». Optime quidem.

Ad hoc faciendum, concedatur unicuique membro commissionis proprium peritum seligere.

Loco quaestionis theologicae « *quid* sunt missiones? », nobis potius ponitur quaestio *practica*: « *Ubi* sunt missiones? ».

Numquid missiones considerandae sunt *exclusive* tamquam territoria in illis — quas vocant — non christianis regionibus existentia?

Aut verum est missiones haberi etiam in aliis regionibus, ubi nempe pauci sacerdotes, paucae ecclesiae et magna indigentia experitur?

Responsio huic quaestioni simpliciter datur: missiones ambo sunt.

Servus sum missionum. Attamen, perdurantibus tribus Concilii sessionibus, perplurimi episcopi qui in indigentia versantur, meum locum in aula conciliari adierunt. Ipsi e regionibus iuridice non missionariis proveniebant ubi septem vel decem sacerdotes habentur qui de amplissimis territoriis curant. Num christianum est, num catholicum, num ca-

ritate Christi dignum est, illis respondere: « Ad territoria missionum non pertinetis »?

Nonne verum est collegialitatem episcoporum nobis responsabilitatem missionariam imponere, non tantum pro territoriis abhinc trecentos annos statutis, sed potius « pro totius mundi salute »? ...[1]

Quare Paulus VI, pastoraliter regnans, perraro, in Encyclicis Litteris *Ecclesiam suam* termino « missio » utitur? Quodnam verbum — loco « missionis » — ipse adhibet? *Colloquium.* Hoc verbum septuagies septies in Encyclicis invenitur. Colloquium idem est ac manifestatio caritatis erga omnes homines. Ita missionis conceptum ampliorem fecit.

Nos episcopos, in Concilio, dividi non decet, dicentes: « Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego vero Cephae, ego autem Christi. Divisus est Christus? » ...[2]

Esse non possumus sicut sacerdos et levita parabolae boni Samaritani qui hominem « semivivum » praeterierunt, dicentes: « Ad nostram congregationem non pertinet ».

In Corpore ...[3] mystico, nec novellae neque veteres habentur Ecclesiae, quia omnes sumus cellulae viventes Christi.

...[4] Missiones esse non debent unicus aspectus vitae Ecclesiae qui « aggiornamento » non admittit.

Non sumus Ecclesia residentialis Ecclesiam missionariam alloquens, quia — sicut Summus Pontifex ait — « Ecclesia universa, missionalis est ». Quod Deus coniunxit — nempe Ecclesiam et Missiones — nullum schema separari potest.

Solutio vere catholica problematis ubicationis missionum invenitur in n. 4 schematis, ubi proponitur institutionem « Consilii centralis Evangelizationis ». Hoc Consilium omnes differentias iuridicas transcendit atque flexibilitatem activitati missionali confert, secundum diversas circumstantias.

Nemo sit qui timeat diminutionem quamdam auxilii pro sua missione pati, si alii fratres adiuvantur. In Ecclesia primaeva, simul ac fratres « cor unum et anima una » facti sunt, « omnia illis communia evaserunt » ...[5]

Secunda observatio. Aliquis Patrum proposuit nullam mentionem, in hoc schemate, de paupertate fieri. Enixe vos rogo, venerabiles Patres, ut paupertas a Concilio fortiter affirmetur.

Mundum respicite. Digitum vestrum ponite super trigesimum parallelum: omnem terram circuite, vestram manum levantes circa Chinam. Quid habebitis? Invenietis maiorem partem prosperitatis *super* trigesimum parallelum, atque maiorem partem paupertatis *infra* eumdem parallelum, i. e. in Africa, Asia et America Latina: in territoriis missionariis.

Sicut castitas fructus fuit Concilii Tridentini, oboedientia fructus Vaticani I, ita paupertas proclametur uti fructus huius Concilii.

In mundo vivimus, in quo bis centum milliones pauperum dantur, qui votum paupertatis, cras, perlibenter susciperent, si eis possibilitas esset manducandi, bene vestiendi, domum possidendi, eodem modo quo mihi ipsi, atque nonnullis qui votum paupertatis suscipiunt...[6]

Magna pars episcoporum in hac aula praesentium, in indigentia vel in persecutione vivunt: atque ipsi ex *omnibus* populis et nationibus proveniunt.

Sicut tantum Christus vulneratus Thomam dubitantem convertit, ita tantum Ecclesia in paupertate vulnerata, mundum non credentem convertet.

Conclusio. *Venerabiles Fratres*,[7] si spiritum oecumenicum habemus erga fratres nostros qui *extra* Ecclesiam sunt, eumdem spiritum habere debemus pro fratribus qui *in* Ecclesia sunt. Dominus qui apostolos iussit: « Euntes, docete omnes gentes », idem Dominus fuit qui ingemuit: « Misereor super turbam ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (n. 4). [2] (*1 Cor.* 1, 12). [3] Christi. [4] Animae sunt, non territoria, quae missiones constituunt. [5] (*Act.* 3, 32). « Qui multum, non abundavit, et qui modicum, non minoravit » (*2 Cor.* 8, 15). [6] Propter hoc Summus Pontifex nobis dixit: « Huic sacrosanctae Synodo... constituitur ad Evangelium *largius* et efficacius evulgandum (et) *nova* muniatur itinera » (6 nov. 1964). [7] deest.

Moderator: Audiant Patres! Quia visum fuerit moderatoribus materiam de schemate praesenti opportune, et nunc in modo speciali opportune et sufficienter tractatam esse, ponitur Patribus haec quaestio: « An placeat Patribus utrum concludatur disceptatio de schemate *de activitate missionali Ecclesiae?* ».

Illi Patres qui volunt accipere hanc propositionem stent suis locis. Videant assignatores quomodo Patres se habeant quoad propositum. [*Patres surgunt fere unanimiter*].

Verbum finale faciet nunc relator schematis, exc.mus D. Stanislaus Lokuang.

EXC.MUS P. D. STANISLAUS LOKUANG
Episcopus Tainanensis, Relator

Venerabiles Patres,

Ad finem imponendam disceptationum *de activitate missionali Ecclesiae,* nos, membra commissionis de missionibus, vobis confitemur gaudium nostrum fuisse audire affirmationes ab omnibus Patribus verba facientibus de momento atque utilitate propositionum; gaudium etiam nostrum fuisse audire de insufficientia harum propositionum atque proinde de utilitate nostrorum laborum iterum exsequendorum, quos commissio nostra certe non recusabit.

Confitemur etiam vobis nos maxima diligentia omnes animadversiones in aula prolatas vel in scriptis datas examinaturos iri.

Nunc attentionem vestram peto pro meis verbis sequentibus. Venerabiles Patres, in hac aula conciliari, em.mi atque exc.mi Patres, qui verbum petierunt fere omnes nomine plurimorum Patrum, locuti sunt de magna gravitate ac momento problematis missionalis pro tota Ecclesia, quod in praeclaram laudem cedit ipsius Concilii. Multa quidem audivimus de modo quo schema propositum circa activitatem missionalem Ecclesiae redactum fuisse a commissione competenti et ab ipsa unanimi suffragio approbatum.

Quibus praemissis, nomine em.mi card. praesidis commissionis de missionibus, in primis gratias ago Patribus de amore ac de studio erga missiones atque vobiscum communico quae sequuntur: opportunius videtur quod schema propositum *de activitate missionali Ecclesiae* iterum reficiatur a commissione competenti, sed, quo facilius ipsi Patres eiusdem commissionis suum laborem perficiant, enixe rogantur Patres conciliares ut, antequam ab Urbe discedant, secretariatui generali Concilii scriptis tradant observationes, vota atque optata concreta et ad rem facientia, introducenda forsan in novum schema, quod proxima sessione conciliari Patribus praesentabitur et vestro iudicio subiicietur. Dixi. Gratias. [*Plausus*].

Secretarius generalis: Patres venerabiles, plausus iuridice nil dicunt, quapropter visum est moderatoribus ut propositum exc.mi relatoris vestris suffragiis subiiciatur, nam haec Ordo postulat.

Quapropter a vobis, Patres venerabiles, quaeritur — auditote bene: Utrum placeat schema propositum *de activitate missionali Ecclesiae* iterum refici a commissione competenti?

Suffragium dabitur per schedulas, quae nunc distribuentur. Qui

volunt ut schema reficiatur dicent *placet*; secus, *non placet*. Haec responsio *non placet* non est perpulchra, attamen attendendum est praesertim ad primam responsionem. Qui diceret *non placet,* vellet ut hoc schema suffragationi subiiciatur, uti patet.

Respondeatis, Patres, per schedulas; et rogamus etiam Patres, qui sunt in thermopoliis, ut quantum possint veniant in aulam, nam suffragatio est semper res magni momenti in Concilio. Gratias.

Modertator: Interea transitus fit ad discussionem circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Plures voces: Nomina..., nomina..., nomina...

Moderator: Loquatur exc.mus D. secretarius.

Secretarius generalis: Lego nomina eorum, qui verbum facere postulaverunt circa n. 24 cap. IV: em.mus ac rev.mus D. card. Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaënsis in Tanganyka; rev.mus P. Geraldus Mahon, sup. gen. Soc. Mission. S. Ioseph de Mill Hill; exc.mi DD. Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis in Jugoslavia; Floyd Begin, ep. Quercopolitanus in Stat. Foed. Amer. Sept.; D. Paulus Taguchi, ep. Osakensis in Japonia; D. Victorius Costantini, ep. Suessanus in Italia; D. Gilbertus Baroni, ep. Albinganensis in Italia.

Deinde nomina eorum qui verbum facere postulaverunt circa cap. IV, n. 25: em.mus ac rev.mus D. card. Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis in Neerlandia; exc.mi DD. Alfredus Ancel, ep. aux. Lugdunensis in Gallia; Michaël Ntuyahaga, ep. Bujumburiensis in Burundi; Iacobus Guilhem, ep. Valleguidonensis in Gallia; Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis in Germania; Philippus Hannan, ep. aux. Vashingtonensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

Em.mus P. D. LEO IOSEPH card. SUENENS, *moderator pro secunda parte congregationis generalis*: Transitus fit ad schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* ad cap. IV, sub n. 24.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, mihi nuntiatum est aliquos nondum intellexisse sensum quaesiti; quapropter repeto.

Quaeritur a Patribus: Utrum placeat schema propositum *de activitate missionali Ecclesiae* iterum refici a commissione competenti? Responsio est: *placet* vel *non placet*. Gratias.

7

EM.MUS P. D. LAUREANUS CARD. RUGAMBWA

Episcopus Bukobaënsis

Venerabiles Patres,

In n. 24 schematis et in annexis permulta optime dicuntur de solidarietate familiae populorum fovenda. Attamen forsitan clarius tradi possunt ultima principia, quibus hae normae innituntur...[1]

Fundamenta solidarietatis universalis doctrinalia Pius Papa XII in compluribus nuntiis et Ioannes Papa XXIII in Litteris Encyclicis *Mater et Magistra,* ac *Pacem in terris* praeclare statuerunt. Quae fundamenta textus etiam noster expressioribus verbis declarare debet, ut omnes facile percipiant de re agi gravissima, quae non a momentariis sensus motibus sed a recta officiorum iustitiae et caritatis intelligentia pendeat.

1. Obligatio, qua omnes homines et populi mutuo sese aestimare, amare et adiuvare tenentur, vim suam repetit *a communi nostra natura atque origine et a communi nostra salutis ac redemptionis historia.* Genus humanum una est familia, quae a Deo venit et ad Deum redit, qui « ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae » ...[2] effecit. « Non est personarum acceptor Deus » ...[3], sed « omnes homines vult salvos fieri » ...[4] et eos « praedestinavit in adoptionem filiorum per Iesum Christum » ...[5], nihil discernens inter stirpes, linguas ac nationes. « Verbum caro factum est et habitavit in nobis. Illi carni adiungitur Ecclesia et fit Christus totus, caput et corpus » ...[6]

Hodie potissimum, quando artibus et scientiis mirifice progressis urbes, nationes ac continentes arctissime inter se coniunguntur et communicant, homines ubique terrarum solidarietatem, necessitatem videlicet communionis et coniunctionis firmissime sentiunt et ex animo coordinationem et pacem universalem exoptant. Hoc unitatis desiderium et hic cooperationis sensus manifestant nobis voluntatem Dei paterne providentis, ut omnes homines et populi fraterne in genuinam coalescant familiam.

2. *Christus Dominus expressis mandatis* discipulos et omnes homines bonae voluntatis « in viam pacis » ...[7] direxit et clare docuit praecepta, quae e communitate naturae et gratiae emanant. Magna charta pacis et solidarietatis est mandatum caritatis, quod Dominus nobis iniunxit: « Diliges proximum tuum sicut teipsum » ...[8]

Haec caritas numquam est otiosa. « Operatur etenim magna, si est;

si vero operari renuit, amor non est » ...[9]. « Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate » ...[10]

3. Ex profundiore intelligentia vinculorum oeconomicorum atque culturalium, quibus populi hodie connectuntur, novimus aequam inter populos distributionem et rectum usum bonorum terrae ad officia iustitiae pertinere. Bona enim terrae a Deo pro omnibus hominibus et populis creata sunt. Divitiae ergo administrandae et dispensandae sunt pro communi omnium utilitate et progressu. Vividiorem cotidie conscientiam harum obligationum adipiscimur. Proinde cum egoismo individuali etiam egoismum collectivum nationum non laudamus, quia omnes conferre debent ad bonum commune totius familiae humanae. Unusquisque ante tribunal Domini rationem reddere debebit de usu et de administratione bonorum, quae Deus ipsi ipsiusque nationi concredidit.

Vera systematis oeconomici conversio requiritur. Bona materialia, quae hucusque lucro et cupiditati paucorum inservierunt, ad progressum totius familiae humanae administranda sunt. Haec erit oeconomia mundialis, utilitatem videlicet familiae humanae quaerens; quae omnibus perpensis mox erit efficacior et utilior quam oeconomia egoistica, quae lites, seditiones ac bella gignit.

Id, quod nationes egentiores magis quam subsidia materialia desiderant, est *benevolentia, aestimatio, fiducia, honor et amicitia.* Nam in communitate nationum istae nationes partes suas agere cupiunt. Egent quidem multis subsidiis, sed ipsae quoque sociam operam conferre possunt et volunt ad progressum mundi. Nolunt tractari quasi nihil agere possint, sed omnia mere passive recipere debeant. Subsidia ergo eo tendere oportet, ut ipsae se adiuvare possint. Praesertim ergo iuvenes in nationibus pauperioribus ita instrui debent, ut et ipsi per se progressum oeconomicum et socialem promovere possint.

Valde laudanda et pro viribus promovenda sunt instituta caritativa et *coetus ac consilia internationalia,* quae in re politica ...[11] ac medica ...[12], in educatione ...[13] et in labore ...[14], in sublevanda miseria ac fame praeclara cooperationis mundialis iam ediderunt exempla.

Ex recto ordine oeconomico et sociali oritur pax inter homines. Ex recto ordine internationali oritur pax inter stirpes et nationes. Hanc pacem ardentissime exoptamus et a Christo imploramus, qui est « pax nostra » ...[15] et homines peccati dissentione dispersos in suam congregat familiam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Insuper aliqua alia consectaria practica addi possunt. [2] (*Act.* 17, 26). [3] (*Act.* 10, 34). [4] (*1 Tim.* 2, 4). [5] (*Eph.*

1, 5). [6] (AUG., *In ep. Ioann. ad Parthos,* tr. 1, 2). [7] (*Lc.* 1, 79). [8] (*Mc.* 12, 31). [9] (S. GREG. M., *Hom. in Ev.* 30, 2). [10] (*1 Io.* 3, 18). [11] (UNO). [12] (OMS). [13] (UNESCO). [14] (OIT). [15] (*Eph.* 2, 14).

8

REV.MUS P. D. GERARDUS MAHON

Superior generalis Societatis Missionariorum S. Ioseph de Mill Hill

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

Quae in hac sectione modo condenso et apto dicta sunt tangunt quaestiones maximi momenti mundi huius temporis: fames et paupertas mundialis, complicata explosione sic dicta populationum. Et ideo amplificatione valde digna sunt.

Concilium Vaticanum I in mediam incidit revolutionem industrialem. Duobus annis antea Karl Marx scripserat opus suum *Das Kapital.* Concilium autem nihil dixit de iustitia sociali; nihil quod consolationi et adiutorio esse potuisset plebi proletariae, victimis inhumanarum legum oeconomicarum. Vix exspectari potuit homines illos depressos ex miseria sua cum gaudio oculos elevaturos esse ad definitionem infallibilitatis.

In hoc Concilio Vaticano II, per duos annos et dimidium cum omni diligentia tractavimus de rebus summi utique momenti pro vita interna Ecclesiae. Sed nunc aliter ac in primo Concilio audivimus clare expositam necessitatem iustitiae socialis internationalis. Et opportunissime.

Hodie enim disparitas inter *nationes* divites et *nationes* miseras non minor est quam antea erat disparitas inter classes in singulis nationibus. Hodie non *classes* proletariae, sed *nationes* proletariae a Concilio hoc exspectant actionem efficacem ad iustitiam socialem quae inter nationes vigere oporteat implendam.

Ut missionarius, expertus scio quantopere missionarii anguntur de pauperibus in hoc mundo. Missionarii enim laborant in medio illo tertio mundo — « le tiers-monde » — ubi sicut card. Landázuri ex Lima nos monuit triginta quinque milliones hominum singulis annis fame moriuntur vel effectibus famis: ubi quadringentae milliones hominum actu fame laborant; ubi mille quingenti milliones morbis afflicti sunt ex sequelis malnutritionis.

Haec facta horrenda nos omnes excitent et sollicitos reddant necesse est. Sunt autem qui activitatem socialem et socio-oeconomicam habent ut opus missionale secundarium solummodo, ut diverticula quae non constituant partem essentialem in missione salvifica Ecclesiae. Sed, venerabiles Patres, aliter docuit Dominus Noster in parabola boni Sama-

ritani, increpans hanc nimis clericalem sententiam et mentalitatem. Missionariorum est totum Iesu Christi evangelium praedicare, verbis et factis, non partem eius spiritualem tantum. Christus pertransiit benefaciendo. Activitas *missionalis quidem spiritualis* [1] summi momenti est et pars maior erit laboris missionalis. Sed haec oportet facere et illa non omittere.

Hodie ubi existunt multae gentes pauperes, numero quidem multiplicantes, re oeconomica autem minus progredientes, simplex adiutorium Samaritani mutandum est in auxilia caritativa socio-oeconomica in campo mundiali.

His dictis, propono sequentia: 1. Gravitas et urgentia rei exigit ut in schemate reviso quaestio de debellanda fame et miseria debeat esse una ex principalibus thematibus.

2. Schema urgere debet necessitatem educandi omnes christianos ad hoc, ut intime se responsabiles sentiant pro iustitia sociali erga egenos mundi, mediantibus operibus quae exstirpationem miseriae in mundo ut finem sibi habebunt. Conscientia christiana bene formata scandalosum consideraret quod episcopi qui opem quaerunt pro populis suis egenis saepe frustra petunt.

3 et ultimo. Ecclesia debet oecumenica actione coadunare vires tertii mundi christianorum ut bellum sacrum contra miseriam in altero illi tertio mundo prosequatur. Ideo sicut nuper ab em.mo card. Frings et ill.mo relatore Iacobo Norris opportunissime adumbratum est, instituendus est secretariatus specialis ut bellum hoc ex parte Ecclesiae efficaciter geratur. Praesit ei vir vere insignis, qui iam persona sua et vita exprimat Ecclesiae de pauperibus sollicitudinem. Quod attinet specifica munera talis secretariatus, mihi missionario licet anticipare saltem unum: spectabit ad dictum secretariatum stimulare et coadunare participationem missionariorum in evolutione socio-oeconomica.

De aliis muneribus in scriptis agetur.

Concludo. Venerabiles Patres, post discussiones adeo prolongatas de rebus internis Ecclesiae, actione, fere dixerim, spectaculosa opus est ex parte Concilii ut mundo, ut nationibus, persuadeatur Ecclesiam non minus sollicitam esse de duris huius mundi realitatibus quam de suis rebus domesticis. Ecclesia non est sacer spectator in luctu hominum pro vita sua, non est orator, quae diserte difficultates mundi discutiat, sed tota in praelio humano immersa, conscia missionem suam non esse salvare animas incorporeas sed personas humanas in carne et sanguine. Dixi et gratias.

In textu scripto tradito: [1] spiritualis quidem.

9

Exc.mus P. D. FRANCISCUS ŠEPER
Archiepiscopus Zagrabiensis

Venerabiles Patres conciliares,

Inter bona, immo excellentia, quae in hoc textu de solidarietate familiae populorum promovenda leguntur, *aliqua — ut mihi videtur* [1] — lacuna subrepsit, quae omnino *supplenda* [2] est: nihil habetur de problemate *migrationum* hominum ex terra in terram, quod hodie vulgo *quaestio emigrantium* vocari solet. De solidarietate inter populos sermo sincerus esse nequit praescindendo a quaestione de emigratione et immigratione, immo haec quaestio emigrantium dicenda est verus lapis probationis istius solidarietatis. Problema emigrantium reapse multiplex est: Sunt emigrantes politici, quorum sors miserabilis conscientiam solidarietatis inter homines et populos etiam tangere debet, cum ius ad libertatem politicam in mundo hodierno communiter computetur inter iura, quae personae innocenti negari nequeunt ...[3]. Sed ego nunc, quaestionem emigrantium politicorum paucis tantum memorans, ad quaestionem *migrationum ex ratione oeconomica* attentionem vestram, Patres, convertere cupio.

Schema nostrum loquitur de *populis, nationibus,* quod passim in mente identificari videtur cum *statibus* seu civitatibus. Potius sermo deberet esse de hominibus. *Nam* [4] homines per se priores sunt quam status et nationes. Non sunt homines propter nationes et status, sed status sunt propter homines, ex natura rei. Genus humanum qua tale praevalet super populos et status. Terram et omnia bona terrae Deus dedit primarie *generi humano, seu communitati hominum, quatenus sunt personae libertate praeditae*; secundarie tantum populis et statibus. Hi eo inservire debent, ut personae melius et liberius et efficacius crescant atque evolvantur. Quapropter problemata, quae hic in textu enumerantur, minime in sola linea *nationum* et *statuum* solvi possunt, proinde ac si status et populi qua tales primarii proprietarii omnium bonorum terrae essent.

Quaestiones sociales et oeconomicae saepe intra fines unius nationis minime possunt veram et dignam solutionem invenire, sicut valor et dignitas personae humanae requirit. Id etiam adiutoriis et subsidiis aliarum nationum obtineri nequit. Superpopulatio, terra minus fertilis, industria non evoluta, haec et alia sunt problemata, quae situationem vitae singulorum hominum multum aggravare possunt et quae solutio-

nem urgentem quaerunt, procrastinationem non permittunt. Dum in aliis regionibus vasta territoria nondum exculta adsunt, aut aliae possibilitates vitae melioris et decentioris dantur, nullae rationes sive politicae sive nationales, nullae rationes stirpis et culturae praevalere debent, quin tales quaestiones etiam ope migrationum ex una natione in aliam solvantur. Gloria nationis, puritas stirpis, autonomia culturalis, et similia, non sunt summum bonum, quod in detrimentum solidarietatis generis humani qua talis conservari deberet!

Ut homo se vere liberum sentiat, non sufficit generalis proclamatio libertatis politicae, sed requiritur proportionata conditio oeconomica, quae personae humanae procurat iustae independentiae facultatem realem. Promotio igitur personarum implicat talem independentiam oeconomicam. Migrationes hominum cum intentione et fine, ut sibi et familiae suae dignam conditionem oeconomicam acquirant, per longum adhuc tempus necessariae praevidentur. Contactus autem et commixtiones populorum, stirpium et coetuum culturalium, quae inde provenire poterunt, nullatenus inter mala computanda sunt, sed e contra repraesentant unam ex viis, ut quamprimum assequatur maior generis humani unitas et desiderata communio culturalis totius generis humani.

In antiquis temporibus migrationes *populorum* repetite exoriebantur; expansiones et occupationes territoriorum igni et ferro exsequebantur. Necessarium iam est, ut tales violentae proprii « spatii vitalis » (quem dicunt) allargationes in posterum penitus evanescant, et ut bella quae inde exardescebant, nullum iam locum habeant. Oportet igitur, ut aequilibrium oeconomicum et spatiale inter nationes nunc ope pacificae emigrationis et immigrationis *hominum* et familiarum eveniat, quae competentias politicas et nationales minime implicarent...[5]

Per se patet, quod Concilium modos et rationes, quibus haec in concreto in actum deducentur, praescribere nequeat, nec id ad Ecclesiam pertinet ...[6]. Principia tamen ...[7] fundamentalia hic proclamare possumus et debemus, cum manifeste agatur de re essentiali in solidarietate generis humani promovenda.

Ecclesia, quae ex sua definitione *vel descriptione*[8] peregrinans in hoc mundo exsistit, i. e. aliquomodo ex natura sua sortem emigrantium vivit et suffert, quomodo posset de quaestione emigrantium non esse sollicita? Dixi.

In textu scripto tradito: [1] gravis. [2] complenda. [3] Qui hoc iure, igitur, in propria patria privatus fit, merito in aliis terris exspectat humanam solidarietatem, tanquam testimonium veri illius sensus dignitatis personae humanae, quam inter acquisita maiora nostrae civilisationis adnumeramus. [4] Et tamen.

[5] Papa Ioannes XXIII in encyclicis litteris *Pacem in terris* ius emigrandi ponit inter iura uniuscuiusque hominis. De hac quaestione Pius XII iterato locutus est. Nec schema nostrum igitur de hac re tacere potest. Mentio illa, quasi per transennam in Adnexis posita, non sufficit. Requiritur accuratior istius problematis determinatio in ipso textu stricte conciliari, quae sub puncto speciali immediate post punctum 6 inseratur. Novum punctum componatur ita ut sequentia enuntiata sint: Homo habet ius ex iustis causis emigrandi e confinibus propriae patriae. Ideo nationes, quae difficultatibus eiusdem generis minime premuntur, ius immigrandi nulli denegent. Reditus in propriam patriam emigratis fiat facilis, possibilitas autem ut cum propria familia aut consanguineis relationes teneant efficiatur expeditior. In nova patria, ad salaria variasque laboris rationes quod attinet, civibus natis prorsus aequales haberi debeant, nec ullae discriminationi quacumque ex causa expositi. [6] Utrum id fiat ita ut status inter se contractus de transmigrationibus civium stabiliant, an ita ut instrumentum internationale constituatur, quod arbitratum de problemata migrationum facit, cuique singulae nationes ultro se submittere decidant, aut aliis idoneis viis et mediis, id a nobis minime dependet, et iuxta condiciones et situationes concretas ordinandum erit. [7] illa. [8] deest.

10

Exc.mus P. D. FLOYD LAURENTIUS BEGIN

Episcopus Quercopolitanus

Venerabiles Patres, carissimi adstantes et operatissimi Assignatores,

Ratione solidarietatis familiae humanae libenter adhaereo dictis hucusque a Patribus et a Laico de necessitate solvendi, si possibile sit, modo globali et efficaci problema paupertatis et miseriae in mundo. Velim proponere autem solutionem huius problematis, quae hic et nunc ab omnibus bonae voluntatis adoptari possit cum effectu quasi immediato et infallibili.[1]

Humiliter peto ut haec Sacra Synodus paulisper in mentem revocaret systema oeconomicum a Deo Optimo institutum pro bono oeconomico necnon pro sanitate et salute cuiusvis hominis in mundo, totiusque societatis humanae.

Hoc systema oeconomicum, divinitus nobis traditum, solutionem praeberet problemati paupertatis et destitutionis in mundo dum sanctitatem quam maxime promoveret.

Inveniuntur in mundo quamplurimi pauperes et inopes. Egentes sunt autem, non quia desunt in mundo bona necessaria pro vita humana. Deus Omnipotens et Providens, qui bona temporalia ex nihilo creat, abundantiam, et superabundantiam talium bonorum creavit.

Christus Dominus nobis monuit, « Semper pauperes habetis vobis-

cum » ...[2]. Cur *autem* [3] pauperes nobiscum semper manent? Duplici, ut mihi videtur, ratione: ex una parte, quidam, inspirante Domino, paupertatem voluntariam amplectunt — de his nullum problema; revera « Beati sunt » —; ex alia parte autem, permulti paupertatem experiuntur quia nesciunt vel negligunt systema oeconomicum a Deo revelatum, systema scil. « Decimarum et Primitiarum ».

Pluries in Vetere et etiam in Novo Testamento Deus loquitur de decimis et primitiis. Revocamini verba in libro Malachiae: « Revertimini ad me et revertar ad vos, dicit Dominus exercituum... Et dixistis: in quo revertemur? In decimis et primitiis. Et in penuria vos maledicti estis... Inferte omnem decimam in horreum, et sit cibus in domo mea: et probate me super hoc, dicit Dominus; si non aperuero vobis cataractas caeli et effudero vobis benedictiones usque ad abundantiam et increpabo pro vobis devorantem, et non corrumpet fructus terrae vestrae, nec erit sterilis vinea in agro ... et beatos vos dicent omnes gentes » ...[4]

Christus decimas Pharisaeorum approbavit licet eorum iniustitiam condemnavit...[5]

S. Thomas praxim, legem et obligationem moralem decimarum tractavit in *Summa Theologica* (II-II, qq. 86 et 87).

Fontes Iuris Canonici per saecula demonstrant hanc praxim fuisse vere christianam, non mere iudaicam, quam praxim etiam Codex Iuris Canonici in can. 1502 adhuc laudat.

Legimus in Pontificale Romano nuper in usu monitionem episcopi, *allocutionem dandam ab episcopo,*[6] occasione Dedicationis Ecclesiae. *Haec sunt verba Pontificalis* [7]: « Vos insuper moneo, Fratres carissimi, ut decimas quae sunt divina tributa, integre ecclesiis et sacerdotibus persolvatis. Haec sibi Dominus ad universalis dominii signum reservavit ». Tunc Pontificale citat verba S. Augustini, sic: « Decimae tributa sunt egentium animarum. Quod si decimas dederis, non solum abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis et animae consequeris. Non igitur Dominus Deus praemium postulat, sed honorem. Deus enim noster qui dignatus est totum dare, decimam a nobis dignatus est recipere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturum ».

Deus in Vetere Testamento exigebat ab omnibus, *etiam pauperibus,*[8] primos fructus et decimam partem cuiuslibet redditus, stipendii, lucri, incrementi pro sustentatione cultus, cleri, et caritatis, sed etiam promisit « Decimantibus » (sit venia verbo) abundantiam bonorum — *concludo — abundantiam bonorum* [9] temporalium aliarumque benedictionum, et hanc promissionem Deus numquam retractavit. Quare si quis, etiam pauper vel pauperrimus voluntarie Deo redderet primam

decimam partem sui redditus, praemium promissum reciperet et *etiam*[10] valediceret egentiam. « Probate me super hoc », dicit Dominus. Deo ...[11] reddit contribuendo operibus religionis et caritatis. *Et,*[12] cum per decimas et primitias quis quaereret primum regnum Dei, et iustitiam, mereretur audire: « Haec omnia adiicientur vobis » ...[13]

Per talem praxim homo agnosceret dominium supremum et bonitatem infinitam ...[14]; exprimeret supremam fiduciam et confidentiam in Deo promittenti; disceret, modo efficaci et practico, virtutes poenitentiae, mortificationis et abnegationis; remedium inveniret contra spiritum materialismi et debilitatem fidei, spei et caritatis; minueret, vel tolleret e corde suo inordinatam adhaesionem creaturis et bonis temporalibus; primum gressum faceret in via virtutis *et*[15] paupertatis; removeret e vita sua *plurima*[16] impedimenta *ad perfectionem.*[17]

Ni fallor, nos, voluntatis Dei praecones, vitae hominis in terra doctores, pauperum ...[18] patres, nos, haud debemus celare...

Moderator: Exc.me Pater, faveas concludere.

Orator: Nos, haud debemus celare praxim tam efficacem pro bono temporali et spirituali hominum ubique terrarum...[19] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Liceat mihi pauca dicere de vita oeconomica sub n. 23 huius schematis. [2] (*Mt.* 26, 2). [3] tamen. [4] (*Mal.* 3, 6-12). [5] (*Mt.* 23, 23). [6] deest. [7] deest. [8] non exclusis pauperrimis. [9] deest. [10] deest. [11] quis tributa. [12] deest. [13] (*Lc.* 12, 31). [14] Creatoris. [15] deest. [16] plura. [17] perfectiones. [18] nobis a Domino commissorum. [19] Eadem praxis decimarum et primitiarum alium effectum quasi in obliquo produceret — nempe meliorem sustentationem Ecclesiae localis et universalis — de qua hucusque in Concilio haud quidem verbunculum audivimus. Talis praxis, ni fallor, apte provideret pro missionibus, pro operibus caritatis, pro clero et cultu. Ecclesiam redderet independentem non tantum libertate religiosa sed religionis. Nihilominus, in favorem pauperum eorumque securitatis praetermitto elaborationem totius thesis de bono temporali Ecclesiae. De hoc transeat. Quid igitur peto, mea interventione, a Patribus Concilii? Legem decimarum et primitiarum? nullimode. Licet sola et unica norma minima a Deo instituta pro oblatis fidelium est Decima, non petam legem nec localem nec universalem hac in re. Peto tantum laudem, laudem benemeritum pro iis qui opera Dei sustentant oblationibus voluntariis et generosis et praesertim pro iis qui primam decimam partem eorum redditus Deo tradunt per tramitem operum religionis et caritatis. Textus meae emendationis secretariatui tradam et causam pauperum vestro iudicio et caritati laeto et humili animo commendo.

Textus additus:

Sub n. 23, in lin. 12, pag. 28, vel alibi addatur: « 8. Tandem, haec sancta Synodus, memor divinae institutionis " decimarum et primitiarum " nobis in Ve-

tere Testamento traditae et nunquam abrogatae, memor quoque praemiorum divinitus promissorum observantibus talem praxim, tam pro bono sive spirituali sive temporali individui hominis, quam pro bono spirituali et temporali totius Ecclesiae et societatis, valde laudat christifideles qui primam decimam partem redditus, stipendii, incrementi etc. Deo optimo reddunt, contribuendo operibus religionis et caritatis ». *Motiva*: 1. vide *Num.* 18, 26; *Mal.* 3, 7-12; et passim in V. T.; in N. T. vide *Mc.* 12, 43; *Mt.* 23, 23; *Lc.* 12, 31. 2. Vide C.I.C. c. 1496 et 1502. 3. Vide Notulae Canonicae in Codice sub can. 1502. 4. Vide *Summa Theol.* II-II, q. 86, a. 1-4; q. 87, a. 1-4. 5. Vide *Pontificale Romanum, De Ecclesiae Dedicatione,* in allocutione ab episcopo proferenda quae incipit « Quanto fratres... Vos insuper moneo... ut decimas... ». 6. Vide *Analecta Iuris Pontificii,* vol. XI, pag. 477: « Tradition Canonique sur l'obligation » etc. et Vol. XII, p. 222; Vol. XIII, p. 686; Vol. XVI, p. 1039: Dimes Paroissiales. 7. Concilium Oecumenicum Vaticanum II (nostrum) passim agit de « spiritu paupertatis » de « inordinata adhaesione ad bona temporalia », de « distributione bonorum materialium », de « Ecclesia renovanda », de « Deo primo colendo ». Quae omnia optime curantur apud eos qui praxim decimarum adoptant. 8. Non quaero *legem* sed *laudem* pro fidelibus generosis qui Deo promittenti revera fidunt, et amant usque ad sacrificium substantiale. 9. Adnecto epistulam alicuius laici dioecesis Oaklandensis, qui libenter et pulchre scribit de decimis (epistola Ioannis Donovan).

Secretarius generalis: Communico vobis, Patres, *exitum suffragationis factae*:

Votum dederunt Patres	1.914
Dixerunt *placet*	1.601
non placet	311
placet iuxta modum, extra chorum, nonne?, est tantum	1
et suffragium nullum	1

Ergo placuit Patribus propositio facta a commissione de missionibus. Ea propter hoc schema *de activitate missionali Ecclesiae* perpolietur, perficietur et, ubi opus erit, reficietur iuxta Patrum animadversiones.

Rogantur Patres, ut iam audistis ab exc.mo relatore, ut, antequam ab Urbe discedant, nostrae secretariae generali scriptis tradant alias observationes, vota atque optata *concreta* ad rem facientia, quae possint introduci in novum schema, quod postea Patribus praesentabitur. Gratias.

Moderator: Velit loqui nunc em.mus card. Richaud, et deinde transitus fit ad cap. IV, n. 25.

11

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Venerabiles Patres,

Iam, et feliciter, plures em.mi et exc.mi Patres exposuerunt coram Sacrosancto Concilio crudele ac grave problema de miseria et fame in mundo, problema quod certo ab antiquioribus temporibus saevit, sed quod, hic et nunc, cum maiori et urgentiori difficultate sese praebet: tum ex augmento populationis in terra, tum ex evolutione, promotione atque independentia multorum populorum.

Proinde, ut accurate manifestavit ill. D. Norris, altissimum caritatis praeceptum debet vehementius instigare christianos magis praeditos erga homines qui, in quibusdam regionibus, laborant quadam immani conditione.

Itaque, in nomine septuaginta Patrum et speciatim in nomine em.mi card. Silva Henriquez, praesidis huius coetus qui nominatur « Caritas internationalis », absentis hebdomada praeterita, liceat mihi, humiliter et non sine commotione, aliquid dicere quoad speciale officium caritatis.

Sane et ab initio, Ecclesia praecepto Domini multimode activam responsionem dedit. Sunt in nostra memoria omnes institutiones caritativae quae per cleros, per religiosos, per illustres laicos ad allevandas miserias sese devoverunt. Immo, in ipsis regionibus quae adhuc minus evolutae apparent, missionarii christiani consumpserunt heroicos conatus, dum Evangelium praedicaverunt, ad etiam vitam magis humanam promovendam.

Atqui « Caritas Internationalis » fundata Anno Sancto 1950, sub auctoritate et impulsu Papae Pii XII, piae memoriae, et sub directione exc.mi ac rev.mi D. Montini, nunc Pauli VI, feliciter regnantis, comprehendit, in ordine operis misericordiae, septuaginta tres organisationes nationales consociatas, quarum in regionibus increscentibus pleraeque sunt.

Eiusque praecipuum propositum radiatio est caritatis in hoc mundo, atque membrorum suorum collaborationem promovere. Diffusio talis spiritus adiuvat efficaciter assiduam certationem adversus ipsas egestatis causas, quas bene respiciunt omnes institutiones sociales, nam solum auxilium occasione datum non sufficit.

Inter multa, quam fecunda sunt exempla nobis data: a conferentiis episcopalibus, sive Statuum Foederatorum Americae Septemtrio-

nalis, sive nationis Canadensis; ab operibus germanis « Misereor » et « Adveniat »; a collectis quadragesimalibus in natione Belgica, Neerlandica, Austriaca, Gallica, Helvetica, et ceteris; atque micro-realisationibus, gallice « micro-réalisations ». Insuper, notabile auxilium propositum est conciliis a fidelibus catholicis institutis ab Oxoniensi Comitatu, vulgo dicto OXFAM. Perutilis cooperatio etiam cum exercitatione mundi adversus famem ab internationali nominata F.A.O. Immo acta est fraterna collaboratio cum Concilio Mundiali Ecclesiarum genovensi atque cum Operatione oecumenica, vulgo dicta « Espérance », a Communitate Taizé instituta pro America meridionali.

Quare, in sententiam em.mi card. Frings libenter accedens, firmiter affirmo necessariam esse in praesentibus circumstantiis, coordinationem in universo orbe operationum propriarum gentium, salva libertate et independentia cuius institutionis.

Concludo: huiusce coordinationis finis est:

1. Elucidatio et educatio officii atque responsabilitatis personalis omnium fidelium erga istud problema.

2. Formatio personarum aptarum et creatio structurarum in regionibus increscentibus.

3. Communicatio informationum et concertus diversorum inceptorum ad longius tempus.

4. Cooperatio cum christianis a nobis seiunctis, cum regiminibus et etiam cum officiis technici adiutorii atque progressus a Nationibus Unitis positis. Dixi.

Moderator: Loquatur em.mus D. card. Bernardus Alfrink et ad microphonium accedat exc.mus D. Alaphridus Ancel, ep. aux. Lugdunensis in Gallia, et sic transitus fit ad cap. IV, n. 25: « De pace firmanda ».

12

Em.mus P. D. BERNARDUS IOANNES card. ALFRINK

Archiepiscopus Ultraiectensis

Venerabiles Patres,

Brevitatis causa, omnibus laudibus omissis quae em.mus card. Feltin iam emisit de n. 25 schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* cui titulus est « De pace firmanda », quibus laudibus plene adhaereo, sicut etiam ceteris animadversionibus *istius cardinalis,*[1] quasdam liceat observationes proferre ad quaedam in hac paragrapho enuntiata dilucidanda.

1. Sicut iam *dictum est,*[2] de pace firmanda Concilium non minora dicat quam Summus Pontifex Ioannes XXIII fecit in Encyclica *Pacem in terris,* quae omni generi humano tam magnum fecit gaudium et tam firmam donavit spem.

Nunc autem *de armis minuendis* Encyclica modo magis positivo loquitur quam nostrum schema. Quamvis in paragrapho 2 n. 25 de armis nuclearibus et similibus extirpandis clare sermo fit, sicut in Encyclica verbis simplicibus *dicitur « atomica arma interdicantur », in paragrapho 3 modo negativo*[3] dicitur quod « S. Synodus gravibus verbis ut damnum exitiale cunctae familiae humanae illatum denuntiat et reprehendit effrenum illum cursum ad arma praeparanda ». Encyclica autem in hac materia clare et distincte modo positivo enuntiat sequentia, nempe: « ut bellica instrumenta quae variis civitatibus praesto sunt, hinc inde, per idemque tempus minuantur » ...[4]. Etsi armorum diminutio duabus conditionibus *limitatur, scil. reciprocitate et simultaneitate, quibus duabus conditionibus*[5] ulterius in Encyclica tertia *conditio*[6] additur, nempe « mutua efficaxque cautio », hic positivus modus loquendi de armis diminuendis in schemate nostro ne omittatur, ne Concilium in via per Summum Pontificem inita retrogredi videatur.

2. In par. 2 huius n. 25, sermo est de armis sic dictis A-B-C, scilicet atomicis, bacteriologicis et chemicis.

De his armis dicitur in schemate quod eorum « effectus maiores sunt quam qui *aestimari* possunt ac proinde ab hominibus rationabiliter *temperari* nequeunt ». His verbis duae qualitates his armis tribuuntur scil. inaestimabilitas et intemperabilitas. Etsi hic modus loquendi de se sumptus de his armis sine distinctione aliquomodo valere dici debet, in lingua technica solummodo valent, *ut ita dicam,*[7] de bomba — sit venia verbi, quod quidem est clarum, ut spero, sed non est latinum — in lingua technica ...[8] solummodo valent de bomba sic dicta *sordida, squalida,* uti dicitur, quorum effectus exacte non computari nec temperari valent ab iis qui in hac materia sunt periti. Scientia autem his ultimis annis tales fecit progressus ut periti in hac materia bombam construere possunt — ut dicitur — *nitidam,* cuius effectus quoad locum et quoad nefastas sequelas exacte determinari possunt.

Nunc autem, si Concilium *nostrum*[9] verbis istis generalioribus de armis nuclearibus loquitur, periculum adest quod verba sic interpretantur acsi Concilium solummodo de bombis sordidis, squalidis loqui intendat et concludatur quod bomba nitida, uti dicitur, non esset repudianda, datis quidem conditionibus in schemate enuntiatis. Hoc eo magis premitur, quia textus prout stat per verbum « *propterea* » in lin. 7 pag. 31 (« *propterea* scelestissimus coram Deo et hominibus ») innuere

videtur quod arma de quibus hic agitur, *ideo* praecise scelestissima dicuntur *quia* « effectus maiores sunt quam qui aestimari possunt etc. », acsi — si effectus revera aestimantur —, eo ipso arma ista desinunt esse scelestissima.

Quaeri etiam potest an in isto contextu theoria antiqua de bello iusto et de bello iniusto inseri debet ut fit in paragrapho secunda huius *numeri.*[10] Iste modus loquendi saltem suggerit Concilium dicere velle quod revera bellum cogitari posset in quo usus armorum nuclearium etc. iustificari posset. Dubito an quis nostrum hanc suggestionem facere vellet. Nonne melius Concilium magna cum cautela de ista materia loquatur, ita ut non conclusiones deducantur, quas Concilium exprimere non voluit. Quaestio quae mentes et corda omnium hominum movet, non est an quovis modo bellum nucleare possit esse iustum an non, maxima anxietas omnis generis humani est quod nusquam nucleare bellum fiat.

Encyclica *Pacem in terris simpliciter* et *sine ulla ambiguitate* dicit: « *Iustitia, recta ratio, humanaeque dignitatis sensus* requirunt... ut atomica arma interdicantur ». Et per hoc movit corda hominum. Sicuti *de cetero Dominus* [11] Kennedy, Praesidens Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis, qui dixit: « Nisi nos arma destruimus, arma destruent nos ».

3. Tandem aliquando rogare vellem ut in alinea prima n. 25, ubi sermo est de motivis quare Concilium Oecumenicum Vaticanum II de pace firmanda loqui se aggreditur, etiam mentio fiat de interna connexione inter Evangelium Christi et munus Ecclesiae quoad pacem firmandam. Textus prout nunc stat ut motivum enuntiat terrorem generis humani, deletionem timendam totius familiae humanae, immanitatem belli armis novis auctam. Nonne Ecclesiae sollicitudo pacis firmandae primarie est munus quod ita intime cum Ecclesiae missione et cum nuntio evangelico ab ea praedicando inhaeret, ut adhortatio pacis potius ad eius officium religiosum pertinet quam ad eius munus sociale, humanum?

De cetero in hoc n. 25 multa bona et pulchra dicuntur, ita ut commissioni quae hunc textum praeparavit, gratias exhibere debemus, etsi ordo generalis huius numeri et progressus idearum hic illic clarior et nitidior esse posset. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] a card. Feltin prolatis. [2] dixit em.mus Feltin. [3] deest. [4] (*A.A.S.*, 1963, p. 287). [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] haec verba schematis nostri. [9] deest. [10] n. 25. [11] deest.

13

Exc.mus P. D. ALFREDUS ANCEL
Episcopus tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis

Venerabiles Patres, Fratres carissimi,

Textus de pace firmanda valde mihi placet. Puto tamen quod ulterius adhuc progredi possumus et debemus.

Etenim, ut certissime scitis, plures hunc textum impugnant, quasi contradictionem internam contineret.

Ex una parte, severissime damnantur bella, praesertim autem bella nuclearia aut quae eis in vi destructiva aequiparari possunt. Sed ex alia parte, liceitas affirmatur defensionis quae vi et coactione fieret contra iniustam aggressionem.

Argumenta autem ex utraque parte sunt validissima. *Iam audistis de usu armorum atomicorum.*[1] Ex alia vero parte, ius et etiam officium sese defendendi necessario affirmari debent, ne plena tribuatur libertas violentiae iniustae.

Rursus autem non habetur defensio efficax, si *natio iniuste impugnata*[2] non iisdem uti possit armis ac ipse aggressor. Ideoque affirmando liceitatem defensionis, implicite saltem videtur affirmari liceitas praeparandi arma nuclearia vel similia.

Nonne haec est ratio propter quam, non obstantibus tum voluntate pacis universaliter in mundo existente, tum colloquiis internationalibus saepe saepius repetitis, nullus verus habetur progressus sed, e contra, ut fatetur textus noster effrenus habetur cursus ad arma praeparanda?

Unde, sicut ab initio dixi, debemus ulterius progredi, ut hanc apparentem contradictionem superare possimus.

Certo nostri non est media politica aut technica mundo praebere. Neque competentiam neque ius habemus ut in talem campum ingrediamur. Sed Ecclesiae est dicere mundo quae sunt, sub respectu morali, verae exigentiae boni communis familiae populorum.

Via autem quam vobis *propono*[3] iam implicite invenitur in documentis Pii XII, Ioannis XXIII necnon Pontificis Nostri Pauli VI. Insuper sat clare innuitur *haec via*[4] in nostro textu. Optatur enim in constitutione communitatis gentium et auctoritatis internationalis talis progressus, qui praeparet conditiones in quibus bellum non possit adhiberi, etiam ad defensionem sui iuris.

Quae autem in nostro textu innuuntur, vellem clare et explicite dicere. Humiliter ergo propono sententiam meam, quae duabus constat propositionibus. Deinde aliquas afferam explicationes.

1. In circumstantiis hodiernis, bonum commune familiae humanae videtur exigere ut omnes nationes, salvo omnino iure suo, in ordinandis rebus publicis propriis, definitive et absolute renuntient iuri belli, quae renuntiatio secum ferret renuntiationem omnibus quae necessaria sunt ad bellum, retentis unice iis quae requiruntur ad ordinem internum servandum.

2. Auctoritas internationalis eaque sola gaudere posset mediis necessariis ad cohibendum omnem conatum bellicum, quacumque ortus sit ratione.

Ecce nunc explicationes meae. 1. Quae nunc dixi nullo modo opponuntur iis quae in textu scripta sunt, sed unice constituunt novum gressum qui iam in textu praeparabatur. Hic autem gressus *mihi*[5] videtur necessarius ad tollendam omnem speciem contradictionis.

2. Nullum detrimentum inferretur nationibus, cum unaquaeque plenitudinem iuris sui servaret. Solus ei prohiberetur recursus ad bellum, sed si quacumque ex ratione *impugnaretur,*[6] ab auctoritate internationali *defenderetur.*[7]

3. *Difficultates maximae contra nostram propositionem pertinent, ut mihi videtur, ad ordinem psychologicum.*[8] Modo *enim*[9] plus minusve conscio remanet in nostris nationibus sive quaedam forma imperialismi, sive timor imperialismi aliarum nationum, sive forsan utrumque simul. Ad hanc difficultatem superandam multa conferre possunt media quae in nostro textu enumerantur de genuino spiritu pacis.

4. Tandem iudicium ultimum de actuatione huius renuntiationis et de constitutione talis auctoritatis internationalis certo pertinet ad populorum *moderatores,*[10] qui ius et competentiam habent in mediis politicis et technicis adhibendis. Putamus autem non leve eis adiutorium afferri posse, si toto corde nostro laboremus ad recte efformandam opinionem publicam de exigentiis boni communis internationalis. Tunc vere *pacis erimus*[11] opifices.

Concludo. *Concilium votis populorum maxime responderet*[12] si, salvo tectoque iure singularum nationum, clare ostenderet viam quae necessaria est ad bella removenda. Sicut olim promotio auctoritatis nationalis suppressit recursum ad bellum inter civitates, ita, servatis servandis, *puto quod promotio sufficiens*[13] auctoritatis internationalis possibilem redderet suppressionem definitivam bellorum inter nationes. Quod faxit Deus! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Usus enim armorum, quorum effectus horrendi neque possunt ab hominibus temperari, certo excedit omnem iustam proportionem, unde talis usus stricte prohiberi debet. [2] deest. [3] proponam.

[4] deest. [5] non est possibilis nisi iam admittatur ipse textus, sed. [6] impugnarentur. [7] defenderentur. [8] Difficultas maxima quam inveniremus, mihi videtur, ad ordinem psychologicum pertinere. [9] deest. [10] rectores. [11] pacifici erimus seu pacis. [12] Puto Concilium maxime responsurum esse votis populorum. [13] promotio.

14

Exc.mus P. D. MICHAËL NTUYAHAGA
Episcopus Bujumburaensis

Venerabiles Patres,

Liceat mihi audiri facere vocem meam parvam inter tam dignas et venerabiles. De caritate fraterna breve loquar.

Concilium Vaticanum II initio suo cum admiratione quadam, deinde vero cum reverente gaudio, ab hominibus acceptum, omnium benevolentiam et consensum cepit, propter spiritum suum caritatis et comprehensionis.

Concilium unitatis caritatisque viam ad corda invenit, et haec est via vera in qua progredi debet Concilium, ut respondeat exspectationi mundi.

« Caritas est sola lingua nationibus populisque aptata », ut dixit Sanctus Pater Paulus VI gloriose regnans. Nonne Papa Ioannes XXIII, felicis memoriae, in toto orbe veneratur propter bonitatem suam et caritatem?

Caritas est centrum et fundamentum religionis nostrae christianae. Caritas est lex prima nobis data a Christo, in qua omnes leges et prophetae continentur: lex amandi Deum super omnia et proximum ut seipsum. Caritas est signum quo veri discipuli Christi dignoscantur. Evangelium nobis datum a Christo, Regnum Dei in nobis, est bonum Nuntium amoris Dei et fratrum, immo inimicorum. In hoc signo iudicabimur.

Propterea imago revelationis Christi, quae non exaltaret amorem hominum, esset incompleta. Relationes Ecclesiae cum mundo huius temporis quae non maxime innituntur in lege caritatis, vanae essent. Schema quae tractat de his relationibus speciali modo in lucem ponere debet caritatem ut fundamentum omnium relationum humanarum, necnon omnis usus rerum huius mundi.

Amore hominum ductus Christus reliquit omnia, et nobis dedit vitam suam. Dare hominibus Bonum Nuntium Christi, essentialiter significat: docere homines amorem Dei et caritatem fraternam. Homines

qui se dicunt credere Christo et caritatem fraternam non vivunt, in ignorantia Evangelii degunt.

Sed quid vidimus in mundo? Quae sunt rationes propter quas homines se mutuum servitium praestant? Saepe saepius, rationes sunt amor sui ipsius, honor vel timor. Quem timent adiuvant, debilem calcantur.

Christus, si rediisset in terram, quid dixisset? « Quod etiam pagani hoc faciunt! ».

Quid nobis prodesset hoc Concilium, si non maxima in luce poneret caritatem inter homines? Haec caritas sola est vis et virtus christianorum.

At, proh dolor!, in hoc ipso tempore Concilii Vaticani II, maximum quidem quoad numerum et varietatem membrorum suorum, millies vitae humanae pereunt in Africa, in Asia et in toto mundo propter rationes fictas, quae velare vix possunt alias rationes inexprimibiles. Cur? Quia homines, etiam credentes, ignorant Christum caritatis. In multis Evangelium non amplius est vita, sed pro multis, etiam qui nomine christiano vestiuntur, Evangelium est doctrina, pauce differens a theodicea quadam aut philosophia humana.

Concilium nostrum contra hanc despectionem Evangelii, quae est quasi atrophia quaedam, agere debet. Evangelium est vita in caritate, ut dixit S. Paulus: « Sine caritate sum aes sonans, cymbalum tinniens ».

Sola caritas mutabit faciem mundi, moderabit cupiditates hominum, efficiet unitatem hominum omnium stirpium, et quiescere faciet voluntates divisionis et dominationis.

Propter quod, clare et explicito modo Concilium nostrum recordari debet omnibus hominibus mandatum Domini.

En supplicatio mea, venerabiles Patres: Concilium nostrum est adunatio amoris et caritatis. Mundus exspectat a nobis ut communicemus ei hanc caritatem fraternam. Sola caritas dabit mundo tam desideratam pacem.

Praeter locum specialem in schemate de relationibus Ecclesiae et mundi, quam pulchrum esset si Concilium nostrum daret mundo nuntium aliquod caritatis, pacis et respectus omnium, necnon aliquas preces inserendas in Sacra Liturgia. Nonne silentium nostrum esset amara deceptio hominibus in miseriis degentibus, qui adhuc credunt, et iure quidem, influxui morali Ecclesiae et Concilii?

Patres venerabiles, aperto corde locutus sum; Vobis gratias ago propter benevolentiam vestram. Dixi.

15

EXC.MUS P. D. IACOBUS GUILHEM
Episcopus Valleguidonensis

Venerabiles Patres, carissimi Observatores,

Ab initio iam Concilii Vaticani II, universus orbis exspectat a Patribus, responsum ad maiora problemata, quae eum angore afficiunt. Inter quae, procul dubio, problema de bello atomico maximum est, atque periculosissimum. Hac in re tam gravi, non possumus non loqui.

Mihi ergo liceat, lumine edoctus Evangelii, aliqua monita exprimere, ut homines hodierni huiusmodi periculum avertere queant...[1]

1. *De armis atomicis et similibus ad destructionem massivam prorsus prohibendis.* Inter arma contemporanea dicta « Armes A.B.C. » ...[2], aliqua habent effectus destructionis massivae et indiscriminatae, scil., *sicut dicit schema,*[3] effectus « maiores quam qui aestimari possint et ab hominibus nequeunt rationabiliter temperari », sive per destructionem, sive per morbos hereditarios, usque nunc incognitos.

Scienter et volenter uti talibus armis, et non omissis consequentiis eorum, est summa iniuria contra Deum et contra humanitatem. Revera schema refert optime, talem usum excedere omnem iustam proportionem. Quae cum ita sint, talis usus nullo principio morali iustificari potest. Contra huiusmodi « genocidium » referens horresco et solemniter indignationem proferre debemus.

2. *De pace fundata, non in terrore atomico, sed in caritate et dialogo.* Etiamsi usum armorum atomicorum reiiciunt, aliqui tamen putant impossibilem adhuc esse diminutionem apparatus militaris. Opinantur pacem fundari posse solummodo in quodam aequilibrio, quod procedit ex terrore atomico.

Nos autem, putamus pacem prius in comprehensione mutua et in dialogo fundamentum suum invenire. Quaevis divisio politica, vel ideologica, vinci potest in spiritu fraternitatis et comprehensionis. Numquam ergo tam necessariae fuerunt conferentiae internationales, ad instaurandam diminutionem apparatus bellici, modo progressivo et generali, et ab omnibus recognito, sicut postulaverunt illi praeclari Summi Pontifices Pius XII, Ioannes XXIII et Paulus VI, *amanter regnans.*[4] Verbum Dei non est alligatum.

3. *Vis atomica pro bono humanitatis est adhibenda.* Nullo modo damnandae sunt scientificae investigationes de rebus atomicis; quinimmo, magis magisque promovenda sunt, quia desintegratio atomi, ab

humano genio inventa, ad bonum universi mundi valde conferre potest, eodem modo ac radium vel penicillina. Ad bonum universi, dicimus, non ad eius ruinam. Invitamus ergo omnes doctos, et omnes artis technicae peritos, ut rectores nationum de consequentiis inventorum edoceant, eorumque effectus praevideant. Necessarius est hodie, codex iuris professionalis, seu deontologia, speciatim in campo nucleari.

4 et ultimo. *Fideles cooperari debent ad arma progressive ubique eiicienda.* Dum in dies multiplicantur arma nuclearia et similia, eo magis retardatur prosecutio boni communis. Quomodo tam ingentes pecuniae summas expendere possumus, dum in hoc mundo, ex tribus hominibus, duo saltem fame vexantur? Pecuniae summae huiusmodi, aspectum habent mammon iniquitatis. Hoc impedit quod res oeconomicae instaurentur secundum iustitiam, pro bono semper maiori omnium hominum.

Nunc autem, rectores quarumlibet nationum nunquam hunc effectum obtinebunt, nisi publica opinione valde adiuvarentur. Talis communis opinio, obiectiva, edocta, nullis influxibus subdita, hodie prorsus necessaria est. Magis quam quilibet alii, debent christifideles sapienter et vigilanter, adlaborare ad talem opinionem excitandam, quae paci faveat. Etenim, christifideles sunt sal terrae; si sal infatuatur, in quo salietur?

Concludendo. Gaudeo quia schema nostrum suscitat magnos conatus « ut bellum nucleare ab omnibus nationibus sollemniter proscribatur ». Non agitur de voto simpliciter, sed de urgenti deprecatione ad omnes homines directa.

Eamdem postulationem repetimus et nos, tanquam motivum spei nostrae, coram timenda destructione populorum. In corde nostro, simul portamus et angorem et spem universi mundi!

Et sic, loco fulguris horrendi deflagrationis atomicae, sancta nostra Synodo *fulgebit* [5] hominibus, lumen Christi, ad revelationem gentium. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Nomine proprio loquor, sed etiam nomine omnium qui bonae sunt voluntatis. Verba ergo faciam breviter. [2] (Atomica, Biologica, Chimica). [3] deest. [4] deest. [5] illuscebit.

Moderator: Proxima congregatio erit cras, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO TRADITAE

QUOAD SCHEMA PROPOSITIONUM
DE ACTIVITATE MISSIONALI ECCLESIAE

ANIMADVERSIONES SCRIPTO TRADITAE

QUOAD SCHEMA PROPOSITIONUM DE ACTIVITATE MISSIONALI ECCLESIAE *

1

EXC.MUS P. D. RICHARDUS ACKERMAN
Episcopus Covingtonensis

I beg to submit the following recommendation for the Schema in re: the missionary activity of the Church.

The *Pontifical Work of the Holy Childhood* and the important apostolate to which it is dedicated should receive special and laudatory recognition in the Schema.

The association of the Holy Childhood is not only a *Pontifical Work,* established as such by various decrees of the Sovereign Pontiffs; but also an international mission-aid society in the most literal sense of the term. That it provides substantial material assistance is eloquently witnessed by the Bishops of the missionary areas of the world. Greater than this financial support, is the tremendous contribution the Pontifical Work of the Holy Childhood makes to the development of a true "mission spirit" in the minds and hearts of children everywhere, in those early years when enduring habits are easily formed. This Pontifical Work is indeed, a novitiate where future missionaries are prepared for Christ's Church.

2

EXC.MUS P. D. CUSTODIUS ALVIM PEREIRA
Archiepiscopus de Lourenço Marques

Hodie et nudiustertius multa et *triumphalia* audivimus de hoc schemate. Fas sit mihi, qui et missionarius sum, habens sub me in propria archidioecesi ter centena millia catholicorum, et in tota provincia ecclesiastica septem alios episcopos cum millia millium (un milione) fidelium. Fas sit mihi, dico, verbum brevissimum facere, quia omnibus Patribus aequale est ius.

---

* Huiusmodi textus lecti non fuerunt vel quia Patres, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio interrupta est.

1. Propositionum nostrarum schema, primum et unicum vidit in aula *praesentem* Summum Pontificem.

2. Ipse Summus Pontifex has propositiones nobis proposuit et *approbavit* tanquam fundamentum ulterioris progressus et emendationum.

3. Certo certius problema de missionibus non solvitur ex quocumque schemate, sicut ullus schema est *tractatus* de re proposita, sed tantum verbum nostri temporis.

4. His positis et multis aliis quae ego scio, vos scitis (et scripto tradam secretariae), propono ut ab hoc amplissimo coetu approbetur hoc schema propositionum et unusquisque faciat emendationes ad perficiendum textum.

5. In hoc sensu, ecce duas emendationes: *Prima*: p. 8, lin. 15, loquitur de conferentiis superiorum religiosorum. Sed si actio apostolica in Ecclesia ab episcopis, et tantum ab episcopis moderanda est, ad quid conferentiae religiosorum *separatim,* independenter ab episcopis?! Melius est, si casus ferat, et quando de apostolatu agitur, admittere in ipsas conferentias, superiores religiosorum.

Secunda: p. 10, lin. 8, legitur: « Episcopi... priusquam »?! estne hoc verum? Quaestio facile et perspicue solvitur, scribendo loco « priusquam » « simul », ita ut textus sonaret: « Episcopi totius mundi sive singuli sive in conferentia coadunati, nunquam in oblivionem tradant se simul pro totius mundi salute et pro aliqua dioecesi consecratos esse ».

3

Exc.mus P. D. XAVERIUS ARIZ HUARTE
Episcopus tit. Baparensis, vic. ap. Portus Maldonadi

Breve schema propositionum circa activitatem missionalem Ecclesiae multa continet laudabilia et a Concilio, meo iudicio, approbanda, sed dolendum est hoc argumentum, tam momentosum, non nisi paucis verbis a Concilio absolvendum esse.

Ipse stylus non habet illam vim nec exprimit zelum apostolicum qui efficax sit ad magnum impulsum operis missionalis quem multi ab hac Sancta Synodo oecumenica exspectant et non paucae locutiones videntur corrigendae ne male intelligantur.

Laudibus digna est affirmatio de debito missionali, praesertim episcoporum sed, sive in § 2 sive in 5, mira leguntur de missione canonica qua episcopi residentiales sacerdotes suos ad missiones mittere poterunt et de auctoritate qua ipsi episcopi ad missiones sacerdotes destinare curant (pag. 8, lin. 14; pag. 10, linn. 8-11).

Omnes missionarii laeti erimus si singuli episcopi, immo, si singuli catholici agnoscunt partem ad quam vocati sunt in aedificationem Corporis Christi, sed timendum est ne exhortationes impares sint ad sublevandas in-

gentes necessitates hodiernas. Dolendum esset si, propter defectum aequae distributionis vel propter confusionem inter territoria vere missionalia et alias regiones indigentes, non perveniret ad singulos episcopos missionales conveniens levamen et spirituale et materiale.

Oportet ut melius definiatur auctoritas ordinarii loci in missionibus, praesertim relate ad iurisdictionem in universalem ecclesiam quam schema tribuere vult episcopis. Si missio canonica datur ab episcopo mittente suos sacerdotes ad missiones, quaenam auctoritas relinquitur episcopo missionario? Haec quaestio iuridica bene decerni debet. Immo, meo humili iudicio non minuenda sed augenda esset ut revera sit « Rector et Centrum unitatis apostolatus in dioecesi » ut dicit bene schema, et hoc quia in territoriis missionalibus elementa sat diversa inveniuntur quorum coordinatio difficulter obtinetur.

Porro, propositiones ignorant existentiam, nixus et valorem missionariorum laicorum qui ad missiones profecti sunt, quorum numerus crescit in dies, magno cum emolumento missionum. Agimus hic de illis qui totam suam vitam ad servitium Ecclesiae ponunt in diversis activitatibus professionalibus.

Liceat mihi referre sexaginta et octo missionarios laicos in meo territorio computari; inter illos adsunt medici, infirmariae, mechanici, magistri, architecti, etc. caelibes vel uxorati; ex diversis nationibus provenientes, sive ad vitam sive ad tempus ad servitium Vicariatus mancipati sunt.

Concilium nequit ignorare, venerabiles Patres, istos missionarios tam numerosos et utiles; e contra, oportet ut unum verbum saltem dicat quod illis animos addat et doceat ita ut vocationes ad hunc apostolatum roborentur et illi quibus competit, curam quam maximam habeant de solvendis difficultatibus spiritualibus, familiaribus et oeconomicis istorum missionariorum.

* * *

Quamvis nonnulla utilia ac laudanda schema continet, tamen ut ipsemet relator aperte declarat, missionarii, spe et desideriis, fraudati reputantur.

Non immerito quidem, nam cum, ex una parte, momentum missionale Ecclesiae profuse in documentis conciliaribus exaltatur, tamen problemata missionum, in nostris propositionibus, vix tanguntur. Revera schema quam maxime contractum et in maiori eius parte agit tantum de debito missionali totius Ecclesiae — episcoporum nempe, sacerdotum, religiosorum, laicorum, de Consilio Centrali, etc. — dum solum in tribus paragraphis proprie de activitate apostolatus in ipsis missionibus tractat.

Certe in ipso textu promittitur, et etiam exc.mus relator confirmat, promptuarium additurum esse, in quo, collecta, publicentur tot et tanta quae a commissione fuerunt accurate elaborata et de quibus aliqua dispersim iam in documentis conciliaribus inveniuntur. Faxit Deus ut hoc quamcitius fiat. Gratissimo enim animo, missionarii accipiemus agendi rationes et principia, quae sapientia ac experientia consulant pro nostro pastorali officio.

Tamen exsistimo ut omnino necessarium in hoc schemate, et quaedam enucleare, et alia etiam addere ad vitandas confusiones in ulteriori modo procedendi.

A) *De Ordinario loci in missionibus* tantum asseritur ut sit rector et centrum unitatis in apostolatu, et suadetur sodalibus institutionum missionis ut cum eo fraterne collaborent. Nihil amplius. Sed hoc, mihi videtur, non sufficit.

De illius agendi modis et facultatibus tum ut vicarius apostolicus tum ob specialem statum ecclesiae novellae, ut aiunt, aliquid amplius dicendum videtur.

Et praesertim, habita ratione de collegialitate et muneribus missionalibus episcoporum et ecclesiarum aliarum. Qualis igitur debet esse eius habitudo? Quaenam erunt iura Ordinarii loci in missionibus erga episcopos dioecesanos in proprio munere missionali adimplendo? Erit fortasse vicarius episcoporum?...

Certe gratissimo animo magnaque laetitia audivimus saepe in aula conciliari multa, et optime dicta, de debito missionali in Ecclesia universali, tum episcoporum tum fidelium.

Potius timor noster est ut haec tam alta et tam pulchra, in multis, ad praxim non deducantur, sed tantum maneant ut considerationes spirituales pro animabus piis.

Utique, non est parum si pietas fit magis missionaria in fidelibus et orationes et sacrificia animarum promoventur, sed est etiam omnino procurandum et vias adaperire et vehicula apponere, quibus inter episcopos illorumque dioeceses et missiones habitudines regulentur, ut fiat communicatio et personarum et bonorum ad munus missionale omnium concrete adimplendum.

Proinde quaestiones de episcopo missionario relate ad haec, scilicet: de ipsius iuribus et obligationibus, de modo procedendi atque etiam de relationibus dioecesium — episcoporum et fidelium — cum eo, opportune in schemate, videntur esse tractandae.

B) *De Consilio Centrali Evangelizationis.* Nec dicatur Consilium Centrale, quod proponitur, de hoc de quo nuper dixi, satis providere, nam in schemate de ipsius natura, fine et muneribus, adeo in abstracto et in genere agitur, ut vix eius momentum enucleetur. Istud Consilium Centrale, eritne quasi pons qui communicet episcopos et dioeceses cum Ordinariis missionum? Aut erit potius medium inter Summum Pontificem et missiones? Quomodo se habebit respectu ad S. C. de Propaganda Fide? Erit, tandem, eius officium executivum vel mere consultivum ad iudicium proponendum, habita ratione informationum? Ecce quaestiones circa quas nullum responsum invenimus.

Quamvis schema non sit locus aptus ad redigendum et proponendum accuratum regulamentum istius organi, tamen, de his non tam leviter, mea humili sententia, esset loquendum.

C) *De missionariis laicis.* Praeterea, cum agatur de activitate missionali,

quamvis tam breviter hoc fiat, nequit silere Concilium illas tam validas collaborationes missionariorum laicorum. Spiritus Sanctus excitat in Ecclesia motus laicorum pro diffusione Regni Dei. Ex Belgio, Gallia, Hispania, Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Canada, et ex aliis nationibus, semper numerosiores missionarii laici perveniunt, qui vitam suam Deo in missionibus consecrant, ac, mediante exercitio professionali, quamplurima bona Ecclesiae praestant.

Parcite mihi, Patres venerabiles, si ex toto corde, gratissimum erga cooperatores laicos mei vicariatus libenter coram Concilio me profitear. Sunt etenim plus quam septuaginta, inter quos medici, magistrae, infirmariae, mechanici, operarii, etc., inveniuntur. Illi sunt soluti vel coniugati, qui pro tempore vel ad vitam, ad servitium missionis se devoverunt. Ex eis, quinquaginta sunt peruviani, alii, ex aliis populis procedunt.

Magnopere utile erit promovere hanc formam apostolatus, sicut fit ab opere illo optimo episcopatus Americae Septemtrionalis, « Voluntariis Papae » dicto. Hoc opus non tantum mittit operarios laicos, spiritualiter et technice praeparatos, in messem missionum, sed etiam pecuniam illis dat pro labore. Praeterea, omnes cognoscimus magnum ac laudabile instrumentum missionale caritatis episcopatus Germanicae nationis, « Misereor » nuncupatum, cui etiam libenter, me debitorem profiteor. Ista sunt, inter alia, exempla imitanda pro adimplenda obligatione missionali.

Nam circa istos missionarios laicos, gravia problemata urgent: eorum formatio, eorum et suae familiae sustentatio et, praesertim, educatio filiorum. Ecclesia nequit ista ignorare vel negligere, sine magno detrimento missionum.

Nomine omnium laicorum, qui tantos labores ac tanta merita pro causa Christi ubique afferunt, humiliter peto ut schema verbum dicat quod eos stimulet, vocationes foveat et adiumenta oeconomica et materialia suscitet pro ipsorum sustentatione et multiplicatione.

En, Patres venerabiles, magna aperta via ad munus missionale episcoporum. Propterea humillime audeo hoc votum commissioni proponere. In par. 13 textus emendati, loco de catechistis, agi debet, de missionariis laicis: quia tunc et catechistas comprehendit, et etiam curat de propagatione, efformatione et sustentatione laicorum apostolorum in missionibus.

Et si Centrum aut Opus Missionale Pontificium S. Pauli creatur, ut in votis est, etiam peto ut ad missionarios laicos sese extendat, incipiendo cum sectione speciali pro munere catechizationis rite peragendo.

D) *De formatione praeconum.* Ad n. 12, qui de formatione praeconum Evangelii tractat, quamdam animadversionem mihi liceat proponere. Videtur gravi omissione laborare cum nihil dicatur de formatione supernaturali et religiosa futuri missionarii. Si adest specialis ratio ad sublineandam eius formationem technicam, psychologicam et culturalem, a fortiori affirmandum est momentum spiritualis et evangelicae institutionis, ita ut alumnus qui sese ad missionarium praeparat tantis virtutibus exornetur, ut ad vexillum Christi in gentes strenue portandum dispositus semper sit atque paratus.

E) *De Oecumenismo.* Altera animadversio est ad n. 10, de Oecumenismo et collaboratione cum non-christianis.

Si unum ex fundamentis pro oecumenismo et libertate religiosa est, iuxta schema, aetas matura hominis actualis et eius hodierna cultura, videtur quod prae oculis haberi debeat ad haec principia applicanda status mentalis et psychologicus populorum. Iamvero pro his hominibus primitivis qui adhuc in vera infantia humana sistunt, sicut non paucae tribus mei vicariatus, evidenter hae generales normae applicari non possunt, et proinde Ordinarii loci vel conferentiae episcopalis iudicio et prudentiae relinquendum est exercitium et applicatio oecumenismi. Et hoc pro missionibus expresse in schemate affirmari oportet.

F) *De reassumptione vocis « Missionarius » in schemate.* Denique, Patres venerabiles, liceat mihi ex corde exprimere dolorem propter visibilem curam in textu schematis verbi « Missionarius » vitandi. Nescio si in aliquo loco eius usus inconvenientia afferre potest. Ast in documento conciliari Ecclesiae videtur retinendum esse. In Sacra Scriptura enim satis nititur, traditionali in Ecclesia usu est consecratum et in sua significatione omnibus manifestum. Pro nobis autem, et magni honoris titulus.

Concludo: Si schema est retinendum, humiliter propono, sequentia in eo consideranda:

1. Munus missionale et modus illud adimplendi necnon auctoritas episcoporum totius mundi in missiones clare determinentur.
2. Auctoritas Ordinarii loci, sive in proprio territorio, sive relate ad alios episcopos et ad opera cooperationis missionalis accurate definiatur, habita ratione collegialitatis.
3. Oportet ut melius definiantur munera, facultates ac fines Consilii Centralis Evangelizationis.
4. Fiat verbum de missionariis laicis, laudando opera, vocationes commendando ac providendo pro eorum institutione et sustentatione et ita mutetur textus ut ea quae de catechistis dicuntur de omnibus missionariis laicis dicantur.
5. Ubi de oecumenismo in schemate agitur, addantur haec vel similia: « iuxta prudentiam Ordinarii loci ».
6. Dicatur verbum de spirituali formatione adspirantium ad Missiones.
7. Verbum traditionale « Missionarius » in textu reassumatur.

4

Exc.mus P. D. DOMINICUS ROMUALDUS BASILIUS ATHAIDE
Archiepiscopus Agraënsis

Non videtur dubium, quominus plurimi individui religiosi et individuae religiosae reapse parentur ad impensius collaborandum in operibus apostolatus, praesertim in missionibus.

Non raro autem, tali cooperationi et collaborationi obstat quaedam apathia aut indocilitas *ipsius regiminis religiosi,* propter timorem abusuum ex tali collaboratione, vitae stricte religiosae sodalium forsitan imminentium.

Quapropter enixe insistere audemus, ut obligatio collaborationis desideratae ad apostolatus opera, praeprimis obvia fiat superioribus, atque iis specialiter imponatur officium eam non impediendi, sed, e contra, active promovendi.

Quod maxime valet pro locis missionum, ubi, propter penuriam religiosarum ex una parte, et magnam aestimationem qua generaliter gaudent apud indigenas ex altera parte, omnino necessarium est, ut religiosae ex officio instructioni puerorum et puellarum in scholis addictae, extra horas scholasticas quoque sese devoveant certis apostolatus religiosi et socialis operibus, in favorem incolarum, auxilio earum vere egentium.

In quibusdam Congregationibus religiosis femineis speciatim missionum saltem Indiae, *ritus vestitionis* adeo solemnis est et ex parte parentum adeo dispendiosus, ut quaedam novitiae, durante novitiatus anno defectum verae vocationis religiosae expertae, post talem et tantam pompam publicam in die vestitionis factam, erubescant derelinquere vitam religiosam.

Ad quod praecavendum, atque insimul ad demonstrandum vestitionem ex ipsissima sua natura non constituere veram et definitivam consecrationem religiosam, sed meri experimenti initium, enixe insistitur ut ritus vestitionis valde sobrius sit et a qualibet pompa publica alienus.

Quod attinet vero ad *ritum professionis,* solemnitas sobria, de qua in constitutione de S. Liturgia, n. 80, vehementer optatur ut reservetur soli professioni perpetuae, et ut induat characterem gaudiosum, potiusquam severum ac plus minusve exsequiis aequiparatum.

5

Exc.mus P. D. IOSEPH ATTIPETTY
Archiepiscopus Verapolitanus

Prooemium: Placet iuxta modum. In par. 2, desideratur maior claritas in exprimendis factis modernis quae activitati missionali novas dimensiones dant.

In par. 2, descriptio regionum ad quas principia referentur non est completa. Desideratur descriptio regionis vel dioecesium in quibus Ecclesia iam est implantata et potest sustinere essentiales institutiones, sed quae remanent cum responsabilitate missionali maxima, ex facto quod maior pars incolarum regionis non sunt christiani. Unde in lin. 27, potest addi: « ... vel in quibus, propter ingentem numerum hominum Christum non agnoscentium et in eodem territorio degentium munus missionale ut primordiale habere debent.

N. 1. Placet iuxta modum. Expressiones finales paragraphi non sunt

praecisae et confusionem originare possunt. Si schema quaestionem difficilem circa modum quo non-christiani salvari possunt, vult evitare, dicatur simpliciter: « Etsi ergo Ecclesia semper tenuerit homines qui Christum inculpabiliter ignorant, salvari posse — nemo enim damnatur sine culpa —; nihilominus Dei voluntas est eos per illam Fidem et Sacramenta iustificari et salvari, ac proinde evangelizatio, usquedum homines sunt qui Christum non agnoscunt, integrum momentum servat ».

Expressio quo « evangelizatio *etiam hodie* servat » evitanda est.

N. 2. Placet iuxta modum. Paragraphus *b*) aliquomodo remanet obscurus circa naturam « Conferentiarum superiorum religiosorum... » et normas ad determinandas relationes inter Ordinarios loci et superiores religiosos.

N. 3. Placet iuxta modum. In lin. 35, pag. 8, verba *haec stadia* mutentur in *sequentia quasi stadia*: stadia enim indicat quasi diversam phasem in evangelizatione; iam vero, non semper illa stadia quae praeponuntur existunt in re.

In lin. 7, pag. 9, verba « Animis ad suscipiendum verbum dispositis », supprimantur, vel mutentur in expressionem « Evangelii praecones, omni opportunitate alacri animo utentes, Deum vivum et Iesum Christum praedicent ut homines... ». Expressio, ut sonat, ansam praeberet ad limitandum praedicationem Evangelii illis tantum qui apparent dispositi ad suscipiendum verbum Dei.

Nn. 4-9. Placet.

N. 10. Placet iuxta modum. Expressio in enuntiatione paragraphi et in lin. 30, pag. 11 « culturae christianae » non concordat cum toto contextu, in quo agitur de « cultura uniuscuiusque gentis et *religionis* christianae ». Quo sensu intelligitur « cultura christiana »? In hodierna expressione vel usu vocabuli « cultura », talis expressio « cultura christiana » potest ansam dare non-christianis ad affirmandum quod evangelizatio est diffusio culturae alienae diversae a propria. Melius est evitare expressionem et indicare quod principia religionis christianae adiuvant ad elevandam culturam diversorum populorum.

Nn. 11-13. Placet.

6

Exc.mus P. D. MICHAEL AURRECOECHEA PALACIO

Episcopus tit. Dolichenus, vic. ap. Machiquesensis

Cambiar el vocablo « Vicariato Apostolico » « Vicario Apostolico ». Razones:

1. Los Gobiernos de varias naciones no simpatizan con dicha nomenclatura, por considerar que colocan a la Nación en un plano de inferioridad cultural; ya que Vicariato Apostolico supone, en su criterio, que la gente que lo integra está en un estado de inferioridad cultural.

2. En muchos Vicariatos Apostolicos hay una parte territorial habitada por personas cultas y ricas, pueblos y ciudades que en nada desmerecen de

los pueblos y ciudades del resto de la Nación. Esas personas y ciudades se consideran humilladas al pertenecer a un Vicariato Apostolico que, en su concepto, evoca la idea de que se les considera como indios sin cultura y sin fe. Por esta razón ven con disgusto que se les incluya dentro de los limites de un Vicariato Apostolico.

Por qué no llamar Diócesis en vez de Vicariato Apostolico, claro está que siguiendo bajo de la dependencia de Propaganda Fide?

Dejo a la consideración de esa Comisión el estudio de este asunto que considero de alguna importancia y utilidad para las Misiones.

7

Exc.mus P. D. ATTILIUS CONSTANTINUS M. BARNESCHI

Episcopus Manziniensis

Defendere vellem Ecclesias novellas defraudatas a Codice Iuris per quorumdam officiorum creationem ad instar episcopi.

Saepe enim habemus in Ecclesiis novellis episcopum titularem, non residentialem, episcopum alienigenum ut ita dicam; sed saepissime (parcite mihi exc.mi abbates, praelati, vicarii et praefecti apostolici!) sed saepissime, dico, habemus tantummodo dimidiatum episcopum!

Est iniuria pro Ecclesia novella, et, meo iudicio, est iniustitia pro fungentibus ad instar episcopi.

Est iniuria pro Ecclesia novella quae Ecclesia vocari nequit; nam ubi episcopus, ibi Ecclesia; ubi nullus episcopus ergo, nulla Ecclesia!

At sunt abbates qui tantummodo monacos sub se habent; et sunt praelati, vicarii et praefecti apostolici qui fere omnes baptizatos habent in sua circumscriptione: ii omnes, monachi et christiani, suum episcopum non merentur?... Et ipsi suam gloriam habent, ut christiani et ut cives istius terrae (orgoglio di cristiani e di cittadini).

Est tandem iniustitia pro fungentibus ad instar episcopi quia adlaborant saltem ut episcopi, sed saepissime peioribus in condicionibus, et non tantum privantur honore episcopatus, sed praesertim, quod gravissimum videtur, privantur gratia sacramentali!

Haec omnia, forsan, ex falsa idea episcopatus venerunt! Episcopatus est certe nomen dignitatis sed est potissime nomen servitii; ideo, ubi maxima et urgentiora servitia, in missionibus scil., ibi episcopus!

Si missio denique tendit ad erectionem Ecclesiae novellae et si episcopus est fundamentum Ecclesiae, episcopus mittendus est in primis et postea sacerdotes: absurdum est ingentem extruere molem et a fundamento non incipere!

Normae vigentes, ideo, amplius non placent et sunt contradictoriae: nam aliquando plus potest, iterum sit venia verbo, dimidiatus episcopus quam episcopus veri nominis, uti patet v. g., in participatione ad conferentias epi-

scopales ubi ordinarii loci, etsi non consecrati, votum habent deliberativum, dum auxiliares consultivum tantum; abbates et praelati, cum sint ordinarii, possunt vicarium generalem nominare; vicarii apostolici vero, quamvis consecrati, nequeunt.

Conclusio. In nostro schemate exprimatur votum nostrum ut superior ecclesiasticus missionis sit semper charactere episcopali insignitus et habeat titulum illius loci ubi missio suum habet centrum principale. Et a Codice expungantur, semel et pro semper illae sat discussae figurae « dimidiati episcopi ».

8

EXC.MUS P. D. IOSEPH BRANDÃO DE CASTRO
Episcopus Propriensis

Circa prooemium et n. 1. Laudandum est quod schema propositionum *de activitate missionali Ecclesiae* maiorem amplitudinem videatur conferre ideae missionum, quae, auspice Congregatione de Propaganda Fide, peraguntur.

Etenim, in ambitibus catholicis, mos invaluerat considerandi tantummodo labores apostolicos in ditionibus paganis tanquam missiones supradictae Congregationi proprias.

Et usque ad ultimum terrae, in regionibus ubi christiani in minoritate sunt, pervenit influxus, nunquam satis exaltatus, Congregationis de Propaganda Fide, quae, sub ductu virorum, quibus maxima debetur laus, mirabilia fecit et facere pergit pro illis christianis, necnon pro paganis.

Attamen, nationes multae ad fidem conversae, rationibus historicis in spatio et tempore validis, ab influxu illius benemeritae institutionis ablatae sunt, ita ut novis communitatibus, sibi ipsis relictis, omnis per se ipsas facienda essent, licet imparibus ad aggrediendos labores supra earum vires.

Inquisitio sociologica, hoc instituto peracta, forsitan demonstraret, inter causas paucitatis cleri multis in regionibus hanc ponendam esse, ut ita dicam, maiorennitatem religiosam, et bona voluntate quidem, sed ante tempus normale, recognitam.

Episcopi Americae Latinae — ubi hoc plus quam alibi verificatur — laeto animo vident in schemate quaedam principia stabiliri, quae activitatem et cooperationem missionalem Ecclesiae abhinc dirigent.

Ante omnia vero eminent quae in prooemio leguntur, pag. 6, linn. 27-28, ubi agitur de auxiliis praestandis illis dioecesibus, in quibus Ecclesia « sibi non sufficit illas institutiones erigere aut sustinere, sine quibus vita christiana evolvi nequit ».

Et si activitas missionalis eo tendit *ut Ecclesia ubique praesens reddatur et media salutis omnibus pateant* (pag. 8, linn. 4-5), talibus auxiliis utique in illis regionibus indiget, quae, universali consensu, ad tertium mundum

pertinent, etiamsi sub prismate simpliciter religionis *inter nationes magis catholicas inveniantur.*

Tandem, *si per fidem et sacramenta homines iustificantur et salvantur ex voluntate Dei* (lin. 8 eiusdem paginae), cunctis viribus solutionem dare oportet, quoad distributionem cleri, de qua in hac aula conciliari iam multa sufficienter prolata sunt.

Concludo, proponendo quae sequuntur: 1. In futuro, includantur in Congregatione de Propaganda Fide non tantum Praefecturae Apostolicae, Praelaturae Dioecesesque regionum non-christianarum, sed etiam eaedem nationum quidem catholicarum, sed, in nostra aetate astronautica, *ad tertium mundum* pertinentium. At quia in illis regionibus, non omnes circumscriptiones ecclesiasticae in conditionibus angustis versantur, conferentiae episcopalis et Nuntiaturae Apostolicae uniuscuiusque nationis erit informare quasnam includendas esse.

2. Communicatio huius mutationis structurarum in Congregatione de Propaganda Fide fiat a quo de iure omnibus illarum nationum delegationibus apud S. Sedem, ne iudicent esse capitis diminutionem talem inclusionem dioecesium nationum catholicarum in Organismo, usque ad praesentem diem, habito tanquam solummodo nationibus non-catholicis ordinato.

3. Haec inclusio, patet per se, sit temporaria, eo sensu quod statim ac unaquaeque dioecesis capax efficiatur vivendi independenter, locum det aliis supervenientibus.

Gratias plurimas agimus illis Organizationibus S. Sedis, quae in occursum incoeptorum nostrorum principalium veniunt, necnon Organizationibus quae conditae sunt in nationibus evolutis, quarum collaborationem maximi facimus, sed enixe rogamus ut conditio nostra accurato studio subiiciatur. Sic, populi iam diu christiani ab Ecclesia magis adiuvabuntur in actualissimo suae promotionis socialis opere.

[*Subscripserunt etiam*] B. L. Fey, ep. tit. Philadelphia Minor; B. Nolker, ep. Paranaguá; A. Van den Bosch, ep. Matadi; J. Gothard, ep. Añatuya; M. Anglim, prael. null. Coari; A. Ferreira de Macedo, arch. tit. Gangra; A. Demets, ep. tit. Cadossia; M. Chauvin, ep. Fada N'Gourma; J. Tscherrig, ep. tit. Nefeli; J. Cl. Maurer, arch. Sucrensis; J. Eugenius, ep. Caratinga; J. Nic. Grossi, ep. Bom Jesus de Lapa; A. Fragoso, ep. Crateús; Iosephus, arch. Fortaleza; J. Gazza, ep. tit. Circesio; T. Vaquero, ep. São João do Bõa Vista; J. Thurler, ep. tit. Capitoliade; J. Medeiros Leite, ep. Oliveira; A. Barbosa, ep. Campo Grande; W. Teixeira Vieira, ep. tit. Laranda; A. Gonzalez, ep. prael. São Raimundo Nonnato; J. V. Távora, arch. Aracaju; Cl. A. de Andrade, ep. Vitória da Conquista; O. Chaves, arch. Cuiabá; J. Terceiro de Souza, ep. Penedo; Acacius, ep. Palmares; Milton Pereira, aux. Belém do Pará; A. Cirio, ep. Toledo in Brasilia; C. Sipović, ep. tit. Mariamme.

9

REV.MUS P. D. CAROLUS BRAUNSTORFER

Abbas praeses Congr. Cist. Ss. Cordis Iesu

Propositio, quomodo auxilium populis se evolventibus praestandum augeatur et inde activitas missionalis iuvetur.

Disceptando de schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis,* imprimis in n. 23 et 24 et pluries Concilio durante Patres conciliares necessitatem adiumenti populis se evolventibus praestandi ex iustitia et caritate provenientem edixerunt.

Tale auxilium etiam respectu missionis necessarium est et quidem praeveniens et concomitans. Tamen non sufficit, ut terris evolutionis auxilia materialia tantum praebeantur. Curandum quoque est, ipsae suis nisibus agriculturae et industrialisationi fortiter studeant, et in hac re a populis progressis iuventur. Nationes adulescentes iam nituntur, ut iuvenes eorum intelligentes in universitatibus aliarum regionum varias scientias acquirant. Qua in re etiam a guberniis populorum, qui eos suscipiunt, non raro magnae expensae fiunt. Quod auxilium non semper a caritate, sed e deliberationibus politicis et oeconomicis procedit, quae proprium commodum anteponunt. Christianorum harum civitatum est curare, ut caritas praevaleat et hospites non solum litteraria et technica studia absolvant, sed etiam vitam christianorum melius cognoscant, quod — proh dolor — adhuc rarissime evenit. Nunc iam in pluribus urbibus universitatibus ornatis instituta existunt, quibus studiosi exteri materialiter et spiritualiter iuvantur, et commercium amicale inter eos et academicos vere christianos huius terrae colitur. Tales hospites post absolutionem studiorum non solum bene culti in scientiis, sed etiam christianae religioni benevoli in patriam redibunt, quod actioni missionali magno commodo erit.

Meliori ordini sociali extruendo tamen homines bene instructi, qui praeesse possunt, non sufficiunt. Cooperatores quoque numerosissimi necessarii sunt, qui tum diversas artes technicas vitae quotidianae in terris progressis ad quandam perfectionem deductas bene callent cum agriculturam nostris temporibus accommodatam didicerunt. Hac in re campus magnus pro auctoritatibus civilibus et ecclesiasticis patet. Respectu nexus inter auxilium evolutionis praestandum et missionalem activitatem ab Ecclesia ipsa instituta provideri debent, ubi variae scientiae technicae et agricultura addisci possunt, et candidati etiam spiritu christiano imbuantur. Qua in re concrete proponam, ut monasteria in regionibus christianis existentia, cum quibus fundus agrorum sufficiens coniunctus est vel ubi verae officinae adsunt, vel connecti possunt, huic muneri studeant. Non sufficit tamen sola practica instructio in his laboribus, sed etiam scientiae theoreticae acquiri debent. Cursus igitur huius formationis ad plures annos extendendi sunt. Istae scholae non cum institutis, qui in nonnullis terris christianis pro instructione

existunt, ut ad aliquod tempus in terris evolutionis adiutorium in campo descripto praebeant, confundendae sunt. Candidati supra memorati ex terris evolutionis suscipiantur et iam christiani esse debent. Eis sacerdos connationalis praeficiatur. Alumni durante formatione in familiarem cohabitationem cum religiosis admittantur. His praemissis iam se non tamquam advenae et peregrini sentient et spiritu religioso fovebuntur.

Tale institutum Ecclesiae plura bona afferre videtur.

1. Isti iuvenes bene instructi patriae suae in problematibus oeconomicis et socialibus constanti auxilio erunt et certe maiore cum fructu, quam adiutores ad tempus advenientes praebere possunt. Plures concives attingent, qui se ab iis libentius instrui sinent. Quia etiam exemplum vitae christianae sunt, viam evangelio suscipiendo parabunt.

2. Cives terrarum, ubi instituta erecta sunt, praesentia christianorum nationum se evolventium semper monentur omnes christianos inter se coniunctos esse et fortiter appellantur, ut necessitatibus indigentium sufficienter subveniant. Sperandum quoque est vocationes religiosas orituras esse, quibus monasteria aucta novas fundationes in terris missionum inaugurare et laborem religionum stricte missionariarum iuvare possint.

Permittatur mihi ut advertentiam in aliquas communitates religiosas vertam quae secundum meum iudicium tam auxilio evolutionis praestando, quam religioni christianae implantandae magnae utilitatis esse possint. Istae communitates vitam monachorum sicut in prioribus saeculis vitae Benedictinae in usu erat, ducere volunt. Unam tantum classem religiosorum admittunt, sacerdotium primarie non appetunt. Cum Christo per vitam liturgicam et fraternam caritatem uniti perfectioni evangelicae student. Officium divinum lingua populari cantant. Opera manuum suarum vivunt. Si tales communitates in terris evolutionis collocantur, structura sua, imprimis stabilitate loci coacti sunt, ut se conditionibus vitae populi illius accommodent. Caritate fideles et vicinos omnes amplectentur eosque oratione, bonis operibus, exemplo vitae christianae iuvabunt. Quia ipsi victum manibus suis comparant, in variis laboribus et in artibus addiscendis finitimis succurrere poterunt. Non est dubium, quin hoc modo paulatim cum habitatoribus vicinis in ratione vivendi coalescant atque hi peritia in instrumentis diversarum artium adhibendis et in agricultura colenda proficiant. Sic evolutio civilis et fides christiana pari gressu crescent et se invicem iuvabunt.

His religiosis communitatibus valde prodesset, et sodalium animos fortiter incitaret, ut in suo proposito perseverarent, si tamquam veri monachi ab Ecclesia agnoscerentur. Quare in revisione iuris canonici huic rei provideatur. Quia hodie ab Ecclesia magna conamina exspectantur, omnes ad cooperandum parati benigne considerentur. « Messis quidem multa, operarii autem pauci ». Rogemus ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam!

10

Rev.mus P. D. CAIETANUS BRIANI
Superior generalis F.S.C.I.

Placet in schemate *de activitate missionali Ecclesiae* factum quod, cum sensibilitate vere praesentium temporum realitatibus et exigentiis accommodata, totam Ecclesiam in « statu missionis » constitutam esse declaretur.

Hinc quoque dilatatio in sensu missionali ministerii episcoporum residentialium ut fermentum novitatis christianae in ipsorum sollicitudinem pastoralem vivificandam.

1. Attamen praecise ob istam attentionem ad novas dimensiones quae activitati missionali his ultimis temporibus supervenerunt — uti dicitur in pag. 7, linn. 7-8 — extenuari, immo interdum abesse videtur distinctio inter activitatem specifice « pastoralem » et activitatem « missionariam ».

Etenim Ecclesia, prolungatio Christi, missa est ad universitatem gentium. Scil., modo potentiali, praesens est omnibus coetibus ethnico-geographicis; nata est universalis et ideo missionaria. Sed adest realis differentia inter missionem et pastorizationem. *Ista* enim supponit Ecclesiam iam conditam, communitatem ubi vita et sanctitas Christi operentur per hierarchiam nativam, per sibi sufficientem actionem catholicam, per locales structuras religiosorum et religiosarum. *Illa,* e contra, huc tendit ut quod in Ecclesia in potentia est, ad actum transeat, ut quod virtualiter existit, perficiatur per plantationem Ecclesiae localis.

Hoc ergo desideratur in schemate: Clara distinctio inter istas duas diversas modalitates pertingendi ad eandem finalitatem. Scil.: « modus missionarius » qui supponitur a modo « pastorali », per quem Ecclesia particularis crescit in mensuram plenitudinis Christi et se clarius exhibet ut imaginem Ecclesiae universalis.

Hoc quidem theorice. Practice vero distinctionis diserta assertio desideratur, ut quidquid aequivocum adest circa vocationem missionariam, circa Instituta ad missiones specifice ordinata, circa relationem inter plantationem fidei, et praeservationem et incrementum iam susceptae fidei, praecaveatur et dissipetur.

Etenim, si per se valet assertio quod tota Ecclesia in praesenti « in statu missionis » constituta inveniatur, adest tamen *specializatio* ubi spiritus missionarius perfectius et magis complete realizatur. Unde licet loqui de peculiari ipsius finalitate in ambitu sollicitudinis apostolicae, de peculiari methodologia, de distincta vocatione.

Insuper, iuxta Summorum Pontificum constanter amplissima dicta, praeminentia adest operis evangelizationis super opus fidei conservationis. Cui operi missionario character urgentis rei, difficultatis, originalitatis iure meritoque vindicandus est. Fine finaliter quoque impletum non erit Christi praeceptum: « Euntes docete omnes gentes » (*Mt.* 28, 16-20), officium erit

Ecclesiae mysterium salutis a saeculis absconditum in Deo, pandendi, mittendo missionarios, ad hoc praecise ut usque ad ultimum terrae (*Act.* 1-8) omnes homines ad agnitionem veritatis, ad vitam gratiae veniant per praedicationem Evangelii et per communicationem Sacramentorum.

Indoles ergo usus indistincte loquendi de quacumque initiativa apostolica quasi de initiativa missionali ageretur, nihil confert et zelo et actioni missionali, neque activitati pastorizationis.

Verius, peropportunum mihi videtur quod Sacrosancta Synodus *et* in relatione cum schemate de Ecclesia ut immenso sacramento salutis, *et* in relatione cum schemate de institutione illorum qui ad Sacerdotium contendunt, distinctam mentionem faciat de vocatione missionaria; immo eam commendet ut typum et exemplar actuosi ministerii ecclesialis in aedificationem Corporis Christi mystici.

2. In isto contextu idearum et connexive ad finem pastoralem a Sacro Concilio intentum, duo alia veniunt bene perpendenda.

Scil. de Institutis pro missionibus (de quibus tantum perfunctorie in pag. 8, lin. 25 sermo adest), et de Consilio Centrali *apud* S. C. de Propaganda Fide instituendo, sicuti dicitur in pag. 9, lin. 4.

Ad prius punctum quod attinet, desideratur apta et diserta pertractatio et hinc clara legislatio in linea sobrie iam a Pio XII indicata circa relationes, praesertim, inter membra Institutorum et Ordinarios iuvenum Ecclesiarum.

Variae sunt situationes hisce temporibus exortae, vicissitudinibus politicis haud raro connexae, unde Instituta vel detrectantur, vel tolerantur ob fines non praecise apostolicos; vel etiam vocantur, sed interdum nulla habita ratione de difficultatibus quae ex relatione inter missionarios et clerum autochtonum insurgunt. Si porro unum est necessarium, experientiae in casu perpendantur et prudenter regulae donentur ut grex Christi et numero et merito augeatur nullis interpositis moris.

3. Ad alterum punctum autem, quaeritur quid sibi velit illud Consilium Centrale *apud* S. C. de Propaganda Fide.

« Apud » significatne « intra »? extra, supra, infra? Res non patet. Immo obscurior fit si attenditur ad certum quemdam zelum innovationis qui sine sufficienti discretione urget adversus structuras Romanae Curiae.

Mihi videtur quod non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Si quid adest perficiendum, perficiatur; sed sine eversione ordinis iam recepti cuius efficientia et tempestiva providentia apud omnia Instituta missionaria iam diu est in confesso.

Qua de re et quoad relationem inter munus missionale et pastorale et quoad ipsa Instituta vocationis specifice missionalis et quoad reformationem Dicasterii S. C. de Propaganda Fide, optatur ut quod est confusum enodetur, quod est peculiare in vita Corporis Christi mystici lucide commendetur, quod institutum iam fructus fecit, uberiores promat; quin indulgeatur ad cupiditatem novitatum. Sed ut hoc solum intendatur: bonum Ecclesiae, Dei gloria per animarum salutem.

11

EXC.MUS P. D. DOMINICUS LUCAS CAPOZI
Archiepiscopus Taeiuenensis

Paucissimis dicam, velim autem ne nuntius durior vobis fortasse videar.

1. Nos episcopi Evangelio propagando addicti inter gentes magno gaudio maiorique expectatione venimus a finibus terrae ad mensam ditissimam Sacrosancti Concilii, et ecce paucae tantum micae ceciderunt ad satiandam famem nostram.

2. Propositio 5ª placet, sed iuxta modum. Dicitur enim pag. 10, lin. 15: « Valde desiderandum est ut conferentiae episcopales statuant unamquamque dioecesim summam aliquam propriis redditibus proportionatam quotannis ad opus evangelizationis destinare ». Bene, placet, sed iuxta modum. Modus est ut quid melius statuatur. Modus est ut Sacrosanctum Concilium non tantum pia desideria quamvis magna — *valde desiderandum* — non tantum pias exhortationes exprimat; sed potius iubeat commissionem Codicis Iuris Canonici reformandi ut condatur ius in favorem Evangelii propagandi, seu ut condatur lex universalis qua omnia bona ecclesiastica vel ecclesiasticorum sint taxata quolibet anno in favorem Evangelii.

Piae exhortationes, pia desideria ad rem quod attinet etiam in nonnullis aliis schematibus inveniuntur; sed hoc nullum vel parvum effectum habebit nisi condatur lex. Piis desideriis ne unam quidem scholam vel ecclesiam inter gentes erit possibile construere.

Paupertas in nostris dioecesibus est malum chronicum, quod quidem in dies augetur. Si Concilium huic malo meliore quo potest fieri modo remedium non inveniet, quando et quomodo hoc ipsum facere licebit? — Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis nostrae! Verum est: S. C. de Propaganda Fide miracula facere non potest. Sed nos hic in hac alma aula, si volumus, miraculum facere possumus, et omnino faciendum.

Verum est quod Dies Missionaria, quae dicitur, iam statuta est. Sed hoc minime sufficit. Ceterum priusquam a fidelibus nostris adiutorium petamus, ipsi, nos ipsi bonum exemplum dare debemus. Et hoc quidem iustum est. Quare tanta abundantia in aliquibus locis et pro nonnullis operibus, et quare tanta paupertas in aliis? Quare sunt praelati et sacerdotes qui ditescunt sibi et familiae suae, et quare nos tantum inter gentes pondus diei et aestus portare debemus? Quare nos soli vitam et omnem substantiam nostram Evangelio dare debemus?

Sacrosanctum Concilium igitur iubeat ut condatur Lex universalis, quae lex deberet esse talis tenoris: Quaelibet persona ecclesiastica, sive physica sive moralis, sive saecularis sive religiosa, cuiuscumque ritus, quae proprios redditus seu « income » habeat cuiuscumque generis, sub fine cuiuslibet anni teneatur solvere Summo Pontifici mediante proprio Ordinario partem cer-

tam — dicamus tres vel duas partes per centum, utinam quinque! — omnium propriorum reddituum ad Evangelium propagandum.

Et hoc quidem sine ulla exceptione. Sic, ut de personis physicis loquamur, hoc statuatur pro S.R.E. cardinalibus, pro beatissimis Patriarchis, pro Officialibus Curiae Romanae et S. Sedis, pro episcopis, etc. etc. usque ad ultimum clericum. Et pro personis moralibus idem statuatur pro dioecesibus, pro paroeciis, scholis, nosocomiis, etc. etc. Pro Ordinibus, Congregationibus, Institutis, Provinciis, Monasteriis sui iuris, etc.

Et bene notetur: omnia, absolute omnia quae in favorem Evangelii taxata sunt, debent mitti S.mo D. Papae, et nullo modo permittatur ut per se, seu directe, expendatur in favorem Missionum.

Si hoc fiat multa non recte facta evenient de quibus, brevitatis causa hic non loquor.

Venerabiles Patres, si nos ipsi ecclesiastici exemplum bonum dabimus, fideles nostri certissime multo generosiores erunt. *Debet hic apparere vera collegialitas episcoporum et omnium ecclesiasticorum.*

Omnes Ordinarii Evangelio propagando addicti inter gentes, in hac alma aula sedentes, hoc exspectant, hoc volunt, hoc petunt a Sacrosancto Concilio.

12

Exc.mus P. D. VITUS CHANG TSO HUAN
Episcopus tit. Cyanitanus

Titulus schematis *de activitate missionali Ecclesiae* retinendus est propter ipsam sic expressam veritatem. *Ratio* est: si resumeretur, uti ultimis in sessionibus adhuc auditum est desideratum, titulus « De Missionibus », divisa esset reapse Ecclesia: Missio enim unica tantum habetur, qua Filius Dei missus est Salvator mundi, qui eandem missionem Ecclesiae suae commendavit usque ad consummationem saeculi perficiendam. Ad universalem Ecclesiam igitur pertinet ista Missio ecquidem sine ulla discretione ab omnibus christifidelibus fideliter navanda. Si schema nostrum gereret titulum: « De Missionibus », subaudiretur: quaestiones tractantur hoc schemate ad universalem quidem Ecclesiam pertinentes, non tamen eadem gravitate pro tota Ecclesia essentiales aguntur quaestiones. Quod est tamen omnino falsum; quia Ecclesia non esset fundata, si non esset isti missioni destinata! Activitas igitur missionalis Ecclesiae iure merito hic tractatur.

Obligatio missionandi ad omnes christifideles extenditur, cum incrementum Corporis mystici Christi procuretur omnibus membris eiusdem corporis et mandatum Christi Ecclesiae suae relictum, *oves* pascendi ac adducendi, i. e. ovile unum condendi, est et manet unum, ideo non sit dividendum. Unde susceptum munus ab ipsis episcopis eadem activitate tum ovibus pascendis tum ovibus ad unum ovile adducendis fungendum est. Sic Pastor et grex — Ecclesia — sibi commissae missioni studeant ipsi sua activitate.

Nefas est igitur onus tale ipsissime personale quibusdam rationibus missionalibus Institutis vel Ordinibus delegare ita, ut activitas pascendi separetur ab activitate oves adducendo ovile unum conficiendi. Una Ecclesia Christi etiam una activitas pro Ecclesia Christi curandi! Si dividatur activitas Ecclesiae, divisa est etiam vita Ecclesiae. Evidens est veritas proposita. Quaeritur iam veritati propositae satisfaciendi methodus, quae paucis verbis infra declaratur:

In Ecclesia hucusque vigens methodus missionandi inadaequata est muneri Ecclesiae missionali: opus enim missionale totum commissum est Institutis missionalibus, ideo

a) activitas missionalis Ecclesiae non nisi indirecte, i. e. mediantibus tantum missionariis, exercetur, quod ex una parte non satisfacit muneri a Christo Ecclesiae, tum episcopis, tum christifidelibus, imposito; quia activitas talis non est vivida nec vivificans est ex vitalitate Ecclesiae sed tantum quaedam artificialis est vel pro forma; ex altera parte activitas talis missionalis facta est, ut ita dicam, negotionalis, ideo quisque missionarius facile nomine vel titulo missionandi suum quaerat prius deinde Ecclesiae. Sic etiam Ecclesia in missionibus condita, si adhuc « Sponsa Christi » vocari debeat, tum certe tantum « secundarie », revera enim Ecclesia est ibi prius Instituti vel Ordinis, qui eam fundavit.

b) Dictum est supra: methodo ista missionandi non posse Ecclesiam suo muneri missionandi satisfacere; quia activitas missionalis sic non coniungitur cum ipsa vita actuali ac universali tum episcoporum tum fidelium: num satisfacere poterit quis quibusdam precibus et eleemosynis suo a Christo accepto oneri fidem propagandi? Deum, nostrum Patrem caelestem, glorificare, certe adhuc plus a nobis postulat.

Nova methodus est inducenda, ut activitas missionalis Ecclesiae plenius exerceatur. Cum Ecclesia una sit, maneat una, tum in oves pascendo tum in oves ad ovile unum adducendo. Dictum est in schemate praesenti, sub n. 2 « De Evangelii praeconibus » *a*) optime et est principium veritati concordans. Servetur id ad amussim.

Instituta missionaria certe optime hucusque meruerunt; omnis enim effectus in missionibus ipsis inscribendus est. In postero tenentur adhuc vel etiam ferventius collaborare, sed semper Ordinariis locorum subiecti, nulla obstante exemptione. Ab activitate missionali nemo sit exemptus; exempti habentur tantum in monasteriis vel in ipsis domibus Instituti exempti.

« Consilium Centrale Evangelizationis », de quo loquitur in schemate praesenti sub n. 4, debebit novam methodum evangelizandi inducere: Ecclesiam in toto orbe terrarum adaptando vel distribuendo, ita, ut dioeceses omnes territoriorum christianorum metropolitaneas efficiendo; ipsis nempe dioeceses vel territoria adhuc nondum sibi sufficere valentes distribuens. Postea episcopi metropolitani cum ipsis episcopis suffraganeis conferent de rebus agendis. Distributio ista non est difficilis, cum dioeceses tales suffraganeae non exspectent omnem opem sibi necessariam a suis dioecesibus me-

tropolitaneis, sed connectio ista vel coniunctio est vinculum unitatis Ecclesiae in universo mundo. Sic Ecclesia intrinsece vinculo indissolubili unita etiam appareat. Dioecesis in territoriis christianis, si habeat 500 parochias, poterit iam fieri metropolitana quinque dioecesium; 10 enim parochiae cum quadam dioecesi unitae multum poterunt afferre emolumenti activitati missionali tum in ipsa propria dioecesi metropolitana tum in sua suffraganea. Sic viva fit activitas missionalis in tota Ecclesia. In ipsa dioecesi metropolitana stimulatur animus missionandi, datur etiam tum clero tum laicis opportunitas missionandi.

Vocatio sacerdotalis et religiosa certe multiplicabitur, cum possibilitas adsit etiam in terris missionum laborandi sine speciali obligatione cuidam Instituto missionali adhaerendi. Haec restauratio missionandi est omnino opportuna atque necessaria.

Nisi sic agatur, non video, quomodo verificetur veritas Collegii episcopalis, aut quomodo prosperetur activitas missionalis Ecclesiae.

Conclusio: Propositio mea est: « Activitas missionalis Ecclesiae practicanda est ab universa Ecclesia, tum a Collegio episcopali, ipsorum sc. dioeceses colligendo, tum a populo universo christiano, ipsorum christianitates sc. distribuendo, adiutoribus diversis Institutis missionalibus, Ordinarii locorum tamen subiectis ».

13

EXC.MUS P. D. MAURICE CHOQUET

Episcopus tit. Diospolitanus inferior, aux. Capitis Haitiani

Notio iuridica missionis amplificanda est. Regio aliqua non est « regio missionis » propter illa eventa historica, ex quibus Propaganda adducebatur ut curae regionem istam haberet, sed est « regio missionis » eo quod, conspectu pastorali, operarios necessarios non habet ad evangelizationem.

Quae cum ita sint, distributio Propagandae allocationum nummariarum reformari debet.

14

EXC.MUS P. D. VIRGILIUS COPAS

Episcopus tit. Bennefensis, vic. ap. Portus Moresby

In Ecclesia missionaria opus primarium non amplius ad societates missionarias pertinet — uti refertur in schemate *de Ecclesia* — sed ad collegium episcoporum habens ut caput Petrum. Episcopi quidem sunt successores Collegii Apostolici, cui Christus suum ultimum mandatum dedit: « ... euntes ergo docete *omnes* gentes » (*Mt.* 28, 18). Quod munus omnis et singulus episcopus orbis terrarum, collegialitate et schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* approbatis, suam fecit personalem et solemnem responsabilitatem.

Dein ex schemate XIII, *de Ecclesia in mundo huius temporis* totum collegium episcoporum potuit apprehendere quod missionarius vivit in mundo tertio scil. minus-privilegiatorum; sed hic etiam missionarius debet habere possibilitatem confidendi auxilio Ecclesiae in regionibus privilegiatis versantis, ut consilia urgentia implere possit quae ex discussionibus Concilii de schemate XIII emergunt.

Tempus contra Ecclesiam pugnat: hodie solummodo 19% hominum christiani sunt; anno autem 2000, statisticis hodiernis incrementi populationis et conversionum ad religionem christianam iisdem manentibus, numerus ad 9% reducetur.

Regiones missionariae igitur *totius* Ecclesiae responsabilitas sunt, et non tantum coetus limitati et electi hominum qui « Missionarii » nominantur. Nos omnes una Ecclesia sumus sive in Europa, sive in Asia, sive in Oceania degentes. Omnes missionarii bene et recte sperant quod omnis et singulus episcopus populorum privilegiatorum officium suum erga missiones implebit, et quidem cum urgenti generositate.

Quapropter propono ut documentum *de activitate missionali Ecclesiae* (Propositiones) reiciatur, et efficiatur novum et *schema completum* fundatum in documento coniuncto: « Commentarius in schema propositionum de activitate missionali in Ecclesia » (Romae, die 3 aug. 1964) *, cum autem additionibus sequentibus:

Ad n. 20 (cap. IV, pag. 19), « De cooperatione praestanda ab episcopis » addatur hoc prooemium breve: « Factum dolorosum est ut, etiam hodie, propagatio fidei in regionibus missionariis maxime impeditur *a*) ob carentiam ministrorum (vulgo anglice "personnel"): " Messis quidem multa, operarii autem pauci " (*Mt.* 9, 27); sed cf. *Io.* 4, 35-6; *b*) ob carentiam pecuniae: " Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?... Si autem frater et soror nudi sint et indigeant victu cotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini et saturamini; non dederitis autem eis quae necessaria sunt corpori quid proderit? " (*Iac.* 2, 14-7). Cf. etiam Paulum passim et spec. *Rom.* 16, 25-7; *Phil.* 4, 14-7; *1 Cor.* 16, 2 ».

Ad n. 23 (cap. IV, pag. 21), « De cooperatione praestanda ab omnibus fidelibus », sectio specialis addatur quae tractat « de apostolatu laicorum in missionibus », ita ut sequentia includantur: *a*) Episcopi missionarii grato cum animo accipiunt in suis missionis regionibus auxilium ministrorum ("personnel") ex patria provenientium laicorum; *b*) fideles, ad hunc laborem in missionibus praestandum idonei, adhortandi sunt ab episcopis et sacerdotibus patriae ut hunc apostolatum activum in missionibus suscipiant; *c*) hic laicorum apostolatus in missionibus (personaliter in missionibus functus) cum aspirationibus schematis IX, « De apostolatu laicorum » complete congruat.

---

* Cf. pag. 952.

15

EXC.MUS P. D. IACOBUS CORBOY
Episcopus Monzensis

In n. 1 huius schematis, in quo de natura activitatis missionalis agitur, aliqua proponuntur circa iustificationem et fidem, quae necessario emendanda esse videntur. Dicitur enim: « Etsi Ecclesia semper tenuerit homines qui Christum inculpabiliter ignorant salvari posse, si conscientiae dictaminibus oboediant, nihilominus Dei voluntas est eos per fidem et sacramenta iustificari et salvari, ac proinde evangelizationem etiam hodie summum momentum integre servare » (pag. 8, n. 1, linn. 5 s.).

In hac propositione ergo res ita exhibentur ac si fides non semper et ubique ad iustificationem et salutem necessaria esset. Aperte enim distinguuntur et immo aliquatenus invicem opponuntur: ab una parte iustificatio per fidem et ab altera parte possibilitas salutis pro illis qui Christum inculpabiliter ignorantes saltem conscientiae dictaminibus oboediant.

Iamvero, talis modus loquendi est prorsus inadmissibilis. Concilium enim Tridentinum solemniter definivit fidem esse fundamentum et radicem *omnis* iustificationis et sine ipsa *impossibile* esse placere Deo. En verba huius definitionis quae in sess. VI Conc. Tridentini fuerunt approbata: « Cum vero Apostolus dicit iustificari hominem *per fidem* (et gratis) (*Rom.* 3, 22, 24), ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et expressit, ut scil. per fidem ideo iustificari dicamur, quia " fides est humanae salutis initium " (S. FULGENTIUS, *De Fide, ad Petrum,* n. 1) fundamentum et radix omnis iustificationis, *sine qua impossibile est* placere Deo (*Hebr.* 11, 6) et ad filiorum eius consortium pervenire... (DENZ., n. 801) ».

Sed etiam iam paululum antea in hac eadem sess. VI Conc. Tridentinum solemniter definiverat quod sine fide nulli umquam contigit iustificatio (DENZ., n. 799).

Ergo etiam illi qui Christum inculpabiliter ignorantes conscientiae dictaminibus oboediunt, sine fide iustificari et salvari nequaquam possunt. Propositio ergo schematis eatenus in errorem inducit et falsis interpretationibus liberum aditum aperit, quatenus dogma de absoluta necessitate fidei ad salutem silentio praeterit vel immo, infelici modo dicendi, satis aperte enervat.

Simul autem, et quidem ob eundem fundamentalem errorem res enuntiandi, in hac eadem propositione non sufficienter servatur et immo aperte deprimitur doctrina catholica quae statuit: 1) quod sacramentum baptismi (in re vel in voto suscipiendum) est absolute necessarium ad salutem, et 2) quod extra Ecclesiam nulla est salus, hoc est quod Ecclesia est unica arca salutis et quod nemo proinde salvabitur nisi saltem aliquo modo in Ecclesiam ordinetur.

Tandem, historice loquendo, simpliciter falsum est dicere Ecclesiam sem-

per tenuisse « homines qui Christum inculpabiliter ignorant, salvari posse, si conscientia dictaminibus oboediant ». Quamvis enim dogma de necessitate Ecclesiae ad salutem, decursu saeculorum, legitimam evolutionem subierit et nulla oppositio existat inter doctrinam antiquam et doctrinam hodiernam, tamen anachronisticum est formulam utut modernam in schemate proponere ac simul suggerere Ecclesiam hanc formulam semper proposuisse.

Peto ergo ut propositio citata, quae sub tot aspectibus est inexacta, ambigua et in errorem facilius inducens substituatur alia propositione quae doctrinam catholicam plene et adaequate exprimat.

Bene autem notetur, velim, hic non agi tantum de magis recta ac accurata enuntiatione dogmatica et theologica quae sine dubio necessaria est, sed simul hic agi de re eminenter pastorali et practica. Si enim formula actualis servatur, necessitas activitatis missionalis ipsius Ecclesiae valde deprimitur et practice ad necessitatem praecepti reducitur. E contra omnino necessarium est, ut in formali enuntiatione de essentia et de momento activitatis missionalis adducantur, et quidem maxima cum claritate, omnia et singula elementa essentialia quae hanc Ecclesiae activitatem missionalem non tantum iustificent sed eius primordialem necessitatem aperte demonstrent. Iamvero in hoc contextu haud sufficit dicere Ecclesiam ubique terrarum debere esse visibilem et praesentem, sed necessarium est inambiguis verbis affirmare activitatem missionalem ideo esse exercendam, ut omnes homines vitam habeant et abundantius habeant, illam nempe vitam, quae ipsis in Ecclesia et ab Ecclesia communicatur sacramentis et praedicatione aliisque tot mediis supernaturalibus quibus plenam vitam fidei vivere possint ad eorundem salutem et Dei Trini ampliorem glorificationem.

16

Exc.mus P. D. VICTORIUS M. COSTANTINI
Episcopus Suessanus

1. *In prooemio* (pag. 7). Quamvis ultra concedendum quod in nationibus christianis nuncupatis, plurimi homines veri christiani quoad vitam non sunt — quia nonnulli nec forte baptizati sunt, dum non pauci vitam ducunt veluti athei — tamen argumentum, forma saltem clariori, distribui potest.

Nam, confirmata urgente necessitate praedicandi Evangelium non-christianis, qui maiorem partem generis humani constituunt, transitus fiat ad conditiones tristes in qua hodie ut plurimum ipsae regiones catholicae versantur (quamvis omni tempore fuerunt homines non credentes vel non bene viventes in regionibus christianis). Ideo, dum magis urgetur actio missionaria pro regionibus et pro hominibus qui Christum penitus ignorant, *quod primum et veluti maximum mandatum habendum est*, non leviter consideranda est necessitas aptiora media inveniendi in regionibus catholicis vel christianis ut Evangelium in cute non maneat, sed revera spiritus et vita

fiat singulis hominibus et socialibus operibus. Proinde hae duae variae conditiones scindantur ut missionaria instantia clarius in suo genere appareat. In regionibus christianis progressus civilis et moralis, qui ab Evangelio conatum sumpsit, iam fere omnes societatis humanae structuras pervadit, etsi, ut plurimum, homines obliviscantur ex quanam fonte talia bona, nempe iustitiae, pacis, fraternitatis, aptioris distributionis bonorum et similium, derivanda sint. Ideo in regionibus christianis, qui volunt, possunt veritatem cognoscere et fidem facile adipisci viamque salutis ingredi; quod in regionibus non-christianis « sine praedicante » fieri nequit.

2. In n. 1, pag. 7-8. Lingua latina melior reddatur non tantum quoad formam, sed ut conceptus diligentiori modo exponantur.

3. In n. 2, pag. 8, litt. *a*). Aequivocationi verba subesse possunt. Etenim si episcopi munus — generice — habeant ubique terrarum fidem promovendi, non clare videtur quomodo etiam habeant — saltem directe — munus praecones ad quoscumque hominum coetus mittendi et missionem canonicam ubique conferendi. Verba quaedam ergo saltem addantur affirmantia ut coordinate tales activitates assumantur, ne actio missionaria, puta aliquorum pastorum, indiscriminatim exerceatur in iisdem regionibus, quod confusionis et perturbationis causa foret absque dubio. Insuper videtur, ex nostro textu, fidem tantummodo per praedicationem Evangelii promoveri posse; dum et aliis modis, quamvis indirecte, promotioni caveri posse, omnibus compertum est; e. g. per orationes, per collectas, aliaque subsidia quae missionariis suppeditari possunt.

4. In eadem pag. 8, n. 2, litt. *b*). Coordinatio operositatis in dioecesibus ad opus missionarium promovendum evidenter necessarium est. Attamen meminisse oportet normas plures exstitisse a S. C. de Propaganda Fide iamdudum traditas. Tria puncta ergo potius videntur necessario tenenda et affirmanda:

a) In variis regionibus, non multiplicatio conferentiarum episcoporum, religiosorum, religiosarum pro missionaria actione habebatur, sed potius collationes communes episcoporum et religiosorum et religiosarum, ut, sufficienti libertate inceptorum servata, unitas etiam et necessaria coordinatio non desit.

b) Normae — iam in praesenti exstantes — ex parte omnium adamussim serventur, nisi experientia, vel utilitas novas condendas exigat. Ideo si novae normae magni momenti, extra vel contra ius ordinarium, condendae sint, subiiciantur adprobationi S. Sedis (ut dicit textus noster).

Non enim videntur tali adprobatione indigere si sunt normae, collatis consiliis concordatae, quae actionem missionariam promovent et quae nemini iniuriam afferunt.

c) Instituta missionaria utique retineant necessarium impulsum (vulgo: « iniziativa ») propriae actionis, at coordinatio quaedam inceptorum semper habeatur ne, eodem loco et tempore, plures habeantur manifestationes. Quapropter multi facienda est dispositio tradita a S. C. de Propaganda Fide, qua nullum Institutum Missionarium potest pro missionibus eiusdem In-

stituti collectas agere, vel subsidia quoquo modo petere, tempore quo celebratur *Dies Missionaria mundialis,* vel pariter proximis antecedentibus diebus. Propterea apte et in sancta unitate et concordia omnia disponantur, quia *ipsa unitas et concordia* est iam validissima actio missionaria inter homines. Proinde, nec clare, nec utiliter sub littera *c*), plus vel minus repetuntur quae iam in littera *b*) dicta sunt. Normae et conceptus non fragmentaria afferantur ad confusionem procurandam, sed synthetice et complete unica vice, complete proponantur.

5. In n. 3, pag. 8-9. Pulchra sunt quae dicuntur, sed omnino superflua. Quid enim fecerunt per tot saecula missionarii et faciunt usque ad hodiernam diem? An forte missiones nunc prima vice constituuntur in Ecclesia? Nonne pauperibus iuvarunt, ignorantes docuerunt, scholas et nosocomia condiderunt, aegros curaverunt, progressum humanum et socialem, non tantum foverunt, sed creaverunt missionarii catholicae Ecclesiae?

Ergo integer textus n. 3, sub litt. *a*) penitus supprimatur. Etiam quae dicuntur sub litt. *b*) in eadem pag. 9, n. 3; tam evidentia sunt, ut non facile percipiatur ratio qua posita sunt. Plus vel minus idem et de dictis in litt. *c*) eadem pagina, iudicare non dubitamus.

6. E contra valde probanda censentur quae in eadem pag. 9, in n. 4, asseruntur de Consilio Centrali Evangelizationis, quamvis optima ordinatio de hac re in ipsa S. C. de Propaganda Fide, iam inveniatur. Quae ordinatio utique perfici potest.

7. In eadem pag. 9, n. 4, litt. *c*), ubi agitur de « secretariatu peritorum » propositio ultro subscribenda videtur una tantum conditione: « periti, scil., inter missionarios qui revera in missionibus adlaboraverunt, cooptentur, qui ex experientia, multa suggerere possunt; nam secus missionarii tantum theoretici, propositiones abstractas vel inadaequatas non raro darent ».

8. In pag. 10, n. 5, linn. 5-9. Quae affirmantur, non omnino probanda videntur, saltem modo quo res exponuntur; nec ideo omnes affirmationes ab omnibus secure subscribi possunt.

9. Propositiones, consilia et hortamenta, quae habentur (in pagg. 10-12, nn. 7-12) probanda et laudanda sunt. Maximi vero momenti habeatur consilium quod ponitur in pag. 12, n. 13 de Institutis Superioribus fundandis, quod innumera fere bona, operi missionario afferrent.

17

EXC.MUS P. D. ALFREDUS COUDERC
Episcopus Vivariensis

Inter alia omnia quae programma Concilii constituunt, hoc schema videtur esse maximi momenti tam ob amplitudinem problematum quae trahit, quam ob urgentem necessitatem et graves consequentias quae sequerentur ex mora vel negligentia operis missionarii.

Agitur enim de *missione ipsa Ecclesiae,* in sensu latissimo verbi, sc. de salute mundi et de toto opere Christi in terra. Missio Ecclesiae quaenam est secundum voluntatem Dei? Expresse definitur a verbis pluries repetitis a Christo ad apostolos, sive ante mortem, sive post Resurrectionem: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... Euntes docete omnes gentes, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis... Praedicate Evangelium omni creaturae; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ». Unde agitur de Evangelizatione mundi, de evangelizatione omnium populorum et omnium hominum. Agitur de institutione Ecclesiae Christi, quae fiet populus Dei, familia filiorum Dei, Regnum Dei prius in terra, deinde in vita futura. Agitur de vita supernaturali gratiae communicata hominibus, ad acquirendam sanctitatem per unionem cum Christo.

Regnum Dei de quo Christus saepe loquebatur debet prius institui in terra, deinde aperiri in caelo omnibus electis ad proclamandam gloriam Dei. Quam ingens missio adimplenda! Quam longinqua tamen a fine adhuc videtur! Post duo millia annorum laboris missionarii in toto orbe terrarum, vix quarta pars humanitatis iam Evangelium recepit, dum aliae tres partes degunt in paganismo, aut falsis religionibus, sive haeresibus, sive schismatibus, aut diversis erroribus.

Quae distantia inter christianos et non-christianos semper crescit, ob plures causas fere ineluctabiles: ex una parte populationes celeriter multiplicantur propter natalitatem foecundiorem, et remedia efficaciora contra infantium mortalitatem.

Ex altera parte numerus missionariorum et copia subsidiorum valde sunt insufficientes ad evangelizationem promovendam. Etenim cum missionarii adlaborant in agro Christi, diabolus et sui satellites seminant semina mala, sive per errores doctrinales, sive per scandala morum, sive per productiones diversas ad avertendos fideles e via fidei, virtutis et servitii Dei.

Ex quo missionariis incumbit multiplex labor ad evangelizandum, ad defectus corrigendos, ad reducendos errantes, ad sustinendos fragiles, ad sanctificandos omnes.

Unde conclusio harum animadversionum deberet fulcire ad suscitandos multos missionarios in omnibus nationibus et in omnibus classibus populorum et christianorum, ut opus missionum promoveatur ad maximum. Iam Summi Pontifices scripserunt Encyclicas eloquentissimas circa hoc problema, et ultimum saeculum potuit nominari saeculum missionum.

Sed non est satis. De die in diem, missiones appellant operarios in « messem suam »; ex omnibus horizontibus orbis, sicut tempore S. Pauli, voces clamant: « Pastores, transite ad nos in Macedoniam ». Macedoniae paganae indigentia extenditur in omnibus continentibus orbis. Quam responsionem faciet Ecclesia?

Coram apostolatus ingenti campo, qui extenditur usque ad fines terrae, et urgenti necessitate missiones expandendi, Ecclesia tenetur aperire praelium in favorem Regni Dei statuendi, et opera missionaria multiplicare, et spe-

ciatim fovere vocationes, sive sacerdotales, sive religiosas, sive laicas, et erigere earum domus formationis. Ad hoc omnia media sunt adhibenda: prelum, diarii, tabellae, coetus publici et privati, conferentiae, spectacula, etc.

Evangelizatio mundi meretur zelum quam maximum et sacrificia quam maxime generosa, ad instar operum beneficentiae. Christus dixit: « Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? ». Si sanitas et vita hominum merentur sacrificia, quam multo magis mereri debent sanitas animarum et salus aeterna!

18

EXC.MUS P. D. ALBERTUS FRANCISCUS COUSINEAU
Episcopus Capitis Haitiani

In primis, mihi liceat, honorem reddere S. C. de Propaganda Fide propter speciale auxilium datum illis locis qui subsunt suae iurisdictioni et appellantur « loca vel territoria missionum », sed etiam illis territoriis quae etsi non dependeant ab ipsa S. Congregatione, sint vere in necessitatibus etiam gravibus constituta.

Cum episcopo auxiliari archidioecesis Neo-Eboracen., exc.mo D. Fulton Sheen, audeo affirmare territoria missionum non esse semper sicut cogitatur: sunt episcopi, praesides dioecesium, iuridice constituti, qui videntur omnia habere et nihil eis deficere, sed de facto res non ita se habent: desunt subsidia, desunt operarii propter magnitudinem messis, desunt, quod est magni momenti vocationes religiosae et difficultates omnium generum augmentantur quotidie sive ex parte religiosa et morali sive ex parte oeconomica.

S. C. de Propaganda Fide, ex magna caritate missionaria pervasa, sollicitat vero aedificationes urgentiorum necessitatum sicut v. g. constructiones seminariorum, plantationes vocationum necnon catechistarum.

Positio istarum dioecesium non pertinentium ex iure ad S. C. de Propaganda Fide, est independens a voluntate episcoporum et missionariorum qui operam navant illis in locis. Aliquoties hae sunt nationes vel gubernia qui propter exaggeratam eminentiam sui ipsius, noluerunt, vel ad tramitem concordatorum vel tractatuum cum Ecclesia, sese inscribere S. C. de Propaganda Fide.

Istae nationes, his non obstantibus, prope sunt ad territoria missionum: pauci sacerdotes sic dicti indigeni, vel omnino deficientes, vocationes valde paucae, cum difficultatibus illae ad portum ducendae, laici non maturi et consequenter sine spe statum sacerdotalem assequendum et, quod est maximi ponderis, status oeconomicus generalis prope indigentiam et aliqua vice cum extrema miseria pugnans.

Conditio haec reddit vitam perdifficilem non solum missionariis sed etiam episcopis qui, cum non pauco detrimento ministerii sacerdotalis vel episcopalis, debent operam navare ad auxilia quaerenda in exterioribus partibus

terrae sicut e. g. operarii missionarii, vocationes necnon subsidia oeconomica.

Propter hoc et consequenter audeo proponere:

1. Istae nationes quae nullam hierarchiam ecclesiasticam localem habent, vel si habent, presbyteri, religiosi et religiosae sic dicti indigeni non sunt in numero sufficienti ad peragendas necessitates apostolatus, inscribantur apud Archivum (in tabulis) S. C. de Propaganda Fide sicut nationes missionum et habeant necessaria subsidia sicut ceterae nationes vel regiones missionum.

S. C. de Propaganda Fide finem praecipuum habet ad fovendam dilatationem Regni Dei in territoriis indigentibus. Quum haec territoria, de quibus supra dixi, constituantur sicut dioeceses regulares sub dependentia S. C. de Propaganda Fide, iisdem iuribus ac privilegiis utantur oportet sicut aliae nationes vel regiones de Propaganda Fide.

Inscriptio haec potest perfici ex auctoritate *Consilii Centralis Evangelizationis* (de quo consilio agitur in Propositione 4), post debitam commendatitiam sic dictae conferentiae episcopalis, episcoporum in illis territoriis interesse habentium.

2. Firmiter et instanter peto operam catechistarum (Prop. 12) adsimilatam esse activitati apostolorum laicorum organizatorum, ad instar nostrorum seminariorum, et a S. C. de Propaganda Fide consideratam et retentam sicut turmam ad apostolatum missionariorum destinatam, similitudine facta cum futuris diaconibus, sine aliquibus functionibus sacramentalibus.

Per illos et per eorum opera extraordinaria evangelizatio, saepe saepius, multiplicat actionem sacerdotalem et in paroeciis in quibus numerus animarum superior est 10 millium et ad unum tantum presbyterum assignatis, eorum actio evangelica magis magisque splendescit.

Ergo peto quod iis concreditae sint loca: *a*) ad formationem consequendam in domibus catechesis localis et magis aptae ad eorum gradum instructionis; *b*) et si fieri potest, determinatam summam pecuniae destinetur, sicut stipendium, speciali modo tempore maioris activitatis quando e. g. agitur de pueris vel adultis ad primam communionem vel confirmationem parandis.

Hae sunt principalia momenta vel puncta, ordinis practici, quae audeo humiliter diligentiae commissionis missionariae submittere.

19

Rev.mus P. D. ODEMARUS DEGRIJSE
Superior generalis C.I.C.M.

Certo maximas gratias agere oportet Membris Commissionis, quae tanta cum cura schema ita perpolierunt ut in genere exspectationi satisfaciat. Quod in schema spem multorum, praesertim missionariorum, fallet, hoc sine dubio, magna ex parte tribuendum est impossibilitati, ad problemata missionis

quod attinet, votis omnium satisfaciendi; accedit quoque necessitas qua Commissio tenebatur textum multo abbreviatum apparandi.

His dictis, indicare velim quasdam schematis insufficientias et lacunas quae sine magna difficultate suppleri et compleri possint.

Quoad prooemium: lin. 11: loco « valde attenuata est », dicatur: « attenuata est », ut vitetur species adhaesionis uni vel alteri thesi disceptantium utrum notio « missio » in sensu geographico an sociologico accipienda sit. Verum quidem est missionem in sensu *lato* ubique inveniri; certum tamen manet missionem in sensu *stricto* solummodo in regionibus, de quibus in linn. 23-28, haberi. Genuina vocatio missionaria refertur ad notionem geographicam missionis, supponitque aliquem esse paratum proprium populum relinquere, seque aptare linguae et culturae alius terrae, quae fit eius nova patria. Vocatio missionaria supponit specialem spiritualitatem.

N. 2. Dum nos, superiores generales Institutorum missionalium, perlegimus, in schematibus *de Ecclesia, de pastorali episcoporum munere* et *de activitate missionali Ecclesiae,* declarationes quae respiciunt personas de opere missionali responsabiles, anxietate premimur. Iam enim non clare perspicimus quaenam sit nostra positio, quaenam sit nostra missio in Ecclesia. Quaestionem nobis ponimus: Num adhuc sumus necessarii? Adhuc expandere et crescere debemus? Instituta missionalia quae usque ad nostra tempora fere totum pondus operis missionalis portaverunt, a Concilio incertitudini subiecta relinquuntur, praecise eo momento quo, ratione rerum mutationis in terris missionum, multis problematibus premuntur, atque in propria patria numerus vocationum missionalium minuitur diversas ob causas, i. a., ratione *confusionis* mentium quae circa vocationem missionariam orta est.

Instantissime postulamus ut inter *a*) et *b*) inseratur nova paragraphus, in qua declaretur Instituta missionalia fere sola per multa saecula operi missionum incubuisse, eademque in posterum munus suum, quod suppleri nequit, implere debere, atque ipsa esse operis missionum instrumenta normalia (ordinaria), aptata et specialisata, quibus collegium episcoporum sub Summo Pontifice utitur.

Cur episcopi ideam collegialitatis non applicarent Institutis missionalibus, et non considerarent missionarios, praesertim e sua dioecesi oriundos, tamquam *primos missos* ab Ecclesia, a sua dioecesi, a suisque paroeciis? Primum tunc eorum subsidium spirituale et temporale tribuendum esset Institutis missionalibus eorum dioecesis. Quod autem supponit intimiores relationes inter episcopos et Instituta missionalia fovendas esse.

In schemate periculosa *illusio* foveri videtur quod opus missionum fere absolutum est, atque nullibi in textu anxietatis sensus percipitur de sorte 2.000.000.000 infidelium, quorum numerus post pauca decennia crescet usque ad 4.000.000.000, praesertim in Asia. Opus missionum solummodo initium cepit, atque *relative* consideratum, ratione habita incrementi demographici hominum, constanter *retrograditur*. Sola Instituta missionalia possunt, modo

systematico, suscipere opus conversionis infidelium, praesertim in Asia. Eorum virium diminutio calamitas esset Ecclesiae!

N. 2 *c*). Verba: « in operibus communibus... collaborent », vel etiam integra paragraphus excidere possit. Quae collaboratio optanda quidem est, sed difficile est eam efficere, ac aeque difficile est definire quid sit. Agitur hic de particularitate quae in textu tam compacto commode demi potest.

N. 2 *d*). In textu nullibi honor tribuitur missionariis, sacerdotibus, fratribus et sororibus, qui tanta passi sunt et adhuc patiuntur, suae vocationis causa. Nec ullibi appellatur ad mundum christianum ut numerus missionariorum augeatur. Haec lacuna missionarios in toto mundo certo graviter afficiet! Scripta hodierna iam saepius impressionem ingerunt quasi tendatur ad missionem absque missionariis.

Cur tantummodo sermo est de *exemplo* paupertatis missionariorum, et nihil dicitur de aliis eorum multis officiis, primo et praesertim de ipsorum gravi obligatione verbo suo praedicandi Evangelium? Vel tota paragraphus supprimatur.

N. 3 *a*). Post « ... Christi inveniunt », pag. 9, lin. 2, dicendum est cur « ea quaeruntur quae... », v. g. ad instituendum dialogum cum paganis. Vel phrasis: « In patrimonio... Christi inveniunt » transferatur sub n. 2 *b*).

Via prae-evangelizationis, quae hic indicatur, est via normalis et ordinaria in plerisque terris paganis; non tamen in omnibus. Aliquando opus evangelizationis statim incipere potest.

N. 4. Quod *membra* Consilii, S. C. Fidei Propagandae annexi, atque secretariatus peritorum attinet, petimus ut addatur: « qui veram scientiam et experientiam missionalem habent ».

N. 5, linn. 10-11. Quae hic dicuntur, sicut et in schemate *de Ecclesia,* pag. 66, n. 24, linn. 10-11, missionariis anxietatem afferunt. Ob rationes supra allatas rogamus ut episcopi officium suum missionale impleant, imprimis sustinendo Instituta missionalia, et dein tantum, mittendo, per modum supplementi, proprios sacerdotes dioecesanos. Quivis enim cognoscens statum rerum in multis terris missionum per orbem, bene scit activitatem missionalem sacerdotibus dioecesanis extraneis valde difficilem esse, atque semper paucis tantum reservatam iri. Nam, ex una parte, activitas missionalis in terris alienis requirit solidam praeparationem ad acquirendum genuinum spiritum missionalem et methodos technicas operis missionum; ex altera parte, requirit et supponit ut in ipsa terra missionum exsistant organismi (organa) quae sacerdotes extraneos suffulciant, eorum laborem ordinent, et curent ut activitas missionalis continuo procedat. Si haec *efficaciter* perficienda sunt, paulatim gressus fiet ad erectionem novorum institutorum missionalium, cum damno illorum quae nunc iam exsistunt.

Quod si nos, Instituta missionalia, hic timorem quemdam manifestamus, nullomodo significare volumus nos episcopis maximas gratias non agere pro supplente auxilio eorum sacerdotum dioecesanorum.

Obliviscendum non est vocationem missionariam esse vocationem *spe-*

cialem, ut antea in aula Concilii dictum est, eamque praecipue evangelizationem directam intendere: haec autem evangelizatio est maximum problema Ecclesiae missionariae.

N. 6. An hic, sicut et n. 5, non nimis exclusive agitur de officio missionario *personarum,* et non sufficienter de officio missionario *communitatum?* Sicut enim Ecclesia universa missionaria effici debet, ita singulae dioeceses singulaeque paroeciae in communitates missionarias convertendae sunt. Cf. verba Pii XI, a Ioanne XXIII allegata: « La parrocchia che trascura l'azione missionaria, trascura l'opera più cattolica delle cattoliche, la più apostolica delle apostoliche » (Allocutio 26 aprilis 1959: *A.A.S.,* 51, p. 349).

N. 7. Duae animadversiones: Cur hic non dicatur pondus operis missionum usque nunc fere exclusive portatum esse a sodalibus Institutorum perfectionis? Hoc illustrat naturam apostolicam vitae religiosae atque necessitatem exemptionis, sensu stricto vel lato intellectae.

Cur hic sermo non fit de opportunitate et necessitate promovendi vitam religiosam in ipsis terris missionum et vocationes missionales locales? Cur non dicamus terras missionum, quamvis ipsae defectu virium apostolicarum laborent, sua vice operam adhibere debere ut missionarios deputent ad regiones terrasque quae sub respectu spirituali pauperiores sunt? Tunc tantum plene catholicae fient!

N. 7, pag. 11, linn. 1-4. Meo iudicio, haec propositio excidere possit. Quamvis enim quae hic dicuntur, vera sint, aeque tamen verum est religiosos operi missionali aliquando damnum inferre, cum animum et mentem primo vertant ad proprium Institutum, et dein tantum ad Ecclesiam, atque plus aequo propriam spiritualitatem propriasque methodos apostolatus propagent.

N. 8. Haec paragraphus mihi videtur plus aequo inspirari visione « occidentali ». Nostris enim diebus, modo nimis *romantico* sermo fit de missione missionariorum laicorum, quae est negotium perdifficile. Insistendum esset formationi missionariorum laicorum in ipsis terris missionum.

N. 13. An haec instituta superiora non eadem dici possint ac illa de quibus in n. 10?

* * *

Schema ut stat placet iuxta modum pro eis quae continet, non placet vero pro eis quae non continet. Petitur ut iterum eveniat schema proprie dictum et pleno iure.

1. *Quoad prooemium. a*) Omnia elementa, necessaria ad fundamenta biblico-dogmatica doctrinae missionum ponenda, e schemate *de Ecclesia* desumantur. Quicumque doctrinam missionalem Ecclesiae cognoscere desiderat, non schema *de Ecclesia* perscrutabitur. Absque illo fundamento impossibile est synthesim doctrinae missionalis Ecclesiae dare.

b) Ut omnis ambiguitas evitetur, rogatur ut descriptio missionis limitetur in dicta in linn. 26-27 (pag. 7). Rationes theologicae pastoralesque ad affirmandam notionem missionis sensu stricto et traditionali plures sunt;

inter alias haec: distinctio adest inter regiones ubi Ecclesia nondum (vel nuper) plantata est et regiones ubi Ecclesia plene stabilita est vel fuit.

Distinctio realis inter evangelizationem non-christianorum et curam pastoralem apud christianos vel de-christianisatos perspicua est.

Alia est vocatio laborandi apud christianos vel de-christianisatos in propria regione et alia vocatio est apud non-christianos in regione extera. Vocatio missionaria in signo evangelizationis et implantationis Ecclesiae prostat, et supponit promptitudinem relinquendi propriam patriam, sese adaptandi aliae linguae, culturae populoque ac considerandi locum missionis uti secundam patriam. Iste spiritus adaptationis elementum specificum vocationis missionariae est. Vocatio missionaria specialem aliquem spiritum et technicam propriam supponit.

Si arguitur missionem ubique inveniendam esse et ubique missionarium esse possibile sit, clarum est quod vocationes genuinae missionariae in numero imminuentur et quod ad missionem primordialem Ecclesiae nempe ad evangelizationem paganorum, minus respicietur.

Theoria notionis sic dictae « sociologicae » missionis nimis occidentalis est; omnino videtur inventum esse theologorum et sociologorum unius aliusve regionis in Europa.

c) Non clarum est quid sit significatio paragraphus « Progressus scientificus... vitam influunt », linn. 13-15. Videtur vel tollenda vel latius explicanda.

2. Quoad n. 2, pag. 8. *a*) Detur definitio vocationis missionalis: quid est Evangelii praeco?

b) Ponatur inter *a*) et *b*) (ita ut *b*) fiat *c*) ...) nova paragraphus sic sonans: « Instituta missionaria et eorum sodales, sive sacerdotes, sive fratres laici, sive sorores, sive laici, valde laudanda sunt pro opere evangelizationis mundi, cuius pondus ipsa in praeterito fere sola portaverunt, saepe magno cum labore et variis in tribulationibus, non raro usque ad sanguinis effusionem. Etiam pro futuro ista instituta sint instrumenta ordinaria, aptata et specialisata pro evangelizatione mundi, in servitio Summi Pontificis et uniuscuiusque membri collegii episcoporum ei uniti ».

Rationes antea dedi in textu commissioni misso.

Post dicta de responsabilitate missionaria episcoporum in schemate *de Ecclesia,* in schemate *de pastorali munere episcoporum* atque in schemate praesenti, non clarum est: primo quomodo episcopi munus missionale implere possint; secundo, qualis sit status institutorum missionariorum in opere missionali Ecclesiae (quia nullibi determinatur!).

Quivis realitatem operis missionalis cognoscit, scit istud opus maxima ex parte faciendum esse a missionariis proprie dictis, hoc est a membris instituti ad hoc destinati: scit iuvamen sacerdotum dioecesanorum semper supplementarium manere, nisi actio eorum plene organisetur et sic perveniatur ad nova instituta erigenda. Opus missionale supponit praeparationem

specialem, adiectionem (« encadrement ») in missione et continuitatem laboris.

Evangelizatio paganorum, praesertim magnarum religionum in Asia, rogat tantam praeparationem quoad cognitionem linguae, culturae et adaptationis, quod necessarie remaneret opus missionariorum genuinorum et institutorum missionalium. Non-christiani nostro tempore numeri 2.000.000.000 sunt et scopus primarius missionum sunt.

Vi collegialitatis episcopatus, instituta missionalia non tantum Summo Pontifici, sed etiam omni et singulo episcopo tamquam membro collegii inserviunt.

Illa instituta sunt ergo via primaria et normalis pro episcopo ad missiones adiuvandas. Ipsa Ecclesiae particulari dimensionem Ecclesiae universalis dant. Sodales istorum institutorum oriundi ex dioecesi considerandi sunt etiam ut missionarii episcopi.

c) Quod dicitur in n. 2 *d*) et in n. 11 de missionariis, minime sufficiens videtur. Si schema nihil amplius dicit, tunc schema maxima deceptio erit omnibus missionariis in mundo diffusis, quia Concilium laborem eorum, sacrificia, passiones, persecutiones non magni aestimare videtur.

Laus tribuatur missionariis temporis praeteriti, quibus Ecclesiae novellae originem debent; idem missionariis hodierni temporis qui hodie in omnibus regionibus mundi istud opus perdifficile prosequuntur. Non satis est laudem tribuere in quadam relatione quam nec ipsi nec familiae catholicae, ex quibus vocationes missionariae oriuntur, legant.

Detur aliqua brevis synthesis munerum et officiorum principalium missionariorum et haec sunt multo plura quam ea quae hic enumerata sunt.

3. Quoad n. 3, pag. 8. « Schematisatio » operis evangelizationis quae hic datur melius formulari debeat quia in dubium reverti potest. Non valet pro semper et ubique. Possit impressionem facere humanizationem vel actionem socialem dividi posse ab evangelizatione.

4. Quoad n. 4, pag. 9. Non consentio cum dictis de hoc numero exc.mi relatoris in relatione eius pag. 11-12.

In Ecclesia sicut in mundo sese unificanti, habetur duplex aliquis motus complementarius: centralisatio et decentralisatio. Res technica magis magisque mundum in unum vertit; sic etiam nos ad centralisationem pergere debemus in Ecclesia, et hoc etiam valet pro S. C. Propagandae Fidei. Ecce necessitas Consilii Centralis cum secretariatu peritorum! Centralisatio semper progrediens necessaria erit in gubernio supremo Ecclesiae.

Haec tamen centralisatio impossibilis est sine decentralisatione, sine semper maiore participatione et collaboratione episcoporum ex omnibus regionibus orbis terrarum. Hoc non minuet sed amplificabit potestatem Summi Pontificis. Idem pro gubernio S. C. Prop. Fidei. Collegialitas episcoporum mihi videtur donum providentiale Ecclesiae datum, quia necessitas hodierni temporis.

5. Quoad n. 5, pag. 10 (linn. 19-20) et n. 6 (lin. 20). *a*) Hi numeri

peccant « occidentalismo ». Nimis dominatur visio Ecclesiae dantis (Occidens) et Ecclesiae recipientis (missio). Meo sensu hic clare dici oporteat: *ex una parte*: clerus indigena in missionibus est clerus missionarius pariter ac missionarii extranei; primo, quia de facto inserviunt ecclesiae missionariae; secundo, quia reale periculum adest quod sollicitudinem paganorum amittunt et sese nimis definiunt ad communitatem conversorum quae aliquando valde parva est; *ex alia parte*: usque adhuc nullibi dictum est quod Ecclesia novella, ut sit plene catholica et ut daret communitati baptizatorum spiritum Christi, sua vice missionalis sit et mittat, quamvis paupera, missionarios ad alias pauperiores regiones. Mihi videtur dicendum esse in schemate propter rationes sequentes: primo: ut Ecclesiae novellae in quantum possibile est, aequiparentur ecclesiis ex regionibus christianis; secundo: ut Ecclesiae novellae spiritus catholicus detur; et tertio: quia iam nunc, et praesertim in futuro (oportet Concilium attendere futuro!) istae ecclesiae possunt aliis divitias communicare.

b) Solummodo hic numerus loquitur de munere missionali personarum. Aequo modo loquendum esse videtur de munere missionali communitatum. Ecclesia universalis, unaquaeque dioecesis, unaquaeque paroecia fiat missionaria!

6. Quoad n. 7, pag. 10 (linn. 20-21). Hoc in loco loquendum esset de promotione vitae religiosae in terris missionum. Concilium clare docuit quod vita religiosa est pars integrans Ecclesiae. Uti factum habetur, quod in missionibus non raro vitae religiosae in praeterito tempore et hodie obstacula ponuntur.

7. Quoad n. 8, pag. 11. Secundum experientiam meam in hac re dicerem: valde insistendum est in debito missionali omnium baptizatorum, tam in missionibus quam in regionibus christianis: omnis conversus fiat convertor: hoc est fundamentale; caute loquendum est de missionariis laicis extraneis qui proficiscuntur in missiones: nullo autem romantismo indulgendum est hac in re. Est vocatio difficillima, et abusus, saepe valde tristes, hac in re abundant. Mittantur praesertim specialistae et homines vere selecti. Optimum est si sunt membra alicuius instituti vel organisationis.

Emphasis ponenda sit non in laicatu extraneo, sed in laicatu locali. Omnis cura possibilis impendenda est ut in ipsis missionibus laicatus adultus, ad omnia munera idoneus, formetur. Generaliter melius esset media financiaria impensa formationi et sustentationi missionariorum laicorum extraneorum episcopis missionariis dare ut forment et sustineant illos in loco.

N. 8 non satis loquitur de cooperatione laicorum in ipso opere evangelizationis, sive in missionibus sive in terris christianis.

8. Quoad n. 13 (lin. 22) seu quoad finem. Mihi videtur hoc schema cum annexis laborare aliquo malo profundo et valde periculoso: optimismo nempe falso et triumphalismo. Non sufficit historiam missionum praeteritam et evolutionem ultimi saeculi contemplare. Oportet considerare Ecclesiam missionalem in mundo hodierno et futuro! Concilium non consideret praeteritum

tempus sed tempus futurum! Si tali modo consideratur situatio Ecclesiae in missionibus est res trepidissima.

Ecce status rerum realium: omni die Ecclesia magis magisque incapax fit mandati exsequendi Christi: « Euntes docete omnes gentes... ». Omni die mundus magis nobis fugit et numerus infidelium crescit. Nunc sunt numeri 2.000.000.000 et post pauca decennia erunt 4.000.000.000. Tertia pars humanitatis communismo atheo adhaeret. Ecclesia fit minoritas in mundo. Missiones non sunt triumphus sed clades crescens de die in diem! Labor missionalis vixdum inceptus est.

Si schema istam anxietatem non cognoscit et non Patribus conciliariis communicat, quomodo umquam in tota Ecclesia spiritus profundus missionarius excitabitur? Quomodo vehemens motus missionarius incipiet?

Videtur schema realitatem nolle videre, ita ut remediis necessariis non utatur ad solvenda ista gravia problemata!

Fine finaliter, in conclusione schematis status realis Ecclesiae in mundo hodierno, speciatim in missionibus, synthetice exponi posset et postea solemnis exhortatio dirigi posset episcopis, sacerdotibus, religiosis et laicis, ut in sinu Ecclesiae nova et amplissima actio missionaria excitetur et sic nova Pentecostes pro terris missionum praeparetur.

20

Exc.mus P. D. OSCAR DE OLIVEIRA

Archiepiscopus Marianensis

Multi missionarii Patres ac Sorores ad misericordiam movendam in ordine ad auxilium obtinendum a Nationibus sic dictis evolutis imagines luce impressas seu photographicas alumnorum suorum indigenarum, quandoque recta cum intentione, at saepe numero cum exaggeratione, eorumque materiales miserias in fasciculis (*riviste*) seu ephemeridibus vel libris evulgant.

Quidam missionarii miseros indigenas apud se vocant vel eorum pauperrima tuguria adeunt ut eos (viros et feminas) fere totaliter nudos photographare possint.

Sunt revera nationes, v. g. in America Latina, ubi simul exstant regiones quaedam minus evolutae iuxta multas alias optime evolutas cum pulchris urbibus et florentibus industriis eodem progressus gradu ac aliarum nationum Europae.

Dolendum igitur est quod huiusmodi photographicae imagines negative valde concurrant ad notitiam imminutam, immo et iniustam de talibus nationibus. Exinde conflictus inter civiles potestates et Ecclesiam praevideri possunt, non absque magno detrimento etiam pro activitate missionali Ecclesiae.

Quapropter hoc rogare audemus: in schemate *de activitate missionali Ecclesiae* suadendum erit ut magna cum cautela et prudentia in lucem edantur photographicae imagines personarum indigenarum necnon quarumdam

rerum de terris illis missionalibus, quae ideam diminutam seu etiam iniustam offerre possint de tota illa Natione, etiam ad difficultates praecavendas inter auctoritates civiles locales vel nationales et Ecclesiam.

[*Subscripserunt etiam*] L. Sartori, ep. Santa Maria; J. Costas, ep. Caetité; J. Grassi, ep. Bom Jesus de Lapa; J. Medeiros Leite, ep. Oliveira; B. da Silva Neto, adm. ap. Luz; J. Correa, ep. Caratinga; D. Ribeiro Guedes, ep. São João del Rei.

21

EXC.MUS P. D. IOANNES DE REEPER
Episcopus Kisumuensis

1. Quamvis nonnullae ideae utiles et devotionales proponuntur in schemate propositionum *de activitate missionali Ecclesiae,* miror quod nihil de collegialitate episcoporum in eo dicitur. Liceat mihi ideoque nonnullas ideas proferre sicuti vellemus illam collegialitatis doctrinam in schemate isto incorporaturam iri.

In schemate de collegialitate statuitur omnes episcopos esse responsabiles et quidem collegialiter pro bono communi ac pro regimine Ecclesiae universalis, nobisque omnibus applicatur verbum S. Pauli: « Pro invicem sollicita sint membra; et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra » (*1 Cor.* 12, *25* s.).

Haec lex caritatis debet esse norma pro applicatione et executione principii collegialitatis. Mandatum missionarium datum a Christo apostolis suis: « Ite, docete omnes gentes » datum est collegio apostolorum, quorum successores constituunt collegium episcoporum. Omnibus episcopis igitur incumbit obligatio collaborandi in executione huius mandati Christi. Nonnulli hoc faciunt ipsi per se adeundo missiones; hoc faciunt nomine proprio sed etiam nomine aliorum, qui ad idem collegium apostolicum pertinent. Non omnes patriam relinquere possunt et per se ipsi in missionibus laborare, sed propterea non sunt exempti a debito missionali. Illi qui petunt missiones, etiam nomine aliorum iure meritoque exspectant auxilium aliorum collegarum ex collegio episcoporum, ut adimplere possint munus missionarium universae Ecclesiae impositum.

Collegialitas gravem responsabilitatem et obligationem imponit et episcopi missionarii non sine certa spe in futuro expectant fructus huius desideratae declarationis.

2. *Collegialitas in concreto. a*) Nulla possibilis est activitas missionaria si episcopus non habeat ad suam dispositionem necessarios missionarios. A saec. XV usque ad nostra tempora omnes fere missionarii erant sodales Institutorum missionalium, sive institutorum religiosorum, sive institutorum sine votis. Laudabili modo Instituta Pontificia, v. g. Collegium Urbanum conata sunt formare clerum dioecesanum saecularem; nec licet silentio prae-

terire conatus generosos nonnullorum episcoporum, qui propriis sacerdotibus dederunt licentiam adeundi missiones. Clarum tamen videtur fore ut, etiam in futuro per multos annos adhuc, missiones indigeant auxilio missionariorum Institutorum missionalium. Haec Instituta vero ipsa indigent regulari supplemento candidatorum necnon stabili affluxo mediorum temporalium ad praeparandos et mittendos semper novos missionarios. Collegialitas episcoporum requirit ut haec praeparatio missionariorum consideretur pars essentialis actuositatis dioecesanae; serio quoque studio examinanda est quaestio utrum possibile sit inire aliquod « pactum adoptionis missionum », sive a singulis dioecesibus sive a conferentiis episcoporum.

b) Insuper magni momenti esset si Ordinarii missionum et superiores Institutorum, quae missionarios mittunt in spiritu caritatis et solidarietatis novos contractus collaborationis inirent. Postquam in multis missionibus erecta est hierarchia ordinaria et iam multae dioeceses missionariae habent episcopos ex clero indigena saeculari Instructio S. C. de Propaganda Fide anni 1929 iam non sufficit: Ordinarii missionum ex clero saeculari nullo modo subsunt superioribus Instituti missionarii, quod misit missionarios in ipsorum dioeceses; subiecti non sunt sed saepe adhuc ab Instituto dependent tum pro personis tum pro mediis temporalibus. Requiritur ut mutuo consensu et in spiritu caritatis novae statuantur normae, quae mutuas relationes determinent.

Non raro superior religiosus unum alterumve religiosum missionarium subtrahit a iurisdictione episcopi quin rationem habeat muneris magni momenti quo religiosus in dioecesi fungitur, quin audiat episcopum.

Episcopus est verus superior dioecesis et in eius manu sint oportet omnes, qui servitio dioecesis applicati sunt, quin alii intervenire possint. Mutua consultatio in spiritu verae caritatis cavebit multas ingratas et inutiles contentiones et augebit tum auctoritatem Ordinarii loci tum auctoritatem superioris religiosi.

c) Etiam in procurandis mediis temporalibus collegialitas episcoporum sese manifestare debet. Si collegium episcoporum responsabile est pro tota Ecclesia, dioeceses pauperiores in Ecclesia merito exspectant auxilium ab Ecclesiis ditioribus. Omnibus notum est multos, immo plures episcopos missionarios, vel dimidiam partem temporis perdere in scribendis litteris ad invenienda bona temporalia, necessaria pro operositate dioecesis; coguntur negligere munera pastoralia, pro quibus ordinati sunt.

Grati sumus pro eleemosynis iam acceptis; optime novimus hanc perpetuam mendicationem nos reddere molestos, sed velitis mihi credere, nobis aeque displicet mendicare quam vobis. Desideramus liberari ab hoc onere quam primum; quare petimus ut velitis tollere hanc necessitatem mendicandi: ineundo v. g. « pactum adoptionis », quod complectitur omnes dioeceses totius mundi; creando « centrum », ubi omnes episcopi, qui nesciunt aut non possunt ipsi eleemosynas quaerere, auxilium invenient.

Alius modus collaborationis inter episcopos in missionibus et alios epi-

scopos est in eo ut viri, qui habent experientiam in missionibus sint ad dispositionem episcoporum extra missiones ad condenda opera, quae pro fine habeant colligere eleemosynas apud catholicos singularum dioecesium aut etiam totius territorii conferentiae episcopalis. Prae oculis habeo v. g. actionem quadragesimalem episcoporum Neerlandiae, « Misereor » et alia opera, quae certo alibi quoque existunt, sed quae ignoro.

Dolendum est episcopos missionarios saepe non posse continuare opera necessaria, eosque vexari sollicitudine, quia sibi conscii sunt se non posse dare suis sacerdotibus « honestam sustentationem » ad quam ius habent.

3. *Conclusio.* Etiam propter practicas applicationes et consequentias nos episcopi missionarii laeti et relaxati salutavimus declarationem collegialitatis episcoporum. Nobis vero displicet in schemate propositionum de activitate missionali Ecclesiae hanc declarationem maximi momenti non evolvi. Quare proponimus ut novum schema conficiatur aut saltem ut hoc schema adaptetur et in eo mentio fiat collegialitatis atque indicentur clare consequentiae concretae huius collegialitatis pro missionibus. Magnus numerus votorum, quibuscum declaratio facta est evidenter demonstrat episcopos totius mundi esse paratos non tantum ad acceptandas consequentias dogmaticas, sed etiam practicas collegialitatis.

Nos episcopi missionarii parati sumus ad adimplenda munera nostra in collegio episcoporum et certi sumus alios episcopos, fratres nostros, sincero et generoso modo nobiscum esse collaboraturos. Speramus fore ut sic fiat.

* * *

Supprimatur introductio (pag. 7, linn. 1-31), quia 1) schema ad propositiones reductum non indiget introductione; 2) quae in introductione dicuntur bene, melius iam dicuntur in schemate *de Ecclesia*; 3) ratio allata in introductione linn. 8-13 potius suadet suppressionem totius schematis: quia si non est differentia inter missiones et alias regiones, uti in his lineis dicitur, schema speciale pro missionibus est superfluum.

N. 1 (Necessitas missionum) omittatur: quia 1) non est sententia communis sed tantum opinio nonnullorum missiologorum finem missionis esse « *ut Ecclesia ubique praesens reddatur* »; 2) ut quis salvus fiat non sufficit « *conscientiae dictaminibus oboedire* » sed requiritur fides (*Hebr.* 11, 6).

N. 2 (De Evangelii praeconibus) omittatur: quia 1) pro praedicatione Evangelii infidelibus neque Romanus Pontifex neque episcopus ullus dare potest missionem canonicam quia sunt extra Ecclesiam et Ecclesia erga eos nullam habet iurisdictionem; 2) conferentiae religiosorum nequeunt constitui « praeter » i. e. aequali iurisdictione conferentiis episcoporum; earum obiectum potest tantum esse disciplina religiosa, ad quam observandam iam superior religiosus adest; 3) normae a conferentiis episcopalibus statutae necessario sunt diversae pro variis regionibus et quia status missionis natura sua transitorius est huiusmodi normae non debent transire in ius commune.

N. 3 (Labor missionalis) omittatur: totus numerus *a*) *b*) *c*) *d*) *e*) suppri-

matur quia 1) est tractatus ex libro Missiologia nil novi continet; 2) continet errores: ad *a*) Caritas Christi non debet *monstrari* sed exerceri (p. 9, lin. 2); ad *c*) De Catechumenis in Codice iam fit sermo (p. 9, lin. 14); ad *d*) Non tendendum est ad hierarchiam *propriam* sed « ordinariam » (p. 9, lin. 20); ad *e*) « Ubi Christus plene evangelizari nequit ». Christus non evangelizatur (p. 9, lin. 22).

N. 4 (Consilium Centrale Evangelizationis) omittatur: quia 1) Consilium propositum augeret confusionem et novos crearet conflictus competentiae (brevis experientia Concilii de S. Liturgia hoc luculenter probat!); 2) idem Consilium est superfluum; habetur iam *a*) secretariatus pro christianis, *b*) secretariatus pro non-christianis, c) S. C. de Propaganda Fide; 3) potius desideratur reformatio quaedam Curiae Romanae et S. C. de Propaganda Fide. Eligatur cardinalis Praefectus ratione habita specialis cognitionis rerum missionalium. Membra S. C. non tantum sint cardinales sed etiam nonnulli episcopi residentiales. Membra S. C. quae Romae non resident eadem iura habeant ac cardinales Curiae, si velint per procuratorem exercenda. Consultores frequenter audianter, interdum habeantur conventus consultorum; 4) hoc consilium adhuc magis strictam redderet centralizationem, a qua omnes abhorrent. Episcopi fierent simplices « executores ».

N. 5 (Debitum missionale episcoporum); n. 6 (Debitum missionale sacerdotum); n. 7 (Debitum missionale Inst. Perf.); n. 8 (Debitum missionale laicorum): expedit hos numeros transferre ad alia schemata, quae agunt de episcopis, de sacerdotibus, de religiosis, de laicis: quia sunt obligationes quae ex ipsa natura muneris episcopalis, sacerdotalis, ex statu religioso profluunt. Si vero placet eos retinere in schemate de missionibus, corrigantur ut sequitur:

N. 5 (Debitum missionale episcoporum): 1) fiat distinctio inter episcopos in missionibus et extra eas; 2) obligationes in concreto sunt: *a*) excitando inter fideles spiritum apostolicum et amorem erga missiones; *b*) erigendo et fovendo opera missionalia Pontificia; *c*) admittendo et generose adiuvando Instituta missionalia; *d*) conferendo si casus fert sacerdotibus, qui fractis viribus ex missionibus redeunt aliquod munus; *e*) episcopi ex dioecesibus magis evolutis speciali modo Ecclesias quae adhuc aliquid inchoatum prae se ferunt adoptent in spiritu collegialitatis et adiuvent: monendo seminaristas et iuvenes sacerdotes ut nomen dent Institutis Missionariis; colligendo eleemosynas pro missionibus i. e. si adoptaverint dioecesim missionalem pro illa dioecesi, aut saltem generose cooperando cum Institutis missionariis.

N. 6 (Debitum missionale sacerdotum): *a*) distinctio fiat inter sacerdotes qui curam animarum gerunt (praesertim parochi) et alii; *b*) in concreto indicetur quomodo sacerdotes sive in missionibus sive extra, debitum suum missionale solvere possint.

N. 7 (Debitum missionale Institutorum Perfectionis): *a*) distinguatur: Instituta Perfectionis in genere, Instituta Perfectionis missionalia, Sodales

extra missiones, Sodales in missionibus, praesertim si missio Instituto concredita est; *b*) in concreto pro variis categoriis obligationes indicentur.

N. 8 (Debitum missionale laicorum): *a*) distinguantur variae categoriae laicorum; *b*) in concreto indicetur quid laici facere *debent* ad debitum suum solvendum; quid ultra facere possint.

N. 9 (De Oecumenismo et collaboratione cum non-christianis) supprimatur, quia: *a*) quaestio haec non est specifice missionaria; *b*) hac de re pulchre et clare agit schema decreti *de Oecumenismo* iam approbatum; *c*) de eadem re quoque fuse sermo est in schemate n. 13 *de Ecclesia in mundo hodierno.*

N. 10 (Formatio culturarum christianarum) supprimatur, quia: *a*) Instituta scientifica iam existunt; *b*) fuse de hac re agit schema 13.

N. 13 (Instituta Superiora) supprimatur, quia: *a*) iam tot requiruntur Instituta scientifica, studia, professores, etc., ut vix remaneant sacerdotes, qui curam animarum gerere possint; *b*) paulatim ubique iam eriguntur Instituta scientifica ab aliis, ideo monitio superflua est et a fanaticis abuti potest.

[*Subsignaverunt etiam*] V. McCauley, ep. Fort Portal; E. Butler, ep. Mombasa et Zanzibar; H. van Elswijk, ep. Morogoro; J. Karroum, ep. Hassaké; H. Winkelmolen, praef. ap. Same; W. Dunne, ep. Kitui; C. Davies, praef. ap. Ngong; E. Mchonde, ep. Mahenga; Cl. Chabukasansha, aux. Fort Rosebery; H. Ndungu, ep. Masaka; D. V. Durning, ep. Arusha; J. Ogez, ep. Mbarara; N. Agnozzi, aux. Ndola; J. B. Cesana, ep. Gulu; J. Corboy; E. McGurkin; C. Chitsulo, ep. Dedza; A. Fürstenberg, ep. Abercorn; A. Lactot, ep. Rulenge; G. Nkalanga, aux. Bukoba; J. Houlihan, ep. Eldoret; M. Mihayo, arch. Tabora; J. Komba, ep. tit. Tignica; M. Maradan, ep. Port Victoria; J. Holmes-Siedle, ep. Kigoma; N. Hayes, prael. null. Sicuani; M. Fernandes, ep. Mysore; V. Kennally; O. McCoy, ep. Oyo; L. Nwaezeapu, ep. Warri; J. Field, ep. S. George's Grenada; P. Leclerc, arch. ep. Ségou; Th. Ganguly, aux. Dacca; G. Garavito, ep. tit. Ciparissia; P. Arntz; X. Geeraerts; H. Baaken, ep. tit. Gordo; P. Chevalier, ep. Le Mans; R. Hillerich, praef. ap. Solwezi; G. Legeland, praef. ap.; V. Haelg; E. Spiess; J. Rudin; N. Geise; J. Amissah; D. Athaide; R. D'Mello; E. Kinch; C. Grant, ep. tit. Alinda; N. Verhoeven, ep. Manado; T. van Valenberg, ep. tit. Comba; N. Schneiders, ep. Makassar; A. Coty; M. Daubechies, ep. Kasama; A. Kozlowiecki; C. Kihangire; J. Burke, ep. Simla; B. Coscia, ep. Jatai; Q. Olwell; P. Bartholome; H. Tillemans; F. Broers, ep. Caravelas.

22

Exc.mus P. D. AEMILIUS IOSEPH M. DE SMEDT
Episcopus Brugensis

De dialogo cum non-christianis. Liceat mihi unum elementum afferre pro novo schemate conficiendo « de activitate missionali Ecclesiae ». Non directe agam de ipso opere missionali, sed de problemate cum ipso intime connexo, nempe de dialogo cum non-christianis.

In Litteris Encyclicis *Ecclesiam suam* non tantum dialogus cum christianis non-catholicis sed etiam dialogus cum non-christianis commendatur. Hic dialogus cum non-christianis maximi momenti est in mundo hodierno. Hic enim mundus in dies magis unitatem quaerit et pedetentim efficit. Nonne haec mira et indesinens tendentia ad unitatem aspicienda est in luce arcanae illius actionis qua Spiritus Sanctus operatur ut omnia instaurentur in Christo?

Dialogus iste proin non solum exigitur quadam opportunitate huius temporis sed etiam respondet ardenti desiderio Iesu Christi qui est « expectatio gentium et Salvator earum » (*Ant. ad Magn.* die 23 dec.), spes gloriae (*Col.* 1, 27), omniumque recapitulatio (*Eph.* 1, 10); in eo enim solo, in quo omnia constant (*Col.* 1, 17), nationes gentesque et totum genus humanum suam salutem (*Act.* 4, 12), unitatem et veritatem adipiscuntur, aedificium Ecclesiae spirituale constituentes, in quo homines, Christo mirabiliter in Spiritu incorporati, « lapides vivi » (*1 Pt.* 2, 5) esse possint.

De responsabilitate populi christiani relate ad hunc dialogum. In dialogo cum non-christianis ipse Iesus Christus per nos eos alloquitur. In hoc consistit huius dialogi dignitas sed simul ex hoc provenit nostra altissima responsabilitas.

Christiani omnes, plene conscii suae responsabilitatis et participationis in manifestando Christo per Ecclesiam, totis viribus niti debent bona essentialia hominis promovere, praesertim reverentiam erga personam humanam, iustitiam, amorem fraternum universalem, concordiam, pacem, quae non implentur nisi in Christo et per Christum; praesto sint, affectu et opere, doloribus et angoribus hominum; semper parati sint ad cooperandum cum hominibus bonae voluntatis, quoties de dignitate et vera felicitate humana agitur. Gaudeant quod etiam per homines extra limites Ecclesiae visibilis degentes sed a Spiritu Sancto ductos, viae parantur ad Evangelium.

Tota Ecclesia invitatur ad hunc dialogum: hierarchia et fideles, clerici et laici. Et iuvat insistere in momento privilegiato laicorum in hoc dialogo.

Quia laicis consecratio mundi peculiariter commissa est, ipsi cooperationem oeconomico-socialem populis sese evolventibus liberaliter praebeant; quae cooperatio eo magis laudanda est, quo magis instaurare intendit ea quae structuras fundamentales vitae socialis attingunt. Cum aliis confessionibus christianis, cum religionibus non-christianis necnon cum organismis internationalibus fraterno animo collaborent ut una cum illis evolutionem socialem populorum provehant.

Sane finis dialogi proprius est parare pro populis viam salutis in Christo et per Christum, sed hoc fit suscitando et promovendo apud non-christianos progressum in suis propriis conceptionibus religiosis et moralibus. Fere eo modo quo ipse Deus sensim sine sensu conduxit in V. T. populum electum a vita et conceptione religiosa magis primitiva et imperfecta ad formam magis perfectam ita ut in plenitudine temporum plenitudinem revelationis accipere posset. Ita ex dialogo cum non-christianis oriri debet in istis religio-

nibus fermentatio quo quaecumque bona et honesta in ipsis inveniuntur paulatim crescant et maturescant.

In hoc dialogo non tantopere attendendum est ad divergentias doctrinales. Non directe prosequenda est purificatio dogmatum istarum religionum. Modo positivo est agendum. Attendendus est potius modus quo istae religiones practice vitam sequacium informant. Foveatur et sustentetur purificatio et progressus ipsius vitae religiosae sequacium. Non tam agitur de dialogo « super obiectum » sed de dialogo « cum subiecto ».

Oportet non-christiani invitentur ad « aggiornamento » quoddam religionis propriae et quidem exemplo christianorum qui conantur sincere praesentes esse mundo hodierno dum simul vere fideles remanent nuntio evangelico.

Ex quo sequitur media ad hoc obtinendum non tantum esse ordinis intellectualis sed etiam et praesertim ordinis moralis et practici. Qualia sunt: mutuum auxilium, in variis campis vitae, absque ulla specie paternalismi; cooperatio cum omni conatu sincero vere promovendi hominem; amelioratio condicionum socialium et oeconomicarum ita ut numero quam maximo hominum possibilis reddatur vita vere hominis digna utque tollantur inaequalitates.

De praecipuis qualitatibus huius dialogi. Inter multas et difficiles qualitates quae dialogum ornare debent sequentes notare iuvat: *a*) oportet dialogus sit abstinens ab omni appetito egoistico (désintéressé) non tantum in re politica (quod per se patet) sed etiam cuiusvis generis, etiamsi nobis sanctum sit, ut confidamus omnia Deo, qui potens est omnia in gloriam suam convertere.

b) Dialogus patiens sit: admittamus et amemus homines quales sunt et non quales desideramus eos esse, iterum relinquendo Deo tempus ut eos ad fidem et ad fidem adultam adducat.

c) Dialogus observet libertatem religiosam aliorum. Verus dialogus non vult vincere, non quaerit triumphos. Alter in dialogo non est adversarius. Nullus complexus superioritatis praesit huic commercio, sed sincera et suavis humilitas quae nequaquam est indulgentia vel pusillanimitas. Christianus veniat ad dialogum cum animo quaerendi complementum Veritatis quam detinet, si vere vult quod colloquens cum eo in eadem via progrediatur corde ardenti et animo aperto.

d) Dialogus demum spiret illum amorem sincerum pro hominibus quem invenimus apud Dominum nostrum et cuius exemplum vividum contemplamur in colloquio eius cum muliere illa samaritana.

Conclusio. Concilium ne vereatur invitare omnes christianos ad hunc dialogum. Haec est regia quaedam via ad unitatem hominum in pace.

Ne derelinquamus activitatem missionalem ad quam nos misit Dominus noster. Sed haec activitas potest invenire in dialogo novum augmentum et impetum magnum.

Optandum est ut doctrina de aliis religionibus semper doceatur modo qui dialogo faveat non modo qui dialogo noceat.

« Summi etiam momenti est ut, sub patrocinio S. C. de Propaganda Fide, coetus constituantur peritorum qui studiis circa praecipuas religiones et culturas non-christianas enixe dent operam ». « In superioribus quoque studiorum Institutis periti rerum historicarum et culturalium investigationi populorum ac religionum non-christianarum incumbant, ut mutuae notitiae et benevolentiae vinculis tota familia humana arctius coniungatur ad veram amicitiam, qua veritati et caritati Christi via praeparetur ad corda hominum ».

23

EXC.MUS P. D. LEO DE URIARTE BENGOA
Episcopus tit. Madaurensis, vic. ap. S. Raymundi

In schemate *de Missionibus,* plurima et perpulchra dicuntur de *Missionibus atque etiam de missionariis,* de quibus tamen missionariis qui sunt elementum primarium ac fundamentale missionis, quaedam videntur dicenda ut schema perpolitius fiat. Itaque aliquae animadversiones, quae valde utiles immo necessariae mihi videntur, ex experientia mea valde diuturna in missionibus, mihi facere liceat.

1. Primus omnium missionariorum atque prototypus ac exemplar supremus est Christus, quem Pater misit in mundum ut omnes homines faceret salvos. Et Christus dixit apostolis suis: Sicut misit me Pater et Ego mitto vos. Hinc opus maximum ac permagnificum missionariorum est Ecclesia, quae fuit, quae est et quae futura erit. Nam omnis Ecclesia fundatur a missionario sacerdote, et cum crescit numerus fidelium, fundatur quasi-paroecia ac demum cum quasi-paroeciis fundatur vicariatus apostolicus et postremo dioecesis cum episcopo. Neque dicatur, ut abhinc paucis diebus dictum est, in magno periodico et a quodam perillustri catholico, ad extollenlendum apostolatum laicorum: quod Ecclesia Samariae fundata fuit a laicis anonymis, sicuti Ecclesia de Roma, antequam advenirent apostoli, quia Ecclesia sine sacerdote, sine sacrificio et sine dispensatione mysteriorum Dei, non est proprie et vera Ecclesia Christi. Probabiliter accidit quod accidere solet usque nunc: quod aliquis sacerdos fundavit unaquaeque harum ecclesiarum et postea vocavit apostolos sicuti hodie vocantur episcopi, praesertim ad Confirmationem conferendam ut fideles accipiant Spiritum Sanctum.

2. Missionarius debet portare in suam missionem, prouti non semel commendat missionariis S. C. de Propaganda Fide, et hoc ab antiquo, *fidem et solam fidem,* et nihil amplius, ne insimulari possint missionarii de imperialismo vel de colonialismo quod non raro factum est, iniuste ac calumniose generatim, sed non raro, cum fundamento in re. Ergo missionarius solus absque patre, absque matre, et absque genealogia veluti Melchisedech, corde magno et animo volenti debet totis viribus incumbere evangelizationi missio-

nis sibi commissae: obliviscens suam patriam, suos mores et suos usus, suam linguam si necessarium sit, et discens ab initio omni cura et labore et ut quid imprescindibile, evangelizandorum linguam, ipsos cantus liturgicos, immo ipsos ludos et cetera omnia quae ad fidem non pertinent, quia quamvis missionario sua magis placeant et videantur meliora, et forte sint, sed evangelizatis non ita placent, sed magis sua; et missionarius omnibus omnia fieri debet ut Christo lucrifaciat omnes.

Praecellentia et superioritas non semper certa neque vera, displicet neophytis, multo magis discriminatio quaecumque illa sit, et in propria ipsorum patria, quod odiosius est adhuc; sicuti multum illis arridet ipsismet neophytis quod missionarius sese accommodet modis et usibus gentium quas evangelizat.

3. Missionarius ubique terrarum et inter omnes gentes est in patria sua, est enim « *cosmopolita* » ob mandatum Christi dicentis: Euntes docete omnes gentes. Ideoque divisio missionariorum inter nationales et exteros non placet neque videtur admittenda, quia est quaedam quasi discriminatio. *Missionarius est nomen,* et *catholicus cognomen,* omnis missionarii catholici quin addi debeat: anglicus, germanicus, hispanicus vel americanus, quia sicut non videtur dici debere: Ecclesia catholica gallica, vel Ecclesia hispanica, neque Ecclesia romana, et sic de ceteris quia Ecclesia catholica est *una, unica*; et hic modus loquendi diminutionem *unitatis,* vel saltem aliqualem *ambiguitatem* creat sicuti quando quis loquitur de Ecclesiis Orientalibus. Apostoli nos docuerunt scribentes: « Ecclesiis quae sunt in Asia; Ecclesiae quae est Corinthii; Ecclesiae quae est Romae etc. ». Dicendum ergo videtur: Ecclesiae quae sunt in America, vel quae sunt in Oriente, vel quae sunt in Iberoamerica, etc. Ita etiam sufficere videtur dicere: Missionarius catholicus, qui est hic, vel illuc, vel ubilibet quin addatur, huius vel alterius nationis.

4. Denique elementum praecipuum et essentiale in missionario est spiritus et vita supernaturalis; nam missio est opus supernaturale quod mediis supernaturalibus agi debet. Proindeque anima et vita omnis missionarii est hic spiritus et haec vita supernaturalis qui sunt mensura et quasi thermometrum, ut ita dicam, totius apostolatus qui absque his ad nihilum redigitur. Dantur equidem media praeter traditionalia et extraordinaria, moderna propagandae fidei ut sunt prelum sub diversis formis, ephemerides, cinema, radiotransmissiones, conferentiae, missiones populares per associationes missionariorum, hispanice, per « *equipos* » et alia huiusmodi, sed absque spiritu et vita supernaturali, erimus missionarii ut ait apostolus: « velut aes sonans aut cymbalum tinniens ». Commendanda ergo vel maxime missionariis: oratio diaria, seu meditatio, sacrum sacrificium Missae cum fervore celebratum et Officium divinum devote recitatum, confessio frequens, quae non semper facilis est sed necessaria, lectura spiritualis aliquantisper saltem, praesertim verbi Dei, recitatio pia atque devota et si possibile sit cum populo christiano et quotidie sacratissimi Rosarii B. V. M., atque denique: am-

bulare cum Deo ut perfectus sit, quia ordinarie erit solus, et ait Scriptura: « Vae soli » ideo necesse est cum Deo ambulare, seu in praesentia Dei. Demum missionarius egredi debet a sua missione, saltem semel in unoquoque anno, per aliquos dies vel ad aliam missionem ire ob suam salutem physicam atque moralem: sed praesertim ad facienda singulis annis Exercitia Spiritualia, de quibus habet necessitatem absolutam plusquam ceteri sacerdotes quia maiora pericula atque difficultates habet et minora media atque remedia, quamvis numquam desit divinum auxilium.

Conclusio: *Missionarius* est *miles ignotus Ecclesiae,* cui vitam dedit maximus missionariorum *Christus*... ac exemplar apostolorum qui fuerunt primi missionarii cum ipso Christo Iesu, atque per suos missionarios Summos Pontifices usque in praesentem Summum Pontificem missionarium, et per missionarios ab ipsis missos per saecula, docentes omnes gentes, non cessant evangelizare universum mundum. Ad finiendum ergo, liceat mihi in memoriam revocare illa verba divinitus inspirata: « Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona, dicentium Sion: Regnavit Deus tuus ».

24

Exc.mus P. D. ALBERTUS CONRADUS DE VITO
Episcopus Lucknovensis

Nisi fallor, in animadversionibus seu disceptationibus quae in hac aula conciliari habentur, saepe saepius frustra tempus terimus et opiniones oppositas exprimimus quia generatim non dantur clarae definitiones de re de qua disceptatur. Primo loco status quaestionis clare enunciandus est ac deinde univoce eadem verba cum eiusdem significationibus pro eadem re adhibenda sunt.

Hic defectus notatur quoque in schemate *de activitate missionali Ecclesiae.* Nam non datur ulla clara ac adaequata definitio verbi « Missio et Missionarius ». Prima dolorosa consequentia huius lacunae erunt permultae ambiguitates quae sive in schematis discussione sive in futuro exurgent quando hoc documentum conciliare in praxim applicari debebit.

Proh dolor! Hoc schema erronea nititur opinione quod totus orbis terrarum, regionibus quoque christianis catholicisque inclusis, Missio considerari debeat (pag. 7, linn. 8 ss.).

Si missiones hoc modo intelligi debent, omnes illae regiones ubi Christus nondum cognitus est brevi tempore a missionariis derelictae erunt. Revera iam nunc non raro accidit quod multis in locis sacerdotes immo et episcopi apertis verbis asserunt non amplius possibile vel necesse vel opportunum esse sacerdotes seu missionarios in sic olim dictas « Missiones » mittere, quia in patria quoque urget verus labor vel apostolatus missionarius. Immo dicunt sacerdotes hodie urgentiori modo necessarios esse in patria quam in regionibus non-christianis.

Si haec ambiguitas vel erroneus modus cogitandi, quae plane pontificiis documentis de missionibus adversantur, e medio tollere volumus, quam maxime necesse est ut vox « Missio et Missionarius » inaequivocabili modo definiatur et, licet de sacerdotum necessitate in regionibus quoque quae iam a saeculis catholica fide gloriantur sermo esse possit, tamen apertissimis verbis enuncietur voluntas Concilii circa obligationem sacerdotes seu missionarios mittendi ubi Ecclesia vel nondum constituta est vel aliquid inchoatum prae se fert.

Mihi persuasum est sacerdotum penuriam in regionibus catholicis magis tribuendam esse malae seu inefficaci cleri distributioni quam verae eius penuriae. Haec penuria sacerdotum in apostolatu ex hoc provenit quia plerique eorum officia seu mansiones explicant quae facile, ob eorum peritiam, a laicis, sive viris sive mulieribus, explicari possent; ut v. g. docere in seminariis, documenta transcribere, bibliothecas seu archivia custodire, libros de pecuniae exitu vel introitu adnotare, etc.

Verbum Christi « Euntes in mundum universum... » urgentiori modo hodie quam saeculis anteactis Ecclesiam compellere debet ut maiori copia mittat operarios evangelicos in regionibus non-christianis.

De coordinatione apostolatus (pag. 8-9, nn. 2-4). Cum in missionibus ius commune plene adhuc introduci nequeat, valde necessarium est ut S. Sedes unitati ac coordinationi apostolatus consulat statuta specialia condendo.

Quo autem haec statuta aptiora evadant ad missionum necessitatibus consulendum, has animadversiones proponere velim: 1) Conferentiis episcoporum, sive nationalibus sive regionalibus, interesse deberent superiores maiores Institutorum Religiosorum domus habentium in missionibus, eo ut episcoporum mentem noscant in actione pastorali seu missionali atque possibilitatem quoque habeant suas difficultates manifestandi.

2) Scholae, Instituta s. d. « actionis socialis », opera caritativa cuiusque generis, ita coordinari debent in sua actione ut omnibus missionis necessitatibus satisfaciant, v. g. plures ac optimae scholae seu convictus eriguntur pro divitibus sed fere nulla cura habetur pro pauperibus.

Hic modus agendi quam maxime scandalosus et perniciosus est, si cogitemus quod in missionibus fideles catholici 99% pauperrimae conditionis socialis sunt et hoc nihil aliud significat nisi quod saepe saepius scholae « catholicae » infidelium divitum filiis plenae sunt, sed, proh dolor! nullus locus est « in diversorio » pro catholicis, quia « pauperes » sunt!

3) Condicio seu natura scholarum in missionibus ab Ordinariis locorum determinari deberet. Ordinarii locorum consuli deberent a scholarum Rectoribus in commissionibus formandis, pro textuum selectione, pro designatione summae pecuniae ab alumnis versandae, praecipue praevia adprobatio obtineri deberet in omnibus quae educationem moralem seu religiosam respiciunt, relate ad acatholicorum catholicorum ritibus adsistentiam, precibus in Ecclesia habitis, etc.

Forsitan quis dicat quod iam permultae habentur leges vel canones de

subiecta materia. Etsi hoc verum esset, tamen quotidie accidit quod Ordinarii locorum in missionum territoriis nullam vel vix ullam auctoritatem exercent in scholis a religiosis ductis, ratione tantum adducta quod ab episcoporum iurisdictione exempti sunt.

Ergo quam maxime necesse est ut in novis statutis condendis pro missionibus perclare indicetur scholas etiam atque opera caritatis seu socialia, a Religiosis ducta, sub Orinarii loci iurisdictione constituta esse in iis omnibus de quibus in superioribus paragraphis locuti sumus.

Ad nostram affirmationem roborandam hanc quoque rationem addere volumus. Cum de nova schola vel opera sociali aperienda in missionibus agitur, vel S. Sedes vel Ordinarii locorum aream acquirere debent, aedificia construere, ea omnia suppeditare quae pro incremento necessaria sunt, deinde aliquod Institutum Religiosum vocant eique omnia cedunt ea conditione ut pueri catholici orphani et pauperes hospitalitatem inveniant. Tamen, proh dolor! isti religiosi (fratres et sorores) paulatim totam suam curam impendunt in « fama » scholae augenda et ad hoc in dies taxae pro admissione augentur, cum lacrimosa conclusione quod divites solum eas persolvere possunt et ita accidit quod pro pauperibus et orphanis non sit locus in... diversorio!

Nolumus certe negare quod nostrae scholae pro acatholicorum quoque filiis esse debeant. Ceterum hoc impossibile esset, quia scholae publicae, a gubernio recognitae, omnibus patere debent sine ulla personarum acceptione. Tamen omnino fieri debet ut pueri catholici in admissione semper prioritatem habeant, et hoc sive ipsi divites sive pauperes sint.

Textus emendatus: *Activitas missionalis et cultura* (pag. 21, n. 11). Nemo est qui non videat quanta et qualis sit nostra aetate Ecclesiae Pastorum sollicitudo de fide pietateque in christiano populo per artem ac liturgiam sacram servandis, ita ut sive architectura sive arte figurativa sacris aedibus sacrisque ritibus debita reverentia debitusque honor serventur.

Fatendum tamen est non raro, peculiari quidem modo in missionum territoriis, non deesse qui, novas formas introducentes vel veteres adaptantes, in exaggerationes aberrationesque incidant.

Ut nostras affirmationes probemus, sequentes animadversiones proponere volumus:

1. Etsi Ecclesia ad hoc est catholica ut ubique terrarum domi sit, tamen saepe saepius incauta adaptatio in arte indigena ad nihil aliud tendit quam exaggeratum et perniciosum « nationalismum » fovere. Et hoc certe non prodest catholicitatis seu universalitatis Ecclesiae ostensioni incrementove.

2. Persaepe nimia adaptatio in arte ritibusve infidelibus persuadet Ecclesiam catholicam e suis ipsorum ritibus elementa nova acquirere si superesse velit.

3. Tanquam apertae aberrationes habendae sunt illae adaptationes quibus aedes sacrae gentilium templis omnino assimilantur; Ss. Trinitas cum illa indica divinitate confunditur quae vulgo « Trimurti » appellatur; Chri-

stus hinduistica quaedam reincarnatio evadit; Beata Virgo alicui deae Sanctique idolis comparantur; christiana atque biblica symbola cum quibusdam symbolis, omnino opposita significantibus, conferentur.

4. Relate ad hoc extremum punctum liceat mihi aliqua exempla adducere. Sic v. g. columbae simplicitas exprimitur a « pavone » qui voluptuose pennas suas ostentat ut feminam suam alliciat; lilii puritas mutatur cum candore « loti » qui oritur crescitque in putrioribus foetidioribusque aquis quae in plagis orientalibus inveniuntur; bovis mansuetudo a fera vi elephantis mutuatur; agni innocentia ab animalibus exprimitur quae in hinduisticis ritibus nihil aliud cogitare sinunt quam vitium.

5. Sed maior insania ostenditur in mutatione nominis sacramentorum quo melius ea ab infidelibus conversis intelligantur, sed saepissime assumuntur verba sacramentorum naturam destruentia, ita ut sacramentum non amplius signum sensibile a Christo Domino institutum gratiae collativum appareat, sed solum quaedam actio humana iam in gentilium ritibus existens.

Liceat mihi pro hoc quoque casu aliqua exempla proferre. Sic v. g., si loco vocis « baptismus » adhibentur voces « lotio, ablutio, balneum sacrum », istae nihil aliud inducunt in mentem paganorum nisi illas plurimas ablutiones quas illi iam faciunt, ergo non indigent ad Christum converti quia iam fructum baptismi christiani accipiunt e suis ipsorum ablutionibus.

Vox « eucharistia », si vertitur expressione « participatio fidelium sacrificio victimam edentium », infidelis in nostra S. Communione nihil supernaturale invenit, nam ipse quoque in suis ipsius ritibus hinduisticis, quotiescumque aliquid idolis offertur quod comestibile est, semper sacrificio participat eo sensu quod aliquid ipsius oblationis comedit.

6. Peculiari modo proclivitas creandi nationales seu locales ritus habetur in India, ubi in vernaculum vertuntur, et quidem verbis usitatissimis, res vel dogmata iam a saeculis ab Ecclesia sua terminologia technica et selecta studiose expressa. Hae incautae versiones magnum periculum pro fidei firmitate constituunt. Immo vota quoque non desunt ut theologia indiana constituatur!

7. Rebus sic stantibus, nihil aliud cordi mihi est nisi ut S. Sedes severam vigilantiam exerceat in ritibus catholicis adaptandis sive cum agitur de forma paramentorum, tum de architectura sive de arte figurativa vel cum quaestio proponitur de novis vocibus introducendis in significatione mysteriorum vel doctrinae catholicae dogmatum.

8. Uti conclusio proponere velim quod, etiam relate ad adaptationem in missionibus, adhibeantur eadem criteria quae in Constitutione de S. Liturgia selecta sunt cum actum est de arte, musica et moribus populorum, i. e. superstitiones et errores vitandi sint.

9. Ergo in schemate quoque de missionibus relate ad adaptationem missionalem inserantur quae in constitutione *de Liturgia* inveniuntur in nn. 37, 40, 119, 123, nempe quod, priusquam aliqua mutatio fiat, acta referri debeant ad Sanctam Sedem pro adprobatione.

25

Exc.mus P. D. ROBERTUS DOSSEH ANYRON

Archiepiscopus Lomensis

Quasi omnia dicta sunt de meritis necnon de defectibus schematis nostri de activitate missionali Ecclesiae ita ut iam non sit necessarium haec argumenta in mentem nostram revocare amplius et repetere. Nihilominus mihi liceat aliquid humillime addere. Nisus et labor et conamina competentis commissionis certo certius laude digna sunt neque inania, attamen textus iste proditus in plurimis locis revisendus remanet, immo in tantis locis recognosci deberet ut iam melius sit aliud novum schema conficere. Procul dubio, omnes nos exspectabamus pulcherrimum documentum depromptum ex novissima et quidem scientifica Missiologia, ex experientia Evangelii praeconum necnon ex experientia illa et Iurisprudentia veneranda ter saeculari S. C. de Propaganda Fide, iuxta illud Papae Pii XI voce sua potentissima dicentis missionariis: « Fatemi un apostolato scientifico! ». Res apparet: schema nostrum funditus revisendum esse:

1. Ut ei restituatur afflatus biblico-patristicus pastoralis atque tandem aliquando theologicum sit et dynamicum proponatque oculis omnium visionem novam ac propheticam missionum tractu pari ad evolutionem sociologicam et progressum demographicum hodiernae humanitatis et futurae.

2. Ut magis aptetur sine timore et sine acceptione personarum exigentiis temporum nostrorum aut melius situationi novae missionum.

I) Etenim, schema nostrum unicum est in suo genere: ipsum solum unctione spirituali biblico-patristica caret necnon afflatu pastorali et quidem quando argumentum potissime est pastorale. Dolenda prorsus est reductio argumenti ad frigidas et platonicas propositiones ex qua ratione agendi schema videtur esse iuxtapositio quaedam linea recta principiorum plus minusve independentium ubi triumphat sic dictus « iuridismus » dum ex altera parte argumentum nimia cum cautela videtur explicari quasi vero procederet in caliginoso loco offendiculis insidiisque pleno: unde schema ariditate quadam laborat et ambiguitate. Desideratur potens visio prophetica et dynamica et theologica missionis mediationis salvificae Ecclesiae in historia humanitatis quae historia necessarie ad « *Christogenesim* » reducitur secundum mentem Creatoris. Proponere igitur audeo ut seligatur tamquam contextus et, ut ita dicam, anima vivificans schematis una ex variis imaginibus quibus in Sacra Scriptura et in Traditione Patristica Mysterium Ecclesiae discernitur et cernitur prout constitutio *de Ecclesia* in suo primo capitulo demonstrat.

Clare apparet illa potissima imago maternitatis Ecclesiae, scil. Ecclesia ut *mulier,* virgo et Mater. Inter imagines quibus natura Ecclesiae exprimitur « images significatives de son être même » aut « images révélatrices de l'essence de l'Eglise » ut ait Karl Delahaye post praeclarum Karl Adam, si *Ecclesia-Corpus* exprimit naturam et intimam structuram Ecclesiae, *mulier,*

ut imago Ecclesiae, *virgo et mater,* exprimit naturam ipsam actionis aut activitatis Ecclesiae: activitatis pastoralis et missionalis, in uno verbo, activitatis mediatricis Ecclesiae sacramenti salutis. Ecclesia Virgo sponsa et Mater ut imago indicat Ecclesiam quae curam gerit et sollicitudinem de filiis suis iam gremio suo congregatis et filiis suis adhuc parturiendis sicut ait Psalmus octogesimus sextus: « Et de Sion dicetur: viritim omnes sunt nati in ea et Ipse firmavit eam Excelsus... Omnes fontes mei sunt in Te! ». Unitas foecunda, virginitas foecunda, unitas et foecunditas Ecclesiae Matris, talis est aut debet esse basis, fundamentum nostri schematis tanquam iustificatio activitatis Ecclesiae Universae. Christus qui mandatum dedit Ecclesiae suae ut euntes docerent omnes gentes, fecit Ecclesiam suam suum corpus mysticum habens vim intrinsecam sese dilatandi ubique et generandi filios in unitate fidei et foecunditate propria, ita ut mensura foecunditatis Ecclesiae sit gradus amoris et communionis in Ecclesia. Omne ergo concordi animo et voluntate immo in communione fieri debet in Ecclesia quae tota ex integritate sua incumbit gignere in sinu suo filios Dei, unoquoque membro cooperante loco et virtute propria, videlicet:

a) Hierarchia utpote sacra potestate pollens, praedicandi, sanctificandi et regendi initiativam habet ut instrumentum potissimum gratiae per sacramentorum administrationem sparso verbi semine...

b) Religiosi, fideles omnes, Instituta Missionaria etc. debitum missionale habent implendum, unusquisque secundum mensuram donationis spiritus et secundum metas et rationem propriam essendi in Ecclesia. Omnes ergo membra sunt Ecclesiae-Matris quae totis omniumque viribus membrorum incumbit gignere filios Dei.

Haec est visio biblica et patristica activitatis pastoralis et missionalis Ecclesiae, haec est conclamatio omnium Patrum speciatim Patrum Africanorum et hic debet esse contextus schematis ut ei tribuatur spiritualis unctio ad instar aliorum schematum Concilii nostri.

II) Sub luce huius visionis Biblicae et Patristicae omnia forsan commodius componi possunt:

a) Pro « aggiornamento » Ecclesiae requiritur « aggiornamento » Missionum methodi, spiritus et Institutorum: Missio generationem novellarum ecclesiarum localium intendit in prospectu servitii absque omni paternalismo; quod quidem servitium aptari semper debet momento vitali et historico missionum.

b) Quaestio de « Iure Commissionis » de quo silet omnino schema nostrum explanari oportet et distinguendum accurate ab omni specie « iuris possessionis ».

c) Omnes regiones quae vere et proprie sub nomine missionum censentur, ponantur sub auctoritate solius Congregationis de Propaganda Fide, quae Congregatio perita est in re missionali, et quidem praescindendo ab omni consideratione organisationis aut regiminis alicuius nationis etiam catholicae.

d) Concilium Vaticanum II debet tandem aliquando eximere Ecclesiam ab omni onere imposito a vicissitudinibus historiae nationum occidentalium. Etenim nulla natio etiamsi ipsa se profiteatur catholica ullum ius habet immo habere nequit sibi vindicandi aliquam missionem historicam apostolatus et quidem propriam in mundo: « Le chrétien doit servir l'Eglise et non se servir de l'Eglise »: Nulla natio christiana pati potest, ut unum tantum exemplum afferam, exsilium sacerdotum Africanorum propter quamdam absurdam politicam colonialem desintegrationis et assimilationis subsequentis culturarum indigenarum. Haec omnia affirmari debent in nostro schemate et ita faciendo distinctio inter missionem et colonialismum clariore apparebit in luce.

Venerabiles Patres, Africa omnia haec exspectat a nobis, non solum Africa sed tota Ecclesia dilectissima Christi.

26

Exc.mus P. D. ANDREAS DUPONT
Episcopus Bobodiulassensis

In relatione de activitate missionali Ecclesiae, pag. 12, legitur: « Commissio statuit de distinctione inter missiones et novellas Ecclesias nihil dicere ». Hoc valde mirum est, quia si schema nostrum vult realiter attingere adiuncta hodierna missionum, omnino necessarium est ut reflexio instituatur, tum circa evangelizationem mundi, tum circa novellas Ecclesias. Alii satis dixerunt de evangelizatione universali; mihi fas sit aliquas considerationes facere de his Ecclesiis localibus quae nuper felicem ortum habuerunt in terris missionum et quarum dynamismus christianus saepe mirationem movet christifidelium ex terris antiquitus christianis.

Cur nomen Ecclesia eis denegaretur? Etenim totum mysterium Ecclesiae ibi verificatur. Ecclesia localis praesefert elementum visibile aeque ac mysterium significatum. Ecclesia localis nihil aliud est nisi incarnatio Populi Dei in quodam ambitu sociali et culturali, cui efficaciter praesens est ope ministerii episcopi successoris apostolorum, qualibet sit origine. Incarnatio autem exigit ut adsit quaedam stabilitas et perennitas in hac congregatione locali fidelium; quae perennitas verificatur si, ex una parte, iam numerosae familiae christianae constitutae sunt in quibus vocationes sacerdotales et religiosae florescunt, et ex altera parte, si augmentum sui facit collatis viribus multiformis apostolatus laicorum.

Hic populus, cum suo episcopo, signum est mysterii invisibilis, scil. mysterii Christi, cui participant per fidem et sacramenta. Congregatio divinitus convocata nutritur verbo Dei proclamato et celebratione memorialis Domini, Deumque laudat modo consentaneo sui proprii ingenii.

In Ecclesiis novellis inveniuntur omnes notae essentiales Ecclesiae nempe unitas, sanctitas, catholicitas, apostolicitas.

Ad Ecclesiam localem constituendam, patet quod requiritur aliqua amplitudo in signis manifestatis: quando pater de Foucauld eucharistiam in Tamanras celebrabat, totum mysterium Ecclesiae certe praesens erat; attamen dici nequit Ecclesia localis constituta. Item Ecclesia localiter plantata nondum adest quando primi missionarii primos conversos in Ecclesiam coadunant. E contra invenitur ubi communitas christiana iam aliqua stabilitate fruitur et organice crescit per seipsam. Non tamen requiritur ut sibimetipsi plene sufficiat quoad sacerdotes et opes. Quamvis sit pauper et indigeat subsidiis exteris, tamen ibi tota ratio Ecclesiae invenitur, sicut in Ecclesia sanctorum, de qua loquitur sanctus Paulus, quae, sita Hierosolymis, sustinebatur collectis peractis in Achaia et Macedonia. Item penuria sacerdotum non officit notioni Ecclesiae localis; quis enim negabit dioeceses antiquae christianitatis sed carentia sacerdotum laborantes, ad modum exempli ipsam dioecesim romanam, Ecclesias locales constituere?

Ergo in activitate missionali, in eis quae respiciunt plantationem Ecclesiae, duo stadia distinguenda sunt: 1) stadium primae implantationis Ecclesiae in suis elementis essentialibus; 2) stadium novellae Ecclesiae.

Ad primum stadium quod attinet, si considerantur ingentes coetus hominum, magnas religiones non-christianas profitentes vel atheismum sectantes, apud quos nuntium Evangelii nondum efficaciter penetravit, fatendum est primam implantationem Ecclesiae vix inceptam esse. Unde evangelizatio universalis non consummitur erectione novellarum Ecclesiarum sed reflexione speciali indiget de qua mentio fiat in schemate.

De Ecclesiis novellis, haec prae oculis habeantur: quamvis plantata est in suis elementis essentialibus, novella Ecclesia debet crescere et maturescere, non omissis evangelizationis operibus. Ad optatam maturitatem adipiscendam, auxilianda est intensivo subsidio extero, tum quoad operarios apostolicos, tum quoad subsidia materialia.

Ob rationem pastoralem, optamus igitur ut in schemate distinctio instituatur inter primam evangelizationem et novellas Ecclesias. Partes enim Ecclesiae universalis aliter se habent in prima plantatione Ecclesiae et in Ecclesiis novellis adiuvandis.

In prima periodo, Ecclesia in eo incumbit ut, viribus exteris, nucleus localis constituatur. In novellis autem Ecclesiis, nucleus iam constitutus est; tunc incrementum communitatis christianae procedere debet e vitalitate propria huius nuclei; ideo auxilium exterum novellis ecclesiis datum non propria marte laborat sed fraternam tantum cooperationem praestat iis pastoribus qui divinitus praepositi sunt ut pascerent hanc Ecclesiam. Nemini non fugit consectarium quoad ius commissionis.

Concludo: ad mentem encyclicarum *Fidei donum* et *Princeps pastorum,* schema nostrum debet activitatem missionalem delineare secundum diversa stadia in quibus exercetur, scil. pro implantatione et pro Ecclesiis nuper constitutis.

Haec maximi momenti sunt: 1) ne evangelizatio mundi in oblivionem deducatur, si omnes vires in Ecclesias iam constitutas adiuvandas ferantur; 2) ne auxilium Ecclesiae universalis Ecclesiis novellis praestandum eo modo peragatur quo fiebat in periodo primae implantationis, practice dempta personalitate propria harum ecclesiarum. In hoc sensu, emendationes tradam secretariae.

I. *De plantatione Ecclesiae. De incrementis vitae christianae*: Christifideles, « in doctrina apostolorum et in communione, in fractione panis et in orationibus » perseverent (cf. *Act.* 2, 42). Fidem porro foveant Dei verbum sedulo audientes; cultum actuose participent ad normam constitutionis de sacra Liturgia; in caritate denique ambulent continuo fraternae dilectionis in Christo incremento et fundatione operum caritatis christianae.

Congregentur et coalescant in varios coetus et associationes, quibus communitas christiana et in se firmius consistat et totam societatem humanam spiritu evangelico perfundet. Praesertim familia christiana omnibus viribus promoveatur. Educatio christiana tam in familia quam in scholis diligenter curetur.

Christifideles « neque regione, neque sermone, neque vitae institutis a ceteris hominibus sunt distincti » (ad Diognetum 5). Luceant tamen sicut luminaria in mundo (cf. *Phil.* 2, 15) et vita vere christiana testimonium fidei Christo reddant coram concivibus, ut ex bonis operibus eos considerantes glorificent Patrem qui in caelis est (cf. *1 Pt.* 2, 12) et ad Christum attrahantur. Doctrina et activitate concives ad amorem iustitiae, ad fraternam caritatem, ad rectum ordinem socialem melioremque vitae cultum adiuvent.

Familiae et scholae christianae vocationes sacerdotales et religiosas producent, ex quibus quam plurimi omnis gradus ministri assumantur ad vitam religiosam et sacerdotalem Ecclesiae.

Ut vita christiana in tota plenitudine activitatis apostolicae et contemplationis, quae in nonnullis locis missionum per antiquam traditionem indoli populorum mire respondet, excolatur, status religiosus sedulo promoveatur, sive per instituta aliunde introducenda, sive per nova condenda. Forma vero vitae religiosae condicioni et consuetudinibus loci quantum fieri potest adaptetur.

Communi professione fidei in Deum et Iesum Christum coram gentibus atque cooperatione in re tam sociali et technica quam culturali et religiosa catholici fraterne collaborent cum fratribus seiunctis ad normam constitutionis de oecumenismo, secluso omni spiritu insanae aemulationis.

De adaptatione et de formatione culturae christianae. Ecclesia catholica nullibi extranea est, sed diligenter studet ut fides formatione culturae christianae profundiores in omni populo radices agat ad ornatum totius Ecclesiae.

Normae igitur, quae Summi Pontifices et haec Sancta Synodus de adaptatione statuerunt, in vita et formatione catechetica, liturgica, ascetica, theo-

logica, culturali ab omnibus fidelissime observentur, instituta etiam condentur in quibus periti sacerdotes et laici collatis viribus studia adaptationis sub vigilantia conferentiarum episcoporum provehant.

II. *De novellis Ecclesiis. De hierarchia locali*: Huiusmodi mediis ad vitam Ecclesiae necessariis praeditae communitates christianae suam quaeque hierarchiam localem suosque habeant episcopos, qui successionem apostolorum ita suscipiunt, ut mysterium Christi, quod est Ecclesia, in illa regione totum manifestetur. Plebs enim episcopo adunata Ecclesiam vere repraesentat et vitali Ecclesiae universalis communioni inseritur.

Duce hierarchia locali aedificatio novellarum Ecclesiarum profundiore in dies christiani populi formatione perficiatur ad normas a Concilio Vaticano II de instauranda Ecclesiae vita condendas.

Activitas apostolica ad solos christifideles nequaquam limitetur, sed pars cleri subsidiorumque sat magna ad evangelizationem directam destinetur.

De communione cum Ecclesia universali excolenda. Novellae Ecclesiae ad evangelizationem regionis, ad ministerium pastorale, ad institutionem seminariorum, ad disciplinam pastoralem et liturgicam sacerdotum fovendam, ad formationem iuventutis necnon catechistarum et apostolorum laicorum non raro adhuc indigent auxiliis Ecclesiae universalis. Quae adiumenta totius Corporis mystici fraternamque missionariorum exterorum collaborationem libenter accipiant mutua cum observantia et caritate, ut Evangelium latius praedicetur et Ecclesia quamprimum omnibus Christi donis ubique fulgeat.

Intima ergo permaneat Ecclesiarum novellarum communio cum Ecclesia universali cuius traditioni elementa propriae culturae christianae adiungent, ut, « mutuo quodam virium effluvio » (Pius XII, *Nuntius radiophonicus* Natalis 1945) vitam adaugeant Corporis mystici.

In ipso praesertim collegio episcoporum et in gubernio Ecclesiae varietas in primatus soliditate firmetur et muniatur.

27

Exc.mus P. D. VILLELMUS DUSCHAK

Episcopus tit. Abiddensis, vic. ap. Calapanensis

1. Contenditur *primam et fundamentalem cooperationem missionalem* non esse « orationes, tribulationes et sacrificia » nec « materialia auxilia » offerenda, ne quidem vocationem missionalem ipsam, sed: *vitam (et exemplum bonum) vere christianam omnium christianorum.* Hoc est primum et essentiale debitum missionale omnium christianorum, imprimis nostris temporibus. Fructus huius vitae vere catholicae sunt: orationes, donationes (qualiscumque generis) et vocationes, uti patet.

2. Paragraphus huius argumenti anteponatur par. 5.

3. Probatur ex S. Scriptura: debitum boni exempli 1) uti mandatum Do-

mini: *Mt.* 5, 13-16; 2) ex contrario (malo exemplo): *Rom.* 2, 17-24; 3) in forma admonitionis, negative et positive, et exemplo S. Scripturae: *Rom.* 1, 8 et multis aliis locis.

Propositiones: 1. Uti supra dicitur sub n. 2: *addatur paragraphus* inter nn. 4 et 5, qua inculcetur *omnibus* christianis uti debitum fundamentale missionale: vita vere christiana.

2. Hoc debitum inculcandum, sit *argumentum primum et substantiale sermonum* die Missionum et aliis similibus occasionibus habendorum, ex quo argumento logice consequenter orationes, donationes, et vocationes missionales.

3. Orationibus pro missionibus faciendis die Missionis annuo *addatur promissio* dandi bonum exemplum vitae vere christianae omni mundo, praeprimis paganis.

* * *

Propositio octava schematis haec docet (sub titulo, qui uncis includitur: « Debitum missionale laicorum »): « Omnes et singuli christifideles tanqu m membra viventia Corporis Christi, operi missionario cooperari debent. Ipsi nissionem Ecclesiae adiuvant orationes, tribulationes et sacrificia, et etiam aterialia auxilia offerendo » etc. Si, uti dicitur, « omnes et singuli fideles, e supradicto modo « operi missionali cooperari debent », certe tiam episco et sacerdotes hac sub obligatione comprehenduntur. Qua de ca hoc « de itum » anteponatur descriptioni omnium debitorum ut debitum munus (opus) missionale omnibus membris Ecclesiae commune, sed addatu ue ne illustretur, quod considero esse debitum missionale omnium christ un generale, originale, fundamentale, immo indispensabile, quia est radix s istius triplicis cooperationis missionalis quam schema commemorat.

Haec pars fundamenta ooperationis missionalis est *vita* christifidelium vere et funditus *christian* ita exemplaris, ex qua, processu quodam spontaneo et logico, efflorescent e ationes, oblationes, donationes et vocationes missionales. Sine isto funda to vitae vere christianae cooperatio missionalis sana et efficax nec intelligi n perfici potest; semper esset cooperatio mere mechanica, materialis, superfic et caduca.

Accedit quod Concilium hoc Vaticanum ut saepissime iam dictum est, secundum intentionem duorum Summoru ntificum et ipsius Concilii, scopum habet pastoralem, oecumenicum, mis ium, ex quo Ecclesia nititur ad:

1) renovationem sui ipsius et omnium fidelium iginali sua substantia, ex spiritu Christi, Evangelii et primaevae Eccles

2) accommodationem prudentem condicionibus, necess us et iustis desideriis huius temporis;

3) relationem oecumenico-missionalem versus omnes hom dialogo quodam continuo, qui dialogus subsistit non in verbis, orationibus, men-

tis tantum, sed vel magis in vita fidelium omnium intrinsece et aperte christiana.

Sic Ecclesia ut talis et in omnibus membris suis prodire et prominere debet ut signum vivum et luculentum ad docendos, ducendos, divino afflatu concitandos homines, verbo et oratione, sacrificio et auxilio, maxime vero vita et exemplo christiano.

Hoc est mandatum Domini et S. Scripturae in genere. En quaedam argumenta scripturistica:

1. Christus, praeannuntiatus ut « lumen ad revelationem gentium » (*Lc.* 2, 32), seipsum introducit verbis: « Ego sum lux mundi: qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae » (*Io.* 8, 12). Iisdem vero verbis alloquitur et discipulos dicens: « Vos estis lux mundi: ... luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem Vestrum, qui in caelis est » (*Mt.* 5, 13-16). Christi discipuli debent esse lux in Domino, ut S. Paulus dicit (*Eph.* 5, 8): « Eratis (enim) aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate ».

De Christo dicit S. Ioannes (*1 Io.* 4, 5 et *Io.* 1): « ... in ipso vita erat, et vita erat lux hominum; et lux in tenebris lucet; ... erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ». Sic et nostra vita, intrinsece et extrinsece gratia Christi christiana, est lux, lux vera, in Domino, et sic illuminans homines. Opera nostra bona, quae luceant coram hominibus, efficiunt ut homines glorificent Patrem i. e. ut et ipsi fiant filii Patris et ut filii lucis ambulent. Haec ambulatio ut filii lucis est summa et substantia debiti missionalis nostri i. e. omnium christianorum (cf. etiam *2 Cor.* 4, 6; *1 Pt.* 2, 9-12).

2. Diffunditne orbis christianus catholicus hanc lucem Christi? Si consideramus e. g. statum sic dictae culturae christianae occidentalis, morum, litterarum, artium, philosophiae, theatri, mediorum communicationis uti radiophoniae, televisionis, spiritum qui viget in — ut lingua utar moderna — moovies, fashion; camping, entertainment, magazines etc.; nonne debemus confiteri verbis Scripturae Sacrae (*Tit.* 1, 16): « Confitentur se nosse Deum, factis autem negant »; (*Rom.* 1, 18): « veritatem Dei in iniustitia detinent », dicentes (*Apoc.* 3, 17): « Dives sum et locupletatus, et nullius egeo » et nesciunt (plurale pro singulari): « miseri et miserabiles et caeci et nudi sunt ». Multi enim ambulant (*Phil.* 3, 17-20): « inimicos crucis Christi... quorum deus venter est... qui terrena sapiunt ». « Nomen enim Dei per vos (per istos vel multos christianos) blasphematur inter gentes » (*Rom.* 2, 17-24). Cf. etiam *Lc.* 11, 32.

3. Hoc ergo, esse lux in Domino, est summum et fundamentale opus missionale omnium christianorum. S. Paulus admonet Romanos (15, 2): « Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum et aedificationem », et Corinthios (*1 Cor.* 10, 32-33): « Sine offensione estote Iudaeis et gentibus et Ecclesiae Dei, sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quaerens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant ».

Sic e. g. propter lucem vitae exemplaris primorum christianorum « cotidie » « augebatur credentium in Domino multitudo virorum et mulierum » (*Act.* 2, 42-47; 5, 12-14). Summa laus missionalis haec tribuitur Thessalonicensibus a S. Paulo (*1 Thess.* 1, 6-8): « Vos imitatores nostri facti estis et Domini... ita ut facti sitis forma omnibus in Macedonia et in Achaja..., sed et in omni loco... ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui ». Ideo, non verbis, non precibus, neque sacrificiis spiritualibus et materialibus, sed exemplo vitae christianorum mundus movebitur. Fides viva fidem generat. Vitae christianorum credent. Per lucem vitae et operum invenient Lucem, i. e. Christum.

Propositiones: 1. *Inseratur paragraphus de hoc debito communi* omnium christifidelium et fundamentali (componenda stylo pastorali) ante par. 5 schematis.

2. *Similis admonitio fiat pars principalis orationum sacrarum* die dominica mensis octobris habendarum, quia ex obligatione ambulandi ut filii lucis cetera omnia consequuntur. Quid e. g. prodest fidelibus effusio haec abundans patriotismo quaedam adulterius missionali quam legi in scidulis occasione Diei Missionis distributis in ecclesiis anno elapso? (Oggi è la giornata missionaria. La pagina più bella, più fulgida della storia della Chiesa è quella delle sue missioni; è una storia di grandi entusiasmi, di grandi fatiche, di grandi lotte, ma anche di meravigliosi trionfi. È la storia della marcia trionfale di Cristo attraverso i secoli; è la storia della luce che si dilata e diffonde; è la storia del grande sole che si innalza ad oriente e percorre, esultante, le vie dei cieli; è la storia della civiltà! Scrivi anche tu la tua pagina aiutando le missioni con la tua preghiera e con la tua offerta generosa!).

3. *Preces recitandae die Missionis* ne componantur diversis rogationibus et supplicationibus tantum, sed etiam et praecipue solemni promissione vivendi et ambulandi Deo adiuvante ut lux mundi (vel lux pro mundo) in Domino.

28

EXC.MUS P. D. BERNARDINUS ECHEVERRIA RUIZ
Episcopus Ambatensis

In schemate *de activitate missionali Ecclesiae* de spiritu missionali Ecclesiae in universo mundo tractatur. Talis activitas, ni fallimur, sese refert non solum ad illas partes terrae quae strictiori sensu Missiones vocantur, sed ad mundum universum; simili modo, cum de spiritu missionali loquitur, non ad solum sacerdotes et religiosos qui in territoriis missionalibus laborant sese refert. E contra spiritu magis catholico et oecumenico, iis verbis schema incipit: « Ecclesia cum finem habeat Regnum Dei, a Christo in terris annuntiatum et inchoatum, ubique dilatandi, ita ut Deus in omni loco glorificetur ».

Talis spiritus non semper componi potest cum actuali structura Ecclesiae dividendi terram in duabus quasi sectionibus, ac si spiritus missionalis praecipue in territoriis missionum speciatim sit colendus, dum e contra, dato progressu hodierni materialismi et quasi universalis apostasiae magnae partis humanitatis, de spiritu missionali pro universa terra sit loquendum. Etiam dioeceses optime organizatae et ex multis aspectibus perfectae, secundum hoc criterium ut terrae missionum considerari deberent. In actuali momento mundi, possumus affirmare quod totus mundus est in statu missionis.

Forsitan in hoc sensu aliqua mutatio forsitan introduci deberet in structura S. C. Propagationis Fidei. Multa enim existunt territoria, quae quamvis territoria missionalia stricte non dicantur, realiter tamen vere territoria missionalia sunt. Accidit enim quod multoties, in aliquibus nationibus, eo quod gubernia admittere nolunt aliquas partes nationis vere territoria missionalia esse, a diversis auxiliis tam spiritualibus quam materialibus priventur. Sic verbi gratia, dum existunt territoria missionalia quae forsitan 10.000 fidelium habent, eo quod territoria missionalia vocantur, adiutorium accipiunt sacerdotum ita ut pro decem millibus fidelibus multoties existant plus quam quinquaginta sacerdotes, dum e contra territoria indebite ut dioeceses formatae consideratae, habent aliquando plus quam ducentos mille et amplius fideles et tamen non plus quam decem sacerdotes habent. Idem dicendum esset de auxiliis materialibus.

Gubernia, forsitan quadam vanitate animata, factum reale considerare non volunt, ideo non sinunt ut novae iurisdictiones ut territoria missionalia erigantur; nihil dicimus de tali modo agendi eorum qui potestatem habent in nationibus, sed mater Ecclesia cognoscere debet realitates et forsitan efficaciori modo tales regiones adiuvare debet, materno quidem amore et sollicitudine. Hic in aula sunt aliqui episcopi qui habent dioeceses plus quam sexaginta millium kilometrorum, cum populatione quae aliquando aliqua centena millia numerat, qui tamen decem, quindecim solummodo sacerdotes habent. Hoc accidit praesertim in America Latina ubi de facto omnes incolae, speciatim populationis ruralis, non solum fidem christianam, verum etiam ferventem catholicam vitam habent. Tales incolae, frequenter ad episcopum veniunt ad postulandum aliquem sacerdotem. Si ista territoria ubi iam maior pars incolarum non solum christiana, verum etiam sincere catholica est, meliori modo adiuvarentur, sine dubio, Sancta Mater Ecclesia magnum bonum provideret et futurum talium nationum in tuto poneret. Ideo humiliter peto ut in hac re nova quaedam revisio fiat, ut novus spiritus Ecclesiae ab ista Sacrosancta Synodo inspirata, tamquam exercitus bene ordinatus totam terram impleat. Aliquis Pater dicebat quod cognitio ovium non solummodo in quodam contactu personali ponendus est, sed in quadam cognitione sociologica realitatis. Hoc quod de singulis pastoribus et de singulis dioecesibus dictum est, forsitan cum maiore ratione de tota Ecclesia esset dicendum. Bona quae exinde dimanare possint, nemo est qui non videat.

29

EXC.MUS P. D. IOSEPH FADY
Episcopus Lilongwensis

L'intervention du card. Bea de ce matin, me suggère les idées suivantes. Je vous les livre.

Dieu a choisi le peuple Juif. Il l'a préparé à la venue du Christ; il l'a choyé pour ainsi dire. Puis, le temps venu, il leur a envoyé son Fils (*Hebr.* 1, 1-2). Jésus s'est cantonné dans le petit pays de Palestine. Après sa Résurrection et son Ascension, les Apôtres ont d'abord eu de la difficulté à s'adresser aux gentils; St. Paul lui-même dans ses voyages s'est toujours d'abord adressé à ses compatriotes.

Le peuple Juif avait donc les prémices de l'annonce de la « bonne nouvelle ». La plupart n'ont pas correspondu à la grâce, et St. Paul, ainsi que les autres Apôtres, se sont alors adressés carrément aux païens: « in omnem terram exivit sonus eorum ».

Le monde occidental a donc été le premier héritier du peuple Juif en ce qui concerne l'évangélisation, et il faut dire que, dans l'ensemble, la correspondance à la grâce qui lui était offerte, a été généreuse pendant de nombreux siècles. Et nous en sommes encore les heureux bénéficiaires.

Mais il n'est pas moins vrai qu'*actuellement, ce monde occidental* si favorisé, *se montre ingrat comme le fit le monde juif.* Malgré des efforts souvent héroïques du clergé, la déchristianisation, en Europe surtout, continue. Les résultats ne correspondent pas à l'effort prodigué. Il en est des moyens spirituels comme des ressources économiques. Tout est concentré dans le monde occidental: églises, monastères, prêtres, religieux, religieuses.

On a fait actuellement des efforts gigantesques pour développer le tiers monde. On y prodigue des sommes énormes, des investissements de toutes sortes. L'Eglise elle aussi, offre des techniciens, des laïques, des sommes d'argent considérables — pour les œuvres sociales, medicales, agricoles (mais défense de les utiliser pour des fins uniquement religieuses!! — je veux dire l'argent). Ces efforts sont louables. Mais pourquoi vouloir *dépenser nos forces matérielles et spirituelles à des œuvres purement humaines,* qui reviennent normalement aux gouvernements, mieux outillés que nous en personnel et en argent.

Le missionnaire est déjà pris par tant de soucis d'ordre purement matériel, et il est si temptant pour certains, de s'y livrer au dépens de l'évangélisation, qui est notre terrain propre. « *Evangelizare pauperibus misit me* ».

Que là où les gouvernements negligent d'ouvrir des hôpitaux, des écoles agricoles, des œuvres sociales, on donne un coup de main, fort bien. Moi-même j'ai des dispensaires, maternités dans presque toutes mes stations de mission, et des docteurs et infirmières d'outre-mer.

Souvent les gouvernements sont jaloux et voient d'un mauvais œil ce

qu'ils considèrent comme une intrusion dans un domaine qu'ils considèrent leur devoir revenir de droit.

Occupons-nous de l'annonce de l'Evangile et des œuvres charitables, et mettons nos bons catholiques à la disposition des gouvernements dans tout le reste.

Ne nous laissons pas dépasser en générosité pour le Royaume de Dieu par les gouvernements européens et américains qui jettent souvent des sommes folles pour des entreprises temporelles. Cf. ONU.

Nous missionnaires, nous demandons de l'aide pour notre apostolat. Du personnel surtout. L'argent vient en dernier lieu. Ce n'est pas avec l'argent qu'on convertit les âmes, ni non plus avec de belles églises. *Envoyez nous des prêtres,* des religieux et religieuses, *l'argent nécessaire viendra par surcroît.*

J'ai lu dans le livre du card. Suenens « La formation apostolique de la Religieuse » une citation empruntée à Mgr. Hughes. En substance il est dit que dans une ville des religieuses sont établies depuis 30 ans. Elles ont soigné les parents et les enfants de ces derniers, par conséquent deux générations. Malgré leur dévouement, elles n'ont enrégistré aucun retour à la pratique religieuse. Et l'auteur de conclure: On peut donc être dévoué sans être apôtre.

Il y a quelque chose qui a manqué. Pas nécessairement, ou si vous voulez uniquement, du côté des religieuses. Mais du côté des gens auxquelles elles ont donné leurs soins. Il faut deux éléments pour se convertir: la prédication et la correspondance à la grâce de la part de celui qui écoute.

Ces mêmes Sœurs, établies en Afrique Noire, auraient eu, je vous le garantis, des conversions.

Nos chrétiens et païens d'Europe sont sursaturés. Ils ne savent plus apprécier les bienfaits de la religion, et nous voulons malgré tout, *retenir tout ce personnel, au lieu d'être généreux* et diriger une partie vers les missions. *En Afrique la moisson est mûre.* Elle manque de bras pour l'engranger. *Qu'attendons-nous?*

Ne faut-il pas voir là « *les signes du temps* »? Comme *jadis les Juifs, aujourd'hui notre monde occidental* se montre en bien des endroits réfractaire à l'influence du Christianisme. Il est plus profitable actuellement de jeter notre personnel là où le dévouement et l'apostolat sont rentables.

Sachons lire « les signes du temps » avant qu'il ne soit trop tard. *Nous répétons cela depuis 20 ans. In vanum!*

Il y a 10 ans l'Occident envoyait en missions 800 jeunes missionnaires; cette année ils ne sont plus qu'à peine la moitié.

Envoyez des prêtres ardents, généreux, les meilleurs, en terre de mission pour quelques années, et l'esprit missionnaire se réveillera. Ne soyons pas moins généreux que les hommes de ce monde qui se jettent sur l'Afrique en ce moment.

Laissons leur le côté matériel, social même, mais de grâce venons en

aide pour sauver les âmes de ces millions d'hommes qui risquent de perdre leur trésor spirituel au contact de nos païens modernes.

J'ai peut-être l'air de faire un plaidoyer « pro domo » c.-à-d. pour l'Afrique. Mais un général d'armées n'attaquera-t-il pas là où il est sûr que l'ennemi va céder?

Même l'Amérique du Sud, n'a-t-elle pas abusé des grâces? Ne devrait-elle pas être un pays qui fournit des missionnaires après des siècles de christianisme? Loin de moi la pensée qu'il faut abandonner les pays d'Amérique du Sud. Mais au détriment de l'Afrique? *Est-ce juste? est-ce prudent?*

Liberavi animam meam.

Ad schema: ad n. 8, *Debitum missionale laicorum*. Il faut dire que des *laïques ont répondu généreuseusement à l'appel des Papes* pour venir en aide aux pays de mission. J'en ai 23 dans mon diocèse. Je voudrais cependant faire *3 observations importantes*:

1. Il faut une *sérieuse préparation religieuse*. Nous ne voulons pas *de simples docteurs, techniciens, artisans, ouvriers* etc. Nous pouvons les trouver sur place. Il faut *des laïques missionnaires,* autrement dit *des chrétiens au dessus de la moyenne,* des hommes et des femmes qui ont un *esprit missionnaire* et une *responsabilité spirituelle. Sans cela ils ne tiendront pas* 3 ans, et ils ne seront pas vraiment heureux. Je vais même plus loin: sans cela ils ne retourneront pas chez eux meilleurs et plus convaincus de la vocation que doit avoir tout chrétien sérieux, de travailler à l'extension du Royaume de Dieu, partout où il est.

Les mieux préparés de ce point de vue sont les missionnaires laïques formés à Los Angeles (Mgr. Brouwers, maintenant Laubacher). En Suisse aussi il y a des éléments très bien préparés.

Ceux formés à Cologne ont (certains du moins) tendance à vouloir rayer le mot « missionnaire ». Ils ont trop de confort, équipés de toutes sortes de caméras etc. Les Kolping étaient mieux préparés religieusement.

Sans esprit de sacrifice, il n'y a pas d'esprit missionnaire, et sans esprit missionnaire ils n'auront aucune influence sur nos gens.

Et cependant, quel magnifique apostolat ils peuvent exercer par leur conduite, leur travail sérieux, bien fait, constant. Les familles surtout donnent un témoignage unique: prier ensemble, manger ensemble, prendre leur loisir ensemble, vivre ensemble, s'occuper de leurs enfants ensemble. Ceux qui ont été en « mission » me comprendront.

2. Il faut également une *bonne formation technique,* au dessus de la moyenne. En ce domaine également leur influence dépend de leur compétence professionnelle.

3. Enfin — last but not least — *de notre côté il faut nous occuper* de ces laïques missionnaires *au point de vue spirituel.* Il ne suffit pas de dire: ils sont chez nous, avec nous, donc tout est bien. Ce n'est pas vrai.

Il faut 1) *un Père responsable* en tant qu'aumônier, à qui ils peuvent s'ouvrir. Ils ont, comme tout le monde, leurs problèmes; 2) *une récollection*

mensuelle bien préparée, bien conduite; 3) *une retraite annuelle*; 4) *des loisirs sains*. Les résultats compenseront tous les sacrifices de notre part.

Ad n. 3: *Labor missionalis.* Il y a *deux sortes de territoires de missions dans le monde.*

1. Les territoires *où la semence de l'Evangile tombe dans du sol fertile et rapporte* 10, 20, 50 et 100%. *Là* l'Eglise se bâtit. *Là* est l'avenir, *là* l'effort doit être porté et intensifié.

Il faut battre le fer tant qu'il est chaud, plus tard ce sera peut-être trop tard.

Nous avons assez tardé! Mais tout n'est pas perdu. Hodie si vocem audieritis...

C'est important pour la distribution des apôtres et des prêtres donnés ou prêtés par les Evêques des vieux pays chrétiens.

N. B. Quels sont les *critères* pour les pays de missions mûrs pour l'Evangile, où par conséquent il faut envoyer le premier renfort?

A) Le nombre de Catéchumènes adultes. Là où le nombre monte en flèche — je parle évidemment d'un *catéchuménat sérieux* — l'Eglise se bâtit.

B) *Le nombre de baptêmes d'adultes in articulo mortis.* C'est un signe très sûr que la *Foi* commence à travailler dans les âmes de la masse païenne.

II. *Il y a les territoires où l'Eglise doit se contenter de sa présence.* C'est le cas de beaucoup de pays musulmans — mais aussi d'autres. Je parle ici de l'Afrique. *Il ne faudrait pas* que ces territoires absorbent un *nombre de missionnaires disproportionné avec la perspective de résultats assez rapprochés* — alors qu'ils rendraient autrement service là où la moisson est prête pour la récolte.

Ne faudrait-il pas avoir le courage de suivre le conseil de Notre Seigneur — en certaines circonstances — et *secouer la poussière de ses souliers* pour aller sur d'autres champs d'activité?

[*Subscripserunt etiam*] Cl. Chabukasansha, aux. Fort Rosebery; M. Daubechies, ep. Kasama; C. Chitsulo, ep. Dedza; J. B. Cesana, ep. Gulu; A. Fürstenberg, ep. Abercorn.

30

Exc.mus P. D. ARMANDUS FARES

Archiepiscopus Catacensis, episcopus Squillacensis

Schema propositionum *de activitate missionali Ecclesiae* considerari debet, prae oculis habitis quae de evolutione historica ipsius dicta sunt, non veluti *expressio plena* mentis Concilii Oecumenici de Missionibus et de activitate missionali in Ecclesia; sed, intra ambitum schematis constitutionis

de Ecclesia, retinendum est tamquam schema conclusionum practicarum ad finem missionarium ipsius Concilii consequendum.

Si sub hoc respectu ipsum schema consideramus, tunc intelliguntur omnia quae in propositionibus continentur sub aspectu generali et particulari, de opere et de organizatione missionali; et sic in genere consideratum, schema nobis propositum mihi placet. Quasdam adnotationes mihi addere liceat:

1. Ad n. 1: pag. 8, linn. 3 s.: clarius dicatur Ecclesiae non solum officium esse *praedicandi* Evangelium, sed in omnibus locis, ut media salutis reapse praesto sint omnibus, officium habere *fundandi* Ecclesias locales, quae sub regimine proprio regantur: quod reapse fit, uti notum est, per erectionem dioecesium post illud temporis spatium quod permittit institutionem communitatum quae iure *communi* — et non amplius *extraordinario,* uti sunt Vicariatus apostolici, Praefecturae Apostolicae etc. — regi possunt.

Ad ea quae in eodem n. 1 adiiciuntur, quaeque fusiore sermone in textu emendato nobis proposita sunt, sequentia adnotare velim.

Adimplendo hoc officium — videlicet fundandi novas ecclesias — Ecclesia quae ex verbis Domini: « docete omnes gentes » est catholica *de iure,* fit reapse catholica *de facto,* modo tamen ab ipso Domino significato in parabolis: de grano sinapis (*Mt.* 13, 31-32) circa *externam* manifestationem, et de fermento (*Mt.* 13, 33) quod totam massam fermentat, circa internam vim ipsius Evangelii.

Hoc modo, promulgato Evangelio, praesto datur omnibus hominibus medium salutis necessarium, quod est ipsa Ecclesia, Corpus Christi mysticum, in quod omnes oportet incorporari per fidem et caritatem ad salutem consequendam: huiusmodi incorporatio fit per baptismatis sacramentum.

Firma semper tamen manet veritas *de voluntate salvifica Dei universali*: « Deus enim vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 4); huic veritati strictissimo nexu coniungitur alia veritas *de universali salute* per Christum procurata: Apostolo ipso in eodem loco asserente: « Unus enim Deus, unus et Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus » (*ibid.,* 5-6). Hinc, uti docet Concilium Tridentinum, iustificatio « post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis *aut eius voto* fieri non potest, sicut scriptum est: Nisi quis renatus fuerit etc. » (*Io.,* 3, 5) cf. *DB* 796.

Quid est hoc votum lavacri generationis de quo loquitur Tridentinum? Illud votum nil aliud est nisi *baptismus flaminis* seu desiderii, seu iustificatio ex opere operantis in adulto per fidem et caritatem cum voto implicito respectivi sacramenti, quod in hac quaestione est baptismus. Hoc votum continetur in voluntate standi *omnibus mandatis* Dei — ideoque recipiendi etiam baptismum — in omnibus illis qui inculpabiliter ignorant Christi Evangelium et tamen accedunt ad Deum: et « accedentem ad Deum oportet credere quia est et inquirentibus se remunerator sit » (*Hebr.* 11, 6), servata lege naturali: nam, teste eodem Apostolo in Ep. ad Romanos (2, 14-15), isti homines « ipsi sibi sunt lex ».

Via ergo ordinaria est sacramentum baptismi, via extraordinaria est baptismus flaminis seu desiderii; sed via extraordinaria non significat viam *raram* iuxta quam speramus per misericordiam Patris et per sanguinem Filii multos ad salutem aeternam pervenire. Ecclesiae commissum est munus praedicandi Evangelium et ipsa est medium ordinarium salutis: et huic officio quod est primum et gravissimum nullo pacto sese subtrahere potest, immo in hoc officium continuo est incumbendum.

Propter has rationes in mentem revocatas, optarem ut textus propositionis primae iam emendatus revisioni iterum supponatur, ut clarius eluceat et officium gravissimum Ecclesiae praedicandi Evangelium et praesentandi ipsam Ecclesiam tamquam medium necessarium ad salutem, et ex alia parte affirmetur consilium Dei providentis salutem omnibus inculpabiliter Ecclesiam ignorantibus (cf. Pii IX, Encycl. *Quanto conficiamur moerore,* 10 aug. 1863, *DB* 1677).

2. Ad n. 4: circa « Consilium Centrale Evangelizationis » valde placent quae dicuntur de ipsius institutione, organizatione, etc. Forsan non erit abs re notare, vel adiungere, si est possibile, quaedam de institutione una cum hoc Consilio alicuius organi seu *Agentiae internationalis,* sicut nunc est « Agenzia Fides » qua episcopi per orbem degentes edoceantur de activitate missionali quae in Ecclesia evolvitur et actuatur, etiam ad finem ut nuntii praecipui de hac materia melius et exactius innotescere possint singulis populis in unaquaque Natione.

3. Ad nn. 5-8: de debito missionali. Instanter dicatur in Ecclesia ipsa visibili evidenter dari *communio caritatis*: quod omnes intellegunt; sed huic ipsi communioni praeire debet *communio fidei* quae per praedicationem Evangelii statuitur. Primum ergo officium caritatis sit in diffusione veritatis, in praedicatione Evangelii: « sine fide enim impossible est placere Deo ». Declarato hoc principio, facilius erui possunt quae in praedictis numeris habentur de debito missionali episcoporum, sacerdotum, institutorum perfectionis et laicorum.

4. Ad n. 10: de formatione culturarum christianarum. Omnia optime dicuntur; sed ne in oblivionem ponatur Evangelium Christi nulli culturae *per se* esse ligatum, licet in omnibus culturis humanis, semper et ubique — recte tamen intellectis etsi considerentur culturae minores vel etiam inferiores — multa bona inveniantur, ut ipsis vera aestimatio tribui possit et debeat, cum originem habeant ab anima humana quae, teste Tertulliano, « naturaliter est christiana ». Conatus omnes perficiantur, ut valorem accipiant culturae propriae populorum apud quos praedicatur Evangelium, ut investigabiles divitiae Christi ipsas integrent et elevent ad plenam humanam et christianam formationem. In magnis nationibus curetur fundatio Universitatum Catholicarum.

5. Ad n. 12: de formatione catechistarum. Maxime mihi placeret si catechistis rite formatis, antequam in ipsum officium catechistarum imitantur, conferretur sacramentale quoddam, *ad instar ordinis minoris lectoratus,*

quo missionem canonicam publice reciperent et plena aestimatione in servitium fidei per instructionem et educationem catechistarum apud populum addicerentur. *N. B.*: dico « *ad instar* etc. » quia ordo lectoratus supponit tonsuram seu clericum seu clerum; catechista e contra manet et *debet* manere *laicus*.

Votum peculiare. Mihi liceat adiicere circa schema propositionum *de activitate missionali Ecclesiae.*

De hoc voto iam inde ab anno 1959 sermonem feci in responsione ad Litteras card. Tardini, qui ab episcopis universis requisivit de materia tractanda in futuro Concilio.

Votum meum est sequens. *Conficiatur Codex Missionarius,* in quo omnia quae missiones respiciunt in unum coalescunt, cum normis quae valere debent sive de munere missionali Ecclesiae, sive de activitate in omnibus dioecesibus, sive de labore in locis missionum praeparando, actuando, firmando et ampliando ut novellae dioeceses erigi possint etc.

(In eodem voto ad card. Tardini transmissi, ego loquebar etiam de Codice Liturgico: et ita in Ecclesia sicut sunt fundamentalia *quattuor Evangelia,* ita esse possunt etiam *quattuor Codices*: 1) Codex Iuris Canonici; 2) Codex Iuris Canonici Orientalis; 3) Codex Missionarius; 4) Codex Liturgicus).

31

REV.MUS P. D. ANICETUS FERNANDEZ
Magister generalis O.P.

Cum omnes, ut de eo non dubito, speciali amore prosequuntur opus Missionum, tanquam pulcherrimum et praeclarissimum inter omnia opera Ecclesiae, maxime illud est in corde nobis superioribus religiosorum Institutorum, quorum alumni tam magna ex parte laborant in locis Missionum. Immo singulariter, nostra interest, cum Ordo praedicatorum tam eminenter missionarius exstitit, vestigia sequens S. Dominici qui toto fervore spiritus apostolus et missionarius fuit, et ipse primus evangelicos nuntios ad Europae orientalis regiones atque ad tartaros misit.

Inde liceat mihi aliqua ad hoc schema diiudicandum adiicere. Certe non plene nobis satisfacere potest haec ultima forma schematis ad brevem synthesim propositionum reducti. Desiderabatur abundantior doctrinae copia, et missionarii totius orbis exspectarent a Concilio ampliores exhortationes sacerdotibus et fidelibus undique terrarum directas, ut efficacius, immo et active, adlaborent in hoc urgentiore campo missionum.

Nihilominus contenti saltem sumus cum proposito schemate quippe quod sufficientem synthesim doctrinae praebet. Et illud in substantia videtur acceptabile, si per disceptationes conciliares in melius perficiatur. Plura enim videntur in eo emendatione indigere, ex quibus aliqua praecipua notare vellem.

I. Schema nimis insistit in generali theologia missionali, et in terminologia huius conceptus generici missionis tanquam essentialis Ecclesiae et cuilibet activitati apostolicae eius, ex quo non paucae confusiones proveniunt.

Notum est notionem missionis in revelatione latissimam esse atque sub omni respectu pervadere Ecclesiae naturam et opera.

1) Prima enim acceptione, « missio » quid increatum est et principiis divinis Corporis mystici convenit. Nam ipse Christus a Patre missus est ad opus redemptionis perficiendum, et ipse descensus Spiritus Sancti in discipulos fuit « missio », et similiter mandatum quod Apostoli successoresque eorum acceperunt mundum evangelizandi. Et ipse Spiritus Sanctus continuo mittitur in Ecclesiam atque in animas iustas, ubi perficitur « missio » inhabitationis totius Trinitatis.

2) At non solum quilibet christianus hac ratione est terminus alicuius missionis, ideoque « missio » est quid ad essentiam Ecclesiae pertinens, sed ex consequenti Ecclesia in Apostolis recepit perennem missionem Evangelium propagandi in universum mundum. Et de hac « missione » salutis omnia membra Ecclesiae participent oportet.

Haec autem activa « missio » diversis in gradibus variis Corporis mystici membris communicatur iuxta diversam vocationem et mensuram donationis gratiae cuilibet datae. Nam in hoc sensu « missio » in idem venit cum apostolatus notione, qui iam definiebatur « participatio ipsius salvificae missionis Ecclesiae » (schema *de Ecclesia* cap. IV, n. 33).

a) Etenim laici omnes ad hanc *missionem activam* vocantur et eam participant eadem ratione qua apostolatus debitum. Omnes enim adlaborare tenentur ad Regni Christi dilatationem et animarum salutem. Et hoc sive apostolatu communi, secundum omnes modos fidei testimonii vel actuosae caritatis laicorum; sive speciali apostolatu, quo laici plurimis in modis se devovent bono proximorum, immediatius cum hierarchia cooperantes, etiam in variis muneribus apostolatus spiritualis. Et tunc potiore ratione praedicti laici « missionarii » appellari deberent, utpote se tradentes servitio missionis Ecclesiae.

b) Stricto vero sensu « missio », sicut et apostolatus, dicitur de ministerio sacerdotali quod episcopi et sacerdotes ex missione data a Christo exercent, spirituali curae animarum se tradentes iuxta triplex eorum munus magisterii, sacerdotii et regiminis. Qui certe ministerialis apostolatus primas partes habet in opere missionis Ecclesiae adimplendo, et proculdubio in plurimos modos et vias apostolatus sive missionis exercendae multiplicatur.

c) Sed inter omnes hos modos, singulariter eminet ille apostolatus missionalis qui exercetur erga homines non-christianos, coetusque eorum culturales vel regionales. Illi enim omnes in sic dictis locis missionum operam navantes, sacerdotes, religiosi et sodales omnes Institutorum missionum necnon et ipsi laici, speciali titulo *missionarii* decorantur et in posterum decorari debent; atque opera eorum « opera missionalia » et « missio-

nes » eorum loca apostolatus appellari. Et hoc merito, cum illorum labori commendatur opus primario missionale evangelizandi non credentes, Ecclesiam novis in regionibus implantandi ac proinde Regnum Dei amplius dilatandi.

II. Quae cum ita sint, gaudendum est quod schema hanc navitatem specialiter missionalem Ecclesiae illustrare intendat sub luce istius generalis doctrinae missionis, eamque inserere in tali praecelso conspectu naturae missionalis Ecclesiae, eo quod Ecclesia in omni sua operositate essentialiter missionaria est, omnesque eius fideles apostolatum exercentes eo ipso « missionem » prosequuntur.

Sed hoc obstare non debet quin tam praeclarum titulum « missionarii » portent illi qui primarium munus missionis adimplent, nuntium evangelicum ad non credentes portando. Et similiter eorum opera atque Instituta « missionalia » nominantur.

Inde valde placet quod schema in prooemio delimitet specifica territoria missionum, ad quae principia istius activitatis missionalis Ecclesiae applicantur, ad illas regiones in quibus evangelizatio pendet in praesenti a S. C. « de Propaganda Fide », vel saltem Ecclesiae et dioeceses recenter erectae nondum sibi sufficiunt.

Sed quia alia ex parte visio illa Ecclesiae universaliter et in omni loco missionalis praevalet, hae duae conceptiones inter se dissitae et in toto schemate subiacentes, cohaerentiam internam ipsius destruunt.

1. Quapropter schema non videtur habere debitam unitatem internam. Ex quo haud paucae confusiones oriri possunt atque valor eius specifice missionalis magnopere minuitur ex superpositione utriusque doctrinae. Ita ordinationes atque exhortationes dantur, sive episcopis, sacerdotibus aut laicis, quae potius impellerent ipsos ad opus missionale commune, scil. ministerium pastorale in propria dioecesi exercendum, quam ad activitates peculiariter missionales in aliis terrae regionibus. Ad hoc opus antonomastice missionale potius exhortationes platonicae, orationis aut alterius auxilii indirecti, in textu exhibentur.

Inde enixe rogatur ut clarius proponatur et extollatur haec notio stricta activitatis missionalis, prout directae ad specialia loca coetusque hominum praevalenter non-christianos. Doctrina enim generica Ecclesiae et apostolatus missionalis iam exstat in schemate *de Ecclesia.* Et sub hac luce strictioris notionis operis missionalis et territorii missionum, prout in prooemio ponitur, revideantur magisque aptentur plures textus schematis.

Speciatim desideratur restitutio praeclari tituli « missionarii » tribuendi sacerdotibus, religiosis aut laicis, laborantibus in locis missionum. Schema sedulo vitat hanc designationem cui substituit generaliorem terminum Evangelii praeconis. Sed praecones evangelici veniunt omnes praedicantes aut liturgice proclamantes Scripturam. Sororibus autem religiosis vel etiam laicis non convenit ille terminus; e contra, optime et magno cum honore titulo missionarii decorari debent, sicut fert usus generalis.

Si autem in certis regionibus nomina « missionarii » et « loci missionum » minoris aestimationis, immo et iniuriosa videantur, facile in usu vulgato poterit de eis sileri. Non autem in officiali usu et doctrina Ecclesiae, in qua nihil maioris honoris esse poterit quam titulus missionis.

2. Altera consequentia inde erui videtur ad emendationem textus. Schema sub n. 2 *a*) et n. 3 linn. 6-8, primo loco proponit episcopos totius orbis, sive singulos sive in conferentiis coadunatos, tanquam officium et proprium « munus », inde et potestatem habentes utique subordinatam Summo Pontifici mittendi Evangelii praecones ad quoslibet coetus hominum ubique terrarum, missionem canonicam eis conferendo.

Sed hi textus videntur oriri ex praedicta confusione conceptus generalis missionis. Et aperte excedunt etiam collegialitatis doctrinam, voto maioritatis suffragatam.

Agitur enim non de potestate collegiali, sed de munere personali quo ex consecratione pollerent singuli episcopi. Si vero omnes fere regiones mundi iam sunt de facto distributae in particulares Ecclesias, et de facto constitutae sub propriis pastoribus, sive missionariis tanquam vicariis apostolicis, sive Ordinariis, quo iure unus episcopus potest missionem canonicam conferre in territorio alterius?

Amplius huiusmodi theorica proclamatio potestatis singulorum episcoporum ubique missiones instituendi, aperte pugnat cum realitate organisationis actualis missionum in mundo. Omnia enim opera missionalia atque territoria missionum sub una directione supremae potestatis Ecclesiae de facto constituta sunt atque impulsum recipiunt ab hac centrali directione, nimirum a Summo Pontifice eiusque organo Congregationis Propagandae Fidei. Sub quo tamen supremo ductu libere sese exercent iura potestatesque episcoporum et incepta ac labores Ordinum religiosorum et singulorum operum missionalium.

Haec autem realitas organisationis missionum adamussim respondet universali potestati supremi Pastoris Ecclesiae, Petri Successoris, cui commissa est primario cura et sollicitudo missionum in universam Ecclesiam, ut declarat canon 1350.

Consequenter necessarium videtur quod hi textus schematis revideantur, quippe qui, silentes expresse loqui de suprema cura missionum Summo Pontifici demandata, eius dignitati ac potestati derogant. Inde emendari debent in sensu quo debite et in propria linea componantur munera tum Summi Pontificis tum episcoporum, ita ut sub n. 2 *a*) dicatur: « Romano Pontifici, vi muneris sui Vicarii Christi et totius Ecclesiae Pastoris, universa missionum cura competit plenaque potestas Evangelii ministros mittendi in totum orbem.

Episcopi autem totius mundi, una cum Romano Pontifice, officium et corresponsabilitatem habent, eique associatam curam, ubique terrarum fidem promovendi. Atque sub eius auctoritate, munus Evangelii praecones ad quoscumque hominum non-christianorum coetus mittendi ».

Ista etenim associata sollicitudo et solidarium mandatum evangelizandi orbem totum, est proprium munus episcoporum, quod ex documentis Pontificum, notanter ex Enc. *Fidei donum,* Pii XII, colligitur.

Consequenter et in eodem sensu textus parallelus n. 5 emendari debet; quatenus declaretur quod episcopi non « prius pro salute totius mundi quam pro particulari dioecesi » consecratos et dicatos sese sciant, sed quod *primariam* sollicitudinem habere debent pro Ecclesia propria, ac simul etiam pro totius mundi salute.

Demum et ipsum Consilium Centrale Evangelizationis, quod sub n. 4 petitur creari, non posset habere potestatem superiorem ipsa Congregatione Fidei Propagandae, quae organum exercitii potestatis supremae Papae repraesentat, nec quidem in ordine legislativo uti innuitur, sed locum habere deberet organismi adsessoris Congregationi sive Pontificis, si institueretur. Ceterum eidem scopo melius forsan consuli potest per maiorem internalisationem ipsius S. Congregationis Fidei Propagandae, adscitis undique episcopis tanquam membris, atque peritis.

Et certe si episcopi omnes hoc grave divinumque mandatum curam sollicite habendi *etiam* de totius mundi missione, rite adimplerent, abundanter operarios proprios, sacerdotes vel laicos, mittendo ad missionum loca, et per alios modos collaborationis spiritualis tum et materialis, melius et *efficacius* provideri poterit, nostris his diebus, operi universali missionum, quam per creationem plurium Commissionum iuxta methodos « hodiernae reflexionis theologicae et pastoralis missionariae », cum efficacia missionalis multo magis a caritatis fervore et sanctitate interna pendeat quam ab istis methodis aliisque quibuslibet. Nam proculdubio, hucusque et per plura saecula, omne pondus missionum Ecclesiae portaverunt Ordines religiosi et Instituta missionalia.

Haec sunt praecipua quae de hoc schemate perficiendo petendum duximus. Cetera aliqua secretariatui tradam in observationibus adiunctis.

32

Exc.mus P. D. VICTOR GARAYGORDOBIL BERRITZBEITIA

Episcopus tit. Pudentianensis, prael. null. Fluminum

In hoc schemate, sub nn. 5 et 6, peroptime statuitur: « Opus missionale ad totam Ecclesiam pertinet ». « Episcopi totius mundi memores semper sint se pro totius mundi salute simul ac pro aliqua dioecesi consecratos esse ». Quod, quidem, servatis servandis, valet etiam de sacerdotibus et christifidelibus laicis.

Ecclesia semper habuit veram conscientiam huius obligationis. Sed, decursu temporum, quo modo, quibus mediis, hanc obligationem adimplere conata est? Et quos fructus assecuta? Et sufficientne in posterum eadem

media ad hoc opus missionale rite adimplendum? An quaerenda etiam alia quae, hucusque, fuerunt veluti in recessu in Ecclesia?

Quoad primum, in historia missionali Ecclesiae omni laude digni sunt tot missionarii qui, per universam terram dispersi, in evangelizatione gentium strenue laboraverunt. Sed fere omnes fuerunt, et adhuc maxima ex parte sunt, membra alicuius Instituti Missionarii. Episcopi dioecesani, sacerdotes et christifideles laici cum orationibus et eleemosynis, aliquantulum et quasi e longinquo, collaborati sunt. Sed, sensu proprio, missionarii dici non possunt. Immo, abhinc paucissimos annos, sacerdotibus dioecesanis et laicis qui operi missionali Ecclesiae in terris missionum inservire conarentur, nulla alia possibilis via quam ingressus in aliquod Institutum Missionarium. Attamen, episcopi dioecesani, sacerdotes et laici maximam et principaliorem Ecclesiae partem constituunt.

Quoad fructus hucusque assecutos, moraliter dici posset Evangelium in universo mundo praedicatum fuisse; sed vere dici non potest omnes gentes evangelizatas esse. Vix tertia pars generis humani dici potest christiana. Sed et in multis regionibus christianis, v. g., in America Meridionali, tanta sacerdotum, et aliorum quoque mediorum, inopia laborant episcopi, ut fere nullam formationem christianam praebere possint multis fidelibus, qui cum, ex una parte, formatione religiosa careant, ex alia, undequaque periculis circumdati inveniantur, in dies in maiori et imminentiori periculo amittendi fidem reperiuntur. Aliunde, proportione valde lamentabili ac periculosa augetur numerus non-christianorum, ita ut etiam in dies urgentior et difficilior evadat in Ecclesia labor missionandi.

Quae ergo in posterum spes? Sufficietne ut missionarii religiosi, maiori numero et zelo ardentiori, operi missionali incumbant, et a ceteris omnibus, largiori manu, erogationes praebeantur, et intensius orationi intendatur? Ni fallor, haec, quamvis optima et necessaria, non sunt sufficientia ut Ecclesia, nostris temporibus, opus missionale rite adimpleat. Nec desunt in Ecclesia alia media valde utilia, quae hucusque fere inactiva manent. In eodem n. 6 dicitur: « Inde oritur illa communicatio Ecclesiarum in qua ipsae sibi invicem suas necessitates aperiunt, suas res communicant ». Id est, Ecclesiae dioecesanae, qua tales, debent pro viribus et quasi in solidum hoc opus missionale assumere. Dioeceses vere missionariae possent esse, nostris temporibus, optimum medium ad hoc opus missionale rite adimplendum.

Sed dioecesis missionaria non est intelligenda illa quae aliquando aliquos sacerdotes ad opus missionale destinat, vel semel in anno aliquas erogationes pro Operibus Pontificiis facit quae, tamen, decurrente integro anno, nullam aliam praeoccupationem missionalem prae se fert.

Dioecesis missionaria illa dicenda est dioecesis quae, qua talis, nempe, cum episcopo, sacerdotibus et christifidelibus in Ecclesia dioecesana coniunctis et coadunatis, ad territorium missionale mente, corde et animo tota se convertit, et obligationem serio assumit hoc opus missionale usque in finem adimplendi.

Daretur, ergo, in hoc casu quaedam adoptio dioecesana in qua dioecesis adoptans praeberet territorio missionum vel dioecesi clero carenti adoptato omnia vere necessaria usque dum ad maturitatem perveniat. Et non tantum in rebus stricte spiritualibus seu religiosis, sed etiam in omni genere activitatis humanae ad promovendam evolutionem socialem in sensu vere christiano. Sunt, enim, non pauci laici qui sincere et vere Ecclesiae, in terris missionum, saltem per aliquot annos, inservire cupiunt.

Multa, et quidem optima, dicere possem de hoc missionerismo dioecesano. Et non a priori veluti theorizando, sed post uberrimos fructus totius generis per sexdecim annos in missionibus dioecesanis, tam in America Meridionali quam in Africa, feliciter assecutos; sed, brevitatis gratia et ad modum conclusionis, haec tantum addam:

1. Unaquaeque dioecesis, quae, sufficienti numero sacerdotum et ferventi fidelium vita christiana gaudet, pro viribus et quam primum, suam partem concretam in hoc opere missionali assumat et usque in finem perducat. Valde conveniens videtur quod suam partem in territorio seu opere concreto et determinato assumat, nam obligationes et responsabilitates in genere sumptae, saepe saepius, stimulo carent.

2. Maximum interest quod in dioecesibus missionariis statuatur secretariatus specialis pro missionibus dioecesanis, tam ad continuitatem in incepto opere consequendam quam ad vocationes missionarias fovendas aliaque media quaerenda. Nec timendum quod, hoc agendi modo, Opera Pontificia, Propagationis Fidei nempe et alia, aliquod detrimentum patiantur. Nam, teste experientia, dantur dioeceses missionariae, quae suas proprias missiones dioecesanas habent, et tamen sunt inter omnes primae in erogationibus pro Propagatione Fidei in universo mundo.

3. Maximi momenti est etiam quod sacerdotes missionarii adeant in unum coadunati sub aliquo superiore, qui vices episcopi dioecesani agat; ut vitam communem facilius gerant; ut spiritus sacerdotalis tutius servetur; ut numquam unus solus ac tristis inveniatur; ut angustiae oeconomicae vitentur; ut in infirmitatibus et aliis necessitatibus secure et amabiliter a ceteris iuventur; et ita, ut ipse labor missionandi facilior atque uberior evadat.

Nomine conf. ep. Aequatorianae: Manuel Serrano Abad, arch. Cuenca, praes. Nicanor Gavilanes, ep. Portoviejo, secr.

33

Exc.mus P. D. GABRIEL GARRONE
Archiepiscopus Tolosanus

De officiis erga Missiones. Missiones ad essentiam Ecclesiae pertinent. Nonnisi tamen accidentaliter in vita quotidiana Ecclesiarum nostrarum inseruntur: in nationibus, dioecesibus et parochiis.

Quamdam conversionem a nobis ad hoc requiri fatendum est. Quae conversio iam a *Fidei donum* incepta, per doctrinam schematis *de Ecclesia* hodie ut necessaria expresse declaratur. Et quidem urget opus, considerato ingenti labore missionario in mundo.

Testimonium hic nostrae fidei exspectatur, a quo pendet evangelizatio mundi. Ad quod opus *tres liceat ostendere vias.*

Prima via ortum habet a *parochiis.* Languescent communitates nostrae christianae usquedum non potuerint *spiritum Missionum* acquirere, id est in facie mundi integri opus suum quotidianum peragere. Institutiones nostrae apostolicae a Missionibus plerumque abstrahunt et mirum ipsis videretur intentionem hanc assumere. At insufficientia radicali laborant dum finem suum proprium, nobile sane sed exiguum, transcendere non valuerint. Qui perdet animam suam inveniet eam.

Secunda *vocationes* respicit. De pauco numero vocationum querimur. Nonne forsan exspectat Dominus ab episcopis, qui in corpore episcopali sollicitudinem evangelizationis mundi accipiunt, fidei et spei heroicum spiritum?

Si quaererentur vocationes *non tantum pro nostra propria dioecesi* sed pro mundo, forsan libere et abundanter curreret gratia Christi vocantis etiam pro nostris propriis necessitatibus.

Tertia via *conferentias nostras* respicit. Nonne bonum esset et non impossibile conferentias determinare *debitum nationale etiam quoad sacerdotes* et non tantum quoad pecuniam erga missiones? Ex hac determinatione collective habita, firme perspiceret unusquisque episcopus suam propriam obligationem et solveretur indeterminatio et anxietas quae non potest non esse sua urgentibus officiis quibus premitur in sua dioecesi. Ad hoc addatur, si placet, requisitum *in fine n. 5* schematis.

Votum est etiam ut, in omnibus septis directionis in Ecclesia, *aliquis ex Congregatione Propagandae Fidei praesens fiat* ut talis, ita ut ubicumque expresse audiatur intentio missionaria.

34

EXC.MUS P. D. IOANNES GAY

Episcopus Imae Telluris et Pointapitrensis

1. Vocatio missionalis Ecclesiae idem momentum habet ac eius vocatio ad sanctitatem; haec vocatio adspectus est essentialis illius caritatis quae imbuere debet Ecclesiam; est proprie vocatio, est exigentia, quae ex praecepto Christi (euntes docete) necessario defluit.

2. In prooemio explicatur significatio multiplex activitatis missionalis hodiernae; attamen libenter acciperetur distinctio magis completa.

Exoptaretur definitio pastoralis praecisa *missionalis activitatis* Ecclesiae, in qua concinne componerentur officium quod Ecclesiae incumbit: nuntium Christi usque in finem saeculorum proclamandi, et tollerantia erga ceteros,

ita ut relatio inter libertatem et respectum conscientiarum, necnon praedicationem Evangelii clare manifestetur. Sic schema indoli pastorali a Concilio quaesita, plane respondebit.

3. Cur tam fortiter in n. 2 insistitur in paupertate, quando certe omnibus compertum est quomodo maior pars missionariorum in conditionibus materialibus vivunt quae vere miseriae assimilantur.

4. In n. 5, loquitur de operibus missionalibus pontificalibus. Nobis gratum fuisset si saltem nomina principaliorum proclamarentur, v. g. Opus Propagationis Fidei, Sanctae Infantiae, Sancti Petri Apostoli, Opus contra Servitutem, Opus Apostolicum etc., quorum auxilio missiones per unum integrum saeculum vivere potuerunt, et spiritum missionalem apud fideles et clerum divulgare valuerunt.

5. In n. 9 verbum fit de cooperatione *cum christianis non-catholicis* in re tam sociali, technica, culturali *quam religiosa.* Hic modus loquendi nimia brevitate laborat. Ne explicatio quidem in pag. 16, ad n. 9, super allata in relatione, sufficiens videtur. Certe remanet aliqua confusio pro christianis rudibus.

Opportuna esset haec occasio in mentem revocandi quantum interesset imbuere methodos nostras missionarias spiritu vere oecumenico, v. g. adhibendo in omni contactu benevolentiam et caritatem mutuam; evitando formulas offensivas, discussiones steriles et saepe infaustas dum agitur de christianis incultis; evitando denique (et hoc respicit omnes christianos missionibus addictos) ne proselytae fiant ex aliis confessionibus christianis, Christum annuntiando solummodo iis qui eum adhuc plane ignorant.

6. Ad exemplum S. Pauli, qui missionarius fuit antonomastice, schema insistere debuisset in lege maxima *de adaptatione,* quae sic in Epistola ad Corinthios exprimitur: « Omnibus omnia factus sum, ut omnes Christo lucrifaciam » (*1 Cor.* 9, 20).

Oportet enim sequentia semper prae oculis habere: *a*) Ecclesia non est hodie magis occidentalis quam fuit iudaeo-christiana tempore Pauli; *b*) Ecclesia omnia problemata considerare debet sub respectu *supranaturali*; *c*) in *omnibus* nationibus vocata est Ecclesia ad exercendam missionem suam, et proinde necesse est ut se accommodet, in quantum possibile, omnibus culturis, etiam diversissimis; *d*) Evangelium nemini extraneum est, et omnia propria, aequo titulo, admittuntur in realitatem Corporis mystici. Quaevis theoria sic dicta « razista » i. e. quae discrimen instituit ratione stirpis hominum, a Christo absolute abolita est, et nunquam sermo esse potest de « stirpibus superioribus » vel « inferioribus ».

7. Exoptaretur ut in schemate (et non tantum in relatione) notetur quod debent episcopi fovere vocationes missionariorum *priusquam* ad regiones missionis sacerdotes pro tempore mittant.

In plerisque etenim dioecesibus, in quibus clerus localis non adhuc sufficit, Instituta missionaria magna in parte obligationem adhuc ferunt de di-

vulgatione Evangelii. Interpretatio nimis restrictiva Encyclicae *Fidei Donum* detrimentum afferre non potest numero vocationum in Institutis missionibus addictis.

35

EXC.MUS P. D. IOANNES B. GOBBATO

Episcopus Taunggyiensis

Penso che sia importante far risaltare tre punti: 1. il diritto di andare... euntes; 2. il diritto di insegnare... docete; 3. il diritto di praticare la carità... infirmos curate.

Diritti, che ci sono dati da Dio stesso, e che fanno parte della pratica essenziale della religione cattolica. Di modo che chi ci ostacolasse andrebbe contro la libertà di religione e di coscienza, altamente e giustamente encomiata da tutti. *Ratio*: le Missioni al giorno d'oggi sono più o meno ostacolate dallo spirito troppo nazionalista, e dal sistema socialista, che vuol riservare a sé l'istruzione e le opere di carità.

36

EXC.MUS P. D. IOSEPH MARCUS GOPU

Archiepiscopus Hyderabadensis

Venerabili commissioni conciliari, supradictum schema emendati et perpoliendi operi incumbenti, cupio humilem meam pandere opinionem de titulo pontificii Operis pro Catechistis, cuius sine mora condendi desiderium aliqui Patres in aula conciliari manifestaverunt.

Inter multiplices activitates quae in terris missionum catechistis committi solent, illa prae ceteris eminet, qua populum pro ministerio verbi sacerdotis missionarii praeparant, sicut Ioannes Baptista populum Iudaicum praeparavit pro adventu Christi Regnum Dei praedicantis et primi christiani praecursores fuerunt apostolorum in pluribus mundi partibus. Melius ergo, proposito novo pontificio Operi pro Catechistis convenire mihi videtur titulus: « Pontificium Opus *S. Ioannis* pro Catechistis » potius quam: « Pontificium Opus *S. Pauli* pro Catechistis ». Vocatio enim et ministerium S. Ioannis Baptistae melius correspondet vocationi et ministerio catechistae quam vocatio et ministerium S. Pauli.

37

EXC.MUS P. D. IOSEPH GUFFENS

Episcopus tit. Germanicianensis

Page 9, ligne 17: supprimer le mot paulatim; ligne 18: écrire crescit en place de crescere incipit; lignes 19-20: insérer le mot ubique (... et eo tendit ut hierarchiam propriam ubique habere possit).

Addenda: 1. Page 7, lignes 29 ss. Inde Concilium (S. Synodus) postquam in variis egerit documentis (exempli gratia in declaratione de Ecclesia), de natura missionali Ecclesiae, de adaptatione missionali, de subiecto missionis; necnon in textibus de scholis catholicis, de oecumenismo, *de Ecclesia in mundo huius temporis,* etc., sequentia in mentem...

2. Page 12: n. 11 (texte qui serait inséré, devenant lignes 11 ss.): In terris missionum orti professores, quocumque rite laureati, in institutione de qua agitur, laudabiliter suam extraneis professoribus valde desideratam collaborationem offerunt.

Si une discussion avait été prévue, on eût pu dire ce qui suit: « Plantare Ecclesiam »... locutio haec rectius intelligitur apud populos qui nunc « tiers-monde » appellantur, quando sibi structurae autochthonae ecclesiasticae procurantur. Valde alias displicet hiatus forsan vigens inter structuras politicas vel etiam oeconomicas, et ecclesiasticas.

Saepe vero dictum est de prudentia his in rebus servanda. Quaeritur num nimia prudentia summa imprudentia fieri aliquando possit?

Aliunde cogitandum videtur de qualibuscumque structuris. Nam plerumque iam constet nativos esse fere solos qui concives in quovis campo conducere possint; solos qui apud instantias internationales concives repraesentare queant. At si a Christi mente discrepant, quid? Citius ergo parentur catholicis pro posse adiuvantibus.

Scholae gradus diversi ut efficaces deveniant, oportet ut tam laici quam clerici ac religiosi necnon religiosae sedulo ubique vere aptos pueros e massa seligant; qui sine mora omnicumque modo instruantur. Et quidem a peritis qui, etiam in scholarum superioribus gradibus, ne sint fere omnes extranei.

Quis ignorare potest multum Christi regno prodesse laicos scientia eminentes, auctoritate, dexteritate, christiana mente imbutos?

Quis est qui ignoret homines diversarum gentium inter, mutuam reverentiam, aestimationem ac amicitiam multum conferre non tantum paci, sed ad ipsam aedificationem societatis quae evangelium magni faciat.

Quaestio: an satis apparent haec suprascripta, in schemate de quo?

38

Exc.mus P. D. RICHARDUS LESTER GUILLY

Episcopus Georgiopolitanus

Ad solvendam difficultatem de significatione vocis « Missio » propono ut adhibeatur descriptio magis practica et quidem sequens: *Ecclesia missionalis est Ecclesia quae non est sibi sufficiens vel quoad vocationes ad sacerdotium vel quoad copias materiales.*

Uti patet, talis descriptio speciatim refert ad illas terras, ubi sunt multi non-christiani, sed etiam ad illas terras ubi Ecclesia adhuc debilis est eo

quod illic adhuc multi non sunt catholici unde nec habentur sufficientes vocationes ad sacerdotium nec sufficientia subsidia materialia. Tales terrae eminenter sunt illae ad quarum evangelizationem vox Christi urget: « Ite... Docete ».

Secundum descriptionem mox exhibitam terminus « Ecclesia missionalis », e contra, applicari nequit ad illas terras in quibus Ecclesia iam bene fundata est, quamvis multi ibi degant homines irreligiosi vel areligiosi. Activitas Ecclesiae in illis terris aptius describeretur adhibendo vocem « Pastoralis activitas Ecclesiae ».

In hoc contextu aliam observationem terminologicam facere velim:

Hodie in multis nationibus minus bene videtur quod ipsae ab aliis describuntur tamquam nationes « non-evolutae » (un-developed countries); malunt appellari « nationes sese evolventes » (developing countries). Simili modo in pluribus nationibus minus bene accipitur quod ab Ecclesia habentur et publice describuntur tamquam « terrae missionales ». Ideo forsitan melius esset ut termini minus offensivi adhibeantur uti sunt, v. g., termini « Ecclesia crescens » vel « Ecclesia maturescens » vel « Ecclesia sese evolvens » vel alia huiusmodi.

Talis terminologia praesertim etiam utilis esset pro America Latina, ubi de facto Ecclesia in pluribus locis nec sufficientes vocationes ad sacerdotium habet nec sufficientes copias ac subsidia materialia. Secundum definitionem descriptivam supra propositam huiusmodi terrae ergo ut terrae missionales essent describendae. Quod si fieret, ipsis sacerdotes et adiutoria financiaria facilius dari possent et resolveretur problema nuperrime in aula ab exc.mo Domino Fulton Sheen expositum, problema nempe quod Americae Latinae congrua subsidia interdum ideo dari nequeunt quia technice loquendo illae terrae non habentur tamquam « Missiones » in actuali terminologico usu huius vocis.

Sed, uti patet, etiam praecise in casu Americae Latinae melius esset ut evitaretur vox « Missio » quippe quae sonum offensivum pro incolis huius terrae haberet, ita ut loco termini « Missio » melius tunc adhiberetur vox « Ecclesia sese evolvens » vel « Ecclesia maturescens » vel alius terminus huiusmodi.

39

Exc.mus P. D. MAXIMUS HERMANIUK

Archiepiscopus Vinnipegensis Ucrainorum

Schema hoc *non placet* propter 3 praecipuas rationes: 1. Schema caret elaboratione theologica ipsius ideae muneris missionalis Ecclesiae. Sine tali fundamento theologico, vero, totum schema apparet ut series quaedam variarum propositionum ordinis mere practici, sine ullo nexu organico inter eas existente. Huiusmodi praesentatio autem non videtur convenire documento conciliari de momentoso problemate missionali Ecclesiae.

2. In schemate quasi omnino deficit impetus ille missionalis Ecclesiae qui trahit corda et animos fidelium ad Regnum Dei his in terris instaurandum et suscitat numerosas vocationes missionarias inter viros et mulieres ad hoc munus sublime Ecclesiae inter homines adimplendum.

3. Denique, schema hoc non placet praesertim eo quod, loquendo de applicatione propositionum suarum ad varias regiones et coetus hominum, ubi Ecclesia vel nondum implantata est, vel sibi non sufficit illas institutiones erigere aut sustinere sine quibus vita christiana evolvi non potest, omnino tacet de regionibus *atheismi militantis,* quae regiones tam numerosae hodie numerantur et ut signum huius temporis recte meritoque ab Ecclesia reputantur.

De illo tertio puncto in particulari vellem quaedam hic animadvertere et propositiones quasdam practicas proponere.

A) Ex una parte, nemo potest, nostro humili iudicio, revera dubitare de munere missionali Ecclesiae etiam erga illas regiones, in tanto periculo spirituali versantes.

B) Ex altera parte, scimus ex historia, Ecclesiam nunquam in praeterito huiusmodi regiones missiones revera habuisse, ubi potestates civiles, in nomine cuiusdam falsae ideologiae materialisticae, ipsam ideam Dei et cuiuscumque religionis e cordibus civium, omni forma oppressionis politicae et socialis, physicis tormentis et omnimoda propaganda ideologica in scholis, universitatibus, ope radiophonii et televisionis, omnino eradicare conatae sunt.

In praeteritis persecutionibus Ecclesiae, potestates civiles oppugnabant quidem religionem christianam, sed simul affirmabant necessitatem alicuius alius religionis, cum cultu alicuius divinitatis. In atheismo militanti vero, omnis idea religiosa, ut talis, omni vi et politica oppressione violenter oppugnatur.

C) Quam ob rem, ad novum genus problematum in campo missionali Ecclesiae, requiritur nova methodus laboris apostolici, cum propriis mediis et necessariis viis, ad problemata illa recte solvenda et ad verbum Dei ibi efficaciter annuntiandum.

D) Methodus illa nova certe non potest esse silentium, ut schema nostrum videtur suggerere per absentiam totalem mentionis regionum atheismi militantis, quia certe certius methodus silentii non potest ibi intelligi ut executio praecepti Domini: « euntes ergo docete omnes gentes » (*Mt.* 28, 19). Certum est, silentium potest in quibusdam casibus prodere bono spirituali animarum. Sed non oportet in silentio refugium quaerere quando loqui debemus; non oportet Ecclesiae silentium consulere quando atheismus militans per orbem terrarum totalem negationem Dei et omnis vitae religiosae in dies fortius et violentius proclamat. Revera, quid putarent de tali silentio diplomatico Ecclesiae, omnes populi, inter quos multi sunt baptizati, qui sub iugo communismi atheistici iam per longos annos tormenta physica et

moralia patiuntur propter solum crimen se velle sequi propriam conscientiam et profiteri Deum? Quid putarent de hoc silentio nostri fideles, imbuti vero spiritu missionali Ecclesiae? Quid denique censerent de huiusmodi silentio omnes homines bene cordati, qui credunt in unum Deum et conscii sunt de iure uniuscuiusque hominis liberum esse in re religiosa? An silentium de hac re non esset interpretatum ab opinione publica uti nimis facilis excusatio cuiusdam indeferentiae ex parte nostra erga fratres nostros persecutos et publica confessio nostrae pusillanimitatis?

E) Via nova ad munus illud missionale novum adimplendum non est ergo quaerenda in silentio quodam diplomatico, sed in usu omnium mediorum communicationis socialis horum temporum et in virtute praedicationis verbi divini.

Inter media illa possunt nominari praesertim sequentia: *a*) Charta iurium personae humanae accepta hodie practice ab omnibus nationibus, etiam ab iis quae in nomine atheismi militantis oppugnant ipsam ideam Dei et omnis religionis.

b) Declaratio huius Sacrosanctae Synodi circa libertatem religiosam pro omni persona et societate humana.

c) Possibilitas pro omnibus episcopis et conferentiis episcopalibus nationalibus requirere a guberniis suis publicis, ut illa, in nomine dignitatis personae humanae, in nomine Chartae iurium personae humanae et in nomine iuris omnis personae humanae ad libertatem religiosam in foro interno et in foro externo, per organisationem Nationum Unitarum exigant ab omnibus nationibus membris istius organisationis internationalis, et ergo a nationibus atheismi militantis, ut ius ad libertatem religiosam ubique apud eas in legislatione civili affirmetur et in praxim deducatur.

Media haec actionis socialis sunt hodie ad dispositionem omnium civium, societatum et Ecclesiae. Cur Ecclesia non uteretur illis ad ius naturale omnium hominum vindicandum et ad verbum Dei omni creaturae praedicandum? Quid faceret hodie S. Paulus in nostra conditione? An sileret? Certe, non. Probabilissime magna cum prudentia uteretur omnibus his mediis ad Regnum Dei dilatandum. Verbum vivum et verbum scriptum, ratio et televisio, interventio apud varia gubernia civilia et exigentia iuridica libertatis religiosae pro omni persona et societate humana essent efficaciter ab eo adhibita ad evangelizationem mundi...

Conclusio. Omnibus his consideratis, schema hoc, nostra humili opinione, deberet denuo refici, solido fundamento theologico muniri, spiritu boni nuntii evangelici imbui, omnes campos principales activitatis missionalis Ecclesiae includere et *regiones atheismi militantis modo particulari considerare,* cum concreta propositione alicuius methodi novae actionis missionalis pro eis.

40

EXC.MUS P. D. CAROLUS M. HIMMER

Episcopus Tornacensis

Hae propositiones videntur realismo carere. V. g.:

N. 8 (*in schemate propositionum*): recolitur obligatio operi missionario cooperandi pro omnibus fidelibus sed non explicatur modus quo haec obligatio inculcabitur.

N. 11 (*textus emendati*). Activitas missionalis et cultura. Quae ibi dicuntur insufficientia sunt. « Tertium mundum » in quo operantur missionarii esse in plena evolutione nemo est qui negare posset. Atqui hoc factum suscitat multas quaestiones quas nostrum schema ne minime quidem tangit. V. g.:

Quomodo missionarii in hoc mundo novo sese inserent? Quomodo contactum et dialogum habebunt cum massis operariis et ruralibus huius tertii mundi, omni speciei « colonialismi » sese opponentibus et a communismo attractis? Quomodo utentur novis possibilitatibus ex his circumstantiis ortis?

Utrum missionarii debent cooperari motui hodierno evolutionis oeconomicae et socialis an potius reservare vires proprias sed proh dolor generatim valde insufficientes ad evangelizationem et ad sectorem proprie religiosum?

Datis desideriis « nationalisationis » populorum novorum, utrum missionarii debent pergere in via generatim usque adhuc promota construendi scholas, maternitates, clinicas, etc. an potius attendere praeprimis profundae formationi christianorum qui in variis sectoribus vitae culturalis et socialis, politicae et oeconomicae ut veri christiani agent et proinde testimonium Christo et Ecclesiae reddere poterunt (formation des cadres)?

Quomodo penetrationem christianismi intensificare in ambitibus intellectualibus Orientis et Extremi Orientis? Nonne utile esset quod ipsi sacerdotes et laici (de quibus in n. 11) periti in historia, litteratura, philosophia, theologia, etc., collaborationem veram et continuam instaurent cum viris peritis horum populorum (v. g. per articula scripta in eorum publicationibus culturalibus aut scientificis)? Hoc modo ibi introducerent fermentum christianum et multiplices relationes crearent cum mundo intellectuali non-christiano.

Utrum perseverandum est in « politica prestigii » an potius adoptanda politica servitii, paupertatis et humilitatis? Quid in hac perspectiva concrete proponendum?

N. 13 (*textus emendati*). Declaratur quod catechistae sunt formandi et sustentandi sed nihil dicitur de modo quo hoc fiet. Problema tanti momenti nequit exprimi in tribus lineis. Oportet magis determinare munus catechistarum tum in opere catecheseos proprie dictae apud catechumenos et christianos, tum in opere evangelizationis. Necesse est etiam promovere opera ad hanc formationem catechistarum promovendam et ad eosdem toto decursu vitae sustinendos.

41

EXC.MUS P. D. IACOBUS HOLMES SIEDLE

Episcopus Kigomaensis

Multum placet prooemium eo quod notatur, ex una parte distinctionem inter terras missionum et terras christianas esse valde attenuatam et, ex altera parte, facta socio-religiosa esse iustae considerationis digna (pag. 7, linn. 8-15).

Haec principia mihi videntur fundamentalia ad activitatem missionalem Ecclesiae rite accommodandam necessitatibus nostri temporis.

I. *Notio geographica missionis obsoleta est.* Missiones modernae ortum habuerunt, saeculo quintodecimo, tempore magnarum prospectionum geographicarum. Tunc revera Africa, Asia, Oceania tot continentes constituebant quot terras infidelium, ubi Ecclesia nondum plantata erat; Europa vero et Asia Minor christiano nomine et regimine decorabantur. Legitime ergo orbis terrae in duas partes tunc dividebatur, scil. christianitatem ex una parte, et ex altera parte terras infidelium.

Problematica missionaria hodierna ex toto differt ab ea quae vigebat saec. XV. In regionibus antiquitus christianis, inveniuntur immensi coetus humani qui extra Ecclesiam realiter degunt, ita ut Evangelizatione prorsus indigeant. In terris sic dictis missionum, ingentes turmae hominum, ad Christum conversae, in Ecclesiis localibus coadunantur sub ductu episcoporum suorum. His consideratis, distinctio inter christianitatem ex una parte et territoria missionum ex altera parte, non iam adaequata est. Nostris diebus, fere ubique terrarum Ecclesia constituta est, ac simul fere ubique terrarum infideles adsunt quibus Christus annuntietur oportet.

Istae animadversiones, ex sociologico examine deductae, optime cohaerent cum notione theologica missionis: etenim, missio coextensiva est Ecclesiae. Quapropter necessarium videtur, in Codice Iuris recognoscendo, rationem habere huius novae problematicae missionum, dempto criterio geographico hucusque ut fundamentali recepto. Etenim, sacrae missiones aliud quid sunt quam territoria.

II. *Aspectus sociologicus est primarius.* Novellis Ecclesiis ortis, in maxima luce apparet obiectum primarium quod evangelizatio aggredi debeat. Etenim, illae Ecclesiae novellae, quae numerosos fideles connumerant, generaliter sitae sunt in ambitu sociologico ubi cultura vel religio non-christiana proclives erant ad desintegrationem. Inde conversiones sat faciles, et christiani numerosi. At, in campis humanis ubi cultura vel religio non-christiana fortiter et organice integratae sunt, quamvis conatus ingentiores et antiquiores fuerint, conversi tam pauci sunt ut recte affirmari liceat evangelizationem ibi vix inchoatam esse. Nam, secundum recentes observationes statisti-

cas, in regionibus ubi magnae religiones non-christianae sese extendunt, invenitur circiter unus tantum catholicus pro cento.

Ergo concludere licet nostris diebus evangelizationem primarie consistere in penetrationem christianam harum ingentium multitudinum qui, in determinatos et magnos coetus coalescant, sive sint asseclae alicuius religionis, sive sint sectatores materialismi.

Si ad duo attendimus nempe: primo, quod istae multitudines evaluantur circiter ad duo milliarda hominum; secundo, quod hic ingens numerus duplicabitur intra paucos annos: recte perspiciuntur et pondus et urgentia laboris missionalis Ecclesiae.

Ratio activitatis missionalis reordinari debet ita ut efficacius et universalius dialogus instituatur cum istis coetibus humanis. Instituta Missionalia, vero, communi conatu nitantur haec media adhibere quibus via aperietur latiori dialogo.

III. *De hierarchia servanda inter diversos aspectus activitatis missionalis.* Omnibus consentaneum est Ecclesias novellas quam maxime adiuvandas esse ab Ecclesia universali. Activitas missionalis inter eas protrahi debet ita ut crescere et maturescere valeant debito modo. Attamen periculum adest ne tota activitas missionalis Ecclesiae ab illis absorbeatur ita ut in oblivionem veniat illa primaria et urgens necessitas seligendi media apta ad penetrationem magnorum coetuum non-christianorum. Haec oportet facere et illa non omittere. Quapropter maximi pretii est illud Consilium Centrale Evangelizationis de quo agitur in propositione quarta, ita ut omnia ordinate et harmonice fiant.

Ex eo quod, nostris diebus, notio geographica missionis obsoleta est, deduci nequit missiones exteras non amplius iustificari. Sane Evangelizatio dirigitur ad eos qui foris sunt, ubicumque terrarum degant. Attamen hic etiam adest hierarchia in rebus, quae diiudicari debet sub lumine oeconomiae salutis. Etenim, missio ab intra procedit, Spiritu Sancto afflante, ex exigentia interna Corporis Christi ad omnes homines et societates dilatandi. Incarnatione sua, Christus ad se assumpsit radicaliter totam humanitatem. Ad plenitudinem eius, proh dolor, tantae divitiae nationum adhuc desunt! Activitas missionalis in eo consistit ut Christus plenitudine sua omnia compleat. Sub hoc respectu, etsi missio, coextensiva Ecclesiae, ubique exercenda sit, tamen eo tendit ut omnes divitiae nationum in plenitudinem transeant Christi. Sic, in activitate missionali, aspectus geographicus locum cedit catholicitati authenticae; spiritus vero missionarius, non solum alitur desiderio animas Christo lucrifaciendi, sed, si liceat verba resumere ex constitutione *de Ecclesia,* « tendit ad recapitulandam totam humanitatem cum bonis eius sub Capite Christo », « cui gentes in haereditatem datae sunt et in cuius civitatem dona et munera adducunt » (*De Ecclesia,* n. 13, pag. 35, linn. 2-3; pag. 34, linn. 39-40).

42

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS JANSSEN

Episcopus tit. Coelianensis, vic. ap. Gimmaensis

1. Quamquam in schemate agi debet de *rebus et actionibus* multiplicibus necnon de missione ad terras et gentes longinquas, tamen accentuetur actio aut participatio *totius* Ecclesiae, missae in mundum, oboedientis verbo Christi. Quae omnia exprimi possunt si adoptatur ut titulus: *De missione Ecclesiae.*

2. Enixe rogo ut in descriptione missionis ad litteram citentur expressiones schematis de Ecclesia et de oecumenismo ut clare statuatur missio *non* esse aliquid particulare aut speciale partis alicuius ecclesiae sed *munus totius Corporis Christi.*

3. Cum de missione cogitetur quasi unice inter paganos, appareant etiam expressiones de practica Oecumenismi et etiam clarius verbum fiat de opere Ecclesiae inter non-paganos, ut recte videant missionarii rationem suae missionis in terris olim dictis schismaticis.

4. Cum aliquando et etiam saepe ad diversos et distantes locos eundum sit, in circumstantiis difficilibus operandum et ut aliqua continuitas habeatur in opere missionis, saltem ultimis saeculis opus concreditum est Congregationibus religiosis, quae tempore praeterito de missionibus bene meritae, secundum praevisionem probabilem per multos annos pondus diei et aestatem sunt portaturae. Pro quibus verbum consolationis et exhortationis in schemate minime dedecet.

5. Certo certissime Congregationes recognoscent culpam aut culpas in operibus missionis commissis et non semel in aula conciliari indicatis. Inter quas difficilis quaestio adaptationis saepius apparebat. Ad hanc adaptationem omnes religiosi instigentur, sed veritatis et realitatis causa novellae Ecclesiae admoneantur ut missionarios supportent et adiuvent, quia difficultates saepe proveniunt ex mala voluntate sacerdotum et episcoporum in terra missionis. Nescio quibus verbis hoc dici possit sed commissionis est ut religiosos in opere missionis exoneret in facie Ecclesiae a quadam nota malae voluntatis, sicut accusationes in Concilio ad minus dicere videbantur.

6. In formandis alumnis propriis pro terra missionis et ex terra missionis, Congregationibus detur opportunum auxilium a Propaganda Fide.

7. Ut in aula Concilii a quodam Patre dictum est, episcopo in opere missionis administranda detur fiducia pro applicatione eleemosynarum, quae etiam dentur sine determinationibus minutissimis circa applicationem.

8. Pro omnibus in missione laborantibus, qui se adiutos sciant a tota Ecclesia, opere et oratione, textus schematis habeat, ne dicam laudes et encomia, sed paternum et pastorale verbum consolationis et exhortationis:

qui mecum laboraverunt in Evangelio aut: Debemus suscipere eiusmodi ut cooperatores simus veritatis (*Io.* 3).

9. Tandem effectus schematis erit in brevitate, claritate et verbo succincto.

43

Exc.mus P. D. CASIMIRUS IOSEPH KOWALSKI
Episcopus Culmensis

1. Certo certius hoc schema licet coarctatum, multa laude digna continet. In nonnullis populis adest problema reactivisationis cum educationis tum cooperationis missionariae. Ad solvendum hoc problema schema nostrum insufficiens esse videtur. In activitate missionali explicanda enim nullam mentionem facit de hoc verbo quod Dominus multo antequam enuntiavit: « Euntes docete » et « praedicate evangelium », dixit nempe: « Rogate ergo Dominus messis, ut mittat operarios in messem suam » (*Mt.* 9, 38; *Lc.* 10, 2). Oratio ad vocationes missionales impetrandas in ipso initio schematis explicita et copiosa mentione digna est. Patronatus sanctae Theresiae ab Infante Iesu supra missiones non est intelligibilis, nisi affirmetur primo loco necessitas orationis secundum hoc verbum Domini: « Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum » (*Io.* 6, 44).

2. In explicatione ipsius activitatis missionariae, finis est primus in ordine intentionis. Hunc finem optime describit propheta Malachias in 1, 11: « Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum ». Ipse Christus clarificavit nomen Patris (*Io.* 17, 4; 17, 6), et ideo magnum erit nomen Dei in gentibus si Christus annuntietur. Haec annuntiatio Christi et quidem crucifixi, resurrecti et ad dexteram Patris sedentis, ipsam essentiam activitatis missionariae constituit, et ipsa est causa efficacitatis activitatis missionalis. Nullum aliud nomen et nullus alius valor hanc efficaciam habet. Ergo christocentrismus in schemate nostro latens evidentius appareat oportet. Quae activitas missionaria erit authentice ecclesiastica in tantum, in quantum annuntiatur Christus praecipue uti Princeps pacis et ea quae sunt Christi. « Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum omnia reconciliare in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt » (*Col.* 1, 18. 20). Quoad modum annuntiationis: Dominus noster qui discipulos suos sine pera et sine calceamentis in primam missionem misit (*Mt.* 10, 9-10), hodie spiritum paupertatis maxime in votis habet.

3. In propositionibus de formatione missionali brevissima mentio fit de familia. Videtur nobis summae esse necessitatis, ut addatur expositio de educatione vocationum missionalium in familia et per familiam. Licet in scho-

lis, seminariis et institutis religiosis opus educationis vocationis perficiatur, attamen germina vocationum in vita familiae apparent et ibi sedulo agnosci et indefesse educari debent. Quod officium familiae summi momenti est in educatione vocationum et unam ex principalibus obligationibus parentum constituit.

4. Quod cooperationem missionariam attinet ponendum est principium, quod nempe cooperatio respondere debet et necessitatibus veris et aspirationibus legitimis populorum et regionum. Ideo specificari oportet ea genera cooperationis, quae specialiter certis necessitatibus et aspirationibus missionum respondent. Variae regiones missionum possunt indigere: aliae sacerdotum, catechistarum et magistrorum, aliae technicorum et operariorum, aliae medicorum et architectarum etc. Quapropter cooperatio missionaria horum generum explicita mentione in schemate nostro digna esse videtur.

5. Denique ne omittatur expositio de speciali merito activitatis missionariae, quam ipse Summus Pontifex enuntiavit verbis: Date et dabitur vobis. Experientia constat personas singulares, familias et paroecias, dioeceses et populos benedictione de rore caelesti et de pinguedine terrae repleri in tantum, in quantum generoso modo missiones adiuvant. Omnis missionarius simpliciter et omnis cooperator missionum secundum quid repetit post S. Petrum: « Ecce nos reliquimus omnia » (*Mt.* 19, 27; *Mc.* 10, 28). Sed certo certius Dominus noster Iesus Christus in his omnibus qui activitatem missionariam secundum sensum Ecclesiae operando et cooperando exercent, verificabit promissionem suam: « omnis qui reliquerit domum... propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit » (*Mt.* 19, 29).

Rogamus ergo Dominum messis, ut omnes operarii iam praeparati possint libere in missiones proficisci et ibidem cum fiducia annuntiare Christum, ut possit de eis etiam dici: « In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum ».

44

Exc.mus P. D. LUCIANUS LACOSTE

Episcopus Talianus, adm. ap. Chiengmaiensis

Nomine quorumdam episcoporum Thailandiae loquor.

Schema *de activitate missionali Ecclesiae,* certo quam maxime contractum, non amplius valet penitus tractare totum problema operis missionarii, quod tamen est activitas essentialis Ecclesiae.

De hoc schemate, duplicem animadversionem proponam: 1. Circa art. IV, vellem ut etiamsi aliud quoddam organismum instauretur ad opus missionarium per orbem iuvandum et stimulandum, tamen S. C. de Propaganda Fide extra omnem disceptationem remaneat in munere et praerogativa sua suprema. Iam per tria elapsa saecula ab instauratione sua, indubitanter fuit instigatrix,

moderatrix et cor omnium missionum, quasi ipsa manus Summorum Pontificum in dirigendis et sustinendis personis et societatibus quae se impendebant in Evangelio apud gentes propagando.

Optari tamen iuvat hanc S. Congregationem magis ac magis immediate et personaliter contactum habere cum opere missionum. Etsi Apostolicos Delegatos habeat in regionibus missionum, etsi moderatores ipsi missionum statis temporibus Congregationem adeant, immo etsi ipse em.mus Praefectus Congregationis raro (ut facile admittitur) unam vel aliam regionem visitaverit, tamen illa necessaria coniunctio insufficiens esse videtur.

Quam ob rem propono ut S. C. de Propaganda Fide statis temporibus mittat visitatores vel sicut inspectores, qui nomine eius singulas missiones visitent, missionarios confortent, illarum necessitates in situ recognoscant, usum subsidiorum quoque ab Opera Propagationis Fidei receptis cognoscant.

Simul ac validum stimulum pro ipsis Evangelii operariis, isti « Missi Dominici » pro S. C. de Propaganda Fide erunt fons cognitionis immediatae et quasi personalis singularum missionum. Cognitio autem illa valde necessaria difficilis obtentu ordinarie evadit, cum longe differre possint conditiones missionum etiam in eadem regione.

2. Quoad art. VII schematis, quod dicitur de debito missionali religiosorum debile et insufficiens mihi videtur. Omnes certo agnoscere debent diversas familias religiosas praecipuas partes habuisse in fundatione, et incremento missionum a saec. XV, ne quid dicam de periodo anteriore. Et si paulatim Instituta saecularia egregie laborare coeperunt in opere missionario, tamen Ordines Religiosi semper ibi locum conspicuum retinent.

Volo tamen humiliter proponere duas additiones ad art. VII, quibus iuvaretur Institutorum et Ordinum Religiosorum illa maior perfectio ad quam ex institutione sua tendere semper debent.

a) Si quae sunt adhuc familiae religiosae quae extra campum missionum remanserint, deberent praeter oblationem orationum et immolationem suam spiritualem, Sacrae Congregationi Fidei collaborationem suam concretam proponere et offerre. Quaevis familia religiosa, utcumque parva, activitatem missionariam suscipere debet a S. C. de Propaganda Fide praecise statutam, ita ut modis et locis determinatis, vel personis, vel subsidiis, vel aliis technicis auxiliis, huic universali obligationi Evangelium praedicandi concrete satisfaciat.

b) Optandum est ut Ordines et Instituta Religiosa quae operi missionario iam se impendunt, hoc cum spiritu vere (ut ita dicam) *ecclesiali* faciant. Ita ut non tam propriam quam Ecclesiae implantationem et incrementum exquirant in regione sibi concredita. In primis ut obligationem capitalem habere debent instaurationem optimi cleri saecularis. Cavendum est ne proprii incrementi magis solliciti quam cleri saecularis, ut infeliciter accidit, religiosi pro Institutis suis iuvenes melioris ingenii retineant, mediocres vero clero saeculari relinquant. Hoc impartialiter dico qui ipse ex Congregatione religiosa sum. Oblivisci non debent religiosi missionarii se norma-

liter portionem missionis sibi ipsis commissam, a seipsis fortasse cum magno labore conditam et extensam, transmissuros esse moderamini cleri saecularis.

Sicut eos suadet finis vocationis propriae, qui est ad perfectionem tendere, et bonum missionum quibus se impendit, clerus missionarius religiosus ante omnia instaurationem optimi cleri saecularis quaerere debet. Egregio exemplo Ioannis Praecursoris dicentis: « Oportet illum crescere, me autem minui »; simul ac verbis ipsius Salvatoris innitentes: « Servi inutiles sumus ». « Quid enim, sicut et dicit Apostolus gentium, dum omni modo Christus annuntietur? ».

45

Exc.mus P. D. EMMANUEL LARRAIN ERRÁZURIZ

Episcopus Talcensis

Imprimis aliquid dicam quomodo, divino afflante Spiritu, collegialitas episcopalis communionem ecclesialem fovere debet et hoc fiet assumendo modo magis activo in functione missionali Ecclesiae una cum ipso Summo Pontifice et secundo quomodo episcopi ad hanc activitatem missionalem exercendam missione canonica praediti esse debent.

Primo de communione ecclesiali erga missionem a collegio episcopali una cum Romano Pontifice promovenda loquar.

Episcopi enim omnes sollicitudinis universalis Romani Pontificis participes active magis ac magis fieri debent. Et ratio ex ipsa const. *de Ecclesia* claro clarius hodie apparet et antea speciatim ex litt. encyclicis *Fidei donum* Pii XII ven. memoriae. Vi ipsius consecrationis episcopalis, ut legitur apud antiquos rituales usque ad saec. XII, episcopi « munus » in universam Ecclesiam accipiunt et quia periculum in mora adest, in hac periodo accelerationis historiae, missiones adiutorium permagnum requirunt et nonnisi omnes vires totius Ecclesiae coniunctas auxilium necessarium praebere satagunt.

Enucleate Encycl. *Fidei donum* de huiusmodi in actibus vivis Ecclesiae traducendis tractavit et ad conclusiones valde practicas feliciter devenit. Talis doctrina in textu ipso huiusmodi schematis substantialiter aliquomodo iam iacet sed necesse est ut magis ibidem appareat.

Iam in multis nationibus vel modo permanenti ut CELAM in America Latina vel alibi, aliter saltem perdurante Concilio Oecumenico, coetus episcoporum congregati sunt et quoad evangelizationem mundi reapse participes sollicitudinis erga totam Ecclesiam facti sunt.

Utinam futurum organum repraesentativum centrale — quod practice in votis omnium Patrum ardenter adest — functionem maximi momenti directivam et animatricem in bonum totius Ecclesiae mox exercere possit...

Una cum Romano Pontifice, episcopi vel selecti ab ipso Pontifice vel ut delegati propriae conferentiae regionalis, de praecipuis Ecclesiae univer-

salis necessitatibus et disponibilitatibus summatim aestimabunt et postea quid opportunum erit tractent sed cavendum erit a nimia centralisatione quae diversis in regionibus vitam Ecclesiae perturbare possit.

Sic missionem implantandae Ecclesiae decursu saeculorum Evangelii praecones per ipsum Summum Pontificem vel per collegium episcopale receperunt vel per alios episcopos. Cum creatione novellarum Ecclesiarum, « ius sic dictum Commissionis » per quod Apostolica Sedes regionem aliquam evangelizandi causa alicui Instituto committebat, mutari debet, sed nullatenus responsabilitas collegialis evangelizandi mundum diminuit.

Circumscribitur non tantum super territoriis sed etiam et imprimis super aereis, zonis, spatiis humanis adhuc non-christianis. Problema evangelizationis immensa spatia humana, inter se aliquomodo homogenea saltem respectu vitae religiosae, complectitur.

Actionem ergo concertatam, specializatam secundum notas uniuscumque coetuum in quos fermentum Evangelii immittendum est. Proin eam quae evidenter possibilitates dioecesium superat oeconomiam scilicet praevisionem futurae actionis requirit.

Sic, Evangelizationis causa, eaedem necessitates quam pro actione pastorali postulantur. Atqui necessitates pastorales ad erectionem Praelaturarum pro exercitibus, pro migrantibus adduxerunt. Solutio identica, in aliquibus casibus, pro actione missionali necessaria erit.

Ceterum huiusmodi solutio iam Commissioni Revisionis Codicis commendatur. In schemate olim « de sacerdotibus » pag. 45, n. 39 *b*) legi potest: « ... sanciat... Praelaturas cum vel sine territorio a Sancta Sede constitutas, quarum sacerdotes, specificam praeparationem consecuti, totis viribus se dent ad animarum bonum promovendum earum dioecesium, in quacumque terrarum orbis parte ubi sacerdotes desiderentur specialibus qualitatibus ornati, qui peculiares apostolatus sociales, vel intellectuales vel etiam penetrationis in diversos societatis ordines exsequi valeant ».

... Talis missio canonica desursum data missionem ab episcopo dandam e medio nullatenus tollit. Etenim notula textus ipsius explanationem praebet (nota 8) « his sacerdotes... nulla fruuntur ab Ordinario loci exemptione. Praelati tenentur ad curandam de membrorum vita spirituali deque eorum specifica et technica actione et formatione, ubicumque illi suum exerceant laborem ».

Concludendum est. Collegialitas usque ad has praecisationes missionis canonicae necessario deveniet. Huiusmodi orientationes maximi momenti sunt in futurum pro actione missionali Ecclesiae: Propter quod antea sollicitudo omnium ecclesiarum de fide in fidem apud omnes episcopos radicetur.

46

Exc.mus P. D. PETRUS ALOISIUS LECLERC

Episcopus Seguensis

Quia ipsi apostoli a Domino mandatum acceperunt totum mundum evangelizandi, successoribus eorum tum obligatio tum potestas incumbit hanc evangelizationem provehendi et moderandi. Hoc munus, vero, adimplere nequeunt, nisi mittendo operarios apostolicos, quibus conferunt speciale mandatum ad evangelizationem et ad fundationem Ecclesiae. Usque ad hos ultimos annos, hoc mandatum consistebat in eo quod S. C. de Propaganda Fide alicui Instituto missionali committebat determinatum territorium evangelizandum.

Sane fatendum est activitatem missionalem Ecclesiae suos immensos fructus obtinuisse usque nunc, ope istius instrumenti iuridici quod « commissionem » vocant. Attamen ius commissionis per se est aliquid transitorium: conceditur a Summo Pontifice eo fine ut Ecclesia localis fundetur. Ius commissionis ergo de se evanescit quando Ecclesia novella constituta est.

Sed res attenta consideratione digna est: etenim vanae evadunt dispositiones iuridicae quae veritati rerum non satis cohaerent. Quapropter omnia adiuncta ponderanda sunt, ne mutationes in iure missionario nocumentum afferant vel plantationi Ecclesiae, vel evangelizationi, vel etiam ipsis novellis Ecclesiis. De his singillatim aliquod verbum faciam.

I. Ad plantationem Ecclesiae quod attinet, omnibus notum est, nostris diebus, hierarchiam erectam fuisse in amplis regionibus. Si dicatur quod hierarchia erecta, ipso facto supprimitur ius commissionis, quomodo sese evolvere possent hae dioeceses, ubi christiani parvo numero sunt et ubi adhuc deest clerus localis? Omnino necessarium est ut exstet aliquis responsabilis de operariis apostolicis suppeditandis. Realis ergo situatio talium dioecesium exposcit ut ibi ius commissionis in suo vigore permaneat. Concludendum est quod hierarchiae erectio non praebet sufficiens criterium ad diiudicandum utrum ius commissionis adhuc stare debeat necne.

Nec magis ad rem adiuvat criterium desumptum ex facto quod aliqua dioecesis concredita sit episcopo autochthono. Hodierna adiuncta saepe postulaverunt talem modum agendi. Et ita factum est ut inveniantur episcopi locales prorsus carentes clero vere proprio. Ubinam inveniri possint operarii apostolici, nisi talis dioecesis committatur alicui Instituto missionali, cuius adsit responsabilitas praebendi sacerdotes sufficientes?

Ergo ad diiudicandum utrum ius commissionis obsoletum sit annon, imprimis attendendum est ad situationem sociologico-religiosam uniuscuiusque dioeceseos. Si adhuc est in periodo primae implantationis Ecclesiae, omnino indiget statui iuridico commissionis, secus nullum adiumentum recipiet. Compertum est enim sacerdotes, missos a dioecesibus antiquitus chri-

stianis vel a Congregationibus religiosis non-missionariis, libenter se conferre ad adiuvandas Ecclesias novellas proprie dictas, sed generatim non se sentire aptos nec promptos eundi in regiones ubi labor adhuc consistat in primam evangelizationem et in primam plantationem Ecclesiae.

II. Ad evangelizationem quod attinet: si ex una parte admittitur responsabilitatem evangelizationis mundi primarie penes Summum Pontificem et collegium episcopalem esse, et ex altera parte, si consideratur evangelizationem magis ac magis coarctari in penetrationem coetuum humanorum non-christianorum, clare apparet necessitas instituendi instrumentum iuridicum aptum ad talem evangelizationem providendam. Ad hoc non sufficit ius commissionis, quia circa territoria versatur, cum evangelizatio deinceps primarie versetur circa coetus humanos. Notandum est saepe adiuncta talia esse ut exigant missionarios missione quadam canonica instructos esse debere, secus ad alia opera divertentur, et dialogus institui nequiret cum asseclis magnarum religionum non-christianarum.

Ergo necesse est ut mutuo componatur et responsabilitas universalis evangelizationis collegii episcoporum, et auctoritas propria uniuscuiusque episcopi. Haec, quamvis sit plena et immediata pro moderatione apostolatus in sua dioecesi, tamen non est absoluta. Temperatur enim ab imo et a summo: ab imo, quia adest collegialitas presbyteralis cuius caput est episcopus; a summo, quia in exercitio suae potestatis, episcopus rationem habere tenetur eorum quae a Summo Pontifice in re missionali statuuntur. Sicut missio canonica a Summo Pontifice missionariis danda pro efficaci evangelizatione totius mundi omnino necessaria est, ita requiritur ut haec missio a singulis episcopis, in quorum dioeceses isti missionarii mittuntur, plene agnoscatur et quoad exercitium nullo modo impediatur.

III. Ad novellas Ecclesias quod attinet, normae iuridicae faveant oportet eorum vitam propriam.

Novella Ecclesia ea est quae consistentia propria iam gaudet, eo quod communitas christiana sat numerosa est quodammodo stabiliter aedificata, ita ut, copia cleri localis praedita atque subsidiis apostolatus laicorum dotata, sese suis propriis viribus evolvere possit, quamvis adhuc indigeat auxiliis externis quoad operarios apostolicos et opes. Ubi haec ita se habent, sane ius commissionis non iam legitimatur. Esset aliquid noxium quo officeretur vitalitas propria huius Ecclesiae localis.

Ergo in tali casu supprimendum est. Missionarii ibi laborantes regantur iis normis iuris communis quibus moderantur relationes inter Ecclesiam localem et Congregationes religiosas. Etenim, ius exceptionale, in hac materia non esset proficuum novellis Ecclesiis. Nam, maturitatem suam adipiscentes normas in Ecclesia suetas sequantur oportet, quia viae sunt aureae quibus disciplina et vita ecclesiastica firmantur et aedificantur. Ius commune, dico, non prout est nunc conditum, sed prout recognoscendum est attentis observationibus in hac aula prolatis. Optandum est, enim, ut ius commune,

omissis regulis nimis particularibus, vere fiat toti Ecclesiae commune ita ut ubique terrarum applicari possit.

Concludo: Dispositiones iuridicae ad campum evangelizationis et plantationis Ecclesiae moderandum in hodiernis adiunctis, et ea quae novellis Ecclesiis applicandae sunt, sedulo determinari debent, perspectis omnibus circumstantiis attenta praesertim situatione sociologico-religiosa uniuscuiusque dioecesis ita ut, minime nocentes activitati missionali, potius ei faveant et faciliorem reddant.

47

Exc.mus P. D. IULIANUS LE COUËDIC
Episcopus Trecensis

Textus Patribus Concilii exhibitus mihi valde placet, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad spiritum qui eum vivificat et in ipsa praesentatione relucet.

Attamen mihi videtur in lucem ponere modo unico, et in tribus casibus modo specifico, vel missionem in regionibus infidelium, vel missionem quae ad illimitatas terras spectat, verbi gratia in America Meridionali, ubi instanter desiderantur sacerdotes ex Europa vel ex America Septemtrionali provenientes.

Etsi redactores textus accurate cavent (et in hoc sincere eos laudo!) ne haec vel illa regio speciatim designetur, attamen ex modo loquendi apparet, et quidem merito! quod sermo fit imprimis de regionibus illis longinquis, quae reapse « in umbra mortis sedent ».

Nunc autem, videtur quod attendendum sit etiam, ex parte Concilii, gravissimae quaestioni *de missione interna in illis nationibus per saecula catholicam fidem profitentibus, hodie vero in statu religioso versantibus,* quae forsan non absolutam similitudinem, sed certe analogiam exhibent cum regionibus missionis, id est, eis diversimode assimilantur cum aliquibus differentiis.

Addere mihi liceat, quod interventio mea nullomodo quasi oratio « pro domo » consideranda sit, sed solum quasi expositio rerum, ut hodie exstant in dioecesibus, quae ab antiquissimo tempore religione christiana florebant, nunc autem, proh dolor! regionibus missionis adnumerandae sunt.

Abhinc 50 annos notatur in illis dioecesibus diminutio numeri sacerdotum, ita ut fideles nostri tanquam consuetudinem normalem considerant quod amplius non sint parochi residentes, vel etiam quod officium religiosum habeatur solum interpositis longioribus et incertis temporum intervallis.

Non existebant, apud nos, usque in hodiernum diem, laici catechistae competentes, ut adsunt, Dei gratia, in missionibus ad extra; et sic accidebat, ut pueri ad primam communionem solemnem accedentes cognitionem nonnisi confusam haberent de doctrina christiana; et prima illa, sine quondam praeparatione effecta Communio revere et ultima erat.

Hae regiones, de quibus loquimur, certe non ut paganae considerandae sunt, sed ut christianismo alienae; iam a viginti annis auxilium efficax acceperunt ex aliis locis in eadem natione, et de hoc gratias agunt quam maximas; nunc autem sibi ipsis derelictae sunt, ob diversas rationes, quas cum venia Concilii, hic modo clariori exponemus:

1. Iuvenibus hodierni temporis valde placet in terras longinquas abire, ad ministerium exercendum, potiusquam illud adimplere in forma traditionali et monotona praeteriti temporis.

2. Iuvenes nostri magis attrahuntur ad heroismum et ad exaltationem martyrii, quod accidere potest in missionibus ut ita dicam exceptionalibus, potiusquam ad martyrium obscurum in nostro ministerio parochiali; et saepius obliviscuntur, quod caritas vera coniungi debet cum humilitate.

Nunc autem, si verum est quod heroismus in eo sistit, ut quisque, ad exemplum Abrahae, de « terra sua egrediatur » (*Gn.* 12, 1), etiam verissimum est quod heroismi nomine appellari potest ministerium evangelii et abnegatio suiipsius in servitium animarum, quae fidem perdiderunt, et eam iterum invenire non desiderant. Hac de re mentem suam mihi aperuerunt diversi episcopi, et quidem cum anxietate.

Omnino certum est, quod problema missionarium in hisce nostris temporibus poni et perpendi debet, ex simplici ratione quod ex sua solutione dependet in futurum existentia vocationum ecclesiasticarum. Etenim, iuvenes hodierni, ex quavis sint origine (et in hoc sane laudandi sunt!) in seminarium ingredientur solummodo cum scopo missionario; haec est pro eis « conditio sine qua non ». Sed pariter plane necessarium est, ut problema missionarium perpendatur et resolvatur secundum suam totam amplitudinem, scil. secundum suam extensionem etiam ad illas regiones quae olim christianae fuerunt, nunc autem a christianismo recesserunt. Hi duo campi missionis nequaquam invicem adversantur, sed potius intime coniunguntur.

Oporteret ergo, mea humili sententia, loqui possit libere et aperte in seminariis nationalibus, quae vicinas habent tales regiones a religione delapsas, de virtute heroica, quae parocho vel vicario necessaria est, ad ministerium peragendum in talibus locis; et virtus haec heroica inculcanda esset apud optimos inter candidatos ad sacerdotium.

Quid addam, nisi quod haec agendi ratio non aliud est quam ipsa sapientia, et simplex praevidentia temporis futuri? Quando lepra vicinos nostros iam inficit, non sufficit, ad eam praecavendam, ut tintinnabulum personemus, sed directe oppugnanda est, ipsos aegrotos rite curando.

Minime vellem, hac mea interventione, minorem reddere zelum, quem nos omnes habere debemus ad annuntiandum Regnum Dei usque ad ultimum terrae; hoc solum intendo, ut oculos nostros convertamur etiam ad terras olim Christo subditas, ab ipso vero delapsas, quae tamen etiam hodie ad id perveniunt, ut missionarios in Africam mittant. Si ergo meliores fierent, etiam plures numero mandare possent praecones Evangelii ad fratres qui longe sunt.

Et sic, ex regionibus quae hodie auxilio indigent, campi uberrimi fierent et universo mundo auxilium praestare possent!

Concludo: exoptarem ut in hoc capitulo aliquid addatur et quidem signetur etiam circa missionem intra regiones a fide delapsas, ita ut sermo fiat non tantum de missionibus exteris, sed etiam de missionibus internis.

48

Exc.mus P. D. MARCELLUS LEFEBVRE

Archiepiscopus tit. Synnadensis in Phrygia

Multi Patres rationes exposuerunt defectuum schematis, et certe, cum eis humiliter et plene consentio.

Schema, ut iacet, non respondet momento materiae quod mihi videtur multo maius quam momentum materiae schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Immo et audeo dicere quod vera et fundamentalis responsio Ecclesiae problematibus mundi hodierni consistit praecise in activitate missionali Ecclesiae.

Quotidie hoc experti sumus in terris missionum et in universa terra. Ubi fides et gratia Christi, ibi crescit pax, prosperitas, castitas, gaudium, i. e. omnes fructus Spiritus Sancti. Attamen duas observationes facere vellem:

1. In prooemio schematis summatim dicatur quod de historia vitae missionalis Ecclesiae Romanae dictum est ab em.mo relatore, quia non possumus in futurum progredi nisi in vera et optima Traditione Ecclesiae fundati.

Oblivisci non debemus quod soli Romani Pontifices, Successores Petri, de facto et ideo de iure in universum mundum miserunt et missionarios et episcopos. Hic in aula quanti sunt Patres qui Romae studuerunt et sensum Ecclesiae catholicae hic in Urbe pro toto vitae decursu acquisiverunt et missi a Summis Pontificibus fuerunt in universum orbem ad novas ecclesias particulares condendas.

De facto enim solus Petrus et Successores eius hoc officium et ius modo ordinario habuerunt. Alii apostoli nisi ex privilegio; unde huius privilegii heredes non fuerunt episcopi successores eorum.

2. Quoad consilium internationale apud S. C. de Propaganda Fide cautissimi esse debemus.

Certe sapientia et prudentia exigunt ab iis qui auctoritatem et munus habent ut iudicium suum efforment cum praevia investigatione, informatione apud peritos et senes.

Sed auctoritas inefficax redderetur si aliquo modo et in aliqua mensura coarctaretur ab aliquo coetu qui auctoritatis partem haberet.

Usque nunc et ideo de iure, auctoritas in Ecclesia fuit personalis in persona physica, auctoritas paterna quae datur et accipitur sive per gratiam,

sive per mandatum vel missionem. Haec est vera fundamentalis ratio efficacitatis: paternitas cum fide et gratia.

Unde prudenter vota facere debemus relate ad hunc coetum apud S. C. de Propaganda Fide.

Denique tandem: quid semper quaerunt et postulant episcopi missionum superioribus generalibus, quid expectant a Propaganda Fide et ab omnibus episcopis antiquarum dioecesium? Cooperatores, sive clerici sive laici, et pecuniam, nihil aliud. Unde hoc vellem proponere:

Quoad cooperatores: 1. In quantum possibile est sint locales. Et experientia constat quod multi boni iuvenes sunt in territoriis missionum qui optimi cooperatores esse possunt, sed ad sacerdotium difficile perveniunt. Si hodie possent imprimis fieri acolythi et post satis prolatam probationem fieri diaconi non uxorati, multum iuvare possent sacerdotes in paroeciis. Possent in paucis annis numerosi esse.

2. Episcopi dioecesani in dioecesibus antiquis nullo modo timere deberent generose adiuvare vocationes pro missionibus. Experientia constat quod ubi in aliquo pago unus iuvenis vocationi respondet, attrahuntur alii. Generositas generositatem gignit.

Forsan ad vitandam aliquam competitionem possent in aliquibus regionibus ubi vocationes minuuntur omnes iuvenes in unicum seminarium minorem adire et in ultimo anno electionem facere.

Quoad pecuniam: Mihi semper persuasum fuit hoc problema non esse insolubile, relative saltem.

Si unoquoque anno, unusquisque episcopus quaesita rationabilia praecisa concreta ad Consilium Generale in Propaganda Fide mitteret, hoc Consilium posset quaerere ab aliquo episcopo mediante Praesidente nationali Propagationis Fidei ut ipse eligat sive civitatem sive paroeciam aliquam quae opus concretum in iurisdictione concreta efficeret. Esset honor pro aliqua civitate vel paroecia, ecclesiam vel scholam vel aliam domum condere in regionibus pauperibus.

Erit forsan optima occasio pro episcopo et delegatione suae dioecesis adeundi locum ubi domus exstructa est, die benedictionis.

Sed videtur essentiale quod hoc fiat mediante Propagatione Fidei Romae et episcopo dioecesano, ut vitentur abusus et praesertim ut episcopi missionarii amplius non egent percurrere mundum ut aliqua millia dollarum obtineant et fere totam pecuniam in itinerum expensis perdant.

Ad hoc complendum addere debemus precum necessitatem et ad preces excitandas pro missionibus, existere posset officium ad preces et intentiones recolendas, cum omnes sciunt omnia possibilia esse cum Christo et sine eo nihil.

49

Exc.mus P. D. EUGENIUS MAILLAT
Episcopus N'Zerekoreensis

Schema *de Ecclesia* solemniter declarat missionem esse essentialem activitatem Ecclesiae: de hoc, nemo quidem ex nobis dubitat cum mandata Christi resonare non desitura sint usque ad terminos saeculorum: « Ite, docete omnes gentes ».

Rebus sic dispositis a Deo qui hominum auxilio uti vult ut evangelium salutis cunctis nuntietur, mihi liceat dicere quantam sit deceptionem multorum episcoporum novellarum Ecclesiarum et episcoporum e terris missionum, quando vident ad quantulas propositiones nunc reducatur schema in quo hi episcopi tantam spem posuerint.

Curantes ut respondeamus voto Christi, qui, pridie quam traderetur, Patrem oravit pro omnibus qui nomen christianum sibi vindicaverint, « ut unum sint » iam, fratribus nostris aliarum Ecclesiarum astantibus, nobisque benevolentia et orationibus auxilium ferentibus, nuper tractavimus de gravi problemate oecumenismi. Si iure curavimus ut viam unitatis sterneretur inter omnes qui hic in terris a Christo nomen acceperint, nunc debemus, eadem sollicitudine, curam habere missionis Ecclesiae datae ut ad omnes perveniat evangelium salutis.

Primum, ab apostolorum tempore, ut mihi videtur, Concilium, directe et explicite, mentem suam dirigit ad testamentum Domini: « Ite, docete omnes gentes, praedicate evangelium omni creaturae ». Quamvis episcopi venientes e regionibus ubi christianismus recentior est, raro loquuntur in aula conciliari, repraesentant tamen tres quartas partes hominum. Quamquam admittunt quod schema dicit pag. 7, lin. 11, distinctionem nunc valde attenuatam esse inter regiones quarum pastores sunt et terras dictas christianas, optime tamen sciunt problemata de activitate missionali Ecclesiae nunc tam complexa esse quam heri, etsi evolvuntur. Itaque vehementer exspectant ut Concilium fuse et profunde tractet de activitate missionali Ecclesiae.

Non enim sufficit, ut dicit schema in propositione quarta, ut consilium centrale evangelizationis condatur ad rei missionalis profectum et ad omnium Ecclesiarum communionem quoad evangelizationem gentium complendam. Oportet hoc Concilium condat doctrinam et normas quarum absentia ipsa in schemate notatur ex eo quod commissio de missionibus anceps remansit inter conceptum missionis theologice enucleatum et conceptum mere iuridicum prout nunc in iure iacet.

Nimis longius evangelii praecones ab Ecclesia normas officiales quoad missionem exspectaverunt. His carentibus, unaquaque schola theologiae missionalis suam doctrinam sic elaborat ut mentes ad praelia ducantur, vires disperdantur et confusio oriatur. Ne loquamur de quaestione Rituum in Sinis, cuius sequelas Ecclesia et populi evangelizandi graviter passi sunt. Sed

exemplum recentius afferam, adhuc actuale, scil.: episcopi e terris missionum exspectaverunt theologiam pro colonisatione et pro decolonisatione. Sciunt quantum passi sunt proclamantes ius populorum in coloniis ad autonomiam et independentiam, multis christianis ex Europa mirantibus et aegre ferentibus, cum ipsum prelum christianum, quod opinionem facit, eis opponebatur.

In nova aetate nunc sumus: primum in historia genus humanum capax fit unitatem suam concrete sentiendi. In hac nova situatione, Ecclesia non debet inermis stare, cum evidentes tandem sint verae mensurae missionis eius. Item, primum, ab hominibus Ecclesia non impugnatur de doctrina sed de seipsa: « Et tu quae es? Quid dicis de teipsa? ». Tam profundae quaestiones sine responsione manere non debent. Episcopi qui pondus evangelii apud non christianos annuntiandi portant:

— exspectant normas pro activitate missionali in temporibus hodiernis,

— postulant directivas et sperant hanc sanctam synodum in tota Ecclesia aestimationem, amorem, adiutorium pro missionibus fore excitaturam.

In schemate nostro, optandum est ut propositiones quae de munere episcoporum in evangelizatione mundi tractant, scil. propositio 2 et propositio 5 perfectius enuntient: 1. partes quas collegium episcoporum in evangelizatione mundi exercere tenetur; 2. partes quae obveniunt episcopis singillatim sumptis; 3. quomodo obligationes quae oriuntur e collegialitate harmonice componi debent cum obligationibus erga propriam dioecesim.

1. Quoad primum, scil. partes quas collegium episcoporum in evangelizatione mundi exercere tenetur, textus propositionis 2, sub *a*), est ambiguus, incompletus et sine vigore dicendi.

a) Ambiguitas adest, eo quod sententia allata, scil. « Episcopi totius mundi una cum Romano Pontifice et sub eius auctoritate », intelligi potest tum de collegio episcoporum, tum de episcopis singulis. Si de collegio episcoporum intelligitur, tunc verum est quod affirmatur, i. e.: « Collegium episcopale munus habet ubique terrarum fidem promovendi, etc. ». Si vero de singulis episcopis intelligitur, tunc falsum quid enuntiatur in textu, cum certo certius non competat episcopo, ex cuius dioecesi proficiscuntur missionarii, eisdem missionem canonicam impertire. Etenim missionem canonicam ad evangelizationem confert aut Summus Pontifex, aut episcopus dioeceseos in qua opus evangelizationis exercendum est.

Ad tollendam hanc ambiguitatem, propono ut, loco « episcopi totius mundi » legatur « collegium episcoporum ». Tunc sententia vera erit sed incompleta.

b) Propositio est incompleta: nam in constitutione *de Ecclesia*, apprime declaravimus quod, si collegio episcoporum cura commissa est Evangelium ubique terrarum annuntiandi (cf. *de Ecclesia* n. 23, pag. 66, linn. 1-5), tamen Romano Pontifici, utpote Petri successori, « grande munus christiani nominis propagandi, *singulari modo* demandatum est » (cf. *de Ecclesia,* n. 23, pag. 66, linn. 9-11). Hoc munus proprium et singulare Romani Pontificis nullibi in nostris propositionibus affirmatur, nisi implicite tantum, nempe

in propositione 4 sub *b*) (pag. 9, lin. 38). Quapropter textus emendandus est.

c) Propositio caret vigore in modo dicendi:

Revera, ut dicitur in nostro textu, episcopi habent munus ubique terrarum fidem promovendi. Attamen, legenti constitutionem *de Ecclesia,* hoc munus apparet ut officium praestantissimum, ab ipso Christo impositum per mandatum speciale (n. 23, pag. 66, linn. 1-5). Etenim « utpote apostolorum successores, a Domino, cui omnis potestas in caelo et in terra data est, missionem accipiunt docendi omnes gentes et praedicandi Evangelium omni creaturae... » (*De Ecclesia* n. 24, pag. 66, lin. 39 - pag. 67, lin. 9). Unde fas sit emendare textum ita ut hoc munus evangelizationis universalis appareat ut officium vere primarium, praestantissimum et gravissimum episcoporum, referentia expresse facta ad ea quae definita sunt in constitutione *de Ecclesia.*

2. Quoad secundum, scil. partes quae obveniunt episcopis singillatim sumptis. De his, sermo fit in propositione 5 (pag. 10, linn. 9-21), sed hic textus debet melius ordinari:

a) Agens de debito missionali episcoporum, textus noster modo unilaterali tractat de communione Ecclesiarum, silentio praetermittens responsabilitates erga evangelizationem proprie dictam. Sane, novellae Ecclesiae versantur in conditionibus difficillimis et absolute indigent auxilio Ecclesiae universalis ut possint vivere et maturescere. Sed activitas missionalis non limitatur ad auxilia praestanda illis Ecclesiis localibus. Christus mandatum dedit eundi in mundum universum praedicare evangelium omni creaturae. Quamvis, ex felici ortu novellarum Ecclesiarum, Ecclesia fere ubique implantata est geographice, tamen necessitas evangelizationis proprie dictae integra remanet, cum in maiore luce appareat immensitas horum magnorum coetuum hominum qui nondum attinguntur lumine evangelii. Ad penetrationem christianam horum immensorum coetuum hominum, minime sufficit auxilium praestitum Ecclesiis localibus. Necessario requiritur activitas missionalis in sensu strictissimo, quae peragi nequit nisi navitate institutorum missionalium. Ergo, in n. 5, antequam sermo fiat de communione Ecclesiarum, loqui oportet de evangelizatione proprie dicta, et, hac occasione, delineantur officia gravissima episcoporum singulorum erga evangelizationem totius mundi.

b) In fine huius numeri, agitur de episcopis « in locis missionum », quibus memoratur obligatio evangelizationis directae. Fateri debemus eadem valere pro omnibus episcopis residentialibus, in quavis orbis terrarum parte degant. Nam missio coextensiva est Ecclesiae et, nostris diebus, ubique evangelizatio necessaria est.

3. Quoad tertium, scil. quomodo obligationes quae oriuntur ex collegialitate harmonice componi debent cum obligatione erga propriam dioecesim:

Schema *de Ecclesia,* in cap. III, episcopos certiores facit se duplex mandatum a Deo accepisse, scil. in propriam dioecesim et ex altera parte in mundum universum. Mirum etiam est quam saepe et quam fortiter episcopi

in constitutione moneantur de sollicitudine habenda pro evangelizatione mundi, v. g. de hoc officio longe disseritur in nn. 23, 24, 25 constitutionis, et in multis aliis locis, constitutio in mentem episcoporum revocat quantum munus eorum sit.

Circa haec, multum interest legere postulata a pluribus episcopis Galliae Sanctissimo Domino Pio Papa IX et sacrosancto Concilio Vaticano I reverenter proposita. Spiritus horum episcoporum optime apertus erat et miramur quomodo nostrum Concilium Vaticanum II quibusdam postulatis eorum respondeat. Magnam sollicitudinem habebant de apostolatu missionali et iam vivebant in collegialitate episcopali antequam definiatur. Placeat vobis ut eos audiatis; verba actualia sunt. Sic aiebant: « Numquam ab Ecclesia condita, visa fuit ad conversionem infidelium via latior et ianua magis aperta quam in nostro tempore, cum simul concurrunt, non sine magno et patente consilio divinae providentiae, mirabilis celeritas itinerum et continuae relationes inter populos longinquissimos quibus miscentur fideles et infideles. Clarius igitur luce solis, hi episcopi aiebant, hodiernae Ecclesiae novo zelo accensae esse: vocare operarios ad tantum laborem propagandae fidei et eis dare media ac normas.

Nemo non videt — ut addebant —, ob tales conditiones generis humani, inter prima, principaliora, et urgentiora officia huius Concilii Vaticani I esse quaerere, invenire et applicare optima media quibus, gratia Dei favente, tanta multitudo hominum, sanguine pretioso Christi redempta, conduci possit ad lucem veritatis » (finis loci citati).

Proh dolor, neque haec postulata, neque schema de missionibus potuerunt praesentari Concilio Vaticano I. Sicut autem Concilium Vaticanum II usque ad terminum duxit constitutionem *de Ecclesia* a primo incepta, sic Concilium nostrum, quia Deus nobis largitur miraculum pacis cuius gratia adunamur, sic, inquam, debet quam optime statuere de maximo problemate missionis Ecclesiae pro tempore hodierno et futuro.

Circa quod, nobis videtur maxima necessitas pastoralis missionalis ordinandae in unaquaque dioecesi. Sola haec pastoralis ratio missionalis collegio episcopali permittet, et etiam singulis episcopis, ut officium missionale adimpleant.

Officium missionale vero exigit ut dioeceses missionibus Ecclesiae dent auxilium permanens et tam efficax quam possibile sit. Atqui, sine dubio, patet meliores conatus dioeceseos erga missiones adhuc consistere in vocationibus suscitandis et ducendis usque ad consecrationem totius vitae operi missionali.

Itaque, actio pastoralis in dioecesibus in favore missionum ducenda, pars est officiorum muneris pastoralis eodem titulo ac aliae activitates pastorales, ita ut dispositiones et normae ad hunc finem iure statuendae essent in collaboratione cum missionalibus organismis. Sic episcopus extendere posset aeque et efficaciter sollicitudinem suam toto apostolatus campo sibi tradito, i. e. dioecesis sua et orbis universus. Sic etiam ordinari posset in unaquaque

dioecesi, in unaquaque regione, apud clerum et fideles, missionalis actio pastoralis quam episcopi ducant, promoveant, et totis viribus sustineant. Omnes ex experientia scimus qualis sit bona actio missionalis ad spiritum christianum fovendum in paroeciis: paroeciae quae verum spiritum missionalem habent, melius spiritualem vitam suam evolvunt.

Quapropter, episcopi elaborantes pastoralem missionalem in dioecesi, et instituta missionalia quorum membra sunt eiusdem dioecesis, unanimiter laborare deberent sed non se invicem ignorare aut concurrere. Instituta missionalia adhuc hodie Ecclesiae praestant nonaginta centesimas partes missionariorum, et episcopi eos ignorare nequeunt in pastorali missionali sua tractanda. Colloquium in hoc puncto maximi momenti est pro dialogo intra Ecclesiam. Curnam non daretur in dioecesi commissio dioecesana pro vocationibus in qua omnes repraesentarentur, cuius esset ordinare in dioecesi dies vocationis. In his diebus clerus saecularis et regulares fraterne uniti in vero sensu Ecclesiae et reverentia erga actionem Spiritus Sancti, simul explanarent omnes vocationes et omnes necessitates Ecclesiae.

Talis unitas actionis inveniri posset etiam pro formatione vocationum ad vitam sacerdotalem, religiosam aut missionalem in seminariis. Inter beneficia huius actionis, pauciores presbyteri fungerentur munere professoris, et missionarii e dioecesi orti visibiliter apparerent ut missionales delegati Ecclesiae suae localis.

Relationes tandem inter pontificia opera missionalia, dioeceses et instituta missionalia reficiendae sunt in novo ambitu secundum exemplum ordinis cooperationis missionalis quo utuntur Status Foederati Americae Septemtrionalis vel secundum comitatus dioecesanos cooperationis missionalis in Canada. Unitas in diversitate creanda est in hac portione activitatis missionalis Ecclesiae.

Colloquium, unitas, collaboratio inter omnes in favorem huius magnae operae, nunc, non solum in votis est, sed etiam maxime necessarium fit, si nos, episcopi Ecclesiae per universum orbem dispersae, fideliter oboedire volumus mandato quod Christus nobis dat: « Euntes, docete omnes gentes... ».

50

Exc.mus P. D. IACOBUS MARTIN

Episcopus tit. Neapolitanus in Palaestina

Si in retractato integro textu conservatur paragraphus n. 6: *De debito missionali episcoporum* quoad substantiam, videtur mutanda saltem *forma,* ut loco verbi « etiam » in 1ª linea paragraphi (« Opus Missionale *etiam* ad totum collegium episcopale... pertinet... ») substituatur verbum « *eminenter* », vel « principaliter », vel simile. Videtur enim quasi « male sonans » quod episcopi, tanquam appendix quaedam populi Dei, « etiam » ad opus missionale et ipsi vocentur.

51

Exc.mus P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. de El Obeid

Propositiones istae, generaliter sumptae, mihi placent, attamen adsunt in illis aliquae pericopae quae maiori elucidatione indigent.

1. De ipso nomine « Missionis » et « Propagandae » forsan immutando: Certum est apud quosdam non paucos — ad quos Evangelii praecones mittuntur — illa nomina minus acceptabilia evasisse. Hoc autem evenit partim ex facto quod nomen « Propaganda » applicatum est omnibus bonis mercaturae materialis, necnon somniis et mendaciis vitae politicae, sicque minori aestimatione putetur: partim autem ex altero facto quod ista nomina persaepe applicentur regionibus mundi minus evolutis. Si Patribus placuerit, nihil obstat, ut mihi videtur, quod nomina ista immutentur in alia: velut *apostolatus* et *evangelizatio.*

2. De Institutis Missionalibus. Haec Instituta, mihi videtur, praesertim ea quorum tota ratio vitae dicata est evangelizationi exterorum, non sufficienter in istis propositionibus tractari. Rogo ut status melius et fusius delucidetur, non tantum cum agitur de vocationibus, sed etiam de mediis materialibus sustentationis, eo quod nos episcopi evangelizationis valde parum vel nihilum operari poterimus si Instituta nostra, a quibus vitam, esse et operari accepimus, minus bene vivant. Brevitatis causa suggero ut hoc fiat iuxta *commentarium* a triginta uno Patribus confectum, quod secretariae trado.*

3. De paupertate in mediis apostolatus et aedificiis etiam sacris commendata. Gaudeo de hoc amore paupertatis et simplicitatis evangelicae, quem aliquando in quorundam autokynetis non video! Non intelligo, tamen, cur aliqui loquantur persaepe « De Ecclesia pauperum », quasi Ecclesia non fuerit et divitum, vel saltem eorum qui « benestantes » nuncupantur, cum et nos ipsi oremus in Breviario: Divitias et paupertatem ne dederis mihi!

Insuper haec commendatio paupertatis mihi videtur minus opportuna pro « Mediis Apostolatus ». Nonne fere omnes praecones Evangelii conqueruntur de insufficientia mediorum materialium ad eorum actionem pastoralem explendam? Eo vel magis quod operarii Evangelici stimulandi sint ut magno corde mediis evangelizationis optimis et modernis utantur, ne facile eveniat culpa nostra quod persaepe accidit ex circumstantiis quod evangelizatio catholica semper sit in cauda navitatis humanae: ex illo Evangelii « *filii tenebrarum prudentiores filii lucis!* ».

Quoad aedificia sacra, loquor ex experientia triginta-septem annorum in Africa, si magna, si pulchra sint, ex sese loquuntur mentibus fidelium et

---

* Cf. pag. 952.

infidelium, eorum animos alliciendo. Cavendum insuper est ne neophytae nostri opinentur quod nos « occidentales » sic dicti, postquam aedificavimus magnifica templa in regionibus nostris... nunc vero pro ipsis loquamur de paupertate Ecclesiae, maxime his diebus in quibus non desunt qui pro *ianuis,* vel *pulpito,* vel *baptisterio* suae ecclesiae tantum pecuniae insumunt, quod facile in Africa sufficeret integris ecclesiis extruendis!

4. De processu evangelizationis. Cavendum est ne rationalis divisio laboris evangelizationis de qua sermo est in n. 3, ab aliquibus non tantum separetur ratione sed etiam tempore, sicuti iam factum est, ita ut non-fideles, in regionibus paululum evolutis, prius educandi sint ad sic dictam vitam civilem, dein ad fidem christianam! Omnes videtis quam magnum damnum animarum et retardatio evangelizationis consequatur! Hic numerus indiget elucidatione!

5. De Consilio Centrali Evangelizationis et de debito missionali episcoporum etc. Hi numeri mihi valde placent. Rogo tamen ut duorum meminerimus:

A) Dioeceses post adoptionem alicuius missionis tanquam propriae, adhuc recordentur et aliarum missionum quae simili indigentia vel forte maiore laborant, eisque subveniant vel saltem ne impediant quominus et istae quoque adiuventur.

B) Post institutionem Consilii Centralis Evangelizationis, S. C. de Propaganda, non erit supervacanea; immo potius, ut mihi videtur, labor et onus ipsius augebuntur ut centrum coordinationis et directionis totius navitatis apostolatus! Ista Sacra Congregatio ergo vivat et crescat!

6. De vocationibus ad apostolatum excitandis! Omnes vos, Patres venerabiles, optime nostis quanti momenti sint vocationes ad apostolatum apud exteros et quomodo persaepe istae vocationes florescant in familiis numerosioribus. Nuper his diebus, cum audivissem disputationem in aula de numero filiorum in familiis nostris ex pavido animo, magno moerore confectus sum eo quod timeam ne familiis christianis numero decrescentibus vocationes ad apostolatum quoque in primis minuentur, et illo modo timeo non praesentiam Ecclesiae in mundo sed praesentiam mundi in Ecclesia!

7. Valde laetatus sum quod in schema *de Ecclesiis Orientalibus* earum participationem ad evangelizationem et approbata et commendata sit et ab exc.mo Hakim magno corde sollicitata.

In hac quaestione tamen adsunt qui dicant quod nos missionarii latini sic dicti — quamvis ego sim Catholicus Patavinus — convertimus homines ad ritum nostrum. Perspicuum est omnem generantem ad similitudinem sui generare! Alloquor Orientales cuiuscumque ritus: Fratres desideratissimi, venite et vos in vineam Domini et facite vobis filios de universis gentibus in fide catholica! Nullum fortior adiumentum ad ritum vestrum quam eius diffusio ad novas communitates christianas a vobis ipsis efformatas! Ostia Africae et Asiae vobis patent! Nos Fratres vestros, toto corde vos invita-

mus! Populi multi vos expectant! Ecclesia catholica vestro quoque labore indiget, praesertim eorum qui lingua arabica pollent. Iam exstat in Aegypto Vox Islamismi; iam canit Radio Vox Christianismi Protestantium in Aethiopia, ubi nunc Radio Vox Ecclesiae Catholicae pro numerosis nationibus linguae Arabicae?

Concludendo mihi liceat admirationem pandere eo quod audierim in hac aula aliquos patres timorem exprimentes ne spiritus sic dicti « proselytismi » noceret vel oecumenismo vel dialogo cum non-fidelibus! Res mihi videtur, non ita se habent! Numquid non sumus omnes nos missi ad evangelizandum? Numquid non ipsa vestis nostra loquitur omnibus de nostro desiderio ut omnes homines salvi fiant in Christo? Cur ergo ista locutio de tegenda professione nostra? Salva libertate, salva discretione, salvo debito honore omnibus, sine quibus nemo est Apostolus, nolimus verbis humanis tegere Evangelium Christi et zelum animarum quo nos omnes inflammari oportet iuxta illud: sic nos existiment homines ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei!

52

Exc.mus P. D. ALOISIUS MATHIAS

Archiepiscopus Madrapolitanus et Meliaporensis

Loquor nomine conferentiae episcoporum Indiae et enixe rogo, ut ceteri quoque episcopi, in locis missionum laborantes, benignas aures praebent verbis huius sermonis; ad eos enim praesertim res spectat: loquor de laicis catechistis.

Haec verba et consilia iam in discussione schematis *de apostolatu laicorum* proferenda statui sed consurrectio vestra, finem discussionis illius schematis peremptorie imponens, executionem propositi mei impedivit.

Nunc autem in discussione schematis *de missionibus* argumentum et propositum revertitur, ardentissime quidem, cum hoc summum caput de catechistis laicis, pro nobis missionariis gravissimi ponderis, in schemate propositionum tribus tantum lineis omnino generalibus tangantur. Expedit autem, ut etiam a Concilio magis et altius extollatur. Auctoritas enim SS. Pontificum maximum momentum catechistis attribuit e. g. ex ore Pii XII qui asseruit: « Unus sacerdos cum sex catechistis plus obtinet quam septem sacerdotes missionarii exteri ». Experientia nostra idem statuit: em.mus card. Costa Nuñes, olim patriarcha Indiarum Orientalium et archiepiscopus missionarius, non haesitavit dicere: « Dioecesis quae centum possidet sacerdotes absque catechistis minus proficit quam dioecesis quae habet triginta tantum sacerdotes una cum centum catechistis ».

Haec res eo magis urget quo maiores difficultates exsurgunt circa scholas catholicas in terris missionum.

Ut tantae rei aptius provideatur pauca magis concreta in schema inse-

renda proponere velim. Sed antea sinite, Patres venerabiles, ut vobis pandam, cur iam in schemate *de apostolatu laicorum* de hoc argumento catechistarum loqui voluissem: cum in hodierno statu Ecclesiae propter cleri penuriam et hominum in dies crescentem numerum ubique maximi momenti sit, ut opere quoque laicorum non solum ad doctrinam Dei annuntiandam sed etiam ad sanctificationem hominum promovendam utamur, aptissimum locum in schemate *de apostolatu laicorum* mereatur. Haec prima enim forma Actionis Catholicae, sensu stricto acceptae, tempore praeterito vigens et operans, in futuro etiam inter formas adsociativas Actionis Catholicae ubique terrarum et pro tota Ecclesia, non solum in terris missionum, locum eminentem mereretur.

Iam in sessione II huius Sacrosancti Concilii vos, venerabiles Patres, allocutus sum de hoc opere formationis et operositatis catechistarum laicorum, quod vocare velim « Opus Sancti Pauli ad Gentes ».

Mediante tali opere iuvenes et viri laici, in Centris bene instructis quorum nonnulla iam exstant, efformentur et dirigantur non solum ad doctrinam christianam tradendam sed etiam ad munera sanctificationis perficienda quae sunt oratio publica in communitate christiana, adsistentia morientium, sepultura defunctorum, celebratio matrimoniorum aliaque id genus; quinimmo distributio eucharistiae ubi et quando desunt sacri ministri.

Ut eiusmodi status catechistarum evehatur non expedit collatio ordinum minorum quia hoc modo ex laicis clerici fierent; sed nihilominus opportunum esset omnino, ut eis, una cum missione et mandato, charisma et signum quoddam conferretur per Ecclesiae ordinationem.

In huiusmodi catechistarum statu laici, sive caelibes sive uxorati, perdurante tota vita manere et proprium apostolatum exercere possunt. Verumtamen nihil impediret, quominus ex hoc statu laicali transitus fieri posset etiam ad statum clericalem, si hoc quibusdam magis placeret. Quoad ordines minores iam Conc. Tridentinum hoc commendavit (Sess. XXIII, de reformatione, can. 17) et quoad ordines maiores usque ad diaconatum hoc Concilium iam votum tulit.

Quodsi Conc. Vaticanum II istum catechistarum laicorum statum atque Centra formationis in hoc schemate vel in schemate *de apostolatu laicorum* decerneret, eminentem huius apostolatus modum et Actionis Catholicae desideratissimam speciem instauraret et opus immortale in honorem S. Pauli doctoris gentium, cuius nomen Summus Pontifex feliciter regnans sibi elegit, conderet: simile illi operi seminariorum quorum salutares fructus excitavit Sacra Synodus Tridentina.

Praesertim cum episcopis missionariis vobis, venerabiles Patres, hoc ardens desiderium submitto spe motus fore ut Regnum Dei apud omnes gentes servetur et dilatetur. Quod faxit ipse humani generis Redemptor intercedente S. Paulo doctore gentium!

53

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS IOSEPH McSORLEY

Episcopus tit. Sozusenus in Palaestina, vic. ap. Joloensis

Emendatio seu *propositio* de *Cooperatione missionali* efficacius temperanda, i. e. de « organisatione » magis moderna subsidiorum missionalium.

Verum omnino est plurima fieri tam a parte ipsorum praeconum seu operariorum Evangelii quam a parte fidelium extra missiones ut labor missionalis adiuvetur. Sed experientia docet quod *generositas* non sufficit. Missiones enim sub systemate actuali nonnisi tertiam partem (30%) eorum recipiunt, tramite S. C. de Propaganda Fide, quibus revera indigent.

Reliqua, id est maior pars subsidiorum, ab ipso moderatore missionis procurari debet et a bona vel mala sorte seu fortuna pendet...

Oportet omnino ut res melius et efficacius ordinentur et peragantur, ad effectum deducendo ea quae de collegiali episcoporum totius mundi potestate et responsabilitate pro Ecclesia saepe in aula dicta sunt.

En quae mihi proponenda videntur:

1. Non paucis episcopis missionariis systema optimum pro subsidiis sat continuis et abundantibus procurandis esset *adoptio* territorii missionalis per aliquam dioecesim bene constitutam quae velut matertera illius territorii haberetur et ageret et vinculum amicitiae cum eo iniret, materialia et etiam spiritualia subsidia missioni adoptatae praebens...

Similis relatio institui posset inter paroeciam adoptantem et quasi-paroeciam seu « stationem » missionalem, probantibus episcopis...

Ita modus adiuvandi missiones magis *personalis* et efficacior fieret, et relatio mutuae amicitiae etiam dioecesim seu paroeciam « maternam » ditaret.

2. Altera possibilitas est *systema taxae universalis,* quo omnes dioeceses et paroeciae iam constitutae sibique sufficientes non semel tantum in anno, sed *modo permanenti* certae taxae subiicerentur. Pecunia sic obtenta distribueretur missionibus secundum diversas et veras earum necessitates. Quodsi haec propositio nimis audax videatur, considerandum est missiones progredi omnino non posse, nisi earum sustentatio modo permanenti tuta reddatur ac magna cum peritia disponatur. (*"Hap-Hazard* methods and poor organization will not advance the kingdom of *God"*). In hoc campo magistri nostri esse possent et deberent patroni operum terrestrium, id est « filii huius mundi sapientiores filiis lucis »! Sane, pietas etiam in rebus missionalibus utilis est, sed non sufficit. Ut missiones vivere et progredi possint, *melior requiritur ordinatio* systematis auxiliaris seu *magis moderna et efficax* organizatio *subsidiorum.*

54

EXC.MUS P. D. BERNARDUS MELS
Archiepiscopus Luluaburgensis

Schema, etsi multa bona contineat, quasdam tamen lacunas praesentat. Etenim, problema missionale, etsi novas formas et adaptationem hodiernis circumstantiis indigeat, urgentissimum tamen manet, si prae oculis habeamus duas tertias partes humanitatis nuntium Evangelii nondum accepisse et insuper permultos christianos, nomine tantum christianos permanere.

1. *Imprimis, in schemate non sufficienter extolluntur* vocatio missionaria « ad vitam », nec instituta in quibus haec vocatio excolitur. Nunc autem, vocatio missionaria « ad vitam » quo quis parentes et patriam relinquit et sese totaliter dedicat ad instaurationem Regni Dei, in sua nova patria adoptiva, semper fuit et semper manebit ossatura necessaria et sola sufficiens evangelizationis missionalis.

Ne, nimium insistendo in possibilitate theoretica sese salvandi sine fide explicita et in formas secundarias apostolatus missionalis omnino necessarias, minuemus numerum vocationum eorum qui debent « portare pondus diei et aestus »!

Hoc autem « proh dolor » modo iam vere catastrophali realizatur! Etenim, ex datis statisticis apparet, quod: pro 850 circiter missionarii-sacerdotes, anno 1952 proficientes in missionibus, anno 1956 650 tantum proficiebant et anno 1961 solummodo 330 circiter proficiebant ad regiones vere missionales.

Ven. Fratres, hoc inter « signa temporum » pro dilatatione Ecclesiae, vere gravissimum apparet!

Sacerdotes, ut aiunt « Fidei Donum », e clero dioecesano, qui temporaliter adiuvant opus missionale sunt necessarii sed deberent esse vere supplementum superadditum, secus opus evangelizationis periclitabit!

2. *Ut in schemate notatur,* instauratio hierarchiae, et nominatio episcoporum e clero locali, novum aspectum dant Ecclesiae, in variis regionibus missionalibus, et adaptationem profundam operis missionalis preannuntiant.

Inter varia problemata quae ex illo novo statu oriuntur, eminet problema collaborationis intimae inter episcopum et suum clerum; nam illa collaboratio est « conditio sine qua non » pro successu apostolatus et evangelizationis.

Nunc autem constat, in multis Ecclesiis novellis et in regionibus stricte missionalibus, clerum dioecesanum constitui aliquando fere unice, vel saltem maiore ex parte, sacerdotibus pertinentibus ad Institutum Missionarium, dependentibus igitur etiam directe a superiore religioso.

Hic tamen clerus, etiam religiosus, in manibus episcopi debet esse pro omnibus operibus apostolatus Ordinarii, et considerandus est ut clerus saltem quasi-ordinarius dioecesanus, et non occasionalis vel extraordinarius, ut

in Ecclesiis iam bene constitutis accidit! Haec autem collaboratio intima, inter Ordinarium loci et Instituta Missionalia in aedificatione novellarum Ecclesiarum, varia et gravia problemata ponit, quae non solummodo mutua bona voluntate solvuntur!

His permotis, iam antea, S.C.P.F. anno 1929 Instructionem edidit, regens relationes inter Ordinarium loci et Instituta Missionalia quibus evangelizatio cuiusdam territorii committebatur, praesertim circa quaestiones spectantes apostolatum, clerum religiosum missioni addictum et possessionem bonorum temporalium.

Nunc autem, ob erectionem hierarchiae, et praesertim ob nominationem episcoporum e clero locali ad directionem dioeceseos, Instructio illa anni 1929, ex parte saltem obsoleta est, ita ut in omnibus recurrendum esset ad « Ius commune », quod nullo modo hanc situationem specialem prae oculis habuit!

Haec tamen mutatio iuridica, realitatem non mutat, immo difficiliorem quodammodo reddit! Instauratio enim hierarchiae et praesertim nominatio episcopi, qui non pertinet ad Institutum Missionarium cui territorium antea concreditum fuit, relationes inter episcopum et Institutum Missionale, inter episcopum et clerum religiosum, quodammodo relaxat, ita ut timendum sit, ne clerus religiosus, operibus dioecesanis addictus, magis suum superiorem religiosum attendat, quam suum episcopum, et insuper timendum est, ne Institutum suum auxilium minuat, eo quod, commissione territorii sublata, ergo novum episcopum non amplius easdem obligationes habeat!

Conventiones bilaterales, quae deberent locum tenere decreti 1929, non tam facile iniri possunt; nam conventiones bilaterales supponunt ex utraque parte veram libertatem et independentiam, quae in nostro casu non adsunt!

Ideo, ut actio missionalis in his regionibus, novis circumstantiis aptata, salvetur, immo efficacior reddatur, necessarium videtur ut novum Directorium condatur, regens relationes inter episcopos et Instituta Missionaria in novellis Ecclesiis, ita ut principia statuantur, quae salvent: ex una parte, primatum episcopi in ordinando apostolatum, stabilitatem sufficientem sui cleri, etiam religiosi et aequam distributionem bonorum temporalium, dum ex alia parte sufficiens libertas tribuatur Instituto Missionario ut gradatim ad novas formas collaborationis, novis conditionibus melius aptatas, tendant.

Cum agatur de quaestione tam gravi et delicata, commissio mixta constituenda esset, complectans praeter episcopos locales et missionarios, etiam superiores Institutorum missionalium, et quae sub auspiciis Sanctae Sedis, elaboraret has novas Instructiones.

Unde: Proposito 2 sub *b*), quae de hac quaestione agit, ita complenda esset: pag. 8, lin. 23, post verba: *Ex his propositionibus,* addatur: *commissio mixta, sub auspiciis Sanctae Sedis, novas Instructiones generales pro his regionibus elaboret, et insuper* quaedam elementa ad « Ius » recognoscendum eruantur, quod tale sit, ut vere fiat toti Ecclesiae commune.

Et liceat nobis, hac occasione, unum verbum addere. Habitudines spe-

ciales, inter episcopum et clerum religiosum, quae certe quadringenta dioeceses tangunt, nec uno verbo innuuntur in schemate *de pastorali munere episcoporum,* ubi de auxilio praestando a religiosis in cura animarum, agitur.

Ita fit, ut hoc schema, saltem in hac parte, appareat ut schema Ecclesiae latinae occidentalis, et non ut schema Concilii Oecumenici Ecclesiae catholicae!

55

Exc.mus P. D. MARCUS MIHAYO
Archiepiscopus Taboraënsis

In propositionibus *de activitate missionali Ecclesiae* paucissima tantum verba dicuntur de Institutis Missionalibus, nec tanguntur problemata gravia, quae nostris diebus aliquam inquietudinem gignere possunt. Nam hodie aliqui dubitare videntur *an Instituta Missionalia sint adhuc necessaria.*

Hoc dubium oriri videtur ex duplici consideratione. Ex una parte novellae Ecclesiae cum propria hierarchia fere ubique in missionibus erectae sunt, ita ut multis videatur, Instituta Missionalia qua talia in his rerum adiunctis nullum iam munus suum proprium retinere in apostolatu. Ex altera parte in terris antiquitus christianis aliqui episcopi viviorem conscientiam sui in evangelizatione universali muneris adepti sunt; obsecundantes Pio Papae XII, qui eos per Litteras Encyclicas *Fidei donum* exhortatus erat, quosdam ex suis sacerdotibus atque laicis in adiutorium miserunt novellis Ecclesiis. Quo factum est, ut novum genus opitulandi missionibus oriretur, quod ansam praebere potuit opinioni eorum qui putant missiones Institutis Missionalibus iam non indigere.

Clara ac obiectiva visio harum quaestionum plurimum valebit ad activitatem missionalem Ecclesiae promovendam. Attenta ergo consideratio atque profunda meditatio instituendae sunt a Patribus conciliaribus, a quibus aliqua propositio de munere Institutorum Missionalium in vita hodierna Ecclesiae expectatur.

Primo agam *de necessitate* Institutorum Missionalium; secundo quaedam *consectaria practica* inde colligam.

I. Ad illustrandam necessitatem Institutorum Missionalium delineari potest activitas quam praestant in evangelizatione et in aedificatione Ecclesiae.

Quando in memoriam revoco historiam plantationis Ecclesiae in mea patria, omnino fateri cogor totum pondus laboris missionalis assumptum esse a quodam Instituto Missionali. Ab his missionariis Christus praedicatus est, homines ad conversionem adducti, catechistae formati, seminaria, scholae omnis generis, nosocomia fundata. Quod factum est in mea regione Africana, simili modo evenit in ceteris locis missionum.

Quando evectus sum ad munus episcopale, compertum habui opus missionale ad metam desideratam pervenisse: etenim Ecclesia localis tunc erecta

est. Attamen pariter persuasum habui hanc metam in opere missionali non esse ultimam. Quamvis enim territorium ecclesiasticum Instituto Missionali iam non concreditum sit, necesse tamen est, ut hoc Institutum partes suas retineat in aedificanda novella Ecclesia, quae, licet in elementis essentialibus fundata sit, crescere tamen adhuc debet non tantum ad numerum christifidelium augendum, sed etiam ad veram et profundam maturitatem christianam acquirendam. Clerus formandus est, catechistae instituendi sunt, disciplina pastoralis, catechetica et liturgica promovenda est. In quibus omnibus Instituta Missionalia experientiam habent non solum in dioecesi nuper erecta, quam ab initio evangelizaverunt, sed cum aliis quoque regionibus, in quibus laborant, comparationem et collaborationem instituere possunt ad incrementa activitatis pastoralis et missionalis.

Quae cum ita sint, iure meritoque affirmari potest Instituta Missionalia a Deo suscitata esse eo potissimum fine, ut ex toto evangelizationi et plantationi Ecclesiae incumberent. Eorum continuata cooperatio omnino necessaria est ad Evangelium non-baptizatis praedicandum, ad ministerium pastorale apud baptizatos exercendum et ad profundiorem Ecclesiae fundationem.

Maxime vero necessaria esse videntur Instituta Missionalia, si consideremus magnos coetus religiosos non-christianos, ut sunt Islamismus, Buddhismus, Hinduismus, qui per immensas Orbis regiones sparsi sunt. Opus evangelizationis apud eos vix inchoatum est. Ut Evangelium penetrare possit hos coetus, requiruntur viae et rationes evangelizationis scientifice delineatae atque specialis formatio missionariorum. Quae omnia longe superant vires locales, immo et competentiam singulorum episcoporum vel etiam Conferentiarum territorialium. Porro Instituta Missionalia sunt instrumenta non tantum utilia sed omnino necessaria, quibus indiget collegium episcopale, ut suam missionem universalem explere valeat.

Censeo ergo in propositione secunda post primam sententiam addendam esse mentionem de Institutis missionalibus: « Ad huiusmodi ministerium supremae Ecclesiae auctoritati praesto sunt imprimis Instituta Missionalia virorum ac mulierum, quorum finis est evangelizatio et plantatio Ecclesiae ».

II. Iam *consectaria practica* colligamus. Instituta Missionalia novis indigent vocationibus, ut munere suo fungi possint. Defectus vel raritas eiusmodi vocationum grave damnum afferret nobis, qui ab Institutis Missionalibus pendemus, ut copia missionariorum tam virorum quam mulierum constanter nobis suppetat. Maximas ergo gratias agimus iis dioecesibus, quae vocationes ad Instituta Missionalia suscitant et adiuvant. Dolendum tamen est, quod Instituta Missionalia aegre tolerantur, immo impediuntur in certis quibusdam dioecesibus, quae forsitan timent, ne propter vocationes missionarias vocationes pro ipsa dioecesi diminuantur. Modicae fidei sunt nec meminerunt illas regiones, in quibus vocationes non restringuntur utilitate propria, maiorem habere numerum vocationum dioecesi in clero dioecesano et in religione inservientium (cf. PIUS XI, *Rerum Ecclesiae*: *A.A.S.*, 1926, pp. 70-71; PIUS XII, *Fidei Donum*: *A.A.S.*, 1957, pp. 243-244).

Quapropter vos, Patres conciliares, rogo, ut in n. 5 magis explicite enuntietur officium favendi vocationibus iuvenum et clericorum ad Instituta Missionalia. N. 5 inserantur haec vel similia verba: « Cum Romanus Pontifex et collegium episcoporum munus suum apud gentes non-christianas adimpleat per Instituta Missionalia virorum ac mulierum, haec Sancta Synodus mandat, ut in unaquaque dioecesi et in omnibus scholis ad catholicam iuventutem instituendam destinatis pueri ac puellae vitam missionalem libere amplecti possint ».

Quod vero ad *collaborationem inter episcopum et Instituta Missionalia* pertinet, episcopus finem proprium Institutorum, quae ei sociam praestant operam respicere debet. Relationes inter episcopum et Instituta Missionalia iure communi regi oportet, initis insuper conventionibus de operibus peculiaribus. Ex adiunctis hodiernis, quae cum erectione novellarum Ecclesiarum connectuntur, tria consequuntur consectaria:

1. Ut membra Institutorum Missionalium servatis praescriptis iuris communis dioecesi deinceps inserviant.

2. Ut Instituta Missionalia Constitutiones, salvo spiritu fundatoris, accommodent tam ad necessitates boni Ecclesiae et salutis animarum, quam ad consuetudines populorum, apud quos ministerium suum exercent.

3. Ut episcopus socia Institutorum Missionalium opera libenter utatur ad finem horum Institutorum proprium, qui est evangelizatio et fundatio Ecclesiae.

56

Exc.mus P. D. MICHAEL MOLONEY

Episcopus Bathurstensis in Gambia

1. In par. 1, pag. 8, lin. 5 dicitur relate ad « necessitatem missionis »: « Etsi ergo Ecclesia semper tenuerit homines qui Christum inculpabiliter ignorant salvari posse si conscientiae dictaminibus oboediant, nihilominus Dei voluntas est eos per Fidem et Sacramenta iustificari et salvari, ac proinde evangelizationem etiam hodie summum momentum integre servare ».

Haec est clara assertio quod Ecclesia debet implere suum munus praedicandi Evangelium omni creaturae et niti ad hoc ut omnes populi ad veram Ecclesiam Christi aggregentur.

In par. 9, pag. 11, linn. 27-28 dicitur: « Etiam cum aliis coetibus religiosis, ad bonum commune libenter concurrant, iuxta normas legitime statutas ».

Hic evidenter agitur de cooperatione cum non-christianis in rebus nonreligiosis. Praeterea, ut opinor, significatur inchoatio dialogi cum non-christianis modo analogo ac fit cum communitatibus christianis. Hoc clare affirmari deberet cum sit res maximi momenti in activitate missionali Ecclesiae. Et peculiare momentum habet in Africa in agendo cum Musulmanis.

2. In hoc schemate ergo nos missionarii docemur facere haec duo: 1. quaerere relationes meliores cum non-christianis et inchoare dialogum cum ipsis. Hoc ipsum nullatenus refertur ad conversiones individuales sed significat intentionem perveniendi ad mutuam comprehensionem et ad amorem fraternum; 2. altera tamen ex parte iubemur praedicare Evangelium omni creaturae secundum mandatum Christi.

Secundum meam humilem opinionem, etsi finis immediatus dialogi cum non-christianis sint mutua comprehensio et caritas, finis ultimus dialogi istius pro omni sincero missionario debet esse ille, ducendi homines non-christianos ad Christum.

Quod ad Musulmanos attinet, puto quod dialogus cum eorum communitate est medium unicum ad parandam viam pro eorum conversione. Nam religio islamitica constructa est super communitatem, ideoque si mundus islamiticus adducetur ad Christum, hoc fiet solum per dialogum inter Ecclesiam et Islamismum prout significat communitatem et non prout significat individua separata.

3. Est revera summi momenti ut Ecclesia aggrediatur problema Islamismi in Africa hodierna, et quidem non per aliquem falsum proselytismum et opportunismum sicut accidit frequenter in temporibus praeteritis, sed per bonas relationes et sinceram cooperationem, quae fieri possunt fundamentum pro dialogo in rebus religiosis.

Ecclesia catholica non potest explere mandatum Christi, « Docete omnes gentes », quin perdiligentem considerationem in illud problema Islamismi. Et hoc praesertim in Africa, quae nunc in gravissimis versatur rerum adiunctis. Etenim dum vetus paganismus paulatim derelinquitur, tres doctrinae, magnis viribus praeditae, inter se contendunt quasi ad animam populi Africani possidendam, christianismus, islamismus, communismus. Quantum praeterea facit progressum Ecclesia catholica, una cum ceteris religionibus christianis, progressum saltem duplo maiorem facit islamismus in Africa.

Duae sunt rationes cur Ecclesia aditum ad islamismum patefacere debeat: *a*) ut diffusioni « materialismi », praesertim sub forma communismi opponat; *b*) ut asseclas ipsos islamismi ad veram fidem perducat.

4. Quamquam islamismus et religio christiana doctrina moribusque maxime inter se discrepant, nihilominus multae sunt veritates fundamentales et speculativae et practicae quas in communi tenent. Tales sunt sequentes: *a*) fides in existentia unius Dei et in fine ultimo spirituali hominis. Haec fides magis magisque in dies affirmari debet adversus materialismum grassantem, praesertim sub forma communismi; *b*) virtutes fundamentales amoris Dei et amoris proximi; *c*) fides in vita post mortem; *d*) observantia et honor quae Iesu et Mariae tribuuntur in libro Koran (quamquam hic honor non parum deficit a veritate christiana); *e*) similitudo quaedam inter aliquas partes Veteris Testamenti et partes Koran.

5. Quidam aspectus islamismi sunt prae oculis habendi: islamismus non est tantummodo fides aliqua religiosa. Est praxis quaedam, seu philosophia

practica ita ut fidem suam in uno Deo et in Mahumet propheta eius maximo, profiteantur musulmani tamquam societas seu corpus civile-religiosum. Islamismus ergo considerari debet et iudicari ut systema quoddam communale.

6. Sequitur ex praecedentibus quod aspectus Ecclesiae socialis, qui in dogmate de mystico Christi Corpore fundatur, magis magisque ante oculos musulmanorum proponi debeat. Doctrina Ecclesiae in re sociali, culturali, et etiam oeconomica est bene explicanda, et quantum fieri potest, cooperatio in his rebus est quaerenda. Comparatio est instituenda inter islamismum, quatenus ad omnes actiones humanas spectat, et Ecclesiam cuius sollicitudo extenditur non tantum ad salutem animarum sed ad desideria universa generis humani. Uno verbo, ambae religiones sunt comparandae in quantum sunt formae evolutae agendi vitam humanam quae similitudines inter se non paucas habent. His similitudinibus in luce positis, via aperitur ad differentias et valores intrinsecas utriusque investigandas.

7. Oportet nos doctrinam et praxim islamismi sincero corde intelligere et etiam honorare. Ad doctrinam quod attinet, solutio facilis statim inveniri minime potest. Praeterea vanum esset et inutile si illi quorum cognitio missionum est *mere* speculativa, sibi munus assumerent increpandi operarios in messe Domini, quippe quod islamismum timeant, quod fiduciam validam non habeant, quod fides eorum non sit ita fortis ut montes transferat. Si licet proverbio aliquomodo abuti vellem dicere Mahumet nolente ad montem qui Ecclesia est venire montem ipsum debere ad Mahumet ire. Islamismus est bene investigandus praesertim sub suo aspectu humanitatis et communitatis seu societatis. Deinde veritates necessariae religionis christianae sunt eis explicandae, religionis non amplius suo vestimento occidentali indutae sed vere ad vitam inter gentes Africanas degendam adaptatae.

8. Si christiani et musulmani cooperari inducuntur in re sociali, culturali, et oeconomica etc., facilius procedere possunt ad colloquium instituendum de ipsa religione, seu ad dialogum non sane litigiosum sed amicalem. Quaelibet cunctatio in his rebus est sedulo evitanda quia Africa iam celeriter se evolvens multas opportunitates nobis praebet quae facile sunt amissibiles. Si hoc opus ab hominibus rusticis suscipitur — id quod est fere impossibile — vix ullus fructus exinde percipietur. Opus autem est suscipiendum a peritis in utraque religione. Periti illi difficultates et quaestiones suas mutuo investigare debent. Igitur valde necessarium est habere secretariatum separatum pro dialogo cum musulmanis.

9. Olim status europeani occidentales islamismum, potestatis politicae augendae causa, adiuvabant et multum effecerunt ad islamismum disseminandum. In statibus novis provehendis adiutorium ab omnibus cum grato animo accipitur. Religio christiana populo africano bene aptata in statibus novis emergentibus influxum faustissimum habere potest. Spes magna adest ut hodie in Africa christiani cum ceteris religionibus dialogum effectivum tenere possint. Catholici et musulmani in multis rebus nunc cooperantur ad

adiuvandos illos populos qui iura civilis libertatis recenter sunt adepti. Aliquae res in quibus cooperari possunt sunt sequentes: *a*) scholae catholicae quas musulmani frequentant; *b*) consociationes parentum in illis scholis; *c*) uniones veterum discipulorum; *d*) societates de re sociali et culturali provehenda.

Sed hoc unum est maxime animadvertendum. Necessarium est ut Ecclesia sit adaptata peculiari indoli populi Africani neve sit identificata cum philosophia ista mundana praeteritae potestatis politicae. Duces christiani prudentissimi et peritissimi sunt quaerendi qui non solum fidem suam bene intelligunt et in vita sua quotidiana ad praxim eam deducunt sed etiam sunt parati ad fidem et praxim musulmanorum sincero corde cognoscendas et accurate perpendendas.

57

EXC.MUS P. D. THOMAS VILLELMUS MULDOON

Episcopus tit. Fesseitanus, aux. Sydneyensis

Pag. 8, lin. 7: post verbum « dictaminibus » ponantur verba: « sub influxu gratiae », ut salvetur dogma fidei.

Pag. 8, linn. 15 ss.: scio aliquos episcopos hoc aegre ferre quod conferentiae superiorum religiosorum et uniones religiosarum constitutae sint, ex mandato Congregationis pro Religiosis, ipsis episcopis penitus inconsultis vel monitis. Huiusmodi modus agendi harmoniam vix fovet! Nonne aliquid positivum de hac re indicari possit.

Pag. 9, lin. 7: quid est illud Verbum? Si intenditur verbum Dei revelatum, in oppositione ad Verbum qui Christus est, plane dicatur, quaeso.

Pag. 8, n. 3: totus hic numerus è pieno di buon senso!

Pag. 9, n. 4: Valde optatur ut in hoc numero, vel melius in numero superaddito, explicite et energice statuatur *omnimoda competentia* S.C.P.F. relate ad *omnes et singulos aspectus vitae Ecclesiae in omnibus territoriis sub eius iurisdictione*. Haec S. Congregatio debet *de omnibus* decernere *quin ullo modo teneatur quaestiones ad alias Congregationes remittere*. Haec enim admirabilis Congregatio exemplar insigne coram omnibus exsistit de modo quo dicasteria romana se gerere debeant. Utinam *totus mundus* esset sub hac *unica* praestantissima Congregatione, quae sub se haberet *varios secretariatus* pro variis aspectibus vitae catholicae. Tunc revera nulla esset tensio inter singulas hierarchias et centrum romanum, sicut inter bonos filios et almam matrem nulla dari potest tensio. Vivat et floreat haec dilectissima Congregatio quae sola scit corda episcoporum et sacerdotum sibi trahere.

Pag. 10, n. 5: totus numerus 5 optimus est. Nonne etiam addere possimus aliqua verba de necessitate efformandi *laicos* qui saltem pro aliquot

annis in terris missionalibus adlaborent? multi optimi laici ad hoc opus parati sunt.

Pag. 10, n. 6: Prematur adhuc necessitas instillandi *et* germen vocationis missionariae *et* profundam conscientiam de opere missionario in iuvenibus *qui scholas catholicas frequentant.* Iam a tenera aetate oculos eorum ad immensa territoria missionaria attollere debemus, ita ut pro tota vita sint « mission-minded ».

Pag. 12, n. 12: hic numerus valde ieiunus esse videtur.

58

Exc.mus P. D. SIMON HOA NGUYEN-VAN HIEN
Episcopus Dalatensis

1. Propositiones generatim videntur probandae; nonnullae tamen suggestiones nonnisi progressive ad effectum poterunt deduci et quidem cum prudentia, tempore opportuno, in variis campis; et semper hierarchia duce, ac cum pastoribus in regionibus missionum degentibus contactu debito servato, pro omni « initiativa » seu incepto ad eorum campum spectante. Optarem ut latinitas in stylo lucidiore ac limpidiore redigatur.

2. *Animadversiones.* N. 7, linn. 11-13. Distinctio « inter terras missionum et terras christianas... valde attenuata est... ». Hoc quidem verum est sub aliquo respectu, sed limitato et accurate determinando: generalizatio indebita mihi non videtur sat fundata! Etenim quanta differentia realis existit inter conditionem immensarum gentium, puta Asiae orientalis et meridionalis, quae numquam fuerunt christianae, nulloque in campo Evangelii beneficum influxum receperunt, et conditionem aliarum regionum, puta Occidentis quae a saeculis evangelizatae, in omni campo patrimonium christianismo saltem latenter imbutum servant, etsi nunc vario gradu, quodam neo-paganismo destructivo afficiantur. Utraque conditio, ut ita dicam, non eamdem connotat positionem in oeconomiae providentialis evolutione! Nonne liceat comparationem instituere inter divitem aegrotum necessariam medicinam habentem, sanitatem vero nolentem et pauperem debilem, in extremis positum sed salutem non recuperantem ob defectum cuiusvis medii medicinalis?

Ex una parte, datur positio quasi *prae-christiana*; ex altera parte *post-christiana,* etsi recentius degradata cum consequentiis inde provenientibus. Hoc factum vix recusari potest, nisi reali prospectui, sociologico, concreto historico — hic imprimis considerando — alius inconscie substituatur, ex parte abstractus, magis individuos homines connotans quam gentes ipsas in suo prospectu historico: non idem significatur, velis nolis, dum dicitur: *Asia regio Missionalis, Europa regio Missionalis,* utriusque asserti practica

assimilatio aequivocatione nociva laborare videtur, cum corollariis annexis, theoretico et practico quorum momentum grave spernendum non est.

Hinc quando in hoc schemate intenditur nonnisi « ad illas regiones coetusque humanos... in quibus Ecclesia vel nondum implantata est », vel « aliena ope indiget... sine quibus vita christiana nequit » apte evolvi, huiusmodi delimitatio nullatenus est artificialis: salutis enim oeconomiae prospectui plane respondet. Crederem in praesenti quaestione fundamentali, non parvas ambiguitates, his ultimis decenniis introductas esse, maxime sub influxu neopaganismi in Europa occidentali serpentis ac in diem succrescentis.

Pag. 7, linn. 25-26. Ad maiorem claritatem, loco « vel sibi non sufficit..., ponatur: « in quibus Ecclesia vel nondum implantata est, vel *aliena ope indiget ad erigendas vel sustinendas illas institutiones sine quibus christiana vita apte evolvi nequit* ».

Pag. 8, n. 1, lin. 1, supprimatur vox « ipsa ». Lin. 5, loco « omnibus pateant » ponatur « *omnibus praesto sint* ». Non enim sufficit ut salutis media clare cognoscantur, sed etiam prae manibus habeantur. Lin. 6, addatur: « qui Christum inculpabiliter ignorant, *eius gratia* salvari posse », non enim datur in alio aliquo salus (*Act.* 4, 12), nec ulla salus sine gratia.

Pag. 8, n. 2, lin. 13, supprimatur vox « hominum ». Lin. 20, addatur verbum « instaurandas » et scribatur: « relationes inter Ordinarios loci et superiores religiosos instaurandas, ita ut... ». Lin. 22, loco « initiativam retineant actionis propriae », ponatur: « initiativam retineant actionis *sibi conducentis* », agitur enim de actionibus propriis inter se debite componendis. Lin. 26, loco « *esse* pro *sua* », ponatur propter euphoniam « pro sua parte se devovent ».

N. 3, pag. 9, lin. 11, vox « pondus » mutetur in « exigentia »: « Catechumeni, de vitae conversionis exigentiis... edoceantur ». Lin. 14, loco « recognoscantur », ponatur « *agnoscantur* ». Lin. 20, loco « exprimit », ponatur « *praebet* (vel) *producit* ».

N. 4, pag. 9, lin. 28, loco « communionem », substituatur « *collaborationem vel conspirationem* ». Lin. 34, loco « est » ponatur « *erit* » (Consilium nondum existit!). Lin. 37, loco « navitas » scribatur « *activitas* ».

N. 5, pag. 10, linn. 6-7, optarem ut dicatur: « Episcopi... coadunati, *semper memores sunto se, pro totius mundi salute simul ac pro sua dioecesi consecratos esse* ».

N. 6, pag. 10, lin. 27, scribatur « *Corporis* ».

N. 7, pag. 11, lin. 4, addatur « congrue »: « ut vita religiosa... loci conditiones *congrue* aptetur ».

N. 8, lin. 6, scribatur: « *viventia* », loco « viventes ». Linn. 13-15, mutetur constructio phraseos: « Ipsis commendatur *ut* cum... collaborent unaque cum illis... ».

N. 10, lin. 32, loco « ponere », scribatur « *immittere* » (vel) *iniicere.* Lin. 37, ponatur « ut recte iudicare valeant *de propriae gentis cultura...*

N. 11, lin. 8, ponatur « *Facultates* ».

* * *

Cum missionalis activitas et cooperatio unum ex essentialibus muneribus a Christo suae Ecclesiae concreditis sit, mihi liceat mentem humiliter aperire de duplici quaestione quae mihi videtur esse perutilis ad evangelizationem.

I. *De necessitate Institutorum missionariorum promotionem fovendi.*

a) *Facta.* 1) Plus quam dimidia populationis totalis pars stat in Asia ac demographicus progressus ibi vertiginosus est. 2) Orientales nationes perantiquas civilizationes possident quae in naturali lege fundantur. 3) Sed proh dolor! minima Asiae pars Evangelii lumen recepit, et quidem tardioribus saeculis, a fidei praeconibus numero paucissimis, cum fructibus relative abundantibus, gratia Dei adiuvante multoque sudore irrigante. 4) Missionarii extranei autochthonum clerum prius formantes dein, cum eo collaborantes, de Ecclesia in Asia ita bene meriti sunt ut nunc in multis regionibus Ecclesia vere implantata sit cum sua propria hierarchia, ac fidei principia incolarum mores in variis campis permeare incipiant.

b) *Constatatio*: 1) Hoc opus salvificum tam bene inceptum, continuari ac perfici oportet. Nos praesertim in extremis plagis orientalibus, non tantum adiutorio spirituali, sociali et materiali a fratribus antiquius christianis indigemus, sed maxime exterorum missionariorum copiosam turbam ad nos venire cupimus, qui nobiscum collaborent tum in vineis a Domino nobis commissis cum in immensis terris evangelice incultis. 2) Ad efficaciorem praedicationis effectum, requiritur ut missionarii sese tota vita devoveant in terris missionum, nam linguarum difficultates, culturae localis, psychologiae regionalis, incolarum morum profunda cognitio minime permittunt ut fidei praecones tantum aliquod per tempus determinatum ibi remaneant.

Ad haec omnia, mihi videtur sola Instituta missionaria operarios conditionibus requisitis praeditos producere ac dare posse. Proinde necesse est ut in suo gremio quam plurimas vocationes recipiant.

c) *Suggestiones.* 1) Horum Institutorum superiores, nedum hodiernis difficultatibus perterriti, quam plurimas vocationes quaerere ne cessent easque in missionum loca, bene formatas mittere ne dubitent: plures enim nationes cum fame exspectant qui eis Dei verbum distribuant ac spiritualem panem frangant. 2) Ordinarii locorum humaniter permittant activeque foveant ut missionariae vocationes in suis territoriis quam numerosae recolligantur. 3) Parochi et A. C. Directores iuvenum corda praeparent atque ad hoc opus sublime excitent. 4) Christifideles, praesertim antiquiores, ut fratres maiores natu, de neochristianis et catechumenis, tanquam fratribus minoribus natu in Dei Ecclesia saepius cogitantes, sibi nobile munus eos adiuvandi eisque bonum exemplum dandi assumant. 5) Denique in locis missionum pastores, dum occasio opportuna sese praesentaverit, in regionibus

antiquius christianis peregrinantes, ad beneplacentem respectivorum pastorum invitationem, de vera actualique inter locales ac exteros missionarios cooperationis necessitudine, cum hominibus bonae voluntatis tractare ne praetermittant.

II. *De aequa missionariorum repartitione. a*) In hodierni mundi campis, quaedam regiones evangelizationi portam latius aperiunt numerusque conversionum in dies crescit, ac timendum est ne cito veniat dies in quo mutatis socialibus civilibusque circumstantiis, hominum corda quasi hermetice claudantur quia bonae dispositionis tempus iam praeterierit; dum aliis in regionibus, licet evangelii praedicatio plura per saecula multis cum laboribus facta fuerit, vix paucissima vel fere nulla conversio ad Christum inventa est! *b*) « Spiritus ubi vult spirat » (*Io.* 3, 8). Sicut in primo missionis exordio libere spiravit et Apostoli eius flatui sese dociles praebuerunt, ita et nunc nostra aetate libere spirat ubi vult. Nonne nobis licitum erit praesumere Spiritum ibi vere spirare, ubi plurima hominum corda, ad Christi evangelium bene disposita, fidei praecones revera exspectant? Attamen « quomodo audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? » (*Rom.* 10, 14-15). Num Spiritum cogere possimus ut ibi praevalenter spiret tantum, ubi et quando nos, imbecilles creaturae, id voluerimus? Nonne potius invigilare deberemus ad eius afflatus divini signa, ut melius discernere possemus « tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate » (*Act.* 1, 7) atque magna cum diligentia eius voluntatem dociles exsequeremur? *c*) Proponere auderem ut nova revisio in operariorum fidei repartitione prudenter consideretur, ut, sine ullo detrimento praesentiae Ecclesiae in qualibet mundi parte, in illas regiones ubi plures conversiones annumerantur, eorum maior numerus mittatur sicque opportunitates providentialiter dispositae, culpa nostra minime defraudentur. Ad haec, in prospectu reapse novo actuali, verba divi Augustini recolere liceat: « Timeo Christum praetereuntem ac non revertentem ».

59

Exc.mus P. D. ADOLFUS ALEXANDER NOSER

Episcopus tit. Hierpinianensis, vic. ap. Portus Alexii

Schema non placet. Nec placet transire ad suffragandum de singulis propositionibus. Schema remitti debet ad commissionem ad recognoscendum.

Missionarius in dissita terra legens hoc schema a Concilio Oecumenico confectum, nullo modo confortetur et roboretur in activitate sua missionali, sed potius mente et corde valde deiicietur. Schema deficit tum ratione formae, tum ratione materiae.

A. *Ratione formae. a*) Ex forma facile concluditur illud tractare de re parvi momenti, nam hic habetur schema valde breve quod ne quidem ut de-

cretum a Concilio profertur, sed reducitur ad quasdam propositiones, ac si esset appendix vel quoddam corollarium tantum. Et hoc, non-obstante quae dicuntur in numero primo. Sed mandatum et quasi testamentum ultimum Domini Nostri Iesu Christi certe non licet tractari ut quid parvi momenti in paucis propositionibus ad modum appendicis. Ipse enim, ascensurus in caelum mandatum dedit apostolis suis: « Euntes, in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae... » (*Mc.* 16, 15). Quod fit activitate missionali, qua mundus salvatur et Corpus Christi mystici aedificatur. *b*) Insuper forma non est pastoralis. Missionarii exhortantur ad virtutes excolendas, sed ne quidem unum verbum laudis vel confortationis iis offertur ad vitam eorum saepe aerumnosam sublevandam. Unde ipsa exhortatio forte interpretatur ut reprehensio.

B. *Ratione materiae.* Schema utique exhortationes pulchras profert, sed problemata missionis modo practico et realistico non tangit. Haec problemata sunt praesertim tria: *a*) Missionariorum numerus omnino insufficiens. Schema proponere immo statuere debet vias vere practicas de auxilio praebendo Institutis Missionalibus ad excitandas et fovendas vocationes, non tantum sacerdotio, sed etiam vitae religiosae. De fratribus laicis et sororibus non fit mentio explicita, etsi ambo valde utile servitium missionibus praebent. *b*) Subsidia materialia. Hodie semper maiora subsidia materialia requiruntur ad ordinaria opera missionaria. Sed insuper plures missiones hodie pecuniis indigent ad scholas altiorum studiorum erigendas et sustentandas, ad laicos catholicos, tum viros tum mulieres, efformandos ut sint vere periti duces populorum. Schema de his tacet, sed hoc est opus missionale maximi momenti. Hodie non sufficit formare bonos magistros et catechistas, sed formari debent laici catholici ut vere duces esse possint in omnibus campis vitae laicalis, scil. in campo politico, sociali, professionali, oeconomico, medicali etc. Hoc est quid valde urgens praesertim in novis nationibus exsurgentibus. Ut patet ex quotidiana experientia non sufficit habere episcopos et sacerdotes fratres laicos et sorores indigenos, sed catholici laici bene praeparati ut duces requiruntur in omnibus campis vitae laicae. Ad tales autem praeparandos scholae altiores vere modernae et hodiernae tum quoad aedificia tum quoad professores adesse debent. Ad haec et ad debitam sustentationem eorum subsidia valde extraordinaria requiruntur. Sed unde venient?

Utique grati sumus S. C. de Propaganda Fide pro subsidiis annuis, sed de facto in mea missione haec subsidia constituunt tantum octo per cento totius expensae annuae missionis. Nonaginta duo pro cento aliunde inveniri debet. Unde? Missionarii singuli, episcopo non excluso, eleemosynas petere debent. Hoc nec illis nec aliis gaudium affert. Unde Concilium conari debet viam practicam et efficacem invenire ad solutionem huius problematis. Certe, magna centralizatio non est solutio, immo militat contra solutionem, nam zelum personalem (personal initiative) omnino suffocat. *c*) Laicorum auxilium. De hoc breviter quid dicitur in n. 8. Sed numerus nihil dicit de vocationibus fovendis in familiis catholicis. Etiam nihil omnino

dicitur de servitio personali laicorum in missionibus etsi brevis mentio fit in schemate *de apostolatu laicorum* in n. 19. Istud servitium personale est magnae utilitatis in missionibus nostri temporis. Laici missionales auxiliares (Lay Mission-Helpers) sunt laici, viri et mulieres, qui per aliquos annos servitium suum in ipsis missionibus exhibent gratis, i. e. sine mercede. Sunt periti in artibus vel professionibus suis. Vitam degunt simplicem, fere sicut ipsi missionarii quoad habitationem, cibum, vestes, etc. Auxilium praebent non tantum laboribus suis, sed indigenis etiam exemplo vitae catholicae laicae ostendunt praesertim caritatis et patientiae, sacramentorum receptionis, devotionis erga B. Mariam Virginem, etc. Insuper diligentia sua instruunt eos circa necessitatem et dignitatem laboris humani ad vitam veram christianam ducendam et ad progressum mundanum promovendum. Hac de re ex experientia propria loquor. In missione nostra iam per fere decem annos circiter quadraginta tales laici missionales auxiliares auxilium praebent, et plures etiam in missionibus proximis inveniuntur. Sed numerus eorum augeri debet. Sunt plures catholici bene dispositi qui de hac vocatione nihil sciunt: putant enim sacerdotes, fratres laicos et sorores in missionibus laborare, laicos vero non. Attentio eorum ad hanc vocationem dirigi debet in schemate.

Sed hoc non sufficit. Ad illos laicos bonae voluntatis, zelo missionali flagrantes, adiuvandos instituta vel piae uniones instaurari debent, quae eis consilium dare, dirigere, etc. possunt. Sic Instituta ista possunt seligere et praeparare istos auxiliares aliquo modo ad opus missionale. Insuper Instituta vel piae uniones tales, si sub tutela Societatis de Propaganda Fide sumuntur, expensas pro itinere in missionem et reditum postea, pro assicuratione, et parvis pecuniis menstruis solvere possit, sicut de facto iam fit a quibusdam, v. g. Los Angeles, California. Saepe missio non potest tales laicos accipere quia totum onus grave istud non potest assumere, etsi tales laici valde necessarii sunt.

Conclusio. Schema nostrum non est dignum Concilio Generali nec opere missionali. Proinde recognosci debet ut missionarii illud legendo stimulentur ad semper maiorem zelum ad animas salvandas ad aedificandam Corporis Christi mystici, iuxta ultimum testamentum Salvatoris Nostri: « Euntes, in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae ».

60

Exc.mus P. D. CUTHBERTUS MARTINUS O'GARA
Episcopus Iüenlimensis

N. 9, *De Oecumenismo* etc. Tollantur verba inter parenthesim: « Communi professione Fidei in Deum et Iesum Christum coram gentibus atque cooperatione in re tam sociali et technica quam culturali (et religiosa), catholici fraterne collaborent cum christianis non-catholicis ad normas consti-

tutionis *de Oecumenismo* ». *Ratio*: Catholici recenter conversi in terris missionum et speciatim in Sinis, si ad collaborandum cum christianis non-catholicis in re religiosa invitarentur, scandalum patientur et fidem forsitan perdere possent, cum credere possint quamlibet sectam religiosam christianam eundem habere gradum veritatis ac ceteras alias. Inevitabiliter mentis confusio sequeretur si catholici cum membris alicuius sectae non-catholicae se unire deberent in orationibus communibus, in cantu religioso, vel in audiendis sermonibus prolatis a ministris sectarum acatholicarum, etc.

Sed etiam cooperatio in re sociali, technica et culturali, exceptis casibus particularis necessitatis, efficere possit ut Ecclesia catholica illud speciale invitamentum seu influxum in paganos deperdere possit quod innumerabilia opera missionariorum et sororum in eos exercent. Pagani bene sciunt haec opera caritatis in pauperes, in infirmos, in profugos, in scholis sustinendis, etc. fieri posse tantum ex pecunia a catholicis cum eorum sacrificio oblatis. Haec est Ecclesia catholica quam ipsi adscribi volunt. Unde invitamentum seu influxum quem Ecclesia tali modo in illos exercet, suum deperderet vigorem si ipsi haec opera nomine multarum sectarum facta esse noscunt.

61

Exc.mus P. D. EDMUNDUS PEIRIS

Episcopus Chilavensis

Schema hoc in genere mihi placet. Attamen mihi videtur habitudinem Ecclesiae ad culturam vel litteras moresque non-christianorum, praesertim in activitate sua missionali non esse satis declaratam.

Historia enim missionum christianarum demonstrat duplicem fuisse habitudinem missionalem ad gentes evangelizandas: una apostolica, altera vero colonialis. Apostolica habitudo eorum fuit, qui Christi mandato ut euntes in mundum evangelium omni creaturae praedicarent, semper intenti atque sui suorumque obliti populo evangelizando sese devoverunt.

Quo tempore apostoli ad Gentes evangelii lumen protulerunt, exorta quaestione utrum observationes Mosaicae neo-conversis imponendae essent an non, Petrus per visionem in Ioppe illuminatus, controversiam in Concilio Ierosolymitano dirimit. Inquit enim, « Qui novit corda Deus testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum sicut et nobis » (*Act.* 15, 8). Christi evangelium non est Iudaicae gentis asseclam prosapiamque sed lumen ad salutem omnium gentium: ubi non est Gentilis, et Iudaeus, circumcisio, et praeputium, Barbarus et Scytha, servus et liber: sed omnia, et in omnibus Christus (*Col.* 3, 11).

Paulus Apostolus ad Romanos: « Gentes quae legem non habent naturaliter ea quae legis sunt faciunt... testimonium reddente illis conscientia ipsorum » (*Rom.* 2, 14, 15). Ipse ergo Athenis cum philosophis disputans eorum litteras non sprevit sed potius ex libro Arati poetae « Phaenomena » textum

laudavit. Cum litteris graecis et latinis eruditi fidem Christi amplexissent veterum suorum sapientiam in servitium Dei veri instruentes doctrinas christianas melius explicaverunt et philosophiam christianam elaboraverunt. Sic enim fecerunt Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus et Basilius apud graecos, et Hieronymus, Lactantius, Augustinus multique alii apud latinos. Cum anima humana sit naturaliter christiana sapientiam ethnicorum non spernendam esse iudicaverunt. Et quod Augustinus scripsit de Hortensio Ciceronis: « Ille vero liber mutavit affectum meum et ad te ipsum, Domine, mutavit preces meas et vota ac desideria mea fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana spes et immortalitatem sapientiae concupiscebam aestu cordis incredibili et surgere coeperam ut ad te redirem » (*Conf.* Lib. III, cap. IV). In liturgia quoque tum graeca tum latina quam multa ex non-christianorum litteris et moribus antiquis exculta invenimus! Graecos ex Oriente quosdam ritus mutuos sumpsisse et victorem suum Latii locupletasse quis ignorat? Nonne Doctor Angelicus philosophiam suam perennem ex studio Aristotelis elaboravit?

Litteras ergo et culturam non-christianorum ubicumque invenimus contemnere nobis non licet. Concilium Vaticanum I sic decrevit: « Eadem Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse » (Sess. III, cap. II). Apostolica vero habitudo missionalis naturam humanam ut opus Dei a Verbo Incarnato nobilitatum esse recognoscens, quaecumque vera, quaecumque bona, quaecumque pulchra non-christianorum culturae ut antelucanum Fidei vel praeparationem evangelicam habebat, et in servitium Dei adaptabat. Quod Ecclesia catholica semper approbavit et prosecuta est.

Habitudo vero colonialis eorum est, qui gloriae imperiique suae gentis tam conscii sunt, ut evangelium Iesu Christi praedicantes et mores suos aliis imponendas esse putarent. Neo-conversos enim suos nunquam perseveraturos nisi tota ipsorum vita, natura moresque ab antiqua (ut aiunt) superstitione funditus evellerentur, sincere credebant. Neophytis ergo non tantum communicationem in divinis cum non-christianis prohibuerunt sed et de fama litterarum morumque paternorum detraxerunt. Hunc in modum communitates christianorum efformatae, saepe saepius genti suae seiunctae et societati maiorum alienae evaserunt. Exitus autem luctuosus nunc in quibusdam regionibus olim imperio occidentali subiectis nuperrime vero autonomiam civilem assecutis clare apparet.

Certum est Indos et Seres vel Cinenses ab antiquissimis temporibus doctissimos libros non paucos possedisse, et in illis multa de revelatione primitiva et ad praeparationem evangelicam utilia invenisse. Verumtamen dum catholici veterum suorum sapientiam neglexerunt, viri eruditissimi ab Occidente libris istis studuerunt, in linguas occidentales traduxerunt, et commentariis in tramitem rationalisticam instructis ornaverunt. Iuvenes quidem orientales opera haec discunt et religiones omnes contemnunt. Sint lacrimae rerum!

Propositio mea humillima haec est: 1) Ut post sectionem (*d*) in articulo 2 addatur nova sectio (*e*) quae sic se haberet: « Curent evangelii praecones populorum ad quos missi sunt linguas addiscere, et litterarum morumque illorum studia enixe promovere; 2) ut linn. 2-3 art. 10 sic emendentur: « ... sed formationem culturae christianae populorum ingenio aptatae sedulo curat... ».

62

EXC.MUS P. D. ANDREAS PERRAUDIN
Archiepiscopus Kabgayensis

Loquor nomine conferentiae episcopalis de Rwanda et Burundi et plurimorum aliorum episcoporum Africae et Americae Meridionalis.

Spe et simul inquietudine commoti Concilio oecumenico intersumus. Spem quidem haurimus e renovatione Ecclesiae, quae novas vires ad evangelizationem pariet. Anxietatem autem sentimus, quia saepe quaestiones agitantur quae non ad regiones missionum sed ad praesules Ecclesiarum firmiter in mundo occidentali, ut dicunt, aedificatarum pertinent. Timemus, ne Concilium in maximam humani generis partem nimiam vim exserat. Maior pars Patrum conciliarium minorem partem humanitatis repraesentat et quaestiones solvit quae in ipsorum nationibus disceptantur, dum missiones plerumque tacent. Ecclesia enim missionum pauper est. Non tantum laborat penuria subsidiorum materialium sed etiam peritorum, qui quaestiones scientifice explorent et solutiones Concilio proponant. Plerumque nihil dicere possumus quamvis difficultates acriter sentiamus quia desunt studia, desunt periti qui scientifice condiciones missionum investigent doctrinamque Concilii ad nostras regiones accommodent.

Ecclesia ad evangelizandum mundum missa est. Nunc primum vivam condicionum materialium et spiritualium humanitatis conscientiam adipiscimur et sentimus quam pusillus grex Ecclesia sit in mundo huius temporis. Vix inchoata est evangelizatio maximae partis hominum. Vias quaerimus quibus evangelizationem efficacius promoveamus. Ad hunc finem schema propositionum *de activitate missionali Ecclesiae* exaratum est.

Nostra mens est quod valde insufficientia et etiam nimis theoretica sint quae in his propositionibus inveniuntur. Tria ad hanc affirmationem illustrandam dicere intendimus quae speciatim et praesertim ad n. 4 spectant:

I. *Necessitas peritorum et institutorum de re socio-religiosa in ipsis missionum regionibus.* In n. 3 Propositionum multa et optima consilia dantur Evangelii praeconibus sed haec non sufficiunt. Imprimis Evangelii praecones mediis indigent quibus eorum labor scientifice investigari et consequenter efficacior evadi possit. In n. 4 agitur de condendo Consilio Centrali Evangelizationis, cuius opus erit colligendi informationes in regionibus missionum. Putamus hanc institutionem omnino necessariam esse sed timendum est ne inefficax fiat si in ipsis regionibus missionum desint periti ad has informa-

tiones colligendas et communicandas. Operarii apostolici valde pauci sunt et plerumque non specializati pro huiusmodi labore. Necessarii ergo nobis sunt periti sociologiae religiosae qui condicionem religiosam regionis vel continentis pervestigent, in libris et foliis periodicis vel diariis exponant, denique solutiones proponant.

Periculum est ne Ecclesia in organizatione scientifica et modo moderno evangelizationis tardius veniat. Nunc est tempus acceptabile. Nunc necessaria sunt studia scientifica. Nunc fundanda sunt Instituta ut in eis periti locales ecclesiastici et laici educari possint in his modernis disciplinis.

Mutua fide nos alios aliis obligatos esse sentimus. Per nos ipsi huic immenso operi omnino impares sumus. Nobis desunt specialisti et sumptus. Ecclesia missionum adiumenta Ecclesiae universalis implorat.

II. *Necessitas studiorum pastoralium in communi* (*pastorale d'ensemble*). Labor istitutorum necnon et peritorum de quibus supra diximus ad hunc praesertim finem tendere debebit ut in regionibus missionum quaedam « pastorale d'ensemble » ut dicunt institui possit.

In regionibus missionum multa problemata communia sunt, sed usque nunc plerumque diverse in diversis locis solvuntur, quod saepe fit in damnum evangelizationis. Multa exempla afferri possent: En inter multa: organizatio catechumenatus, adaptatio actionis oecumenisticae, distributio operariorum missionis, problema scholarum, organizatio apostolatus laicorum, divisiones circumscriptionum ecclesiasticarum, utilisatio mediorum communicationis socialis, administratio temporalis exiguorum bonorum missionum etc.

Nunc temporis, ubi omnia sive politica et oeconomica, sive socialia et caritativa, in communi inter regiones, nationes et immo continentes tractantur, non amplius possumus evangelizare modo isolato et empirico. Quaedam planificatio et coordinatio absolute necessaria est. Concilii nostri est haec omnia non solum theoretice affirmare sed praesertim media practica statuere ut realiter efficiantur.

III. *Necessitas multo maioris attentionis Ecclesiae ad missiones.* Ecclesia activitatem suam in mundo huius temporis explorare sibi proponit. Satisne rationem habebimus maioris humani generis partis, quae fame laborat, scholis indiget, instrumentis caret, ut ad altiorem statum sese extollat? Quid de mediis communicationis socialis, quae nobis maxime necessaria sunt? Quid de Facultatibus et de Universitatibus catholicis?

Eleemosynae non sufficiunt nec respondent amplitudini operis missionalis Ecclesiae. Ecclesia in occidente saltem in aliquibus regionibus quodam capitalismo spirituali et materiali laborat. Abundat sacerdotibus et religiosis. Sumptus fiunt enormes ad sanctuaria vel Ecclesias aedificandas dum in multis missionum regionibus plura millia christifidelium in paupere tugurio liturgiam celebrant vel sine tecto et saepe saepius sine sacerdote conveniunt ad orationem communem et catechesim.

Melior distributio bonorum et virium in Ecclesia apprime desideratur ne aliqui inter fratres nimis esuriant at alii ebrii sint.

Conclusio. Optandum ergo: 1) ut Concilium modo debito activitatem missionalem Ecclesiae perpendat. Ad hoc simplices Propositiones non sufficiunt; requiritur omnino decretum conciliare; 2) ut commissiones post-conciliares mox instituantur quarum membra pro maxima parte sint Evangelii praecones tam saeculares quam religiosi nec non et laici in re sociologica periti, quorum opus erit principia generalia et iussa Concilii nostri ad rem adducere; 3) ut fiat melior distributio virium ac bonorum Ecclesiae; 4) ut in ipsis missionum regionibus institutiones fundantur ad scientifice explorandam condicionem evangelizationis et etiam ad planificationem et quandam pastoralem communem proponendas necnon ad formandos peritos locales qui opus inchoatum prosequantur.

Audiat Ecclesia vocem illius ingentis multitudinis hominum qui in regionibus sic dictis « du Tiers Monde » ad eam clamant et in eam sperant ut in *Matrem et Magistram.*

[*Subsignaverunt etiam*] B. Mels, arch. Luluabourg; J. Van den Berg, ep. Lisala; F. Scalais; R. Ndudi, aux. Boma; G. Bouve, ep. Kongolo; H. Morlion, ep. Baudouinville; A. Jacques, ep. Boma; V. Dewilde, ep. Niangara; J. Cornelis, arch. Elisabethville; A. Van den Bosch, ep. Matadi; X. Geeraerts; P. Lehaen; V. P. Keuppens; J. A. Leroy, ep. Kilwa; M. Van Rengen, ep. el. Mweka; A. Creemers, ep. Bondo; P. Bouckaert, ep. Popokabaka.

63

Exc.mus P. D. HUGO POLETTI

Episcopus tit. Medelitanus, aux. Novariensis

Ad art. 1 (Necessitas missionis). Videtur opportunum hic, vel in numeris sequentibus, clarius exponere — etsi breviter — principia doctrinalia iam in aliis schematibus fusius descripta de gravi munere missionali, proprio sive episcoporum, sive sacerdotum, sive religiosorum, sive laicorum.

Ad art. 5. 1) Aliquid dicendum esse videtur *de alumnis seminariorum spiritu missionali imbuendis,* sive in studiorum curriculo (programmi scolastici informati alla visione missionaria della Chiesa) sive in praeparatione pastorali pro futuro eorum ministerio in propria dioecesi exercendo.

2) Valde optandum esse videtur ut conferentiae episcopali cuiusque nationis explicite tribuatur quoque *munus moderandi activitatem et relationes ad invicem sive Pontificalium Operum* Missionalium sive *Institutorum Missionalium,* eorumque controversias vel dissensiones cum auctoritate dirimendi, quod non satis videtur provisum per art. 2 sub *b*).

3) Non sufficit quod episcopi dioecesani aliquos ex suis sacerdotibus ad dioeceses clero carentes destinent. Necesse est etiam ut *hi sacerdotes rite* praeparentur opportuno cursu et exercitio, vel melius in aliquo Instituto ad hoc erecto. Necesse est etiam ut, tempore servitii missionis, *prudenter custo-*

diantur, et, post servitium temporaneum, *honeste recipiantur in reditu* ad suam dioecesim.

Quod munus opportune conferri videtur conferentiae episcopali cuiusque nationis.

64

EXC.MUS P. D. PETRUS POREKU DERY

Episcopus Vaensis

1. *Gratiarum actio.* Testante ipso nostro Divino Salvatore, ad omnem hominem, praesertim christianum, pertinet virtutem gratitudinis pro viribus acquirere: ipse enim leprosos quos sanavit increpavit eo quod ea carebant, dum samaritanum qui solus rediit ad gratias Deo agendas laudavit.

Et quidem illi viri mulieresque ex diversis Ordinibus Congregationibusque vocationem divinam secuti ad bonum nuntium salutis gentibus adhuc salutis viarum in Christo ignaris, proclamandum, debitum omnibus membris Ecclesiae diversimode impositum adimplent; sed tamen hoc faciunt haud sine sacrificiis et privationibus, immo aliquando dispendio ipsius vitae, et inde est quod ii qui medio talium laborum beneficia tam magna acceperunt obligationem habent gratias quam maximas agendi his benefactoribus per quos fide et baptismo susceptis filii Dei adoptivi et heredes Christi facti sunt.

Vobis ergo, viri et mulieres missionarii, gratias agimus sinceras. Vos enim nobis possibilitatem attulistis filii Dei eveniri simul cum capacitate tot alia beneficia acquirendi quae digna sunt statu personali hominis.

Gratias simul agimus omnibus episcopis ecclesiarum iam definitive stabilitarum earumque fidelibus propter adiumentum immensum quod ecclesiis crescentibus contulebant: gratias Praesidi Consilii Superioris de Propaganda Fide eiusque collegis, Delegatis Apostolicis, Moderatoribus nationalibus et dioecesanis Societatis Propagandae Fidei. « Euge, serve bone et fidelis ».

2. *Titulus schematis.* Schema in genere est acceptabile simul cum novo titulo pro eo olim usurpato substituto, scil. « De Missionibus ». Titulus hic novus me certiorem facit quod et ego membrum sum Ecclesiae. Gratias debitas commissioni illustri peritisque eam inspirantibus.

Hoc vero non obstante, de schemate hanc facimus animadversionem. Missiones ad materiam « de Ecclesia » pertinent. Doctrinae quidem principales iam in « de Ecclesia » tractatae sunt, sed dedeceret hanc partem essentialem ipsius Ecclesiae ad meras propositiones reducere, eo vel magis quod schema *de apostolatu laicatus* formam decreti iam induit. Deinde, deest distinctio clara inter missionem Ecclesiae universalem et hanc *missionem particularem* — id quod, meo saltem iudicio, detrimentum efficere potest.

Ergo propono quod hoc schema discutiatur et redigatur ad formam decreti quodque clare distinguatur inter missionem Ecclesiae universalem omnibus hominibus eiusque missionem particularem gentibus novis, adeo ut christiani earum regionum ubi Ecclesia iam plantata est obligationes suas erga Ecclesiam crescentem recognoscant.

3. *Caritas fraterna.* Datur etiam, meo iudicio, in schemate lacuna aliqua magni momenti inquantum deest paragraphus de caritate fraterna, qui omnino requiritur, nec sufficit dicere illam iam tractatam esse ubi de habitudine inter episcopos eorumque presbyteros.

« Ego elegi vos », « Filioli mei... diligite vos invicem »: sic locutus est Dominus et in oratione eius sacerdotali Patrem rogavit: « ut unum sint ». Est voluntas et desiderium ardens ipsius Christi ut unio inter membra Corporis eius mystici sit sicut unio ipsa intra-Trinitaria ubi vinculum est ipse amor. Venerabiles Patres, nuntium hunc amoris proclamamus, sed eheu! pro fragilitate nostra humana proni sumus illud in vita nostra negligere nos ad quos imprimis pertinet illum exhibere. Sic actiones nostrae quibus frangitur vinculum caritatis sunt fons admirationis et scandali mundo.

In hac Synodo ad unum finem convenimus — ut Ecclesia pastoraliter se renovet. Ergo renovemus nosmetipsos. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma — sic proclamamus: sed dantur nonnumquam in ipsis missionibus contentiones graves inter congregationem et congregationem, inter episcopos extra patriam degentes et missionarios sibi subiectos. Est mos vetusta quod una natio convincitur de eius superioritate supra aliam et sic — veniam peto — fit inter missionarios. Similiter una congregatio nihil boni vel valoris videt in methodis evangelizandi apud alias congregationes adhibitis.

Nec satis. Ubique ipse diabolus potest opus destructionis perficere per criticam iniustam, per dissensiones et dissidia, per spiritum superioritatis et discriminationis, per nimium appetitum et amorem potestatis et praeeminentiae in Ecclesia: missionarii extra patriam degentes contra episcopos et sacerdotes indigenas contendunt et vice versa, dum exemplum esse debent vivendi pacifice in Christo: « Ecce quam bonum et iucundum habitare fratres in unum », « Videte quomodo se invicem diligunt ». Si Christum non sequimur, vetus ille homo statim reviviscit, et dicimus: « Si vadis ad Orientem, ego ibo ad Occidentem ». Sic dividitur Christus, dum si revera vocationem Christi sequimur eius opus facimus, nemo extra patriam degit sed omnes unum sumus. Ergo quidquid sit de conflictu honesto inter nos, omnino debemus exemplum unitatis praebere ipsi mundo. Noster agendi modus ansam dedit novis nationibus dicendi quod christianismus finem suum non attingit nosque diridendi ac si Sacram Scripturam et gladium in altera et altera manu portaremus. Hoc non recte dicitur, sed, ut dixi, nosmetipsi ansam praebuimus huiusmodi accusationibus.

Ut ergo renovatio pastoralis sit efficax et perdurans, « Cessent iurgia maligna: cessent lites ». Ex Christi amore huc in unum convenimus. Caveamus ergo divisiones. « In medio nostri Christus sit. Ubi caritas et amor, Deus ibi est ». Nemo faveat conditioni rerum in qua « exsules » et incolae separatim vivunt — nemo saltem ex nobis sacerdotibus nisi in adiunctis ubi aliter fieri nequit. Hic agendi modus doctrinae discriminationis indulget et fideles scandalizat. Ministri sumus solius pacis Christi.

Si verba mea mihi nocumentum afferent, Patres venerabiles, noceant,

sed unica intentio mea est ut propagationi Evangelii eiusque veritatum in adiunctis hodiernis activitatis missionariae Ecclesiae proficiam. Caritas fraterna quaerens non ea quae sua sunt sed quae sunt Dei et proximi, Christum videt in fratribus nostris. Vita communitaria et contactus noster cum hominibus diversae educationis et culturae novum et verum aspectum in Christocentrismo habebunt.

65

REV.MUS VIDO ATTILIUS PREVITALI

Praefectus Apostolicus Misuratensis

Sicut statutum est propter circumscriptiones dioecesarum, sic faciendum esset propter iurisdictiones ecclesiasticas in terris missionum. Nam decretum *de pastorali episcoporum munere* sic sonat: « ... quantum primum ad congruam recognitionem prudenter deveniatur, eas dividendo vel dismembrando vel uniendo aut ipsarum fines mutando, ... si animarum bonum id exigat ». *Ratio* huius modificationis: 1) Causa temporum decursu, bello transacto et modernis politicis perturbationibus terris missionum respicientibus, exigunt ut ad aliquas necessarias modificationes, temporibus nostris, deveniatur.

2) Multae denique missiones, sub aspectu iuridico tantum, usque adhuc, *in statu initiali degunt*: Quapropter necesse est ut aliquae iurisdictiones abrogentur, aliae uniantur, vel aliae ad superiorem gradum extollantur.

3) Ad hoc opus suggero ut *commissio* specialis instituatur quae tamen nihil faciat inconsultis locorum Ordinariis in terris missionum degentibus; et sine eorum practicis suasionibus.

Hoc ut in bonum animarum evadet; ut missiones, novo robore apostolico floreant; et ut superiores ecclesiastici, munus sibi commissum melius absolvant.

66

EXC.MUS P. D. IOANNES B. PRZYKLENK

Episcopus Ianuariensis

De Consilio Centrali Evangelizationis (n. 4). Praetermitto ea quae de schemate in genere dicere volui; siquidem nemo non videt triplicem eius defectum (plus minus communem cunctis schematibus ad paucas sine sanguine et absque suco reductis propositiones), scil.: 1) nimiam generalitatem seu locos communes; 2) defectum claritatis seu confusionem praesertim quod ad notionem missionis attinet (cf. pag. 7, linn. 21-28); 3) defectum soliditatis fundamenti, quippe quod, inducta alia Ecclesiae notione quam in constitutione *de S. Liturgia* et in schemate *de Ecclesia* invenitur, a linea conciliari deflectit.

De triplici defectu optima alia ab aliis iam sunt prolata seu sufficienter adumbrata.

Ad unum tamen punctum vestras attentiones dirigere forte iuvat. In n. 4 creatio cuiusdam *Consilii Centralis Evangelizationis apud S. C. de Propaganda Fide proponitur.* De hoc Consilio disseram.

A. Ante omnia notandum esse reor a veritate alienam esse interpretationem, quam voces benignam, quae in novo fasciculo albo, pag. 14, ad n. 4 legitur. Cum enim textus noster decernat *apud* S. C. de Propaganda Fide (utinam dixisset: apud S. Sedem!) Consilium istud esse condendum, non selegit verbum « omnes possibilitates continens », sed verbum adhibet absque dubio significans Consilium penes Congregationem de Propaganda Fide, in eius manu exsistens, in eius sinu formatum. Propria verborum « apud S. C. de Propaganda Fide » significatio, in textu et contextu considerata hunc sensum prae se fert. Dubium si cui manserit, dissipabitur recursu ad locos documentorum ecclesiasticorum (imprimis in re simili latorum) parallelos quorum nonnullos, omni exceptione maiores, in appendice, inde a S. Pio X usque ad Paulum VI f. r., collegi commissioni inspiciendos et serene iudicandos. Praesertim hic recursus, stylo et praxi Curiae Romanae nixus, demonstrat illud « apud S. Congregationem de Propaganda Fide » significare *intra idem Dicasterium, penes ipsum Dicasterium.*

B. Quibus praemissis hoc enuntiare libet. Entia non sunt multiplicanda sine ratione sufficienti.

Atqui rationes sufficientes ad huius Consilii creationem non habentur, nisi quibusdam conditionibus praesuppositis. Ad maiorem quod attinet, neminem duco aliam tueri sententiam. Ad minorem plura dicenda sunt.

1. Nisi fallor, ipsum Dicasterium Romanum quod a Propaganda Fide nomen ducit, Gregorio XIV volente, Consilium centrale evangelizationis constituit. Unde novum Consilium quid erit? Ad sectionem Dicasterii internam condendam Concilii interventu opus non est. Congregationes enim Romanas constat sectiones internas erigere, supprimere, mutare, transformare iuxta rerum necessitates plus minus urgentes.

Cuius asserti argumenta tum ex Annuario Pontificio tum ex opere clarissimi professoris Lateranensis A. GUTIERREZ *De Sacra Congregatione de Religiosis* sumuntur.

2. Consilium centrale quot membris constabit? Eritne immense grande, conflatum tot viris quot regiones sunt missionales? Corpus quoddam immensum mobilitate caret et agilitate, nisi peculiari spiritu animetur, quem v. g. in hac Synodo vivum et vitalem quasi manibus palpamus.

3. In relatione fasciculi prioris (viridis, pag. 18, circa finem) legimus: « Durus fuit labor commissionis, quia voluit em.mus praeses unicuique relinquere plenam libertatem propriam exponendi sententiam, ut inde appareat in quibusnam sit concordia, et quaenam proinde a Concilio proponi possint. Hanc libertatem ita salvam volebat, ut, satis habens praeesse primae

tantum ac ultimae sessioni, maluerit disputationibus non intervenire, ne forte alii timerent praefecto S. C. de Propaganda Fide contradicere ».

Lecta vix intellego. (Non intellego libertatem exponendi sententiam cuiusvis propriam fuisse causam duritiei laborum. Nec intellego, qua ratione expositis libere sententiis apparere possit, quaenam *a* Concilio [non dicitur: *in* Concilio vel simpliciter Concilio] proponi queant). Praesertim non intellego praesidis modum agendi, prout in relatione describitur. Intellectu difficilis non est praesidis, laboris obruti, a commissionis disputationibus absentia (licet, Concilii opere praelato, uni vel alteri laborum cumulo valedicere posse melius esset).

At, nullatenus intellego causam allatam absentiae, scilicet suppositum timorem reverentialem aliorum sodalium commissionis inter quos tres Purpurati et ipse Secretarius Congregationis de Propaganda Fide. Num hi Purpurati, hic Secretarius, secus intimus Praefecti collaborator, alii sodales, partim a Concilio electi, partim a Romano Pontifice adsciti, tanto timore reverentiali repleri posse videbantur, ut sola Praefecti de Propaganda Fide praesentia, prudens et dirigens, fieret periculum libertati sincere exponendi propriam sententiam? Absit!

Venerabiles Patres, nemo vestrum ignorat, quantum ponderis habeat cuiuslibet commissionis caput, eandem regens, sententias libenter excipiens easque discernens, opiniones absque iudicio praestabilito componens et inter se comparans, definitivum quid sodalium cooperatione tandem ortum enuntians.

Nec praesentia talis capitis libertati nocet; e contra, cunctis cuiusvis commissionis membris desiderabilis est eritque. Si nihilominus nimius timor reverentialis in sodalibus praevideatur, nonne ita praeveniri potest, ut in commissionibus procedatur iuxta sapiens statutum apud quosdam religiosos in pertractandis negotiis capitularibus vigens, nempe: « In discussione quilibet mentem aperit ordine inverso praecedentiae... » (Const. *MSF,* n. 409)?

Ne quis dicat hanc animadversionem ad rem non esse. Est ad rem, cum quis Consilio centrali evangelizationis condendo apud Congregationem Fidei Propagandae intendat. Si enim ipsius commissionis conciliaris membra, relatore teste, nimio timore reverentiali corripi posse exsistimatum sit, quid quoad sodales novi Consilii in sinu Congregationis Fidei Propagandae in posterum condendi reapse metuendum sit? Metus sine fundamento in re esset, si in hac alma Urbe consuetudo omni cum libertate coram Purpuratis Praesidibus loquendi maior exsisteret. Utique in Concilio haec floret libertas, sed extra Concilium huiusmodi libertatis magnitudo, nescio quas ob rationes, ad pauca reducta esse videtur. Consilii centralis evangelizationis creatio vana et superflua apparet, quamdiu huius libertatis impedimenta pro posse e medio ablata non fuerint. Quorum ablatio erit effectus novae mentis, novae habitudinis Praesidem inter et sodales.

Quoties in hac aula de dialogo eiusque necessitate et utilitate audivimus? Iterum iterumque de dialogo ipse Summus Pontifex loquebatur. A Patri-

bus relate ad apostolatum laicorum saepe numero elata est necessitas veri dialogi clericos inter et laicos. Quid tunc de ipsis clericis, sodalibus unius eiusdemque commissionis seu consilii dicemus? Num dialogus in sinu huiusmodi commissionis caput inter et sodales necessarius, utilis, fecundus non est? Quod ad diversa schemata attinet, relatores audivimus dicentes lucem permagnam, interventu Patrum in aula habito vel in scriptis tradito, effusam esse. Istiusmodi lux, a Spiritu Sancto procedens, a quo, Divo Thoma dicente, omne verum oritur, absque dialogo non diffundetur. Spiritui resistimus, dialogum supprimentes, dialogum fugientes, dialogum liberum et sincerum vitantes.

Utinam mentis promptitudo ad dialogum fraterne colendum crescat vel inter ipsos clericos, seposita omni specie monopolii spiritus, quippe qui « spirat ubi vult » (*cf. Io.* 3, 8) et quem etiam in nationes effusum fuisse legimus (cf. *Act.* 10, 45). Cum Petro humili et modesto singuli de singulis confiteantur (in Ecclesia saltem): « Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos » (*Act.* 10, 47).

Praeterea, clerici, dialogo cum collegis haud assuefacti eidemque adversarii, difficilius se sistent indispensabili dialogo cum christianis seiunctis in ordine oecumenismi et cum non-christianis in campo missionali.

Hac igitur nova mente vigente, Consilium centrale evangelizationis — non mera sectio interna Congregationis de Propaganda Fide ut nunc exsistentis, haud nimis magnum — activitati missionali incremento sat magno fore spero.

4. Consilium centrale evangelizationis apud Congregationem de Propaganda Fide creandum exhibetur. Penes Consilium erit influxum exercere efficax in totum opus evangelizationis quod Ecclesiae incumbit. Attamen ipsum schema (pag. 7, linn. 23 ss.) principia pro opere evangelizationis valentia applicare intendit ad regiones, coetus humanos, dioeceses, in quibus Ecclesia vel nondum implantata est vel sibi non sufficit illas institutiones erigere aut sustinere sine quibus vita christiana evolvi nequit, independenter ab eorum actuali subordinatione sub Congregatione de Propaganda Fide. Opus proinde evangelizationis latius patet quam actualis Dicasterii de Propaganda Fide competentia. Num horum textuum intentio, saltem implicita, est isti Dicasterio in posterum subordinandi omnes regiones, coetus humanos, dioeceses in quibus opus evangelizationis, ut supra, ad felicem exitum adhuc urget perducendum? Huiusmodi intentio si habeatur, clarius enuntietur. Sin autem, non est ratio sufficiens, ut Consilium centrale apud Congregationem de Propaganda Fide creetur. Ne huic submittatur quod ea latius pateat!

5. Postremo creatio Consilii centralis in sinu Sacrae Congregationis de Propaganda Fide desideratur. Anno proxime praeterito, cum de schemate *de regimine episcoporum* ageretur, anno currenti, cum schema *de Missionibus* ad nos missum fuisset, enixe rogavi, ut e nomenclatura curiali evanesceret epiteton illud *sacrum, sacra,* etc. rationibus tunc, ut mihi videtur, et intrinsecis et extrinsecis allegatis.

Doleo, quod singulae commissiones conciliares suum quaevis schema exarant, quin ab una auctoritate communi, puta a commisione de laboris Concilii coordinandis, cunctis proponatur deliberandum quod ad omnes spectat.

Timeo, ne hac omissione schemata unius eiusdemque Synodi alia ab aliis in quibusdam saltem rebus dissonent neve — quod peius est —, plerumque bonum semen ceciderit secus viam et conculcetur. Timeo denique, ne puncto quodam in uno schemate non dogmatico conciliariter admisso praeiudicium afferatur ceteris schematibus quorum redactores facile illud appellent. Unde in casu nostro instanter peto, ne dicatur Concilium centrale evangelizationis erigendum esse apud *Sacram* Congregationem de Propaganda Fide neve hic usus loquendi de *Sacris* Congregationibus etc. hactenus quidem vulgaris, sed mea sententia mutandus decisione nostra consecretur.

Iuvat notare schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* suggestionem de omittendo adiectivo *sacrum, sacra* etc. libenter et constanter acceptasse. Spero fore, ut per consequens etiam cetera Concilii documenta eandem sequantur lineam modumque loquendi.

Appendix. - De significatione verborum « apud S. C. de Propaganda Fide » iuxta stylum et praxim Curiae Romanae.

A) Textus ad SS. Congregationes spectantes: S. PIUS X: *A.A.S.,* 4 (1912), p. 526 - cf. *A.A.S.,* 44 (1952), p. 664; BENEDICTUS XV: *A.A.S.,* 9 (1917), p. 167 (praesertim III; V; ratione habita rubricae huius « Motu Proprio »); PIUS XII: *A.A.S.,* 43 (1951), pp. 806 s.; *A.A.S.,* 44 (1952), pp. 675, 676, 695 (7, § 1 qui locus eminet; 8, § 1); 696 (9).

B) Alii textus SS. Dicasteria non spectantes: PIUS XI: *A.A.S.,* 16 (1924), pp. 419 ss. (speciatim I; III; IV; - in = apud, uti e rubrica illius « Motu Proprio » et pag. 419 I patet); IOANNES XXIII: *A.A.S.,* 54 (1962), pp. 113 s. quo ob parallelismum apparet, in casu, « apud » esse idem ac « penes ».

Ex omnibus autem textibus patefit semper et ubique agi de parte, et quidem interna, toti subordinata. Quae cum ita sint, legitima erit conclusio haec: apud S. C. de Propaganda Fide significare in sinu eiusdem Dicasterii, penes ipsum Dicasterium.

67

EXC.MUS P. D. SANCTUS QUADRI

Episcopus tit. Villanovensis, aux. Pinerolensis

A) N. 8, pag. 11, lin. 9: « ... Laici qui consecrationem mundi... ». In schematibus *de Ecclesia, de apostolatu laicorum,* et *de Ecclesia in mundo huius temporis,* consulto vitata est expressio « consecratio mundi », quia controversiae sunt de verbo, et quia aequivocationes oriri possunt circa substantiam rerum. Potest adhiberi expressio: « christianam ordinis rerum temporalium animationem ».

B) Postulo insuper ut in schemate aliquid amplius dicatur de necessitate qua obstringuntur novae communitates ut omnes, pastores et laici, actuosi sint, pro modulo suo, sive in rebus religiosis sive in rebus temporalibus (hoc attendentes: non sufficere opera adsistentialia, sed requiri actionem oeconomico-socialem).

68

REV.MUS P. D. MAURITIUS QUÉGUINER
Superior generalis M.E.P.

Exc.mus et rev.mus D. Lokuang, relator commissionis vestrae, Patres conciliares in aula rogavit, ut, priusquam Roma abirent, animadversiones et emendationes, ad schema *de missionibus* renovandum utiles commissioni subiicerent.

Infrascriptis ergo liceat sequentia puncta interim proponere: 1. Ex animo consentimus cum sodalibus vestrae commissionis, qui aliquos peritos theologiae vocandos esse censent, ut sociam conferant operam ad schema renovandum.

2. Cum maiore Patrum conciliarium parte nobis placet, ut *integrum* schema conscribatur, textu nequaquam ad propositiones restricto.

3. Proposita nostra, quae ad novum schematis textum utilia esse possunt, invenire potestis in *Documento nostro III,* quod die III mensis augusti proxime elapsi secretario generali Concilii misimus.* Praeterea in animo est quam primum aliquas huius textus correctiones vobis tradere.

Vix necesse est dicere nos omnes, quibus Missiones summopere cordi sint, ad ulteriorem collaborationem semper esse paratos. Vobiscum doluimus, quod propter angustias temporis opus vestrum, quod singulariter aestimamus, ad propositiones contrahere debuistis. Eo vel magis certe gavisi estis nobiscum, quod Concilium missiones tanti aestimavit, ut parum haberet suffragium ferre de solis propositionibus.

Dominum precantes, ut strenuo vestro labori exitum tribuat felicem, vobis fraterno corde salutamus.

[*Subscripserunt etiam*] T. v. Valenberg, ep. tit. Comba; L. Volker P. A.; H. Mondé, S.M.A.; J. Van Kerckhoven, M.S.C.; O. Degrijse, C.I.C.M.; H. Systermans, S.S.C.C.

69

REV.MUS P. D. EDUARDUS GABRIEL QUINT
Praefectus Apostolicus Veihaiveiensis

Ante duos dies accepi litteras ab aliquo ex-missionario sinensi qui multa pro fide passus est et nunc habitat in Gallia, in parte orientali-septemtrionali, ubi zelus missionarius specialiter florebat antea. Haec sunt verba eius:

---

* Cf. pag. 952.

Hélas! L'enthousiasme pour les Missions est diminué chez nous par l'indifférence, engendrée par les doctrines de Rahner théologien allemand et autres: il faut respecter la croyance de l'autre; il ne faut pas faire du prosélytisme; il ne faut pas violenter la conscience; les payens ont de quoi pour se sauver, etc.; les protestants peuvent se sauver, etc.

Ad has citationes illius missionarii, possumus adiungere verba quae aliquando etiam a sacerdotibus proferuntur: le pays de Mission est chez nous; pas besoin d'aller chez les sauvages, il y a des payens à convertir par ici! Vel alia verba a laicis prolata: Mais laissez donc ces gens tranquilles! Jusqu'à présent ils ont vécu selon leur Religion, pourquoi les déranger dans leurs croyances? Quid sentiendum et faciendum? Mea humili sententia:

1. In schemate *de Missionibus,* positive, clare, strenue, fortiter, declarandum est: praedicationem Evangelii omni creaturae, obligationem faciendi discipulos Christi, et baptizandi eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti et docendi eos servare omnia quae Christus dixit apostolis, haec omnia esse de essentia obligationis et existentiae Ecclesiae. Dicunt aliqui hanc esse primariam obligationem.

2. Valde caute de possibilitate salvationis et de directa praedicatione Ecclesiae et baptismate, locutum esse. Non quia in eis non inest aliqua veritas, sed quia si nimis de hac possibilitate loquimur, malae consequentiae inde eruuntur et activitas missionaria et vocationes parvipenduntur.

3. Verbum « proselytismus » cautissime adhibendum est. *a*) Si sunt missionarii ferventes, ab aliis minus ferventibus irrideri possunt, dicentibus: ne facias « proselytismum »! *b*) Iam sunt qui dicunt: nostra generatio adhuc non praeparata est ad audiendum Evangelium. *Prius* praeevangelizatio facienda est, *postea* forsitan post unam generationem, evangelizatio incipi potest. *c*) Etiam sunt qui dicunt testimonium silentiosum dandum esse et libertatem conscientiae aliorum non esse disturbandam.

4. Quoad adiutorium materiale pro missionibus. *Momentum*. Omnes missionarii, et praesertim superiores missionum, sciunt hoc problema materiale esse crucem missionarii. Mundus tremende considerat disproportionem formidabilem inter regiones locupletiores et regiones pauperes. Sed possumusne dicere, inter nos, in Ecclesia, etiam eandem differentiam existere inter ecclesias sic dictas christianas, et missiones? Estne bene, quod missiones debent semper mendicare et episcopi missionum ut mendicantes suspicantur et timentur et (proh dolor) aliquoties irridentur?

Nostris diebus plus et plus momentum sociale emphatizatur in adiumento pro missionibus. Momentum proprie religiosum, v. g. pro erectione ecclesiae, vel scholae, vel centri pro iuventute, parvipenditur. Dicunt « date eis panem pro stomacho et postea pro anima! » etc. Certe momentum sociale non parvipendendum est, sed « quaerite primum regnum Dei etc. » semper manet verum. Quid non factum est in nostris regionibus pro bono sociali populorum et (proh dolor) non propter hoc meliores christiani facti sunt.

Remedium. Debemus sic organisare omnia ut in Ecclesia unusquisque catholicus sciat, se ad adiuvandum, in quantum possibile et quantum potest, pro extensione Regni Dei, in toto mundo, vere obligatum esse.

Media debent inveniri, ut omnes episcopi, in hoc puncto monstrent sollicitudinem omnium ecclesiarum. Non sufficit aliquod timidum desiderium.

Curandum est ut subsidia, vere sic distribuantur, ubi necessitudines sunt maximae et urgentiores.

Scimus, haec omnia valde difficilia esse, sed debemus aliquid Regni Dei dignum invenire.

70

EXC.MUS P. D. HIERONYMUS RAKOTOMALALA
Archiepiscopus Tananarivensis

De oecumenismo in missionibus. Maximi momenti est quaestio oecumenismi ubique, sed praesertim in nostris territoriis missionalibus. Historice asserere possumus quod ille motus divino afflante Spiritu, a missionibus ortum habuit. Divisio inter christianos immensum scandalum apud ethnicos et apud omnes non-christianos suscitat. In regionibus occidentalibus proh dolor adhuc permanet eventuum elapsorum nefanda memoria ut sunt seditiones, bella religionum, persecutiones, quae aliquomodo separationem explicat nullatenus iustificat.

Cur aliqui Evangelii praecones adhuc eam apud nos fovent? Tempus est ut oecumenismus realitas fraterna sit quae non solum hic in Concilio Vaticano declaretur vel in concilio mundiali Ecclesiarum, sed in actum usque in imas terras nostras missionales deveniat, cum consensu et activa collaboratione omnium moderatorum diversarum confessionum christianarum.

Cum ingenti gaudio audivimus Summum Pontificem collaudare in die canonizationis martyrum Ougandensium illum acatholicum qui in illa persecutione supremum testimonium erga Christum heroice dedit.

Ipsimet addere possumus quod initio praedicationis Evangelii in Insula nostra Madagascar, saeculo elapso, multi anglicani sanguinem pro Christo fuderunt.

Quot millia millium acatholicorum authenticum oecumenismum per martyrium vixerunt in Russia: semen est unitatis; sicut et in Sinis. Sanguis, orationes, ieiunia et vita fideliter intrepida, paulatim non solum ad oecumenismum sed ad unitatem reapse ducunt.

In hoc schemate *de activitate missionali Ecclesiae* de oecumenismo clarius dicatur et modo homogeneo cum illa constitutione *de oecumenismo* a secretariatu pro unitate christianorum fovenda sic splendide elaborata et nunc a Concilio per suffragium fere unanime iam approbata.

Praeterea in quovis coetu episcoporum centrum « Unitas » condatur quod motum actualem et incoepta oecumenica in futurum promoveat.

Ad collaborationem fovendam cum fratribus seiunctis multa tentamina instaurari possunt immo debent. Et hoc, modo non solum humano et urba-

nitatis causa sed more christiano in illis omnibus rebus technicis, culturalibus, non exclusis spiritualibus ubi confusionismus nec oriri potest, v. g. in editione librorum sacrorum, in activitate caritativa vel sociali explicanda et in muneribus publicis ad bonum commune promovendum partem activam assumendo cum spiritu christiano qui semper spiritum veri servitii semper se exhibet.

Collaborationem magis ac magis efficacem et fraternam instaurare debent christiani in examinandis et aptandis consuetudinibus, in elaborandis textibus ritualis sacramenti matrimonii, in eliminatione abusuum v. g. tribalismi, polygamiae, vel istius terribilis plagae quae nuncupatur divortium: Cur non frequentiora essent colloquia theologos inter et pastores animarum ad exstirpendas illas pestilentias quae summatim vocari possunt politizatio problematum? Est etiam alius campus immensus qui ad familiam pertineat.

Hic omnibus bene perpensis duplex actio praevidebitur et in missionibus et in Centro SCPF. In utroque loco habeatur aliquod servitium oecumenisticum Ecclesiarum missionalium... quod ex una parte relationes continuas cum secretariatu pro unitate christianorum fovenda intime et rationabiliter nutriat et ex altera parte in ipsis territoriis missionum centrum informationis et animationis oecumenismi revera appareat et sit.

Iam messis albescit; spes crescat; illa spes theologalis, divinitus infusa, quae cum irrecusabili certitudine firmiter iam unionem praevidet quamvis adhuc multae sint difficultates superandae. Quod Deus quam proxime dare velit!

Nomine episcoporum totius Africae et Madagascar.

[*Subscripserunt etiam*] M. Ngu, ep. Long Xuyen; J. Oste, ep. Jehol; E. Raeymaekers, ep. tit. Aperle; J. Obert; B. Gobbato, ep. Taunggy; L. Bianchi, ep. Hongkong; J. Dai, ep. tit. Sila; Th. Le-huu-tu, ep. tit. Dafnusia; S. Hien, ep. Dalat; J. Kuo, arch. tit. Salamina; Th. Niu, ep. Yangku; A. Jacq, ep. tit. Cerasa; F. Schmidt, praef. ap. Mendi; J. Tran-van-Thien, ep. My Tho; Y. Ramousse, ep. tit. Pisita; T. Camamot, ep. tit. Marcianopoli; J. Essuah, ep. Kumasi; A. Konings, ep. Keta; R. Dery, ep. Wa; J. Coudray, praef. ap. Kankan; J. Lesourd, ep. Nouna; A. Duirat, ep. Bouaké; J. Bretault, ep. Koudougou; J. Lingenheim, ep. Sokodé; J. Strebler, arch. tit. Nicopolis in Epiria; J. Etrillard, ep. Gagnoa; J. Maury, del. ap.; A. Dupont, ep. Bobo-Dioulasso; L. Durieu, ep. Ouahigouya; B. Yago, arch. Abidjan; J. Perrot, ep. San; P. Zoungrana, arch. Ouagadougou.

71

Exc.mus P. D. ALBERTUS GAUDENTIUS RAMOS
Archiepiscopus Belemensis de Pará

1. Vere dignum et iustum et intellectu facile est Concilium nostrum commendare « zelum pro mundi evangelizatione in fidelibus suscitare, praesertim in familiis, in quibus germen vocationis missionariae instillatur » (uti in n. 6, pag. 10 declaratur). Attamen prudentia paedagogica ac proin pastoralis, omnino exigit ne mentibus et cordibus peremotivis adolescentium

et iuvenum ostendatur nimia possibilitas itinerandi mediis modernis vel antiquis per incognita loca, inter gentem moris diversi, ita ut spiritus curiositatis praevaleat supra spiritum fidei, generositatis et caritatis.

Bene ostendere oportet finem et apostolatum missionarium non includere tantum legitimos ac pernecessarios conatus ad docendas gentes infideles, paganos et non-christianos. Non minus legitima ac meritoria, interdum etiam fecundior et urgentior habenda est activitas quae impendi ac superimpendi debet inter vastissimas regiones dimidiatae aut minoris civilizationis, christianismo solummodo rudi et potius exteriore permeatae, ubi permultae baptizatorum animae, sitientes et non habentes alimentum suae vitae christianae indispensabile, aliis superstitionis commentis facile praebent creditum, indifferentismi, spiritismi et etiam atheismi facilis praeda: *petierunt* enim *panem verae doctrinae* et *non fuit* qui frangerit eis.

Utpote commissionis nisui, vi cuius quidquid bonum in priore schemate aderat, in praesentibus propositionibus manet in melius redactum perlibenti animo plaudendum est.

2. Ut tamen merito dictum est de nimia reductione schematis *de sacerdotibus* in paucas propositiones, quasi ipsum minoris momenti sit quam alia schemata, pariter dolendum est de strictiori actuali forma schematis *de missionibus* seu propositionum *de activitate missionali Ecclesiae,* quarum partes Concilium praesens uti proprias ac primas iure proclamat, propter essentiam apostolicam et missionariam totius Ecclesiae: « Ite, docete omnes gentes » (*Mc.* 16, 15); maxima enim spes Ecclesiae Dei affulgens in exitu operis missionarii praesertim nititur.

Inter quae non videtur omnino differenda ad futurum Concilium apta *missionis* definitio, talis quae competat omnibus et solis territoriis in quibus Ecclesia, magis vel minus sufficienter implantata, adhuc ingenti auxilio eget personarum et mediorum plurium, quae omnia aliunde seu ex aliis nationibus derivanda ac destinanda sunt.

Laetanter vidimus considerari in praesenti textu ut veri nominis *missiones* territoria omnia in quibus Ecclesia *indigena* vere *indigens* est et veluti adolescens, etiamsi a S. C. de Propaganda Fide directe non dependent.

At peropportunum videtur si, post hoc Concilium, omnia territoria huiusmodi, quae decorari possunt perpulchro nomine, iam consignato in Encyclicis *Fidei Donum* et *Princeps Pastorum, Novellarum Ecclesiarum,* sub unico dicasterio coadunari poterunt, Sacrae Congregationis nempe *pro novellis Ecclesiis.*

3. Talis missionum coadunatio et relativi dicasterii novis realibus conditionibus *sapiens aptatio* erit — ut patet — etiam *virtualis* solutio ad alias notissimas difficultates eliminandas: *a*) de personis ac de ceteris auxiliis aeque distribuendis secundum varias necessitates; *b*) de variis traditionalibus et novis inceptis pro missionibus, legitima auctoritate centrali promovendis et coordinandis... (Harum difficultatum fusior explicatio generali secretariae tradetur).

4. Liceat hic demum votum fervidum perplurium missionariorum atque episcoporum, maxime de vastissima regione Amazonica, in America Latina, humiliter aperire de indispensabili atque urgenti recognitione, loco et tempore suo agenda, Consilii Superioris Operum Missionariorum, in quo Concilio, simul cum Officialibus sacri Dicasterii pro Missionibus seu pro novellis Ecclesiis, et una cum Directoribus nationalibus advocentur etiam pauci praelati vel ecclesiastici et laici ab ipsis novellarum Ecclesiarum Ordinariis delegati: sic omnia in pleniore caritate et clariore iustitia, recto ordine et adaequata conditione facilius fieri poterunt.

Hac spe ducti, venerandi Patres, verba Beatissimi Pontificis Pauli VI, audemus iterare: « Petimusne nova incommoda religionis causa toleranda? Ita est; sed haec est lex Evangelii, quae hac aetate singularem in modum urget; caritas quasi ignis exardescit, ut fides in orbe terrarum refulgeat » (18 oct. 1964).

[*Adhaeserunt*] Albertus Gaudentius Ramos, arch. Belemensis et adm. ap. Praelaturae nullius Petrosi Culminis; Ioannes de Sousa Lima, arch. Manaensis et adm. ap. Praelaturae nullius Itacoatiarensis; Gregorius Aparicio Alonsus, ep. tit. Poglen. et prael. null. Marajensis; Ioseph Alvarez Macua, ep. tit. Colibrassen. et prael. Labreae; Guidus Casullo, ep. tit. Uticens. et prael. aux. Prael. Pinerensis; Alphonsus Ungarelli, ep. tit. Azurens. et prael. Penerensis; Ioannes Gazza, ep. tit. Circesiens. et prael. Abaetiens. ad Tocantinsium; Adalbertus Dominicus Marzi, ep. tit. Sesinens. et prael. Solimoes Superioris; Cornelius Veerman, ep. tit. Numiden. et prael. Cametanens.; Alonsus Silveira de Melo, ep. tit. Nasaiens. et prael. Adamanteae; Franciscus Saverius Rey, ep. tit. Facusae et prael. Guajaramirens.; Eliseus Coroli, ep. tit. Zamae Maioris et prael. Guamensis; Michael d'Aversa, ep. tit. Macri et prael. null. Humaitanensis; Ioseph Hascher, ep. tit. Eliens. et prael. null. Juruensis; Aristides Pirovano, ep. tit. Adrianopol. et prael. null. Macapensis; Ioannes Florianus Loewenau, ep. tit. Drivasten. et prael. Obidensis; Archangelus Cerqua, ep. tit. Olbianus et prael. null. Parintinensis; Ioannes Baptista Costa, ep. tit. Scilitan. et prael. Portus Veteris; Petrus Massa, ep. tit. Ebron. et prael. null. Fluminis Nigri; Vunibaldo Talleur, ep. tit. Magido et prael. null. Rondonopolitanus; Iacobus Ryan, ep. tit. Margensis et prael. null. Santaremensis; Ludovicus Antonius Palha, ep. tit. Lundanus et prael. Ss.mae Conceptionis de Araguaia; Ioachinus de Lange, ep. tit. Photicens. et prael. null. Tefensis; et alii.

72

Exc.mus P. D. ALTINUS RIBEIRO DE SANTANA
Episcopus Sadabandeiropolitanus

Delusio quam episcopis missionariis attulerat nuntius de votandis tantum propositionibus *de activitate missionali Ecclesiae* amplissime compensata est augusta Summi Pontificis praesentia in hac aula in initio disputationis huius schematis.

Nemini proinde dubium remanet « de singulari gravitate et magnitudine » argumenti de quo agimus.

Ex altera parte, nemo etiam laudes denegabit ipsis propositionibus, cum a Summo Pontifice extollatur quod in eis laude dignum est, nempe « sive materias, sive argumentorum pondus, sive edisserendi ordo ».

Quod postulatur nunc — et tot eloquentibus sermonibus iam expressum est — est ampla quaedam recognitio et perpolitio schematis ita ut omnium expectationi respondeat.

In hunc finem pauca verba dicam, argumentum evocando quod, ni fallor, non sat explicite usque modo adductum est.

Agitur enim de inveniendo quodam aequilibrio in thematibus doctrinalibus a Concilio nostro, etsi pastorali finalitate, pertractatis.

Etiam missiones, Incarnationem Verbi vere et realiter prolongando, non tantum individuos ad salvationem ducunt, sed ipsas collectivitates, culturas et universas activitates consacrant. In eis ergo applicationem invenient non solum ea quae apprime et profunde in constitutione *de Ecclesia* proclamata sunt « De indole missionali Ecclesiae », sed multa alia quae passim in Concilio doctrinaliter enucleata sunt, v. g. de insertione omnium in Ecclesia, de collegialitate episcoporum, de libertate religiosa, de dialogo fovendo cum non christianis et cum ipso mundo huius temporis etc.

Haec omnia in ipsa activitate missionali Ecclesiae situatur, et validis assertionibus ex theologia missionaria novo robore formarentur.

Aliunde, praesentia in hac aula tot praesulum missionum — factum sane novum in historia Conciliorum Oecumenicorum —, et eorum animadversiones, oretenus vel scripto factae, non parum inservient ad reddendum schema minus academicum et magis pastorale, experientia et rerum cognitione directa roboratum.

His prae oculis habitis, optare audeo quod schema praesens generose recognoscatur ita ut includat: 1) Principia doctrinalia, ex quibus fluit debitum missionale Ecclesiae, nempe de dispensatione salutis, de Christo expectatione gentium, de aedificatione Ecclesiae. 2) Rationes generales activitatis missionalis (quae iam in propositionibus contentae, ulteriori perpolitioni tantum subiiciendae sunt). 3) Normas (itemque in propositionibus succincte illatas) de Evangelii praeconibus eorumque formatione. 4) De cooperatione missionaria, quae vere sit fructus operosae collegialitatis episcopalis, in hoc Concilio proclamatae.

Non nimis morosum erit huic voto satisfacere cum multa ex his quae proponuntur in priore schemate *de missionibus* continentur.

Sic enim non in cassum verteretur tantus labor commissionis et documentum praeberetur mundo et hominibus vere dignum hoc Concilio, pastorali et missionario, et signis temporum congruum.

Ad particularia quod attinet, optandum esset quod Concilium Centrale de quo providetur, vere repraesentativum sit totius mundi missionarii, i. e.,

omnium territoriorum ubi adsunt verae missiones, subiiciantur vel non Sacrae Congregationi Fidei Propagandae.

Sunt enim dioeceses quarum conditiones et necessitates usquemodo prae oculis non habentur, sive in iure condendo, sive in subsidiis distribuendis, personarum vel rerum, sive etiam in praebendis rationibus statisticis missionalibus, ita ut mundo praesentetur imago quaedam incompleta laboris evangelizationis in universa Ecclesia.

Consilium ergo Centrale, quod proponitur, sit vere organum ita efficax in elaborandis et coordinandis viribus totius Ecclesiae ut ubicumque labor evangelizationis initiatur vel progreditur suam vocem audiri faciat et, ipso adiuvante, votum Papae nostri feliciter regnantis nuper hic prolatum, reapse verificetur. Nempe « ut ad Evangelium largius et efficientius evulgandum nova muniantur itinera, novae rationes excogitentur, nova contentio alacris instimuletur ».

73

Exc.mus P. D. IOANNES IACOBUS RUDIN

Episcopus Musomensis

Ecclesia tota est missionaria et totus mundus est campus missionalis. Omnes sex territoriae continentales, nempe, Africa, Asia, America septemtrionalis, America meridionalis, Australasia ac Insulae Pacificae recipere possunt praedicatores Evangelii simul ac mittere debent, ubi possint. *Rationes*:

1) Sic tollitur acceptatio odiosa inferioritatis, humiliationis vel applicatio politica cum utitur hac voce missione. Missiones enim sunt universales sicut Ecclesia est universalis.

2) Restrictio ad territoria sub S. C. de Propaganda Fide non correspondet ad realitatem hodiernam. V. g., Angola, quae sub patronato est, a Lusitania ipsa ut campus missionarium consideratur etiamsi Dicasterio Consistoriali subest qui ut non missionarium considerare vult. Qua de causa excludi debet hoc territorium, cum Australia, quae sub S. C. de Propaganda Fide administratur, in titulo missionis gloriatur? Sic etiam territoria in America meridionali a populo et institutis religiosis, qui adiuvant cum adiutorio ac mittendis praedicatoribus evangelii, ut missiones considerantur. Schema agnoscere debet realitatem actualem.

3) Restrictio nullo modo correspondet ad realitatem historicam: S. C. de Propaganda Fide fundata est pro *parte* missionum ubi non assecuti erant missionarii Hispanici ac Lusitanici. Designatio partis pro toto sat recens est.

4) Theologice non ad realitatem correspondet. Mandatum enim Christi universalis est. In Actibus Apostolorum et Iudaei et Gentiles evangelizantur ut obiectum missionis universalis. Etiam S. Paulus primum ad suos praedicabat antequam ad alios Evangelium nuntiaverat. Tempore antiquo episcopi individui responsabilitatem evangelizationis extra confines christianorum suorum assumebant.

5) Ecclesiae et communitates a nobis catholicis separatae nunc hoc sensum latiorem seu mundialem accipiunt et magno cum fervore laborant.

6) Ex coordinatione omnium virium potentia assistentia financiaria increscit. Species discordiae vel contentiones in re pecuniaria evitantur cum coordinatione globali. Per petitiones pro assistentia evitatur confusio in mentibus fidelium.

Praedicatio Evangelii missionaria ad omnes extra fines fidelium instructorum extendi debet. Non-christiani orbis terrarum primum locum habent; deinde christiani non-catholici; necnon catholici neglecti. Necessitas testimonii ac ministrationis determinare debet hanc missionem fidei ac caritatis. Sic spes salutis omnibus offertur intra fines Ecclesiae.

[*Subscripserunt etiam*] E. Fedders, prael. null. Juli; Th. Collins, vic. ap. Pando; I. Romaniello; C. Brown.

74

EXC.MUS P. D. VICTOR SARTRE
Archiepiscopus tit. Beroensis

De formatione cleri in missionibus. In nostro schemate, ad paucas Propositiones infeliciter reducto, vix ponitur quaestio de formatione cleri in missionibus. Cum haec quaestio sit cardo totius activitatis missionalis Ecclesiae, mihi liceat et momentum illius educationis et praecipuas condiciones ad hunc finem requisitas breviter recolere.

I. Momentum formationis cleri statim apparet. Omnes norunt penuriam praeconum Evangelii in plurimis missionibus, quod est crux et quasi-purgatorium pro christifidelibus et pro ipsis pastoribus. Nam sacerdotes laboribus obruuntur, saepe non sufficiunt ad curam gerendam baptizatorum, rari sunt qui ad propriam evangelizationem destinantur et propterea aegre, lente, Regnum Christi dilatatur.

Non putandum est adiutorium missionariorum exterorum — quod quidem valde urgens est — sufficere posse nec erectionem dioeceseos et nominationem episcopi autochthoni remedium afferre. Etenim eo magis crescit necessitas sacerdotum quo magis augetur numerus christianorum et diversitas operum. Sicut novae missiones, et adhuc fortius, novellae Ecclesiae clamant ad urgens officium praeparandi multos et optimos sacerdotes. Itaque, sicut Summi Pontifices in Encyclicis de activitate missionali frequenter docuerunt, nulla est responsabilitas gravior quam formatio cleri autochthoni.

II. De condicionibus ad hanc formationem requisitis, eae hic tantum considerantur quae ad clerum in missionibus pertinent: argumenta communia omnibus territoriis potius in schemate *de institutione sacerdotali* habebuntur.

1. Studia Ecclesiastica generatim peragi debent in consuetudine et convictu cum sua cuiusque gente. Quando alumni, praesertim ante sacerdotium, in Seminariis vel Universitatibus exteris per longum tempus versantur, pe-

riculum est ne a propria cultura vel gente nimis alienentur. Ceterum difficilius est pro magistris et directoribus spiritus illis iunioribus auxilium opportunum praebere, si quidem alumnorum mentem et necessitates non sat profunde cognoverint. Ergo securius ordinaria studia ecclesiastica in missionibus expleantur; postea autem alumni aptiores ad Instituta Superiora mitti poterunt.

2. Episcopi et superiores Institutorum Missionalium magna cum cura moderatores et magistros seligere et praeparare tenentur. Non nascuntur magistri apti, sed fiunt! Unde oportet ut ante omnia praevideatur copia conveniens magistrorum, sive in seminario minore, sive praesertim in seminario maiore. Sane hoc non obtinetur absque difficultatibus; non semel deficiunt sacerdotes ad messem Domini, ad stationum fundationes, ad directionem apostolatus laicorum... Sed remanet officium primordiale magistros vere capaces ad educationem alumnorum in seminariis dedicare.

3. De gradu culturae quo praediti esse debent sacerdotes nullum est dubium. Quidquid sit de praeterito, hodie requiritur saltem idem prorsus culturae gradus pro clero in missionibus ac in aliis regionibus.

4. Ad talem gradum culturae attingendum necesse est ut in domibus formationis habeantur non solum professores selecti, sed etiam instrumenta ad culturam fovendam, nempe: bibliotheca, media communicationis socialis, etc.

5. Aptanda est semper methodus formationis. Programma accommodari aliquomodo convenit, sed profundius attendendum est ad mentem regionis, ita ut alumni efformentur iuxta aptitudines et necessitates ministerii et recte iudicare valeant propriae gentis culturam. Non sufficit libros manuales dilucide explanare; necesse est modum sentiendi, cogitandi et loquendi in ipso territorio bene cognoscere, uno verbo prae oculis habenda est semper ratio pastoralis totius educationis sacerdotum.

6. Studiis peractis multi sacerdotes in stationibus dispersis mittuntur. Valde prodest — magis in missionibus ac aliunde — eos ad conventus, recollectiones, sessiones, convocare ut scientiam et culturam perficiant, res pastorales examini subiiciant et iterum ad opus exercendum se disponant. Ad modum exempli, reverendi Patres, liceat usum particularem in aliquibus missionibus citare. In initio uniuscuiusque mensis simul conveniunt in civitatem principalem omnes sacerdotes et per duos aut tres dies, sive inter se, sive cum episcopo et superioribus, de quaestionibus ministerii et etiam de vita spirituali magno cum fructu tractare solent.

Conclusio. In schemate reficiendo, i. e., ut firmiter speratur, in vero schemate, accuratius delineatur et momentum et praecipua argumenta circa formationem cleri in missionibus.

[*Subscripserunt etiam*] B. Fey, ep. tit. Philadelphiae Minoris; Ad. Messmer, ep. Ambanja; J. Schoiswohl, ep. Graz; L. Lacoste, ep. Tali; H. Westermann, ep. Sambalpur; U. Person; Ramón Salas, prael. null. Arica; N. Laudadio, ep. tit. Ala Miliaria; Ph. Côté, ep. Süchow; J. Guffens; V. Kennally, vic. ap. Caroline

and Marshall Islands; P. Muñoz Vega, ep. coad. Quito; L. de Rosario, arch. Zamboanga; P. Bouckaert, ep. Popokabaka; A. de Hornedo, praef. ap. S. Francisco Xavier; Fernando Azcárate, ep. aux. S. Cristobal de La Habana; F. Markall, arch. Salisbury; R. Guilly, ep. Georgetown; L. Manresa Formosa, ep. Quezaltenango; G. Ramanantoanina, arch. Fianarantsoa; X. Thoyer, arch. tit. Odesso; F. Melendro, arch. Anking; A. Ocampo Berris, arch. Tunja; St. Sidarouss, patr. Alex.; J. Kabes; J. Zoa, arch. Yaoundé; A. Maanicus; J. David, ep. Majunga; J. Wolff, arch. Diego Suarez; Pierre Celestin Nkou, ep. Sangmélima; J. Moynagh, ep. Calabar; Th. McGettrick, ep. Ogoja; Ang. Martinez; F. Rajaonarivo; C. Chilouet, ep. Farafangena; J. Pavlišić, ep. tit. Bruzo; St. Bäuerlein, ep. Djakovo; E. Čekada, ep. Skoplje; J. Arneric, ep. Šibenik; C. Bezonalinovic, aux. Hvar; J. Segedi, ep. tit. Gissaria; M. Zvekanović, ep. tit. Burca; P. Dalmais, arch. Fort Lamy; L. Gaumain, ep. Moundou; H. Véniat, ep. Fort Archambault; L. van Heijgen, ep. Doumé; J. Adam, arch. Libreville; F. Cléret de Langavant, ep. tit. Mactaris; A. Baud, ep. Berbérati; T. Chambon, ep. Bossangoa; T. Mbemba; P. Nousseir; P. Etoga; J. B. Fauret, ep. Pointe-Noire; J. Bernard, arch. tit. Are; A. Hubert, ep. tit. Sais; E. Verhille, ep. Fort Rousset; J. Cucherousset, arch. Bangui; P. Pinier, ep. Constantine; R. Fourrey, ep. Belley; A. Bréheret, ep. Cahors; A. Fauvel, ep. Quimper; V. Favé, aux. Quimper; A. Boussard, ep. Vannes; H. Mazerat, ep. Angers; G. Mercier, ep. Laghouat; G. Jacquier, ep. tit. Sufasar; R. Boisguérin, ep. Suifu; L. Duval, arch. Alger; J. Essuah, ep. Kumasi; A. Konings, ep. Keta; D. Yougbaré, ep. Koupela; P. Dery, ep. Wa; J. B. Coudray, praef. ap. Kankan; J. Lesourd, ep. Nouna; A. Duirat, ep. Bouaké; J. Bretault, ep. Koudougou; J. Lingenheim, ep. Sokodé; Th. Brosnahan, ep. Freetown; J. Etrillard, ep. Gagnoa; J. Maury, del. ap.; A. Dupont, ep. Bobo-Dioulasso; J. Strebler, arch. tit. Nicopolis in Epirio; L. Durrieu, ep. Ouahigouya; B. Yago, arch. Abidjan; J. Perrot, ep. San; P. Zoungrana, arch. Ouagadougou; A. Tsiahoana, ep. tit. Abtugni; J. B. Whelan.

75

REV.MUS P. D. IOANNES SCHÜTTE
Superior generalis S.V.D.

Brevitatis causa 4 tantum animadversiones maioris momenti, et has quidem brevissime, proponam:

1. *In prooemio* ambigua esse videtur, ne dicam periculosa, mentio « novae dimensionis » missionum, nempe « ubique existere non-christianos et ubique Evangelium proclamandum esse ». Schema *de Ecclesia* loquitur de iis, « qui Evangelium nondum acceperunt » (n. 16) et pro missione eis « annuntiandi veritatem salutarem... sua fecit verba apostoli: Vae mihi... est si non evangelizavero (*1 Cor.* 9, 16) » (n. 17).

Deest in prooemio haec urgentia annuntiandi gentibus Evangelium, haec beata necessitas, urgens et impellens, ardens et inflammans.

Dicere potest nunc aliquis episcopus, v. g. in Europa: In mea dioecesi non pauci habentur non-christiani et de-christianizati. Horum curam faciam

et sufficit! Quod quidem certo certius non est in mente huius schematis necnon Sacrosanctae Synodi.

2. *Ad n. 2, b*: Fortius forsan et expressius, uti magis urgens, declaretur et appareat necessitas cooperationis inter varia Instituta, quae est maximi momenti speciatim hodiernis temporibus et pro operibus difficilioribus.

Optimum exemplum praebet Universitas Catholica Fu Jen, in Formosa novissime restaurata, in qua clerus dioecesanus et tres Societates religiosae harmonice et efficaciter collaborant.

Sine hac collaboratione et cooperatione intima et perseverante inutiliter duplicantur labores et instituta, viresque et media dissipantur.

3. *Ad n. 4*: Non solum « Consilium Centrale Evangelizationis » et « Secretariatus Peritorum » valde utilia et optanda videntur, sed etiam talis restauratio et reorganizatio ipsius Congregationis de Propaganda Fide, ut ex sua indole et ratione nimis passiva et administrativa, quae est onus historiae, exeat et fiat officium, instrumentum nempe et organum, activum et directivum, quasi consilium generale totius navitatis missionariae Ecclesiae, ex quo exit initiativa et quo concipitur strategia.

Opus tantae importantiae uti est activitas missionalis Ecclesiae relinqui non potest singulis Institutis vel episcopis, sed indiget capite et centro directivo, quod hanc activitatem modo activo et scientifico dirigat, media pecuniasque secundum certam clavem vel indicem dividat omniaque opera missionalia secundum principia sanae strategiae gubernet.

4. *Ad n. 10*: Quoad formationem clericorum ex ipsis terris missionum oriundorum minus utile, immo nocivum esse videtur, eos uti seminaristas Romam mittendi pro studiis philosophiae et theologiae, ne a peculiari cultura propriae gentis necnon a conditionibus vivendi patriae praemature abalienentur.

Perplurimorum episcoporum et missionariorum in voto est ut clerici ex missionibus oriundi post ordinationem tantum, i. e. post adeptum sacerdotium et completum curriculum theologiae ideoque maturioris aetatis et forsan alicuius experientiae Urbem petant ad studiis amplioribus vacandum.

76

EXC.MUS P. D. AURELIUS SIGNORA

Archiepiscopus tit. Nicosiensis

In schema *de activitate missionali Ecclesiae,* par. 8 agit de debito missionali laicorum. Liceat mihi aliquid de hoc dicere.

Summi Pontifices Benedictus XV et Pius XI praeclara prorsus laude digni sunt, quod christifidelium conscientiam ad perpendendam missionalis causae gravitatem et momentum excitarunt, normas sapientiae plenas impertientes, ut Pontificia Missionalia Opera, flagranti propagandae fidei alacritate Paulinae Jaricot, et Ioannae Bigard, episcoporum Forbin de Janson

et Conforti et Patris Pauli Manna nata, aptam disciplinae formam acciperent.

Hac de re insigniter meritus est etiam Angelus Ioseph Roncalli, postea Summus Ecclesiae Antistes, nomine Ioannes XXIII.

Si missionalis Ecclesiae navitas per hoc quattuor decenniorum spatium ingentes vires cepit, ita ut in hac aula tot habeamus Patres conciliares cardinales et episcopos ex omni tribu et populo et natione, etiam ex illis terris in quibus missionarii adlaborant, hoc sane debetur vigilanti apostolico studio Summorum Pontificum et constitutioni Pontificiorum Missionalium Operum, quae modo certe impari, at indubitate spectabili, suppeditant opes ad propagandum in orbe terrarum Regnum Dei et omnibus missionibus aeque dispensant stipem, ab omnibus fidelibus christianae communitatis delatam.

Hac aetate, qua, auspice oecumenismo, enixiores curae Ecclesiarum erga missiones intenduntur, oportere plane videtur, caritatis missionalis natura et praestantia congruenter illustretur. Quae, si vera cognitione intellegitur, ita describenda est: universalis effusio universalis caritatis et consonae huic actionis totius christianae communitatis, ita ut omnes fideles laborent pro omnibus hominibus, qui adhuc fidei lumine carent.

Huiusmodi spiritus et propensio optimo indicio idcirco patet, quod in singulis missionibus singularis cura ponitur et peculiares opes peculiaribus regionibus dispertiuntur. *Attamen animadvertendum est singularia imminuere posse sensum catholicitatis.*

Quapropter declarandum est maximi momenti, sive ratio, sive usus vitae spectatur, ut serventur, incrementis foveantur, solidentur Pontificia Missionalia Opera, quae quidem ab universis fidelibus sustentantur et universis missionibus subsidia afferunt.

Magnopere igitur oportet, haec totius consensio communitatis, qua omnes fideles apostolatum participant, clara et spectabilis evadat ex unione omnium in Operibus Missionalibus Ecclesiae.

Hanc ob rem hoc faciendum demisse propono, ut in par. 8 schematis, ubi asseritur: « omnes et singuli christifideles tamquam membra viventes (sic, corrige: viventia) Corporis (adde: mystici) Christi operi missionario cooperari debent... » aperte indicentur Pontificia Missionalia Opera, uti cautum est in par. 5, ubi de officio episcoporum est sermo.

77

Exc.mus P. D. ALFREDUS SILVA SANTIAGO

Archiepiscopus tit. Petrensis in Palaestina

In re tanti momenti loqui audeo ex amore erga opus missionale, sed insuper ut « Praeses » *Unionis Missionalis* in natione chilena. Et circa *schema propositionum* propositum, quatuor, quam brevissime potero, generales considerationes imprimis absolvam; dehinc, in medium afferam nonnullas animadversiones ad textum.

I. *Generaliores considerationes*. 1. *Historia Ecclesiae historia missionum est.* Quum Ecclesia natura sua intima in terris missionum et peregrinans sit, tota eius historia est *historia missionalis*. Sed revera hoc factum, quod ad essentiam Ecclesiae pertinet, mirabiliter apparet in *missionibus apostolorum* per orbem terrarum, ac etiam in saec. XVI, in quo, etsi unitas christiana in Europa labefactatur, tamen Evangelii praecones Ecclesiae extendunt lintea sive in orientalibus sive in occidentalibus plagis.

Ecclesiastica historia, quae sanctorum caelitum et religiosorum institutorum praeclare gesta tradit, sacrarum expeditionum exitus narrat, hoc etiam, venerabiles Patres, ostendit, quod nimirum in missionum laboris « pondus diei et aestus » (cf. *Mt.* 20, 12) religiosi sustinuere ita ut in praxi veri *successores apostolorum* etiam illi, nec tantum nos, dicendi sint. At postquam saec. XVII erecta fuit S. C. de Propaganda Fide, ad nostra usque tempora, in quibus adversa fortuna pro missionibus timetur, in campo missionum adhuc desudant, ut libenter Summi Pontifices recognoverunt: « Ceterum, aiebat Pius Pp. XII, religiosi... qui in inceptis Evangelii regno amplificando desudant, aegrotis adsunt, adulescentes educant, in scholis operam navant... nonne pro Ecclesiae causa agenda in prima acie dimicant? » (*A.A.S.*, 43 [1951], p. 43).

Peropportunum esset si in schematis prooemio aliquid de hoc diceretur.

2. *Proprium Concilii « evangelizare »*. Abs dubio, venerabiles Patres, propriissimum Concilii Vaticani II, in quo « apostolorum successores », uti semel atque semel in schematibus nominamur, coadunantur, est « evangelizare ». Unde agere de *missionibus* est nostram *missionem* perpendere. « Sollicitudo omnium ecclesiarum », quae est instantia nostra cotidiana, quaque angimur, movere nos debet ad argumentum missionum *in tota sua dimensione ecclesiologica* considerandum. Nam ex nostro *statuto fundationali*, « evangelizatio » est mandatum, est « missio » Ecclesiae. Iam vero, « Ecclesia » constituitur ex hominibus omnibus: Redemptio obiectiva Christi, quae *nucleum* totius evangelizationis exstat, ad omnes homines extenditur, licet diverso modo. « Corpus Ecclesiae, ut pulcherrime asserit divus Thomas, constituitur ex hominibus qui fuerunt a principio mundi usque ad finem ipsius... Sic igitur membra Corporis mystici accipiuntur non solum secundum quod sunt in actu, sed etiam secundum quod sunt in potentia » (III, 8, 3). En ergo ratio existentiae missionum: ut illa membra in potentia reducantur in actum. Quod quidem valet etiam pro infidelibus: « illi qui sunt infideles, etsi actu non sint de Ecclesia, sunt tamen de Ecclesia in potentia. Quae quidem potentia... fundatur... *primo et principaliter* in virtute Christi quae est sufficiens ad salutem totius humani generis » (III, 8, 3 ad 1).

Ergo, quod nostrum est, non cum languore vel socordia tractemus oportet, nec schema ad *aliam piam exhortationem*, ex illis quae satis abundant in Concilio, retrahatur. Et hoc mihi in re accidisse videtur.

3. *De apostolatu missionali expositio magis nervosa desideratur.* Licet *presse* materiam de missionibus pertractare opus sit, non tamen ita fiat ut

« rationes generales » (nn. 1-4) haud attingant *nervum biblicum et theologicum* quaestionis. Oportet ut fundamenta doctrinalia solida et robusta appareant, quamvis necessarium principia dogmatica iterum recolere, quae, ad praesens quod attinet, sic ordinari possunt: *a*) radix trinitaria cuiuslibet missionis « amoris »; *b*) missio Christi Ecclesiae et apostolorum, uti habetur ex « statuto » Evangeliorum; *c*) sollicitudo ministrorum Ecclesiae, inter quos episcopi, presbyteri, sacerdotes, laici...

Rationes in schemate adductae nimis generales, vagae ideoque *insufficientes.*

4. *Schema « de missionibus » ut cohaereat cum declaratione « de libertate religiosa » oportet.* Habetne schema *de activitate missionali Ecclesiae* prae oculis declarationem, nondum approbatam, circa « sic dictam » *libertatem religiosam?* Cum huiusmodi « declarationis » consectanea sive consequentiae gravissimae exstent, cumque difficultates haud parvae pro labore missionario futuro ex ipsa gignatur, necesse est ut in schemate « de missionibus » aliquis numerus includatur in quo *aperto* possibilis cohaerentia inter doctrinam « de libertate religiosa » et doctrinam missionariam innotescat. Caute omittitur quaestio. Caute, sed etiam opportune? Erubescimus Evangelium (*Rom.* 1, 16)? Nonne mandatum evangelizandi ubique omnesque homines « gaudium magnum » (*Lc.* 2, 10) — gaudium Christi, ideoque unius veraeque religionis — praetermitti valet? (cf. *Gal.* 1, 16; *Eph.* 3, 8; *1 Pt.* 1, 25). « Filii huius saeculi prudentiores filiis lucis » (*Lc.* 16, 8) quandoque apparent.

Velim igitur ut haec « cohaerentia », si est possibilis, a schemate de activitate missionali Ecclesiae, quae ex natura sua indeclinabilis, urgens necnon *proselytistica* seu *propagandistica* est, palam ostendatur.

II. *Animadversiones textuales.* In schemate de activitate missionali Ecclesiae quaedam relate ad textum animadvertuntur, videlicet: 1. Stylus litterarius « inaequalis », forsitan ex eo quod in sua redactione plures laboravere.

2. Praeter stylum, inveniuntur expressiones non semper felices. Notare audeo sequentes: *a*) pag. 8, lin. 34: « implantatio ». Supprimi potest; *b*) pag. 10, linn. 22-28: « *excellentissimus* actus » dicitur eucharistica celebratio; « *acutissime* » sacerdotes sentiant. Sunt expressiones *impropriae* (textus emendatus).

3. Quandoque etiam in medium clausulae incompletae vel inexactae afferuntur, uti, e. c.: *a*) pag. 8, lin. 13: « ad quoscumque hominum non *christianorum* coetus »: nonne « missiones apud christianos non-*catholicae* Ecclesiae adhaerentes interdicuntur hic? Dicatur: *apud omnes*; *b*) pag. 10, lin. 8: « pro totius mundi salute simul ac pro aliqua dioecesi »: haec valent pro illis episcopis qui in *consecratione* non destinantur ad aliquam dioecesim concretam? Addere opus est: « ut in pluribus »...; *c*) n. 12, lin. 33: « in theologia pastorali »: Hodie valde impares sunt sententiae circa naturam « theologiae pastoralis », immo et formula « theologia pastoralis » a quibus-

dam reiicitur, quia omnis theologia, etiam dogmatica, est « pastoralis »; si sumitur *pastoralis* ut *practica,* etiam theologia dogmatica est *practica* qua « intellectus speculativus extensione fit practicus ».

Conclusio. Haec omnia dicta sunt ex amore missionum. Schema *de activitate missionali Ecclesiae* valde mihi placet in genere, et praesertim ipsum argumentum, pulcherrimum, Concilii dignissimum. Exopto tamen quod aliqua corrigantur, perficiantur. Et in hoc sensu, placet iuxta modum.

78

Exc.mus P. D. FRANCISCUS SIMONS
Episcopus Indorensis

Animadversiones quaedam, quae explicant quasdam mutationes maiores propositas in textu reviso et ampliato:

1. In urgenda obligatione quae Ecclesiam universalem cum omnibus suis membris omnino ligat modestius quam prodest procedere videtur. Longe enim S. Ecclesia abest ab eo zelo quo S. Paulus ardebat, nec frequentes admonitiones S. Pontificum hoc sub respectu satis attente acceptae sunt. Hac de re haec Sacra Synodus obligatione opus missionale promovendi primariam ita inculcet ut nemo de mente Ecclesiae quoad hanc materiam in posterum dubitare queat.

2. Partem quam laici in opere missionario promovendo habent maiore cum emphasi in lucem trahendam esse videtur.

3. Ut textus perspicuitas augmentetur et res tractandae clarius proponantur, distinctio magis explicita introduci debere videtur qua diversitatis et unitatis relatio quae regnant inter opus missionale qua fidem praedicat et ecclesiasticam vitam organizat ab una parte et opera missionalia caritatis et iustitiae socialis cum omnibus annexis ab alia parte clare appareat.

4. Merita Institutorum Missionalium pro una vice explicite laudanda videntur. Vide in novo textu, n. 3.

5. Inde a pag. 2, linn. 26 ss. divisio textus mutata est ut textus magis conspicuus reddatur sed et ut aliquae correctiones melius inseri possint. Longius esset omnes correctiones separatim commendare.

Textus revisus et pro momento rei amplificatus proponitur.

De activitate missionali Ecclesiae

(Partes novae maiores signo [«] et brevioribus lineis indicantur, minores autem italico charactere).

Ecclesia cum finem habeat Regnum Dei, a Christo in terris annuntiatum et inchoatum, ubique dilatandi, ita ut Deus in omni loco glorificetur omnibus temporibus, mandato sui Fundatoris oboediens et Spiritu Sancto compulsa Evangelium praedicavit.

« Longe autem abest ut mandatum hoc magnum, quod iuxta S. Matthaei

Evangelium ultimum Ecclesia a Domino suo accepit, impletum ideoque abrogatum sit. Immo in vastis regionibus ubi centena millia millium hominum habitant, vera opportunitas non datur Christum eiusque Ecclesiam iuxta veritatem cognoscendi. Hac de re operi missionario novum impetum dandum esse huic sanctae synodo videtur. Illud tam necessarium urgensque esse putat ut cum singulis conatibus, qui ad fidem in christianis servandum vel augendum vel in praxim ducendum laudabiliter suscipiuntur, vix comparari possit, sed magis omnibus istis conatibus simul sumptis iuxtaponi debeat ».

Insuper autem praesentes rerum conditiones maxime postulant opus evangelizationis ita ordinari ut efficacius nostris diebus protrahi possit. Multa enim, his ultimis temporibus, evenerunt quae activitati missionali novas dimensiones dederunt. *Omnia membra Ecclesiae iam melius sibi conscii fiunt, active sibi contribuendum esse operi fidei, omnibus hominibus sive opere sive verbo praedicandi.* Propter crescentem diffusionem Evangelii in quibusdam partibus mundi et progredientem dechristianizationem in aliis distinctio quae per saecula inter terras missionum et terras christianas viguit, quamvis sublata nequaquam dici possit, tamen diverso modo attenuata est, cum merito dici possit ubique existere non-christianos et ubique Evangelium proclamandum esse. Progressus scientificus praeterea, *maiore adhuc cum claritate,* necessitatem ostendit homines etiam attingendi in coetibus religiosis et culturalibus in quibus vivunt et qui tantopere in eorum vitam influunt. Ex altera parte autem mutatae conditiones sociales et conscientia oecumenica in Ecclesia nova problemata missionaria catholicis ponunt. Tandem in terris missionum multae natae sunt Ecclesiae locales, quae Universalis Ecclesiae adiutorio indigent, ut in unitate catholica secundum proprias notas specificas crescere valeant.

Necessarium ergo haec Sancta Synodus aestimat, quaedam principia statuere quae activitatem et cooperationem missionalem Ecclesiae regant. Principia tamen pro opere evangelizationis, etsi in universum valeant, unice applicare intendit ad illas regiones coetusque humanos vel ad illas dioeceses, sive in praesenti a S. Congregatione « de Propaganda Fide » pendeant sive non, in quibus Ecclesia vel nondum implantata est, vel sibi non sufficit illas institutiones erigere aut sustinere sine quibus vita christiana evolvi nequit.

Inde Concilium, postquam de natura missionali Ecclesiae, de adaptatione missionali et de subiecto missionis in schemate « De Ecclesia » egerit, sequentia in mentem revocare vel decernere statuit:

1. *Necessitas Missionis.* Ecclesia est medium universale salutis a Christo institutum, ut per illud ad caelestem patriam perveniant. Ad hunc finem assequendum ipsa Evangelium ad omnes homines proclamat ut per eius praedicationem ad fidem adducantur et deinde per Baptismum Christo incorporentur. Quare activitas missionalis eo tendit ut Ecclesia ubique praesens reddatur, et media salutis ipsi a Christo commissa, omnibus pateant. Etsi *haec sancta synodus sibi conscia sit gratiam divinam etiam extra Ecclesiam et in individuis personis et in eorum organizationibus institutisque pro Divinae Sapientiae dispositione operasse* et Ecclesia semper tenuerit homines qui Christum inculpabilter ignorant salvari posse si conscientiae dictaminibus oboediant, nihilominus Dei voluntas est eos per Fidem et Sacramenta iustificari et salvari ac proinde evangelizationem etiam hodie summum momentum integre servare.

2. *De spiritu missionali in Ecclesia fovendo.* Opus missionale ad totam Ecclesiam pertinet. Sub ductu Romani Pontificis omnes episcopi communionem illam Ecclesiarum libenter foveant qua ipsae sibi invicem *sua gaudia* et suas necessitates *opportunitatesque* aperiunt *et sibi invicem variis modis auxilium praestent. Quantumvis igitur cura propriae suae dioeceseos premantur episcopi* sive singuli sive in conferentia coadunati, numquam in oblivionem tradant se pro totius mundi salute prius quam pro aliqua dioecesi consecratos esse. Praesertim episcopi in *locis missionum constituti, etsi plus aliis opprimantur cura neophytorum educandorum et Ecclesiae nascentis organizandae,* enixe curent partem aliquam eamque selectam, proprii cleri necnon subsidiorum ad evangelisationem directam destinare, ita ut activitas apostolica non ad solos iam conversos limitetur. *Nec tantum in seipsis episcopi ardentem teneant flammam istam caritatis tam catholicae quam apostolicae sed et in sacerdotibus et fidelibus christianis eundem spiritum provocent, ita ut omnes personaliter sese involvi sentiant in hoc opus salutis, quod se ad totum extendit mundum.*

Sacerdotes cum per proprium suum ministerium — quod essentialiter in Eucharistia quae Ecclesiam perficit, consistit — Capiti communicent et communicare faciant, non possunt non sentire quantum Ipsi desit ad plenitudinem corporis et quantum proinde praestandum sit ut in dies crescat. *Sacerdotes utriusque cleri qui in cura animarum versantur,* missionem ut aliquid proprium habeant. Ad eos pertinet zelum pro mundi evangelizatione in fidelibus suscitare, praesertim in familiis, in quibus germen vocationis missionariae instillatur, et in iuvenibus associationum et scholarum catholicarum.

Sodales Institutorum Perfectionis orationes et sacrificia sua spiritu missionario foecundent. Si vero contemplationi dedicantur, meminerint innumerorum hominum salutem a suo pendere sanctitatis studio. Vehementer optandum est ut plura adhuc Instituta Perfectionis partem assumant in evangelizatione et adiumentum afferant Ecclesiis localibus in operibus suo fini magis accommodatis. Religiosi, qui operi missionali incumbunt, munus apostolicum sibi concreditum in spiritu fundatoris atque constitutionum adimplere maximi faciant; quorum praesules studeant, ut vita religiosa ad culturam ambientem et loci conditiones aptetur,

> « quod quidem vel eo magis sibi cordi sumant quo plures sibi assumant correligiosos ex regionibus in quibus opus suum missionarium perficiunt. Multum enim interest ut isti non tantum sese adaptent spiritu instituti religiosi, sed ut istud institutum modo congruo sese adaptet specialibus circumstantiis, culturae et indoli confratrum, qui in conditionibus tam dissimilibus nati sunt, idem autem ius habent ut legitimorum suorum desideriorum ratio habeatur ».

Omnes et singuli christifideles tamquam membra viventia Corporis Christi, operi missionario cooperari debent. Ipsi missionem Ecclesiae iuvent orationes, tribulationes et sacrificia et etiam materialia auxilia offerendo, quibus opera missionalia promovent. Nec haec auxilia materialia despicienda sunt, cum pecuniam suam offerendo partem vis suae vitalis, quam ad pecuniam comparandam consumpserunt, christifideles ad opus missionale perficiendum dedicent.

> « Valde laudandi autem illi sunt laici qui varia ad servitia huic operi reddenda totam suam personam per integros annos devovent vivendo in circumstantiis et condicionibus sibi integre novis et in multis aspectibus suae educationis non correspondentibus immo alienis, et curandum est ut ab iis qui hoc

faciunt, sacrificia oeconomica non exigantur quae pro legitima cura futurae suae vitae et suae familiae vix accipere possunt ».

3. *De Missionariis.* Romanus Pontifex et una cum eo et sub eius potestate etiam episcopi totius mundi munus habent ubique terrarum fidem promovendi, Evangelii praecones ad quoscumque hominum non-christianorum coetus mittendi et missionem canonicam eis conferendi.

« Haec sancta synodus gaudet videns quod plures iam episcopi desiderio a Summis Pontificibus pluries iam expresso satisfaciant aliquos saltem ex melioribus suis sacerdotibus ad dioeceses Clero carentes, mittendo, necnon quod laici tam ut individui personae quam ut instituta et quidem numero paulatim crescente parati inveniantur, sese operi missionario iungere ut illud suo modo fructuosius faciant. Utinam tam bona exempla multos sectatores inveniant.

« Interim autem cum gratitudine agnoscendum est opus missionarium per saecula elapsa ex ipsius Sanctae Sedis permissione ordinatione et mandato praesertim ab ordinibus et congregationibus religiosorum religiosarumque promotum esse, quorum quarumque contributionem multifariam et sub multis sacrificiis peractam haec sancta synodus libenter laudat et extollit. Horum religiosorum est ut et in futurum sese sub auctoritate Summi Pontificis et episcoporum localium huic operi devoveant, semper parati methodos operandi ad novas quae emergunt circumstantias, et vitam suam religiosam ad culturam ambientem et locorum conditiones adaptandi ».

4. *De Opere Missionario exsequendo.* Evangelii praecones in opere evangelizationis patrando profunde persuasi sint se esse ministros Christi, per quos sermo Dei currit et clarificatur usque adventum Domini in consummatione saeculi. Itaque *operi missionario addicti numquam obliviscantur oportet finem suum imprimis esse* ut Deum vivum et Iesum Christum unicum eius Filium praedicent, ut sui auditores, divina gratia excitati et adiuti ex toto corde credentes ad Christum convertantur eique sincere adhaereant, qui est via, veritas et Vita, et Ecclesia cum mediis salutis ipsi a Christo commissis ubique praesens reddatur.

« Ad hoc sacerdotes se vocatos esse sentiant, sed et laici sive religiosi sive alii, sive viri sive mulieres multo zelo contribuant iuxta sibi datas opportunitates.

« Quoad methodum procedendi, quamvis in multis a circumstantiis concretis dependeat, generatim tamen dicendum videtur iuxta principia quae hodie iam clarius pateant, summae esse utilitatis ut missionarii vel proficiscantur ab iis, quae a Divina Providentia disposita, in patrimonio praesertim religioso cuiusque populi inveniuntur, et quae clarificationem et plenitudinem in Evangelio Christi inveniunt, vel saltem ea debito modo in suis instructionibus respiciant. Cum caritate autem veritatem coniungentes etiam hoc sub respectu omnem exaggerationem evitare conentur. Quae a spiritu evangelico aliena esse videntur cum debita cautela pastorali, sine ulla autem infirmitate vel negligentia, mutare vel abolere conentur ».

Ubi Christus plene evangelizari nequit, Ecclesia in salutem hominum operetur, gradatim eis accessum ad Deum patefaciens, docendo veritates religiosas et morales ordinis naturalis, quas Christus luce sua demonstravit, eosque adiuvando ad assequendam iustificationem per caritatem erga Deum et erga proximum.

Conversi, de pondere conversionis per catechesim edoceantur et ad vitam fidei cultus et caritatis in Ecclesia initientur, ut ita ad Baptismum, Confirmationem et Eucharistiam accedere possint. Catechumeni ut suo modo iam Ecclesiae aggregati in Iure Communi recognoscantur.

Post Baptismum in neophytis vita christiana evolvatur per catechesim ipsis accommodatam et deinde per participationem ad vitam communitatis quae praesertim in Liturgia locum habet, *quae autem fructum ferre debet in operibus caritatis et iustitiae socialis.* Sic paulatim communitas christiana spiritu apostolico animata crescere incipit, laicos ad apostolatum suscitat, vocationes proprias sacerdotales et religiosas exprimit, eo tendit ut hierarchiam propriam habere possit, dum christiani bene formati « fidelitatem Evangelii debitam splendescere faciunt generosa cooperatione ad civitatem terrestrem recte aedificandam ». Sic communitas christiana *ad maturitatem procedit* et missionaria evadit *tamquam* signum praesentiae Dei in mundo.

> « Cum iuxta exemplum Domini nostri homines non docendo tantum sed imprimis et faciendo perduci debeant, Evangelii praecones in quantum fieri potest et operibus caritatis et iustitiae socialis se applicent ita caritatem Christi monstrantes pauperes adiuvando, ignorantes docendo, miseros sublevando, aegros curando, processionem socialem fovendo ut per haec hominibus appareat benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei » (*Tit.* 3, 4).
>
> « Cum autem sacerdotes operibus caritatis et iustitiae socialis a primariis suis officiis ecclesiasticis detrahi non debeant, praesertim ad illa opera promovenda quantum fieri potest a laicis sive religiosis sive aliis, sive alienigenis sive indigenis adiuvari oportet. Laici qui hoc modo missionarium opus fructuosius et pleniore modo christianum efficiunt, sciant se opus valde laudabile et vere missionarium perficere, quo plurimum contribuere possunt ut culturae variae principia christiana imbibant.
>
> « Ut eorum labor apostolicus revera ad felicitatem hominum contribuere possit tam sacerdotes quam religiosi, quam etiam — pro sua conditione et alii ad exemplum Apostolorum Christum Iesum quem gentibus praedicant in seipsis magna pietate erga Deum et solido virtutum exercitio exprimant. Memores se esse discipulos Christi pauperis et humilis, non tantum spiritum paupertatis praedicent, sed et evangelicae simplicitatis exemplum praebeant. Eadem simplicitas, locis tamen accommodata, in mediis apostolatus et in aedificiis, etiam sacris, resplendeat ».

Instituta, quae in bonum totius missionis vel Ecclesiae localis sese pro sua parte devovent, mutua coniunctione virium in operibus communibus sub ductu episcopi fraterne collaborent. Quapropter meminerint, se esse in missionibus praeprimis ad instituendam Ecclesiam, et non sua instituta.

> « Item inter eos qui imprimis operibus directe ad salutem animarum pertinentibus incumbunt et eos qui in spiritu caritatis bene esse materiali, civili et culturali student sincera collaboratio et unitas mentium regnare debet. Omnes enim in eundem finem tendunt bene esse nempe eorum quibus sese devoverunt, nec sibi contradicit qui partim unum ex istis finibus partim iterum alterum promovere satagit. Bene autem distinguendum est inter haec duo operum

genera. Nec mere civile enim cum mere ecclesiasticis indebito modo confundi debent nec varia opera caritatis et iustitiae socialis, inter se iam valde diversa, nimis confundantur.

« Iustitiae socialis et caritatis opera utique suo modo testimonium dant pro spiritu vere christiano eorum qui iis incumbunt et ita ad conversionem sinceram perducere possunt — ex fructibus enim illorum cognoscetis illos. Provenire autem debent ex spiritu verae caritatis ex intrinseca sua bonitate quae ad bene esse hominum tendit, et ita instituantur ut propriis suis legibus obtemperent. Ii autem qui — consecrationem mundi sibi modo particulari commissam habentes — in servitio operis missionum cooperationem oeconomico-socialem populis sese evolventibus liberaliter praebent legitime imprimis ea fovent, quae structuras fundamentales vitae socialis attingunt. Homines qui in maxima miseria versantur tamen interim suis miseriis relinqui non possunt nec oblivisci licet et promotionem operum caritatis suo modo structuram fundamentalem vitae socialis attingere. Praesertim ipse spiritus caritatis bene intellectae, si populis instillatur, ad emendandum has structuras necessario enim compellit ».

5. *De Oecumenismo et collaboratione cum non-christianis.* Communi professione Fidei in Deum et Iesum Christum coram gentibus et cooperatione in re tam sociali quam technica quam culturali et religiosa, catholici fraterne collaborent cum christianis non-catholicis ad normas Constitutionis de Oecumenismo.

« Ubi diversi ritus catholici in eadem cohabitent regione eorum episcopi et sacerdotes propter Christi caritatem precantur fovere quodcumque communionem inter suas ecclesias tam intime inter se relatas promovere potest, et praesertim in opere missionum omnia evitent, quae non-catholicis, cum caritati contraria sint, scandalo esse debent. Nihil caritate inter christianos pretiosius aestiment ».

Quicumque vero ad apostolatum in iisdem terris ac christiani non-catholici destinantur, de quaestionibus et fructibus Oecumenismi rite instruantur, *ratione habita circumstantiarum specialium uniuscuiusque regionis.* Etiam cum aliis coetibus religiosis, ad bonum commune libenter concurrant iuxta normas statutas.

« Laici, qui ut situationem populorum esse evolventium sua cooperatione citius ameliorent, in spiritu vere oecumenico cum aliis confessionibus et etiam cum organismis internationalibus fructuoso modo laborant vel laborare satagunt, ut una cum iis in evolutione populorum partes habeant, sciant se opus valde bonum peragere, quod iuxta posse bene sciant ».

Curent autem evolutionem socialem ad regenerationem hominum in Christo contribuere, quae nedum progressui humano contradicat, illum exigit, promovet et transcendit.

6. *De formatione missionali.* « Ecclesia, utpote catholica, nullibi extranea est, sed quaecumque unicuique genti bona propria sunt, maxime aestimat, et ut illa in culturam christianam quam unicuique regioni propriam ubique efflorere desiderat, assumantur vehementer curat. Si illud attingitur, et Fides catholica profundiores radices apud unumquemque populum ponere valebit et Ecclesia localis sic totam Ecclesiam locupletabit. Ut autem formatio culturae christianae in omni populo promoveatur, Instituta erigantur scientifica, ut

in ipsis periti sacerdotes et laici, collatis viribus, operam dent adaptationi exsequendae in formatione et vita ascetica, liturgica, philosophica, theologica, culturali. In istis institutis superioribus lingua, mens et psychologia, mores et religiones cuiuscumque populi investigentur, ut ita Evangelii praeconibus facilior pateat accessus ad coetus religiosos non-christianos.

Insuper curent conferentiae episcopales *itemque Superiores Religiosi* ut in Seminario, alumnorum mentes ita educentur ut recte iudicare valeant propriae gentis peculiarem culturam ad philosophicas ac theologicas disciplinas quod attinet, et ut percipiant rationes peculiares quae inter illam et christianam religionem intercedant. Evangelii praecones linguam, mentem, psychologiam et mores populi apprime intelligant, in doctrina catholica et theologica pastorali pro suo gradu solidam habeant institutionem, et in rebus technicis, quae ad eorum laborem spectant, congruam habeant instructionem. Ideo studia altiora quoque apud Instituta Scientifica Missionalia vel alias facultates aut Universitates enixe commendantur, sive in propria natione, sive extra patriam prout necessitas exigit vel opportunitas suadet.

Opus catechistarum quam maxime fovendum est tum institutis dioecesanis vel regionalibus pro congrua eorum formatione tum debita eorum sustentatione, et *superiores religiosi videant in quantum per fratres et sorores Operi catechistarum ampliore modo favere possint.*

7. *De subsidiis Missionibus procurandis.* « Inter officia iustitiae socialis nobis imposita vel illud imprimis eminet quod nos obligat ad id contribuere ut homines omnes, qui a Christo redempti ad Deum ut Patrem caelestemque eius beatitudinem ordinantur, iis mediis frui possint quae ad illum finem melius faciliusque attingendum Christus per Ecclesiam suam nobis tradit. Quod officium eo urgentius est quo bona spiritualia inter omnia alia magis emineant. Cum nostris temporibus occasiones egregiae nobis offerantur, fidem veram multis praedicandi, ex altera parte omnia nostris temporibus sese multo maiore celeritate evolvant, haec sancta synodus abstinere non potest quin omnes catholicos urgeat ut ea quae supra di spiritu missionali dicta iam sint, non solum cordi sumant sed et in praxim perducant.

« Utique omnibus catholicis inculcandum est primum officium missionarium uniuscuiusque hominis christiani in eo esse ut ipse principia christiana in vita sua exprimat. Non multum enim prodest alibi Ecclesiam aedificari si labefieri sinitur, ubi hucusque floruit. In nostris circumstantiis hoc ideo magis verum est quia multi non-christiani, qui ex regionibus non-christianis orti in terris christianis vivunt, iam scandalizantur ex eo quod tot christiani suam religionem negligant. Qui autem verus vult esse christianus sciat sese etiam modo magis explicite et personali pro opere missionario contribuere debere. Omnes autem pecuniam suam ad hoc opus offerendo huic officio liberaliter satisfacere possunt et debent, cum sine hoc sacrificio opus stagnare debet.

« Valde difficile est utique percentualiter calculare quidnam individuae personae et instituta catholica ad hunc finem seponere oporteat.

« Attamen unusquisque homo catholicus, praesertim autem et unusquisque homo Ecclesiae specialiter devotus, bene attendat ad id quod ad usus suos personales destinat, praesertim autem ad ea quae inter vere pro vita necessaria annumerari legitime non possunt, et deinde se roget numquid comparative pro excellentissimo hoc opere satis contribuat.

« Hoc pro suis institutis faciant episcopi, superiores religiosi, parochi etc. Valde desiderandum est ut conferentiae episcopales statuant unamquamque dioecesim summam aliquam quotannis ad opus evangelisationis destinare, quae summa minor quam decem puncta inter centum pro omnibus quae a variis institutis pro rebus piis et ecclesiasticis destinantur, normaliter esse non oportet, certe autem quinque puncta superare debet. Nec Ecclesiae quae vere pauperes sunt sese huic regulae subtrahant, cum maximi sit momenti ut in omnibus catholicis spiritus vere catholicus etiam hoc modo nutriatur.

« Praesertim autem instituta religiosa, quae specialiter se operi missionali non devovent, se huic obligationi subtrahi non oportere, optime noverint. Ea autem quae in missionibus iam laborant videant num et praeter curam pro institutis quae ad suum ordinem vel congregationem pertinent, sufficienter etiam curam gerant pro aliis finibus missionariis.

« Qui pecuniam pro isto fine offerunt certiores se sentiant quod orationem suam pro missionibus hoc sacrificio sinceriorem et fructuosiorem faciant. Ii autem quibus pecunia deest, eo magis ad opus missionarium contribuant orationibus et sacrificiis suis.

« Quicumque dona a fidelibus collecta distribuenda accipiunt sese in conscientia ligatos esse sciant ut ea istis finibus destinent pro quibus collecta sunt; itemque ii, qui in missionibus constituti haec dona accipiunt intentionem benefactorum iuxta iustitiae normas accurate respiciant, anxietatem nimiam utique sub hoc respectu evitantes, aequo modo autem et omnem laxitatem. De cetero operarii in vinea Domini se gratos esse monstrent pro auxilio accepto et homines sibi commissos ad veram gratitudinem educent cum haec sit virtus christiana quam colere est in aedificationem corporis Christi, eam negligere autem in destructionem. Ad veram gratitudinem autem et pertinet ut homines instruantur seipsos adiuvare quibuscumque bene possunt mediis, ut media quae sic sibi iam non sint necessaria aliis dari possint qui iis plus indigent.

« Nec contenti esse licet si dona materialia pro isto fine cum precibus Deo offeruntur. Sicut supra enim iam expositum est etiam curandum est ut personae aptae utriusque sexus et status sese isti operi devoveant. Utique vocare operarios in vineam suam unice est Domini messis. Multum autem interest ut episcopi, sacerdotes, religiosi, matres et patres familiae, immo omnes qui in iuventutem influxum aliquem exercent, rectam sibi forment huius excellentis operis ideam eamque variis occasionibus iuvenibus proponant. Inde a prima iuventute tam pueri quam puellae ad hoc opus contribuere discant, et quidem tum precibus tum sacrificiis quae ut vere personalia indicari possunt. Episcopi autem aliquos ex suis sacerdotibus, excellenti huic vocatione aptos, ad dioeceses Clero carentes destinent, vocationes iuvenum et clericorum ad Instituta missionalia libenter faveant ».

8. *De organisatione operis missionalis.* « In ipsa organisatione operis missionarii bene distinguendum esse videtur inter ea quae directe ad ipsum opus missionarium pertinent et ea quae huic operi subsidia adducunt.

« Ad rei missionalis profectum et omnium Ecclesiarum communionem quoad evangelisationem gentium complendam, in voto est ut apud S. Congregationem Propagandae Fidei Consilium condatur in quo partem habeant ii omnes qui in opere missionali collaborant: Episcopi ex terris missionum, quicumque sit eorum ritus, necnon Instituta Missionaria et etiam laici pro parte

quam in exequendo opere missionario iam habent. Hoc Consilium duo habeat sub-consilia, unum pro rebus ad curam animarum et organisationem ecclesiasticam spectantibus, alterum pro rebus magis civilibus operi missionario autem annexis.

« Amborum erit, iuvantibus vere peritis, pro sua parte ex datis socio-religiosis conclusiones proponere pro cooperatione missionali et auxilio Ecclesiis egentibus praestando praesertim quoad communicationem personarum et bonorum ».

« De organizando subsidio quo missiones indigent » ...

79

EXC.MUS P. D. RODULFUS IOSEPH STAVERMAN

Episcopus tit. Mosynopolitanus, vic. ap. Sukarnapuraensis

Quia commissio « de missionibus » instanter nos rogavit nos suggestiones commissioni praesentare pro nova redactione schematis, vobis proponere vellem quaedam puncta, quae meo iudicio sine dubio in novo textu exhiberi debent. Ex industria schematice tantum puncta indico, sperans vos has ideas in novam redactionem conficere velle.

I. Initio schematis detur descriptio concisa situationis mutatae, ex qua problemata actualia pro activitate missionali oriuntur. Nempe:

a) factum quod fere omnes populi, apud quos haec activitas fit, ultimis decenniis independentes facti sunt. Concilium modo positivo hoc de facto se pronuntiet, quia nunc demum illi populi in libertate sese evolvere possunt — cum omnibus difficultatibus quae huic libertati adhaerent — et Ecclesia nunc tandem in forma vere indigena aedificari potest;

b) media communicationis inter populos quibus fit ut cognitio et experientia mutua de die in diem crescant et homines sibi obviam veniant (in quantum fines populorum non per velum ferreum clauduntur). Populi, culturae et religiones, quae in tempore praeterito separate existebant, nunc sese inveniunt et convivere debent;

c) Factum, quod apud omnes populos existit tendentia (necessaria) ad novam formam culturae technicae quae est aut videtur esse unica via ad maiorem independentiam materialem et ad participationem in bonis huius terrae;

d) Demum nova appreciatio hominis in sua libertate personali et religiosa et in suis iuribus bonorum communium totius humanitatis; nova etiam appreciatio aliarum religionum et in specie magnarum religionum quae in historia salutis magnas partes agunt. Hac nova appreciatione fit ut activitas missionalis cum dialogo iungi debet.

II. Obiectum schematis *clare* indicetur, adhaerendo in hoc constitutioni *de Ecclesia* (in specie n. 17). Obiectum hoc est aedificatio Ecclesiae ubique terrarum et apud omnes gentes. Stadium missionale confectum esse videtur

quando loqui possumus de Ecclesia locali indigena. Proprium non est ecclesialis usus loquendi quando terminus « missio » vel « activitas missionalis » adhibetur pro diversis operibus apostolicis in terris, ubi Ecclesia iam stabilita est. Insuper notandum est terminum « missio » immo in terris iunioribus quandoquidem aversionem suscitare, quia reminiscentias excitat periodi colonialis vel in genere aliquam infrapositionem indicat.

III. *Maximi valoris* est ut in hoc schemate necessitas et urgentia activitatis missionalis proponatur. Conscii nobis esse debemus, quod hic datur magnum problema etiam pro missionariis ipsis et praecipue pro iunioribus, ergo pro actuali et futura vocatione ad activitatem missionalem. Usque nunc schema « de missionibus » huic quaestioni nondum satisfecit. Tamen hic cardo quaestionis! Nisi detur motivatio convincens et vere inspirans etiam novum schema iam ab initio laborat infirmitati periculosae.

Motivum hoc ne quaeratur prout nunc fit in salute individuali hominum, in huius maiore vel minore facilitate vel difficultate, sed in visibilitate sacramentali salutis Nominis Christi, in constitutione populi Dei, qui pro toto genere humano firmissimum est germen unitatis, spei et salutis (cf. Const. *de Ecclesia,* n. 9).

IV. Ex hac necessitate et urgentia activitatis missionalis etiam vocatio ad missionem in textu appareat ut vocatio specialis, ad quem Concilium imprimis iuventutem Ecclesiae adhortari debet. Etiam expressis verbis dicatur hanc vocationem ad missionem eminenti modo promoveri illis institutis (Ordines, Congregationes et cetera Instituta) quae optimos vires huic labori impendunt. Haec Instituta pro activitate missionali omnino necessaria sunt ac ideo a tota Ecclesia et speciali modo ab episcopis et presbyteris promoveri et sustineri debent (cf. interventio em.mi Alfrink, die 7 novembris 1964).

V. *Diaconia* Ecclesiae pro salute totius generis humani et omnium populorum est centrum et criterium activitatis missionalis. Haec diaconia in hoc recognosci debet quod Ecclesia se necessitatibus materialibus et spiritualibus populi totum incumbat. Sic faciendo Ecclesia apparere potest ut Missio ad pauperes, ipsa intrando in hanc paupertatem ad sanandam et liberandam, sicut Christus intravit in paupertatem conditionis nostrae humanae. De cetero paupertas Ecclesiae est problema specificum in multis terris sic dictis missionalibus. In oculis omnium indigenarum omnis missionarius vir divitissimus est, et Ecclesia missionalis locupletissimum institutum est, quia utitur bonis mediisque materialibus, sine quibus Ecclesia operari non potest. Puer vel puella qui intrat in familiam religiosam et emittit votum paupertatis, subito fruitur rebus prosperis.

Quaestio est utrum hae circumstantiae cito mutari possint, sed pro nobis debent esse admonitio ut magna cum cautela loquamur de Ecclesia pauperum.

VI. Haec autem diaconia ex se semper tendere debet ad aedificandam

Ecclesiam propriam et independentem. Semper ergo parati esse debent viri et feminae missionales locum suum cedere et se retrahere.

VII. In hac diaconia Ecclesia missionalis nunc sibi obviam invenit organa internationalia (UNESCO, WHO, UNICEF, etc.) et nationalia pro evolutione materiali et technica (Entwicklungshilfe). Quia Ecclesia hunc adiutorium in sua activitate missionali semper ut suum agnovit et etiam nunc agnoscit, bona relatio et cooperatio necessaria est. Criterium tantum esse potest bonum et salus totius populi. Ecclesia ergo parata sit ad omne opus bonum ergo etiam ad cedendum locum suum institutis magis competentibus.

VIII. In aedificatione ecclesiarum imprimis formatio virorum et feminarum qui suis populis praeesse possunt tam in re religiosa et ecclesiastica quam in re politica, sociali et oeconomica maximam attentionem exigit. In hac formatione autem nexus cum populo proprio omni cum cura servandus est et disponibilitas in bonum populi proprii colenda est. Ex hoc sequitur quod illa formatio e. g. formatio proprii cleri in genere incipere debet in propria terra ne alumni alienentur a suis et quod tantum postea nempe pro specialisatione mittantur ad instituta extra fines, ubi se melius praeparare possunt ad officia sua.

IX. Ad hanc aedificationem etiam pertinet relatio inter ecclesias separatas. Una ex parte in campo missionali illae relationes valde difficiles esse possunt, quia facile oriri potest competitio et oppositio inter ecclesias missionem agentes. Sed tamen speciatim in terris sic dictis missionalibus oecumenismus salutaris est. Ad hoc requiritur: *a*) quod inter pastores Ecclesiae adest quantum fieri potest relatio collegialis et amicalis, quae est basis naturalis spiritus oecumenici; *b*) quod inter pastores deliberetur, quaenam communi labore fieri possunt et debent e. g. organisationes sociales, opus ad evolutionem oeconomicam et technicam etc. Specialis attentio requiritur pro traductione et editione Sacrae Scripturae (cf. schema *de divina revelatione,* cap. 6); *c*) quod etiam in vita concreta communitatum evitentur conflictus et stimulentur relationes fraternitatis christianae.

80

Exc.mus P. D. ARTURUS ANTONIUS SZYMANSKI RAMIREZ
Episcopus tit. Cerasuntinus, coad. c.i.s. S. Andreae de Tuxtla

1. In prooemio (pag. 7, linn. 23 ss.) apparet redactio non clara, quam sic mutandam propono: Principia tamen pro opere evangelizationis, etsi in universum valeant, unice applicare intendit ad illas regiones coetusque humanos in quibus Ecclesia nondum implantata est vel *ad illas Ecclesiasticas iurisdictiones* (aut ad illa Territoria Ecclesiastica — si iuridicismo sapiat vox *iurisdictio*), sive in praesenti a S. C. « de Propaganda Fide » pendeant sive

non, quae sibi non sufficiant illas institutiones erigere aut sustinere sine quibus vita christiana evolvi nequit.

2. Relate ad n. 4 (pag. 9, linn. 27 ss.). Meo iudicio in hac paragrapho debent clare proferri sequentia: *a*) Non agi solummodo de locis subiectis S. C. de Propaganda Fide. Siquidem hoc prolatum est in prooemio (pag. 7, linn. 23 ss.).

b) Manifestari etiam hic sermonem fieri de dioecesibus quae, carentes cleri et mediorum oeconomicorum atque habentes populum rudiorem in rebus religiosis, sunt vere terra missionum etsi sint extra territorios missionales proprie dictos.

c) Adhuc audeo proponere ut Consilium Centrale Evangelizationis prae oculis habeat dioeceses supra citatas quando proposita elaboret communia de quibus in n. 4, littera *b*) (pag. 9 schematis). Utinam obtineri possit ut instituta religiosa missionaria sodales mitterent ad has dioeceses ut in ipsis laborarent. Quod si fieret habuerimus argumentum ad sacerdotes et fideles talium dioecesium convincendos de sua obligatione cooperandi in operibus missionalibus.

[*Subscripserunt etiam*] Iesus Alba Palacios, ep. Tehuantepec; Samuel, ep. Chiapas; E. Corripio A., ep. Tampico.

81

Exc.mus P. D. IOSEPH VINCENTIUS TÁVORA
Archiepiscopus Aracajuensis

Actio missionaria Ecclesiae communiter intelligitur ut activitas eiusdem Ecclesiae in regionibus minimi incrementi materialis (« di estremo sottosviluppo materiale ») sub responsabilitate Congregationis Propagandae Fidei. Credimus hunc conceptum iam admitti non posse.

1. Nequimus enim contemplare mundum perinde ac si in medio aevo adhuc essemus et eisdem methodis ac technicis evangelizationis uti quae illo tempore validae erant. Hodie eorum inadaequatio realitati ubique patet.

2. Dum viget divortium inter christifidelium religionem eorumdemque modum vivendi, eos qui christiani non sunt, fere impossibile erit evangelizare, nisi per miraculum directum Dei hoc eveniat. Responsum adaequatum datur in valoribus essentialibus Evangelii reditione.

3. Moestum spectaculum mundo offert civilizatio occidentalis, sic dicta christiana civilizatio, sua ingenti siti bonorum materialium, suo exacerbato individualismo et consequenter, suo magno indice criminalitatis (homicidiorum criminalium), suicidiorum ac diversarum frustrationum.

Classica iam habetur figura solitaria hominis, unicus ingentem inter multitudinem societatum urbanarum. Quisne hominum provecta aetate relictione, ab ipsorum familiis, in egoistis ac affluentibus societatibus, non affligitur?

4. Drama harum societatum in abundantia viventium, sic dictae societates affluentes, ubi materialis necessitas non habetur sed tantum productio bonorum materialium etiam in ipsa formatione individui, immo et in eius educatione scholari conscienter vel inconscienter intenditur, incapacitate ponitur inveniendi locum hominis integralis in corpore et anima consistentis, locum personae humanae quae ad imaginem et similitudinem Dei creata est. Drama cui adsumus, impassibiles et aliqua hostilitate praediti, huius iuventutis quam directionem idealem incapaces fuimus praebendi, iuventus haec cuius habitudines et modi peculiares agendi magis ac magis a modo traditionali et communi diversificatur et quod repraesentat tremendum signum frustrationis sed et simul ingentem quandam potentialitatem idealismi ac capacitatis donationis quam nos, pastores Ecclesiae, incapaces fuimus usque adhuc interpretari atque adaequate adiuvare.

5. Nationes provecti incrementi usque ad materialismum quemdam pervenerunt, insanum quidem et incapacem felicitatem internamque pacem confirmandi. Abundantia enim pruritum magis *possidendi* secum fert. Nec cognoscitur sensus plus *essendi* ac perfectioris incrementi spiritualis *personae humanae*.

6. Contrarie supra dicto, in illis nationibus ac regionibus ubi nec sufficiens et necessarium incrementum adeptum est, gentes videmus in conditione infra-humana. Nos, Pastores harum regionum, operam damus ut gentes illae a miseria, ignorantia ac fame extrahantur, conditio haec quae *nullatenus a Deo desiderari* potest. Attamen, et nunc ponitur quaestio mea: Qualis finis, quale scopum nostri laboris, ut videamusne fratres nostros Tertii Mundi, liberos a miseria sed tamen cuidam materialismo etiam inhumano subiectos, materialismum repeto incapacem gentibus societatum affluentium pacem aliquam promovendi? Liberabimur nos, Tertii Mundi, a sorte fratrum nostrorum hemisphaerii septemtrionalis ubi capacitas creativa hominis propter habitudines egoistas atrophia patitur?

7. Quisnam eos adiuvare potest? Quisne?

8. Mundus iste in desperatione repraesentat magnam quaestionem Ecclesiae (seu quaestionem ponit), depositariae fidei.

Licet nos, episcopos Sanctae Ecclesiae, ignorare hunc clamorem, claudere in nobismetipsis in formalismis sterilibus, in sermonibus transactis qui difficultant, ex parte mundi, cognitionem veri nuntiati Christi, nuntiati Amoris, nuntiati Fidei, Spei et Caritatis?

9. Magis magisque clarescitur quod modi agendi populi Dei passibiles sunt evolutionis quae evolvitur per media historiae hominis. Sic populus Dei, Ecclesia Dei, semper ut finem habet pastorale opus. Pariter sustinet firme ideam, quod opus istud historiam prosequitur et, cavendo ne reprimere frustrandi praedicationem verbi, crescit in spatio et in tempore, in evolutione quae solummodo Parusiam admittit ut terminum.

10. Schematibus mere conventionalibus societatum quae iam transactae fuerunt ne teneamur sed potius homines doceamus in eis sic vivere et agere

ut apti sint eas transformandi et quidem modo cohaerenti conceptioni vitae christianae ab eis conscie ac personaliter assumptae.

11. Iam satis visum est fidem modice collustratam non permittere eandem persistere posse intra limites progressus materialis. Missionaria actio tum in regionibus nimis evolutis cum in illis quae ad istam evolutionem nondum pervenerunt, ad hunc finem tendere debet, scil. ut homo magis ac magis conscius sit se imaginem et similitudinem Dei esse, ita ut plenam responsabilitatem sui mundi assumat nec non est responsabilitatem suae ipsius culturae ad conditiones historicas in quibus vivit tamquam agens vere creator transformandas. Exinde, unaquaeque persona dignitatem suam affirmare valet. Finis noster hominem formare est, i. e. capacitatem eius creatricem suscitare, et non solum ei elaboratam culturam a maioribus confectam simpliciter tradere, perinde ac si praeteritum omnium realizationum humanarum apex fuisset.

12. Quotiescumque de missionaria activitate Ecclesiae a nobis pertractandum est, honestatem habere debemus agnoscendi spectaculum paganismi quod nobis civilizatio sic dicta christiana proh dolor ostendit. Christiano quidem nomine decorantur, de facto autem pagani sunt. Attamen non desunt catholicorum quidam coetus qui vitam ducere secundum normas Evangelii desiderant et quidem eas plene in omnibus dimensionibus vitae traducendo. Solummodo sic vere datur testimonium, quod, experientia teste, optimos semper affert fructus.

13. Ecclesia igitur verum testimonium caritatis erga mundum istum praebere debet, qui, Deo amisso, infeliciter verum sensum hominis etiam perdidit.

14. Hora haec gravis est. Momentis quidem extremis adsumus civilizationis cuiusdam deficientis. Et ortum novae ac perfectioris civilizationis iam prae oculis habemus, ubi divitiarum materialium distributio magis iusta habebitur, sed ubi nondum scire possumus utrum in ea locum personae humanae invenire valeamus, immo et Deo. Omne quod est accessorium deponendum est, ac idem omnis egoismus haeredum societatis quae fructus capitalismi liberalis est, ac, profunda cum humilitate, oportet nos novam, magis humanam, magis iustam, propinquiorem Evangelii felicioremque igitur societatem aedificare.

Actione missionaria opus est nobis, quae sit apta ad christianos adultos efformandos. Clarum est hanc maturitatem statuum perfectionis esse nullo modo facile adipiscendi, sed scopum attingendum et capax animandi totam christifidelis vitam. Formatio haec, paedagogiam complexam et aptam differentibus aetatibus et conditionibus ac mediis socialibus exigit. Et quidem efficacissimum responsum fit problematibus massificationis inhumanizationis societatis hodiernae.

Postulatum. Commissio cuius est munus, novum schema elaboret quod sit magis adaequatum horae praesenti, tum nationum nondum sufficienter evolutarum, cum nationum ubi ponitur problema societatum affluentium.

Problema « actionis missionariae » non terminis subsidii materialis vel in missu personarum in missiones ponatur. Sed in formatione adaequata et in methodis relativis ad efformandum ac diffundendum christianismum adultum ac creativum.

82

EXC.MUS P. D. GREGORIUS VARGHESE THANGALATHIL
Archiepiscopus Trivandrensis Syrorum Malankarensium

I. Opus missionale ut efficaciter fiat et proficiat, Sancta Sedes debet exercere vitalem et continuum influxum in hierarchas et eos adiuvare active, ut innuitur in n. 2. Quod ad orientales catholicos attinet saltem in India, opus missionale exercetur et fundata spes est ut adhuc maiore cum fructu exerceri possit.

Dicasterium Sanctae Sedis pro Orientalibus Ecclesiis ad quod in omnibus negotiis exclusive pertinent hodie Ecclesiae Orientales, uti nunc constituitur ad opus missionale promovendum non ordinatur.

II. Consilium centrale de quo in n. 4 in quo omnis Ritus repraesentari potest, non videtur plus quam consultivum quid; adiutorium et influxum quae requiruntur pro efficaci opere missionali de hoc Consilio vix haberi possunt. Inde omnino invenienda est nova via ut efficaciter exerceatur opus missionale a catholicis Rituum Orientalium.

III. Determinatio naturae collaborationis omnium in praedicando Evangelium unice ad conferentias episcoporum relinqui nequit ubi adsunt ecclesiae particulares quae numero hierarcharum minores sunt. Hodie in India iurisdictiones ritus latini indesinenter et rapidissimo cursu creantur etiam ubi adiuncta non sufficiunt ut hierarchae novi vivere et ordinatim agere possint. E contra, Ecclesiae particulares ritus orientalis apud quas multissimae sunt vocationes, severissime cohibentur quin missiones in vastissimas plagas Indiae fundant et exerceant. Inde est quod Ecclesia vix incrementum suscipiat.

Inde in India et locis ubi eaedem conditiones obtinent dispositio rerum conferentiis simpliciter relinqui nequeat. S. Sedes, rebus obiective consideratis et auditis omnibus quorum interest, de se dispositionem definitivam facere debet.

83

EXC.MUS P. D. HYACINTHUS THIANDOUM
Archiepiscopus Dakarensis

De condicionibus missionis hodiernae (ad introductionem).

1. *Quoad spiritum,* contra politisationem problematum, emineat spiritus Evangelii ita, ut fermentum spiritualisationis reapse in omni activitate fortiter suaviterque agat.

2. *Quoad scopum activitatum,* hierarchia valorum servetur et sic vitandum periculum deviationis...

3. *Quoad modum gubernandi,* ut pastores agant qui nobile servitium amoris Dei exercent, quia episcopi imprimis sed, cum eis, omnes apostoli praesident illius functioni caritatis Dei... Fulgeant amoris fortitudinis.

4. *Quoad insertionem magis intimam,* hodie cum acceleratione historiae et cum multis peregrinationibus diversis in mundo, facile homines ut sine radice apparent. Nisus apostolicus tendere debet ad salvandos valores authenticos medii vel ambitus originis, contra exradicationem ad profundiorem insertionem attingere debemus.

5. *Quoad collaborationem cum Ecclesiis ceteris et aliis nationibus,* nemo insula est... et illa apertura ad universalem visionem mundi, et collaborationem, signum est maturitatis. Omnes omnibus indigent in humilitate et in Corpore mystico quod est Ecclesia ut plene voluntati Dei satisfaciant, et sic attingant omnes dimensiones et quisque propriam personalitatem perficiat...

Conclusio. Concilium aget ut elementum activum accelerationis historiae, et omnes Ecclesiae adiutorio mutuo sibi invicem esse possunt.

De conditionibus missionis hodiernae. Activitas missionalis Ecclesiae in mundo hodierno opera habetur per se spiritualis et supernaturalis etsi adimpletur ab hominibus concretis, in quodam ambitu viventibus et recipientibus diversos influxus qui possunt aut operi missionali favere aut eius progressum morari vel etiam vetare.

Influxus illi, utpote qui, pro magna parte, conditiones sint exitus felicis aut infelicis conatuum missionalium, debent a praeconibus evangelii attente et continue observari. Mihi liceat hic quosdam numerare.

1. Cum mundus hodiernus tendat in omnia problemata consideranda sub aspectu politico, ut recentius nobis probatum est occasione disceptationum de iudaeis et de libertate religiosa, schema de activitate missionali Ecclesiae affirmet *primatum spiritus Evangelii* qui sit fermentum quo tota activitas missionalis informanda sit. Sic opus missionale non videbitur simile actionis temporalis et vitabuntur quaelibet confusiones quae oriri possint dum, in claritate et libertate, praecones Evangelii adimplent mandatum sibi datum a Domino: « Ite per mundum universum, proclamate Evangelium omni creaturae » (*Mc.* 16, 15).

Spiritus Evangelii spiritus est caritatis christianae (« prior dilexit nos ») qui ducit hominem e statu in quo existit ad plenam humanam dignitatem, scil. filii Dei. Quia spiritus Evangelii hominem liberat et eum facit capacem Deo et fratribus suis serviendi, plene conformis est aspirationibus populorum qui laborant ut dignitatem suam recipiant aut tueantur.

2. In regionibus ubi exercetur, activitas missionalis adhuc curam habere debet totius hominis, in corpore et in anima. Actualis est cura quam missionarius impendit in operibus quae ostendunt sollicitudinem corporis

et animae. Attamen in aedificatione structurarum quibus missioni opus est ad progressum, missio caveat ne iterentur errores historici secundum quos Ecclesia hic illic aliquando visa est dominium temporale, pro aliis causa invidiae et conflictus. « Reges gentium dominantur eorum et qui potestatem habent super eos benefici vocantur; vos autem non sic, sed qui maior est in vobis fiat sicut minor », dicebat Iesus apostolis suis (*Lc.* 24, 25).

3. Perfectio civilisationis technicae in multis campis et phaenomenon migrationum humanarum cui in dies contribuit, faciunt hominem sine radicibus qui paulatim a sua propria cultura recedit. Quapropter conatus apostolicus missionis ita vigilare debet ut salventur omnes valores authentici et originales quo permittatur profunda incarnatio christianismi in Ecclesiis particularibus.

* * *

Ordinarii conferentiae episcopalis Africae Occidentalis francophonae, die 19 novembris 1964 Romae adunati, a commissione conciliari de missionibus duo sequentia petunt:

1) ut suffragatio de missionibus in aula facta die 9 novembris 1964, habeatur a commissione, non solum ut votum reficiendi propositiones, sed ut votum conficiendi verum decretum de missionibus in forma longiori quod consideret missiones tum sub aspectu theologico, tum sub aspectu pastorali, tum sub aspectu canonico;

2) ut ipsum hoc Decretum conciliare condat fundamenta recognitionis « iuris commissionis », ita ut Concilium ipsum, ubi sedent simul Ordinarii missionum et superiores generales, decernat consensu omnium et magna cum auctoritate quae de hac re mutanda sint.

84

EXC.MUS P. D. PETRUS TOU
Episcopus Hsinchuensis

In schemate missionali nobis praesentato clarissima apparent assiduorum laborum praeparationis vestigia, magna laude digna, sed ipsum schema, prout nimium videtur fuisse castigatum vere claudum seu mancum visibiliter se exhibet, ita ut magnae confusioni idearum det occasionem et deficientiam causet quaestionum fundamentalium, sine quibus vix concipi possit problema missionale. Inter alia hic quaedam indico exempla:

1. Quaenam sint revera *missiones* seu « illae regiones coetusque humani... vel dioeceses... in quibus... etc. » (pag. 7, lin. 24) non sufficienter determinatum est.

2. Quid significat « *missio canonica* » ab episcopis totius mundi una cum Romano Pontifice collata? (pag. 8, lin. 10).

3. Omnes Evangelii praecones seu sacerdotes missionibus addicti sive

ut personae physicae (clerus saecularis) sive ut personae morales (clerus regularis) ex eadem missione canonica pariter tenentur obligatione *plantandi Ecclesiam* simul cum Ordinario loci eiusque sub ductu seu directione. Etiam ipsi Religiosi dependent ab Ordinario loci quoad activitatem missionalem sicut sacerdotes saeculares (non quoad regimen internum personae moralis seu societatis), salvis vicissitudinibus ortis ex differentia naturali inter personas morales et physicas (v. g. Religiosi indigent domo regulari, novitiatu, continuitate... etc.). Ideo conferentiae religiosorum et uniones religiosarum (de quibus in pag. 8, litt. *b* et *c*) quando novas constituunt normas (lin. 18) bene prae oculis habeant differentiam inter regimen internum et activitates missionales religiosorum.

4. De clero locali seu autochthono vel nativo missionum in schemate nostro vix fit mentio. Plantatio Ecclesiae exigit formationem et auxilium particulare clero locali exhibendum, quippe qui non habeat adiuvamina quae religiosi recipere possint a suis Superioribus confratribusque.

5. In n. 3 post sermonem de conversione et baptismo individuorum desideratur clara et fusior dispositio laboris missionalis pro *christianizatione culturae* localis.

6. In pag. 10, lin. 20. Pro conversione *non-christianorum* exigenda est *pars praecipua* activitatis apostolicae missionariorum et non solum « aliqua ».

85

Exc.mus P. D. IOSEPH ALFONSUS TSCHERRIG
Episcopus tit. Nephelidensis, vic. ap. Reyesensis

Non loquor hic nomine aliorum Patrum huius Sacri Concilii, sed ex corde, quod mihi persuasissimum est, multorum episcoporum missionariorum.

Legitur etenim in textu proposito (pag. 10, lin. 36): « Vehementer optandum est ut plura adhuc Instituta Perfectionis partem assumant in evangelizatione et adiumentum afferant Ecclesiis localibus in operibus suo fini magis accommodatis ».

Et reipsa! Vehementer hoc Sancta Ecclesia, speciatim S. C. de Propaganda Fide exoptat; quantum autem episcopi missionarii! Immo et superiores generales Ordinum et Congregationum hoc exoptant. Tamen in memoriam revocare velim quod « adiumentum », ab Institutis Missionibus ferendum, quasi totaliter a provincialibus eorumque consultoribus pendet, qui etiam curam propriae provinciae gerere debent, ita ut saepe persuasio oriatur quod, subsidiis missionibus praestitis, propria provincia debilitatur, speciatim quoad sodales attinet.

Rogo ergo Sacrum Concilium ut actum caritatis exerceat, auferendo has anxietates a corde nostrorum provincialium, ita ut magis ac magis confortentur, persuasi quod Dominus Messis maiorem benedictionem tribuet pro-

vinciis quae maiora sacrificia, missionum intuitu, obtulerunt, memores verbi Domini: « quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis » — scil. incolis terrarum missionum — « mihi fecistis ».

Inde humiliter sed instanter peto quod textus in pag. 11, lin. 3 sic corrigatur: « eorum praesules missionem sibi concreditam vere suam faciant, omniaque necessaria, speciatim quoad missionarios, ei subministrent; insuper vita religiosa ad culturam ambientem et loci conditiones aptetur ».

* * *

De utroque statu cleri autochthoni in missionibus. Inter missionarios exstant tres sententiae inter se diversae:

Prima sententia: « Melius est in initio omnes tirones sacerdotii fieri religiosos ». Quapropter omnes tirones suaviter quidem, sed constanter ad ingressum in statum religiosum admonentur, ita ut propter timorem reverentialem, qui est maximus apud indigenas, liberum arbitrium valde coarctetur. *Rationes*: *a*) Sacerdotes iuniores in missionibus indigent institutione spirituali religiosa et adiutorio et praesidio a conventu religioso praestito praesertim respectu familiae, ex qua orti sunt; *b*) sunt qui dicunt: non posse fieri pontem, nisi antea eius pilae constitutae sint.

Responsiones: *ad a*) Institutio scientifica et spiritualis cleri dioecesani aequalis esse debet cum institutione cleri religiosi. Etiam pro clero dioecesano novitiatus necessarius est. Et episcopus imprimis sacerdotum iuniorum sit pater et amicus. Domus episcopi sit eis domus paterna semper aperta. Alius sacerdos nominari potest moderator eorum spiritualis. *Ad b*) Per se patet sensum metaphoricum huius phraseos verificari non posse.

Secunda sententia: « Melius est in initio omnes tirones sacerdotes dioecesanos fieri ». Sic in Africa usque ad secundum mundi bellum. *Rationes*: *a*) Ingenium indigenarum nondum satis cultum est pro ingressu in statum religiosum. Et confirmatio moralis eorum nondum sufficit. *b*) Iuvenes indigenae ex situationibus pauperrimis orti sunt, quapropter ingressus in conventum religiosum bene curatum pro eis est ingressus in paradisum, ita ut educatio ad paupertatem religiosam difficillima sit.

Responsiones: *ad a*) Si formatio ingenii et confirmatio moralis, pro ingressu in statum cleri dioecesani sufficiunt, a fortiori sufficiunt pro ingressu in statum religiosum. *Ad b*) Quaerendae sunt novae viae, novae formae. Adaptatio necessaria est in vestimentis, cibis, domu, necnon in consuetudinibus.

Sententia tertia: « Virtus in medio: utraque est necessaria et educatio cleri dioecesani et educatio cleri religiosi ». *Rationes*: *a*) Ecclesiae novellae sacerdotibus incardinatis indigent. Dum Ordinarius loci tantum habet sacerdotes exemptos, non libere potest dirigere, ergo dioecesis in angustiis versatur. *b*) Quo celerius sacerdotes dioecesani in locum parochorum religiosorum

succedunt, eo celerius sacerdotes religiosi pro muneribus specialibus scopo Instituti magis consentaneis liberi fiunt, imprimis pro exercitiis spiritualibus similibusque operibus necnon pro missionibus novis in aliis regionibus. *c*) Non convenit Institutum religiosum, quod Ecclesiam implantavit, hoc loco exstingui. Pariter non convenit Institutum sine fine mittere sodales ex patria in hanc regionem. *d*) Omnino necessarium est, ut adulescentibus detur occasio ad libere eligendum statum suum.

Humiliter ergo quaeritur ut Concilium Vaticanum II hanc dissensionem inter missionarios dirimat clare declarando utrumque cleri statum in Ecclesiis novellis necessarium esse et uniuscuiusque Ordinarii loci esse curare, ut omnes alumni seminarii plena cum libertate statum suum eligere possint.

[*Subscripserunt etiam*] G. Legeland, praef. ap. Weetebula; A. Demets, ep. tit. Cadossia; H. Berlier, ep. Niamey; A. Boghaert, ep. Roseau; M. Chauvin, ep. Fada N'Gourma.

86

Exc.mus P. D. ALFONSUS M. UNGARELLI

Episcopus tit. Azurensis, prael. null. Pinerensis

Praelati nullius Brasiliae humaniter et enixe desiderant commissionem « De Missionibus » in editione quae expectatur schematis *de activitate missionali Ecclesiae* sequentia postulata recipere et opportune in eodem consignare, ut problemata in aula delibata adaequatam sortiantur solutionem.

1. Missionis theologiam determinare: *a*) ex S. Scripturae et SS. Patrum testimoniis (Bea, Frings, Zoghbi); *b*) ex perenni et urgenti officii missionarii necessitate (Suenens, Bea, Alfrink); *c*) ex ordine ad oecumenismum et religiosam libertatem quae dicuntur.

2. Missionis iuridicam motionem recognoscere, siquidem acceptio quae hucusque praevaluit, germanae activitatis missionalis condicioni haud respondet (Fulton Sheen, Riobé, Grotti).

3. Collegialitatis episcopalis consectaria evolvere sive quoad organa centralia activitatem missionalem dirigentia (Léger, Frings) sive quoad officium et opera Ecclesiarum particularium (Frings, Carretto).

4. Evangelizationis habitudinem definire relate ad « tertium mundum » qui dicitur.

5. Alia interventionum themata ominata sunt ut novus textus quam apte fieri potest quae meliora videntur pronuntiet circa: *a*) adaptationem (Léger, Rugambwa, Doi, Lokuang); *b*) laicos et catechumenos (Suenens); *c*) relationes inter episcopos missionarios et Instituta missionaria (Grotti); *d*) scholas catholicas in missionibus (Nguyen Van Thien et Schneider in disceptatione « De scholis catholicis »).

Quae sane enucleatio et determinatio haud erit facilis, siquidem oriri debet ex quadam iurium ac rerum collisione: *a*) inter scil. condicionem iuri-

dicam actualem, valide vindicatam ab *Organis centralibus activitatis missionalis* sed probe plurium iudicio insufficientem; *b*) et, ex altera parte, inter visionem praevalenter *theoricam* problematum et aliam praevalenter *practicam.*

Quapropter textui erit arduum sed iustum aequilibrium inducere inter quae ita opponuntur ut evadat efficax medium ad noviter promovendum Ecclesiae missionalis opus, quod Concilium oecumenicum Vaticanum II inter suos praecipuos fines habet.

Quod in enixis votis est quae Deus per communem et generosam patientiam adimplere dabit.

87

Rev.mus P. D. PETRUS MALACHIAS VAN DIEPEN
Praefectus apostolicus Manokwariensis

Hac interventione intendimus commendare tria argumenta, quorum primum in schemate propositionum deest, secundum et tertium maiori emphasi exprimenda erunt, scil.:

1. *Testimonium S. Scripturae de apostolatu praedicationis.* Commissio statuit definitionem de missionibus non esse dandam (Relatio I A), quia ipsi docti de ea nimis discrepant.

Neque nos optamus talem definitionum; censemus autem in prooemio schematis denuo elaborandi valde opportune aliqua inseri posse quae absque ulla disceptatione theologica simpliciter reddunt eloquia S. Pauli, quibus Apostolus Gentium suum ipse munus apostolicum contemplatur. Exempli gratia nobis liceat pauca referre.

a) Missio ad praedicandum Evangelium est aspectus essentialis operis reconciliationis facti a Deo in Christo: « Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum et dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo: Reconciliamini Deo ».

Apostolus implet verbum Dei; verbum autem Dei est mysterium a saeculis absconditum in Deo, immo est ipse Christus (cf. *Col.* 1, 25-27; 2, 2).

b) Ex hoc sequitur quod verbum praedicationis virtutem habet ex Christo per spiritum eius. Praedicatione sua apostolus transmittit gratiam Dei ad Gentes (*Eph.* 3, 2. 7). Verbum quod annuntiat non est « verbum hominum, sed verbum Dei » (*1 Thess.* 2, 13). Apostolus loquitur non quaerens proprium emolumentum « ex Deo coram Deo, in Christo » (*2 Cor.* 2, 17), pro quo legatione fungitur (*2 Cor.* 5, 20; cf. *Eph.* 6, 20). Oportet ergo ut missionarius credat firmiter laetum nuntium, quem diffundit, ex Deo virtutem habere ipsumque Christum per Spiritum operari in praedicatore.

c) Evangelium autem Christi non loquitur de Christo in abstracto, sed de eo qui per oboedientiam crucis pervenit ad vitam resurrectionis in qua nunc elevatus est ad dexteram Patris tamquam universorum Dominus. Evangelium duabus praesertim constat veritatibus quae in unam confluunt; loquitur nempe de Christo tradito pro peccatis nostris et suscitato a mortuis (cf. *Rom.* 1, 3-4; *1 Cor.* 15, 1 ss.). Mysterium Christi exhibet infirmitatem patientis et virtutem resurgentis, et quidem ita ut per sapientiam Dei virtus oriatur ex infirmitate.

d) Ex hoc sequuntur duae proprietates quae laboris missionalis propriae sunt: 1) Sermo praedicatoris non debet niti sapientia humana, sed sapientia Dei qui per stultitiam praedicationis facit credentes (*1 Cor.* 1, 21 et passim); 2) ipse apostolus intrat in mysterium quod annuntiat eo quod passiones Christi abundant in ipsum (*2 Cor.* 1, 5; cf. *Col.* 1, 24). Repraesentat ipsum Christum ex infirmitate crucifixum sed viventem ex virtute Dei (*2 Cor.* 13, 4, e. a.). Sors apostoli est tribulationes pati (*1 Thess.* 3, 3) adeo ut ex mortificatione Apostoli oriatur vita credentium (*2 Cor.* 4, 10-12, praesertim v. 12: « Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis »).

2. *De necessitate praedicandi verbi Dei ubique gentium.* Recurrit in textu emendato ad pag. 8, linn. 5-9 schematis affirmatio de necessitate missionis. In relatione pag. 11 dicitur quod commissio voluit derogare opinioni eorum qui perperam autumant gentes Deum sincero corde quaerentes non esse evangelizandos. Optime quidem, sed haec quaestio tanti momenti est ut quaeratur textus latior et explicitior.

3. *De laicis adiutoribus apostolatus missionalis.* In propositione 4 sub finem (pag. 10, lin. 4) sermo est de communicatione bonorum; in prop. 8 de cooperatione laicorum. Utraque res plenius esset explicanda. In prop. 8, pag. 11, lin. 9 sermo est de laicis « qui consecrationem mundi sibi modo particulari commissam habent ». Suntne omnes laici vel coetus specialis? Textus est ambiguus. Pars *omnium* fidelium laicorum in promovendo Regno Dei summi aestimanda est, cum praedicatio Evangelii omnino requirit ut condiciones culturales et sociales animos ad audiendum verbum praeparent.

[*Subscripsit etiam*] W. Van den Elzen, praef. ap. Doruma.

88

EXC.MUS P. D. CAROLUS IOSEPH VAN MELCKEBEKE
Episcopus Nimsciianus

I. Ad prooemium, pag. 1, lin. 25 et sequentes: nobis melius videtur ut in hoc schemate agatur de missionibus proprio et ordinario sensu acceptis, i. e. de regionibus quae a S. C. de Propaganda Fide pendent.

II. Ad par. 4, pag. 9: etiamsi aliud quoddam Organismum instauretur ad opus missionariorum iuvandum et stimulandum, tamen supremum et

integrum moderamen S. Congregationis de Propaganda Fide super totam rem missionariam extra disceptationem remaneat.

Optandum tamen est ut haec S. Congregatio magis ac magis *nexum* intimum habeat cum diversis missionibus, et cognitionem magis ac magis immediatam et quasi personalem habeat singularum missionum. Quam ob rem proponimus ut S. C. de Propaganda Fide *statis temporibus* mittat *visitatores* vel sicut inspectores, qui nomine eius singulas missiones videant, ut operarios qui in illis laborant confortent, illarum necessitates in situ recognoscant, usum subsidiorum quoque ab Opere Propagationis Fidei cognoscant.

Isti « Missi Dominici » validum stimulum ipsis operariis Evangelii afferent, simul ac erunt fons cognitionis immediatae et personalis singularum missionum pro S. C. de Propaganda Fide. Cognitio autem illa maxime necessaria, valde difficilis obtentu evadit, cum longe differre possint conditiones missionum etiam in eadem natione.

III. Ad par. VII, ubi agitur de debito missionali Institutorum perfectionis, optandum est ut aliquid dicatur de formatione optimi cleri saecularis. Congregationes et Ordines Religiosi, qui saeculis elapsis et etiam hoc tempore tam magnam partem habuerunt et habent in fundatione et incremento multarum missionum, imprimis ut *obligationem capitalem* tenere debent instaurationem optimi *cleri saecularis.* Cavendum est ne proprii incrementi solliciti, et forsitan magna (et certe legitima) aestimatione vitae religiosae moti, missionarii religiosi pro Institutis suis iuvenes melioris ingenii retineant, minus capaces vero relinquant clero saeculari. Oblivisci non debent illi Congregationum vel Ordinum sodales, se normaliter portionem missionis sibi ipsis commissam, a seipsis fortasse cum magno labore conditam et extensam, aliquando transmissuros esse moderamini cleri saecularis. Sicut ergo suadet finis vocationis propriae, qui est ad perfectionem tendere, et bonum missionum quibus se impendit, clerus missionarius religiosus ante omnia instaurationem optimi cleri saecularis quaerere debet.

[*Subscripserunt etiam*] M. Kien. vic. ap. Tharé and Nonseng; L. Lacoste, ep. Tali; J. Obert, ep. Dinajpur; Cl. Bayet, vic. ap. Ubon; J. Nittayo, coad. vic. ap. Bangkok; F. Sanguon, vic. ap. Chantaburi.

* * *

Omnino necesse est ut apostolatui in terris missionum novus et fortis *impetus* addatur, et hoc quidem a iuventute nationum catholicarum.

Etenim, in omnibus nationibus, adulescentes et adulescentulae scholarum *mediarum,* universitatum atque scholarum technicarum et professionalium efformant coetum humanum maxime ardentem, generosum et summo *ideali* plenum.

In multis quidem nationibus Opus Pontificium S. Infantiae apud pueros et puellas scholarum elementarium cum optimo exitu conscientiam officii missionarii inculcat, atque Opus Pontificium Propagationis Fidei in genere

dirigitur ad fideles qui iam mentalitatem fixam habent. At, hucusque nullum Opus Pontificium exsistit quod sua structura et sua « propaganda » peculiariter destinetur ad « teenagers », i. e., ad adulescentes et adulescentulas qui, ex infantia egressi, formationem adulti nondum compleverunt.

Sub ratione tamen *plani* nationalis, exsistit organismus magni momenti, qui huic necessitati occurrit: nempe in Statibus Foederatis Americae, opus quod vocatur: "Catholic Students Mission Crusade", quod plus quam decies centum millia membrorum numerat, et tamquam programma proponit: orationem pro missionibus, studium missionum, sacrificium personale ad missiones adiuvandas.

Opus quod, inter tot labores et incoepta missionaria, hodie *maxime urget,* est apostolatus omnis generis apud studentes Asiae, Africae in Europa, America Septemtrionali et Australia degentes.

Ratio est quod illi studentes, postquam semel ad suam terram originis reversi erunt, munere *capitis et ducis* fungentur.

Re autem vera, multi studentes extranei in terris christianis, ad suam patriam redeunt, imbuti doctrina marxista et disciplina communistica instituti.

In sua patria, saepe acerrimi adversarii ordinis socialis christiani fiunt.

Ut huic rerum statui consulatur, interest ut instituatur « servitium mundiale coordinationis », servitium nempe quod sit efficax, personale, activum, et habeat programma definitum et concretum. Huius programmatis capita initialia sint:

1. Instituatur contactus cum numerosis operibus apostolatus apud studentes extraneos, quae iam in multis nationibus exsistunt, at absque coordinatione procedunt, cum se invicem ignorent, vel etiam sibi invicem opposita sint.

2. Instituantur nova *centra* assistentiae seu subsidii pro studentibus extraneis, in locis ubi necessitas id requirit.

3. In uno centro colligendae sunt informationes quae illa opera apostolatus respiciunt, atque relatio-iunctio seu coordinatio inter illa servanda est; conficiantur *schedae* studentium, et opera, quorum hoc interest, certiora facienda sunt de mutatione locali studentium.

4. Praedictum servitium mundiale de mandato S. Congregationis de Propaganda Fide instituatur, *a*) ut habeat auctoritatem moralem sufficientem ad curam habendam de assistentibus ecclesiasticis et de directoribus-directricibus illorum centrorum; *b*) ut capax sit elargiri subsidium pecuniarium minimum.

* * *

Declaratio in favorem primatus seu momenti primordialis evangelizationis non-christianorum, in schemate inserenda.

Ad obtinendum renovationem missionariam a Concilio intentam summi momenti est sacrosanctam Synodum modo expresso et claro declarare primatum seu momentum primordiale evangelizationis non-christianorum; ita

ut ex hac declaratione erui possint sequelae practicae pro fidei propagatione in universo mundo, pro spiritus missionarii in tota Ecclesia dilatatione, pro incremento operariorum apostolicorum, subsidiorum materialium et adiumentorum omnis generis.

Evangelizationis mundi non-christiani primatus significat quod inter omnia Ecclesiae munera, haec evangelizatio maximum momentum habet, ius habet ad primum locum in Ecclesiae sollicitudinibus et curis. Hoc momentum est essentiale, capitale, vitale. Haec evangelizatio est munus principale Ecclesiae et exigit conatus proportionatos. Nullum aliud munus potest huic anteponi.

Sequentes rationes possunt afferri in favorem primatus qui iure pertinet evangelizationi non-christianorum:

A. Locus quem haec evangelizatio tenet 1) in voluntate salvifica universali Dei; 2) in opere redemptionis Christi; 3) in missione Ecclesiae; 4) in mandato a Christo dato die Ascensionis; 5) in mundi salute.

1) Voluntas salvifica universalis Dei. « Deus qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 4). Deus vult salutem omnium hominum, non autem parvi eorum numeri. Non-christiani autem hodierna die constituunt 2/3 (duas tertias partes) totius humanitatis. Insuper, secundum voluntatem salvificam Dei, Ecclesia instrumentum est a Deo electum ad conducendum homines ad iustificationem per fidem et praedicationem Evangelii: « quomodo credent Ei quem non audierunt » (*Rom.* 10, 14).

2) Opus redemptionis Christi. Christus est redemptor totius humani generis; mortuus est propter salutem omnium hominum. Attamen opus suum redemptionis non est adhuc absolutum. Christus illud prosequitur mediante nostra instrumentalitate. Hoc opus eo abundantiores fructus affert, quo maior non-christianorum numerus per nostram praedicationem fidem et baptismum accipient.

3) Missio Ecclesiae. « Non ad aliud nata est Ecclesia nisi ut universos homines salutaris redemptionis participes efficiat » (PIUS XI, *Rerum Ecclesiae*: *A.A.S.*, 1926, p. 56).

Missio Ecclesiae est universalis. Ecclesia est catholica de iure, et debet talis fieri de facto. Missionem suam adimplebit et catholicitatem suam de facto obtinebit tantum quantum ducet ad Christum multitudinem non-christianorum. Ecclesia quae est corpus Christi mysticum non attinget plenitudinem staturae suae nisi quando omnes homines — omnes paganos — in sinu suo receperit.

4) Mandatum. Mandatum a Christo datum discipulis suis die Ascensionis in primis non-christianos intendit. Etenim Christus in eo patefecit voluntatem suam ut Evangelium praedicatum sit iis qui fidem non adhuc habent et nondum baptizati fuerunt: « euntes, ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos » (*Mt.* 28, 19), « euntes in mundum universum, praedicate Evan-

gelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit » (*Mc.* 16, 15).

Exinde abundanter patet quod in hoc mandato agitur imprimis de illis qui fidem in Evangelium non habent et non adhuc abluti sunt aquis baptismalibus, i. e. non-christiani. Sequitur Christum velle nostram praedicationem primo loco ad eos dirigi.

5) Salus mundi. Hodie in mundo inveniuntur tria millia millionum (3.000.000.000). Circa duo millia millionum (2.000.000.000) nuntium evangelicum non adhuc audierunt, nec baptismum, nec abundantiam gratiarum ab eo confertum, receperunt. Adhuc sunt isti innumeri homines, ut Sanctus Paulus dicit, in potestate tenebrarum, non adhuc obtinuerunt remissionem peccatorum per fidem et baptismum, neque translati sunt in regnum Christi, quod est Ecclesia: « Deus eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum » (*Col.* 1, 13-14). Idcirco non habent maiorem et urgentiorem necessitatem quam praedicationem Christi eiusque Evangelii: etenim salus generis humani dependet ab hac praedicatione, ut ait S.S. Paulus VI: « divinum mandatum: euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae, e quo iusso salus mundi pependit et pendet » (PAULUS VI, 7-11-1964 durante 116 congregatione generali Concilii).

B. Primatus evangelizationis infidelium adhuc deduci potest ex amore praedilectionis a Christo manifestato: 1) iis qui non adhuc faciebant partem gregis sui: « et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere » (*Io.* 10, 16); 2) peccatoribus: « Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere » (*1 Tim.* 1, 15); « non veni vocare iustos sed peccatores » (*Mc.* 2, 17). « Christus pro impiis mortuus est » (*Rom.* 5, 6); 3) infirmis: « non necesse habent sani medico, sed qui male habent » (*Mc.* 2, 17).

C. Momentum primordiale evangelizationis infidelium erui adhuc potest ex electione Sancti Pauli ut apostoli gentium (*Act.* 13, 48; 16, 18; *Rom.* 1, 1-5; *Rom.* 15, 15-16).

D. Insuper primatum huius evangelizationis non-christianorum clarissime affirmatur ab ultimis Summis Pontificibus.

Benedictus XV: « Maximum illud sanctissimumque munus quod Christus discipulis mandavit » (Litt. Enc. *Maximum illud*: *A.A.S.*, 1919, p. 440).

Pius XI: « Numne maiorem insigniorem caritatem » (Litt. Enc. *Rerum Ecclesiae*: *A.A.S.*, 1926, p. 58): « Hoc (opus) ceteris caritatis operibus testimoniisque sic praestat, quemadmodum animus corpori, caelum terris, aeternitas tempori antecellit » (*A.A.S.*, 1926, p. 68); « apostolatus praecellentissimus » (*A.A.S.*, 1926, p. 70).

Quia praedicatio Evangelii non-christianis, est munus primordiale Ecclesiae, idcirco etiam est officium primarium et urgentissimum Summorum

Pontificum: *Ioannes XXIII*: « Missionalis causa est sane prima, licet non una, Romani Pontificis sollicitudo » (4-11-1958) (*L'Osservatore Romano,* 5-11-1958, p. 1, col. 4). *Paulus VI*: « Nostro essenziale e più urgente dovere è quello di promuovere con ogni sollecitudine e cura la dilatazione del Regno di Dio » (Allocutio radiophonica 19-10-1963) (cf. *L'Osservatore Romano,* 21/22-10-1963, p. 2, col. 1). *Pius XI*: « Neque ad aliud nata Ecclesia est, nisi ut, regno Christi ubique terrarum dilatando, universos homines salutaris redemptionis participes efficiant. Quisquis autem est qui Iesu pastorum principis vices in terris divinitus gerat... praecipuo muneri suo desit, nisi alienos externosque Christo lucrari atque adiungere omni contentione nitatur » (Litt. Enc. *Rerum Ecclesiae*: *A.A.S.,* 1926, p. 26).

Quia evangelizatio non-christianorum munus principale est Ecclesiae, idcirco apostolatus missionarius omnium aliorum apostolatuum excellentissimus gravissimusque est, ut ait *S.S. Paulus VI*: « Missionalis apostolatus praestantia et efficacitate excellentissimus est » (7-11-1964. Allocutio ad 116 congregationem generalem Concilii, cf. *L'Osservatore Romano* 7-11-1964, p. 1).

Propter quod, ut dicebat S.S. Paulus VI in eadem allocutione, Concilio incumbit ut « nova muniantur itinera, novae cogitationes excogitentur, ad Evangelium largius et efficientius evulgandam ».

Medium inter efficaciora quod Concilium ad hoc adhibere potest, est declaratio solemnis, explicita, clara, vivida, in favorem primatus evangelizationis infidelium, quae est munus Ecclesiae quod superat omnia alia per momentum suum et urgentiam.

[*Subscripserunt etiam*] J. E. Loosdregt, vic. ap. de Vientiane (Laos); Albert Sanschagrin, Amos (Canada); J. D. Des Rosiers, Qacha's Nek (Basutoland); P. H. Dupont, Palaensis (Tchad); Felipe J. Cueto, Tlalnepantla (Mexico); Albert Tsiahoanna (Madagascar); Thomas Cooray, Colombo (Ceylon); Emilianus Pillai, Jaffna (Ceylon); Ioannes Bokenfohr, Kimberley (South Africa); Ioannes L. Coudert, Whitehorse (Canada); G. Mongeau, Cotabato (Philippines); J. Leguerrier, Bay James (Canada); E. Mabathoana, Maseru (Basutoland); Edm. Peiris, Chilaw (Ceylon); Ignatius Phakoe, Leribe (Basutoland); Paul Dumouchel, Keewatin (Canada); Faby Gurti (Sahara Espagnol); Ives Plumey, Garoua (Cameroun); Leonellus Berti (Laos); Armand Clabaut (Paris); Ioseph Bonhomme (Canada); Walter Vervoort; Rudolph Koppmann, Windhoek (South West Africa); Wm. P. Whelan, Bloemfontein (South Africa); Paul Piché, Mackenzie (Canada); Lionel Scheffer, Labrador (Canada); Marc Lacroix, Baie d'Hudson (Canada); Maturino Blanchet, Aosta (Italie); Sergius Mendez Arceo, Cuernavaca (Mexico); Dominic Athaide, arch. Agra (India); B. Mudartha, ep. tit. Idebesso; Mathia Fernandes, ep. Mysore; Jerome Fernandes, ep. Quilon; Leo D'Mello, bishop of Ajmer and Jaipur; Ioseph Fernandes, archbishop of Delhi; R. A. Sundaram, bishop of Tanjore (India); L. T. Picachy, bishop of Jamshedpur; Eric Benjamin, bishop of Darjeeling (India); Ioseph B. Evangelisti, ep. Meerut; Ambrose Galbiati, bishop of Jalpaiguri (India); D. Paul Arulswami, ep. Kumbakonam; Mathias A. Amaldas, ep. Chikmagalur; Michael Arratukulam, ep. Alleppey; James Mendonça, ep. Tiru-

chirapalli; Thomas Fernando, ep. Tuticorin (India); Ignacius Mummadi, bishop of Guntur; Oscar Sevrin, ep. tit. Mossina; Anthony Padiyara, ep. Ostacamund; Mathew Pothacamuzhi, bishop of Kothamangalam; Michael Olçomendy, arch. of Malacca - Singapore; Claudius Bayet, vic. ap. Ubon (Thailand); Michael Kien, vic. ap. Thare (Thailand); Ioseph Nittayo, ep. tit. Obba (Bangkok); Francis S. Sanguon, vic. ap. Chantaburi (Thailand); Dominic Vendargon, ep. Kuala-Lumpur (Malaya); Francis Chan, ep. Penang (Malaya); Peter Irata, ep. Oita (Japon); Omer Degryse, sup. gen. congr. Cordis Immaculatae Mariae; Louis Morel, arch. tit. Eno; Benedict Tomizawa, ep. Sapporo (Japon); V. Bazin, Rangoon (Birmanie); Y. Ramousse, Phnom-Penh (Cambodge); B. Gobbato, Taunggyi (Birmanie); Paul Cheng, ep. aux. de Taipei; Lorenzo Bianchi, Hong-Kong; J. Obert, Dinajpur (East Pakistan); Michel Ngu, Long-Xuyen (Vietnam); A. R. Jacq, ep. tit. Cerasenus (Vietnam); Simon Hoa Hien, Dalat (Vietnam); J. Oste, Jehol (China); Fel. Raeymaeckers, ep. tit. (Pakistan); J. Cheng, Kaohsiung (Taiwan, China); Paul Yü Pin, Nanking (China); Paul M. Kinang Ro, Seoul (Corea); Ioannes Choi, Pusan (Corea); J.-B. Sye, Tae Gu (Corea); Petrus J. Han, Jeo Ju (Corea); Victorinus K. Youn, Su Won (Corea); Philippus Côté, Süchow (China); J. Tran Van Thien, My-Tho (Vietnam); Schneiders, Makassar (Indonesia); Pessers, Kiangchow (China); Kramer, Luanfu (China); Raymond Caesar Bergamini, Padang (Indonesia); Adrianus Djajasepoetra, Djakarta (Indonesia); H. Darmajuwana, Semarang (Indonesia); Nicholas Cornelius Geise, Bogor (Indonesia); Vunibaldo Talleur, prael. null. de Rondonopolis (Brasil); J. Tillemans, Merauke (Nouvelle Guinée); Ioseph Kiwanaku, Rubaga (Uganda); Ant. Henri Van den Hurk, Medan (Indonesia); Ign. Glennie S.I., Trincomalee (Ceylon); Félix Scalais, arch. tit. Acque di Numidia; B. Mels, arch. Luluaburg; F. Van den Bergh, év. Lisala.

89

Exc.mus P. D. LEO VOLKER
Superior generalis Patrum Alborum

Meo humili iudicio schema *de activitate missionali Ecclesiae* bona quidem continet elementa, sed omnino insufficiens est. Reducendo schema ad aliquas breves propositiones Concilium dare potest impressionem vel hic agi de aliqua Ecclesiae activitate secundaria et quasi accidentali vel non adesse quoad hoc argumentum necessitatem alicuius sic dicti « aggiornamento ». Econtra, omnibus christianis bene notum esse debet, ex una parte, quod activitas missionalis essentialis est Ecclesiae quae sine ea deesset suo muneri praedicandi Evangelium omni creaturae, et, ex altera parte, quod conditiones in quibus laborant missionarii, sunt ita mutatae ut aliqua adaptatio necessaria sit. Insuper cum hoc argumentum nunquam ab aliquo Concilio Oecumenico tractatum sit, oportet ut bene fundetur in dogmate christiano et Sacra Scriptura.

Schema ut iacet proinde mihi non placet quia meo iudicio desideratur schema magis elaboratum.

Alii iam locuti sunt et sine dubio loquentur de variis argumentis; ego

in hoc interventu agam solum de ea parte ministerii apostolici qui voce « Catechumenatus » circumscribitur, de quo ex professo agitur sub littera *c*), propositionis tertiae. Timeo enim ne secus catechumeni, etsi aliquo modo iam ad Ecclesiam pertinent, in oblivione maneant.

Catechumenatus est perantiqua institutio ecclesiastica in qua conversi ad Christum, catechumeni facti per ritum liturgicum, curriculum christianae initiationis percurrunt. Catechumeni de quibus hic agitur intelliguntur proinde ii qui ad Christum Salvatorem iam conversi tirocinium christianum faciunt, ut gratia Dei et cura Matris Ecclesiae eorum fides plene excolatur et ita se praeparent ad recipiendum sacramentum fidei quod est Baptismum.

Tria mihi videntur esse declaranda de catechumenatu, scil.: 1) necessitas longae et diligentis praeparationis ad Baptismum; 2) quaenam debeat esse eius methodus pastoralis; 3) inde concludam necessitatem recognoscendi canonice statum catechumenorum clariusque definiendi in novo Codice Iuris Canonici ipsorum iura et officia.

Plura quae Concilium Vaticanum II iam tractavit de sacra Liturgia, de Ecclesia, de Revelatione ac de Libertate Religiosa, plurimum valent ad elucidandum nostrum argumentum.

1. Necessitas maturioris praeparationis ad Baptismum eruitur ex trina consideratione, deprompta ex libertate religiosa assecuranda, ex fide viva maturescenda et ex communitate christiana solide aedificanda.

Schema *de divina revelatione* describit Deum homines alloquentem tamquam amicos, ut eos ad societatem cum Patre et Filio et Spiritu Sancto invitet et admittat (n. 2, pag. 5-6). Deo revelanti *libere* praestandum est plenum intellectus et voluntatis obsequium (ibidem, n. 5, pag. 7).

Omnino ergo oportet in catechumenis *veram libertatem* suscitare et tueri. Nolumus eos praepropere baptizare quasi timeamus, ne eos post maturiorem deliberationem paeniteat consilii, sed hanc ipsam deliberationem faciliorem ac profundiorem reddere et a motivis nimis humanis vel terrestribus purgare conamur. Ecclesia, quae a vi et coactione abstinet, vitare quoque debet, quaecumque spe utilitatis temporalis vel metu incommodorum socialium ad Baptismum inducere possunt. Apta instructione et protracto usu vitae christianae catechumeni clare dignoscant, quae pro vita sua intellectuali, morali atque sociali ex fide christiana firmiter amplectenda consequantur, ut *plene conscii et liberi* ad Baptismum accedant.

Sacramenta deinde initiationis non sunt instrumenta magica, sed liberum responsum hominis supponunt, confirmant et sigillant. Adulti, gratiae *libere* assentiendo et cooperando disponuntur ad suscipiendum Baptismum (cf. Denz., Ed. 1963, nn. 1525-1526). Certo quodam temporis spatio indigent, donec tota ipsorum mens et vita veritate divina imbuantur, ut toto scilicet corde Deo revelanti respondeant.

Ex altera parte, pro *bono Ecclesiae* longa candidatorum probatio requiritur, ut nova communitas christiana ex lapidibus vivis et firmis aedificetur. Veritas Evangelii non tam verbis missionariorum quam vita neophytorum

iudicatur. Ecclesia visibilis, quae pro infidelibus est parva communitas neophytorum debet esse motivum credibilitatis et testimonium divinae suae legationis irrefragabile, veluti signum levatum in nationes (cf. CONC. VAT. I, Const. *Dei Filius,* cap. 3: DENZ., Ed. 1963, nn. 3013-3014).

2. Iam brevior esse possum in exponenda methodo pastorali, quae in instituendis catechumenis adhibenda est.

Haec methodus inniti debet iis, quae a Concilio dicta sunt de Ecclesiae mysterio (Const. *de Ecclesia,* cap. I). Ecclesia est ministra salutis, coetus adspectabilis et communitas spiritualis, populus Dei, genus electum, regale sacerdotium (*ibid.,* Capp. I et II). Hoc mysterio imbuendi sunt catechumeni, non solum per illuminationem internam, quae consequitur catechesim gradatim traditam et magis ac magis profundiorem, sed per experientiam vitalem qua sensim sine sensu introducuntur in caelesti conversatione illius communitatis fidei, cultus et amoris quae est Ecclesia. Illius illuminationis simul ac experientiae ope, mentalitas eorum paulatim sensum Christi induit, et christiani mores assumuntur.

Institutio catechetica coniungenda est cum ritibus liturgicis, ut catechumeni *communitatem cultus* populi Dei magis magisque participent. Constitutio de sacra Liturgia mandat, ut « instauretur catechumenatus adultorum pluribus gradibus distinctus, de iudicio Ordinarii loci in usum deducendus; quo fiat ut tempus catechumenatus, aptae institutioni destinatum, sacris ritibus successivis temporibus celebrandis, sanctificari possit » (cf. n. 64). Haec Constitutio pariter providet sanae aptationi horum rituum ad culturas ambientes (cf. n. 65 et *A.A.S.,* 1926, pp. 310-338).

Sic praesto sunt normae liturgicae ad catechumenatum ita celebrandum ut progressio conversionis ad Deum, aversionis a diabolo ac peccato, et illuminationis interioris liturgicis signis exprimatur atque confirmetur.

3. Reliquum est, ut ex praeviis considerationibus dogmaticis, pastoralibus ac liturgicis concludatur status iuridicus catechumenorum cum ipsorum iuribus et officiis.

In capite quidem II constitutionis *de Ecclesia* (n. 14, in fine), catechumeni cum fidelibus catholicis intime coniunguntur: « Catechumeni qui, Spiritu Sancto movente, explicita voluntate ut Ecclesiae incorporarentur expetunt, hoc ipso voto cum ea coniunguntur; quos iam ut suos dilectione curaque complectitur Mater Ecclesia ».

Catechumeni iam ad nostram domum pertinent (cf. AUGUSTINUS, Tr. *In Io.* 11, 14). Iam credunt, iam sunt christiani. Fidem publice ac Baptismi desiderium profitentur. Insuper non raro cum Domino etiam intime coniunguntur virtutibus Fidei, Spei et Caritatis. *Hic status in Iure recognosci debet.* Codex autem actualis eis concedit tantum sepulturam ecclesiasticam (can. 1219, par. 2), benedictiones ad obtinendam fidei lumen vel una cum illo corporis sanitatem (can. 1149) atque exorcismos (can. 1152), sed eorum condicio realis longe haec superat.

Omnino ergo necesse est, ut statum clarius definitum in Ecclesia *vivo-*

rum (non tantum post mortem in coemeterio!) obtineant. Omnia iura et officia christianorum ad eos pertinent, quae Baptismum non supponunt. Sic apostolatui laicorum et consilio paroeciali interesse possunt. Quinimmo, si defuerit sacerdos vel laicus baptizatus, cultui dominicali vel aliis ritibus praesidere possunt. A canonistis explorari oportet, quatenus eorum matrimonium Ecclesiae subiacet auctoritati. Officiis pariter omnibus tenentur, quae connectuntur cum fide et cum statu eorum qui ad vitam Ecclesiae se praeparant exercitatione vitae christianae. Praeter legis divinae observantiam, corde habeant diem Domini sanctificare, ieiunium saltem paschale observent et ceteras leges ecclesiasticas quae eorum statui et iuribus respondent.

Usu iurium et officiorum sentient se esse aggregatos cum populo Dei, quod etiam pro perseverantia in fide multum interest. Hoc quoque valet pro iis qui, etsi propter aliquod impedimentum baptizari nequeunt, ad Ecclesiam tamen pertinere volunt. Hi etiam speciali cura digni sunt, ne relabantur in errores.

Conclusio. Proinde catechumenatus est tirocinium fidei omnino necessarium ad aedificandam communitatem christianam solidam. Communi theologorum, liturgistarum, canonistarum atque pastorum conamine eo tendere debemus ut catechumenatus renovetur et ad novas nostri aevi necessitates accommodetur. Hoc dicatur clare et explicite in schemate.

90

Exc.mus P. D. IOSEPH BRENDANUS WHELAN
Episcopus Overriensis

1. Textus loquitur in par. 8, de mediis quibus christifideles in opere missionali Ecclesiae cooperari debent. Et bene preces et sacrificia in primo loco numerantur. Oratio necessaria est cum ipse Dominus dicit neminem ad se venire posse nisi a Patre trahatur. Tractio illa, cum supernaturalis sit, non persuasibilibus nostrae sapientiae verbis, sed precibus et sacrificiis obtinetur.

2. Sacrificium quod in contributione materiali consistit, medium est omnibus accommodatissimum et missionibus utilissimum. Est omnibus accommodatum, quia collectae ubique terrarum fieri solent. Neque valor sacrificii magnitudine doni mensuratur, sed interioris sacrificii sinceritate. Missionibus est perutile quia in multis locis missionum ecclesiae novellae sine subsidiis ab exteris provenientibus, subsistere vix possunt. Hic admittendum est et laudandum quod nonnullae ecclesiae novellae in re oeconomica fere independentes sunt: scholas aedificant, ecclesias construunt, pro sustentatione cleri ex sumptibus suorum fidelium sufficienter provident. Dicendum est etiam quod omnes missiones tenentur ad talem independentiam tendere.

3. Meliori autem modo quis obligationem erga missiones solvit cum

secundum modum sibi proprium auxilium praebet. Nam sicut in Vetere Testamento legimus pastores ex optimis gregis, agricolae ex fructibus terrae sacrificia obtulisse, ita nunc debent fideles sacrificium offerre ex donis et talentis quibus Deus illos ditavit. Auctor qui calamo suo pro utilitate missionum utitur secundum proprium talentum opus missionale Ecclesiae adiuvat. Sic auctores scribendo, magistri docendo, architecti imagines ecclesiarum pingendo, modis sibi propriis, missiones adiuvare queunt. Ita etiam medici, qui communi conatu, peritum medicum per tempus ad missiones mittunt, modo apto in bonum missionum conspirant. Universitates alumnos ex nostris recipiendo, monasteria levitas ex missionibus formando, modo ipsis accommodato et nobis gratissimo progressui Ecclesiae favent.

4. Perfectissimo modo laici in opere missionum cooperantur, cum non amplius aliquid sui sed semetipsos in sacrificium Deo offerunt, vel suam professionem in bonum missionis sine humana remuneratione exercendo vel sese operibus apostolatus totaliter dedicando. Quot multa mala dicuntur contra mundum huius temporis! Et tamen oculis nostris vidimus factum illud mirabile historiae hodiernae missionum, cum innumerabiles viri et mulieres ex Europa et America ad missiones convolant ibique apostolatum exercent ut magistri scholarum, ut medici, ut fabricatores, ut cooperatores sacerdotis. Hi viatores Christi aperte monstrant munus fundandi Ecclesiam non tantum ad clericos pertinere, nec religiosorum tantum esse negotium. Sed sicut antiquioribus temporibus, ita etiam nostris diebus laici Spiritu Sancto moti, peregrinantur pro Christo et terras missionum suis laboribus consecrant. Laici pariter indigenae, spiritu Evangelii imbuti, iam surrexerunt qui apostolatum inter suos, verbo et exemplo fructuose exercent. Horum opus novellis ecclesiis summi momenti est; nam regiones albae sunt ad messem et sacerdotes pauci; et etiam apostoli ab exteris possunt apostolatum incipere sed ad filios patriae pertinet eum permanentem reddere. Ne praetereamus silentio talia et tanta sacrificia pro missionibus. Denariorum collectae bonae sunt et pro aedificatione materialis ecclesiae necessariae; sed multo pretiosiora sunt opera laicorum quae ecclesiam spiritualem aedificant. Extollamus ergo in textu nostro eorum virtutes ut numerus eorum augeatur. Provocemus ad exemplum Ugandentium Martyrum, qui non tantum verbum Dei docendo sed et sanguinem fundendo, patriam suam fructificaverunt. Sic exemplo Sanctorum et nostra cohortatione apostolatus laicorum apud indigenes momentum et incrementum accipiet.

5. Propono ergo: 1) Ut in hoc numero octavo statuatur principium cooperandi in opere missionali Ecclesiae secundum modum unicuique proprium. 2) Exempla laicorum sese operibus missionum devoventium, in textu recolamus ut alios ad sequenda eorum vestigia excitemus.

91

Exc.mus P. D. BERNARDUS YAGO
Archiepiscopus Abidjanensis

De disciplina sacramentorum paenitentiae et eucharistiae.

E statu aliquando dramatico in terris missionum, saepe originem duxerunt inquisitiones et inventiones novorum modorum cogitandi et agendi, quibus omnes Ecclesiae ditiores factae sunt. Sicut olim ortus est motus oecumenicus qui est gloria Ecclesiarum seiunctarum in missionibus, sicut etiam hodie incipit restauratio diaconatus, sic forsitan renovabitur disciplina sacramentorum paenitentiae et eucharistiae si benigne attenderitis, Patres conciliares, clamori quem profero, non solum nomine omnium subscribentium, sed potius tot sacerdotum, quos opprimunt inhumanae et diuturnae stationes ad audiendas confessiones peractae.

Schema de activitate missionali Ecclesiae, pag. 9, lin. 15, iure commendat ut vita christiana apud neophytis evolvatur. Nulla autem vita vere christiana sine eucharistia possibilis est; hoc neophytae agnoscunt et missam sine communione incompletam putant; omnes igitur qui non impediuntur, communionem recipere desiderant quotiescumque missa celebratur. Ex altera parte, vero, reverentiae causa erga Corpus Christi, ad sacram mensam venire nolunt nisi cum anima pura, saepe confessione sacramentali purificata.

Atqui in missionibus, particulares difficultates in usu sacramenti paenitentiae neophytorum sunt. Quae difficultates, aliae a sacerdotibus, aliae a fidelibus proveniunt:

1. *Difficultates e sacerdotibus provenientes.* Omnes bene sciunt numerum sacerdotum in terris missionum maxime insufficientem esse. Cum crescit numerus christianorum, cum ex altera parte, crescunt problemata quas ponunt evolutio mentium aeque ac necessitas educationis verae et solidae vitae christianae neophytis dandae, tunc munera apostolica tam multa diversaque fiunt ut sacerdotes saepius praetermittere debent evangelizationem paganorum ut solis christianis curam afferant. In quibusdam regionibus, hi sacerdotes, qui nondum possunt ad paganos ire, totum tempus agunt confessiones audientes; quod detrimentum fit catecheseos et evangelizationis. Hoc manifestius est in tribus casibus, scilicet quando sacerdos visitat numerosas communitates sine presbytero, quando diebus dominicis bis aut ter missam celebrat, quando maiora festa proxima sunt.

In his tribus casibus missionarius sibi imponere debet laborem qui vires humanas superat.

a) *Quando pagos visitat ubi presbyter non residet quamvis christiani numerosi sunt*; tunc visitare domos nequit etsi haec pastoralis activitas magni pretii aestimatur etiam a paganis; neque dare potest coetibus actionis catholicae tempus necessarium pro spirituali animatione quam requirit vita

motus apostolici; coetus autem actionis catholicae duo vel tres sunt in unoquoque pago, sive puerorum, sive iuvenum, sive adultorum; catechizare nequit. Totum tempus fere agit confessiones audiens.

b) *Quando die dominica bis aut ter missam celebrat in pagis diversis*: tunc, ut omnes qui communionem recipere desiderant, hoc rite possint facere, sacerdos ante unamquamque missam centenas confessiones audire debet, quod sacerdotis exsuperans labor est, fidelium autem detrimentum; fideles enim longius expectant et missa tardius celebratur. Itaque ego, pastor, qui presbyteris meis commendo ut quavis dominica tres missas celebrent, ipse debui confessiones audire ante secundam vel tertiam missam negare.

c) *Quando maiora festa proxima sunt*; tunc oportet absolutionem dare cum tanta velocitate ut christiani possint scandalizari. Sexaginta absolutiones vel plures per horam, hoc vocatum est a quadam religiosa: « Absolutio electrica ». Ego ipse hanc indignam praxim secutus sum, quia, anno elapso, in vigilia natalis Domini, in quodam magno pago, quatuor centum absolutiones distribui, incipiens ab hora nona post meridiem usque ad mediam noctem.

Insuper saepius *sacerdotes linguas christianorum male intelligunt,* v. g. in dioecesi Abidjan, linguae sunt sexaginta, nullus igitur presbyter, ne quidem indigena, singulas intelligit.

2. *Difficultates e fidelibus provenientes*: linguam non suam loqui nequeunt; in periculo sunt ne mala sit contritio, incompleta accusatio, falsa conscientia; in periculo etiam sunt ne sacramentum assimiletur cuidam magico ritui sine cordis conversione; confessio tandem saepius impossibilis fit quia nimius est labor sacerdotum.

Omnibus his perspectis, solutionem sequentem proponimus: Possint Ordinarii locorum in gravibus difficultatibus et in certis casibus (v. g. magna copia christianorum, duae vel tres missae ab eodem sacerdote in diversis pagis eodem die celebrandae), sacramenti paenitentiae administrationem ordinare modo sequenti: *a*) fiat congregatio omnium paenitentium, sive universorum sive per categorias distinctorum (viri, mulieres, iuvenes, pueri...) sub praesidentia sacerdotis, cum si opus est, interprete, diacono aut catechista; *b*) fiat a sacerdote, praeparatio communis ad sacramentum, i. e., lectio sacrarum scripturarum, examen conscientiae, hortatio ad contritionem; *c*) fiat a paenitentibus confessio generalis (confiteor); *d*) detur a sacerdote absolutio generalis sacramentalis; *e*) ab omnibus fiat oratio communis pro paenitentia et sacerdos hortetur ad vitam ducendam in spiritu paenitentiae.

Sane evidens est ut confessio auricularis, modo privato, servetur, quippe potior forma sacramenti, quotiescumque difficultates supradictae non invenirentur. Insuper absolutio generalis reservari potest his solis christianis qui solent confessionem adire et occasionem habent confessionem auricularum faciendi semel saltem per annum.

Propono, igitur, ut, pag. 9, lin. 15, post verba « in liturgia locum habet », sequentia verba addantur: « Ut facilior reddatur neophytis receptio digna et fructuosa sacramentorum paenitentiae et eucharistiae sine damno in sacer-

dotum valetudinem, conferentiae episcopales, probante Apostolica Sede, pro casibus particularibus necessarias facultates concedent ».

Item optatur ut disciplina ieiunii eucharistici mitigetur in favorem sacerdotum qui duas vel tres missas celebrant aut qui tardius celebrant, necnon in favorem fidelium qui hora tardiore communionem recipiunt, ita ut, e. g., cibum accipere possint una hora ante communionem, potum alcoolisatum tribus horis vel plus secundum adiuncta locorum.

[*Subscripserunt etiam*] P. Zoungrana, arch. Ouagadougou; I. Prieto; A. Konings; C. Ulyatt; J. Strebler, arch. tit. Nicopoli in Epiro; J. Etrillard, ep. Gagnoa; N. Boucheix, ep. Porto Novo; J. B. Coudray, praef. ap. Kankan; R. Redois, ep. Natitingou; A. Duirat, ep. Bouaké; L. Sangaré, arch. Bamako; A. Cadoux, praef. ap. Kaolack; M. Chauvin, ep. Fada N'Gourma; E. Maillat, ep. N'Zérékoré; B. Hanrion, praef. ap. Dapanga; A. van den Bronk; L. Durrieu, ep. Ouahigouya; A. Dupont, ep. Bobo-Dioulasso; J. Bretault, ep. Koudougou; D. Yougbare, ep. Koupela; J. K. Amissah, arch. Cape Coast; C. Durrheimer, ep. Katiola; E. Courtois, ep. Kayes; P. Rouanet, ep. Daloa; J. M. Maury, del. ap.; P. Dery, ep. Wa; J. Essuah, ep. Kumasi; E. Kwaku, ep. Abengourou; V. Sartre, arch. tit. Beroe; A. Messmer, ep. Ambanja; J. Kabes; P. Nousseir, ep. Minya; St. Sidarouss, patr. Alexandria; S. Gaumain, ep. Moundou; J. Coucherousset, arch. Bangui; J. B. Fauret, ep. Pointe-Noire; F. Chambon, ep. Bossangoa; P. Pinier, ep. Constantine; A. Bréheret, ep. Cahors; R. Fourrey, ep. Belley; A. Fauvel, ep. Quimper; V. Favé, ep. tit. Andeda; A. Boussard, ep. Vannes; H. Mazerat, ep. Angers; G. Mercier, ep. Laghouat; G. Jacquier, ep. tit. Sufasar; R. Boisguérin, ep. Suifu; L. Duval, arch. Alger; M. Ngu, ep. Long-xuyen; J. Oste, ep. Jehol; F. Raeymaeckers, ep. tit. Aperle; J. B. Gobbato, ep. Taunggyi; J. Obert; Yves Ramousse, ep. tit. Pisita; L. Bianchi, ep. Hongkong; J. Dai, ep. tit. Sila; Th. Le-huu-tu, ep. tit. Dafnusia; S. Hien, ep. Dalat; J. Kuo, arch. tit. Salamina; Th. Niu, ep. Yangku; A. Jacq, ep. tit. Cerasa; V. Bazin, arch. Rangoon.

92

Exc.mus P. D. AMBROSIUS YEDDANAPALLI
Episcopus Bellaryensis

Pauca verba dicam de hoc schemate tamquam episcopus missionarius. Ardenti enim desiderio nos, episcopi missionarii, hoc schema de opere missionario Ecclesiae expectavimus, cum pro nobis, ut novam inspirationem in opere arduo nostro afferat et animum addat in labore nostro, tum pro toto coetu fidelium a quorum auxilio maxime dependemus. Hoc schema debet resuscitare illum spiritum caritatis et sacrificii qui per saecula vigebat in Ecclesia, etiam hodie millenos fidelium ad generosam cooperationem in Evangelio praedicando impellit.

Dolendo vero percepimus hoc schema non multum huius spiritus missionarii spirare. Reducitur ad meras propositiones, et quidem sat aridas, et humiliter quaerere audeo num ita vere finis pastoralis huius Concilii implea-

tur. Opus missionarium enim est opus singulare et principale inter omnia opera pastoralia Ecclesiae, et maxime nostra aetate summi momenti est, cum totus mundus mutetur et novam viam quaerat. Nonne Ecclesia maxime nostra aetate, mundo Eum monstrare debet, qui vere est Via, Vita et Veritas? Forte possibile est hoc schema iterum paulum amplificare et in decretum, utique succinctum, et essentialia tantum continens, efformare ut causa evangelizationis mundi in hoc Concilio digne proponatur.

Praeterea ad duo attentionem vestram, venerabiles Patres, vertere velim:

1. In schemate opus missionarium quasi aequiparatur aliis formis apostolatus quod exercetur in regionibus de-christianisatis, inter olim-fideles, qui se ab Ecclesia separaverunt. Dicitur enim in prooemio (pag. 7, lin. 8) distinctionem inter regiones missionarias et regiones de-christianisatas valde attenuatam esse, et ubique existere non-christianos quibus Evangelium praedicandum est. Paulo post (pag. 7, lin. 22) clare quidem explicatur hoc schema eas regiones solum respicere, in quibus Ecclesia nondum implantata est, vel sibi non sufficit. Ita distinctio inter missionarias regiones et alias partes Ecclesiae admittitur, sed potius technica et iuridica differentia statuitur quam essentialis, fundata in conditione differente missionum.

Assertio ista, nempe « valde attenuata est distinctio inter terras missionum et terras christianas » simul est nimis pessimistica quoad terras christianas, partim nunc de-christianisatas, et nimis optimistica, quasi triumphalis, de terris missionum. In regionibus antiquis christianitatis, plena ac bene evoluta structura vitae ecclesiae existit; agitur potius de renovanda quam de plantanda Ecclesia. Existunt conceptus fundamentales nostrae religionis, quamvis in praxi non applicentur; noverunt nomen Christi quamvis plurimi Eum non sequuntur. Servant permulta elementa christiana, in arte, in cultura, immo in modo cogitandi, iudicandi ac se gerendi, quamvis ab Ecclesia christiana defecerunt.

Sane aliae sunt conditiones in regionibus missionum; ubi per vastas regiones nomen Christi numquam vere praedicatum est. Ut de solo aspectu quantitativo, et de sola Asia, loquar: Nemo ignorat proportionem catholicorum non excedere duas centesimas partes, duo per centum. Communitas catholica, bene merita ceteroquin, in Iaponia, vix tres pro mille superat. Quae proportio in quibusdam aliis nationibus ne attingitur quidem. Exceptis Philippinis, nullibi proportio decem percentum superatur. E contra in centrali parte Indiae, existunt regiones, aeque amplae ac magnae nationes ubi vix invenitur unus christianus inter millenas hominum qui numquam nomen Christi audierunt. Et sane ad hos apostoli missi sunt, et Ecclesia hodierna mittitur. Hae sunt missiones proprie dictae.

Haec distinctio essentialis inter missiones et alias regiones christianas in nostro schemate exhiberi et agnosci debet. Secus in populo christiano exsurget, vel potius iam surrexit illa idea: Tempus missionum est elapsum, missiones finitae sunt. Cur amplius de illis simus solliciti? Nil mirum si tragico modo minuantur vocationes missionariae. Utique haec crisis voca-

tionum a plurimis causis noxiis pendet. Ne addamus nos illis causis falsam satisfactionem quae conatum ulteriorem destrueret quia superfluus, vel non tam necessarius et urgens reputaretur.

Sane tristis est experientia episcopi missionarii qui venit in partes Europae et sacerdotes quaerit pro missionibus; respondent vero nimiam esse egestatem Ecclesiae etiam in Europa, et necessitatem in propria patria primo loco respiciendam esse. Verum omnino est, fratres nostros in mundo antiquo christiano nullum detrimentum pati debere eo quod iuvant missiones. Sed, nonne, Patres venerabiles, Ecclesia millies experta est specialem providentiam divinam pro iis, qui iuvant missiones. Maiorem numerum vocationum sacerdotalium invenient, si generose missionarios ad praedicandum Evangelium mittent. Cum Ecclesia incipit sollicite, et cum quadam trepidatione, curare de se ipsa, a Domino reprobabitur propter modicam fidem. Ecclesia quae solum fideles servare curat, vere perdet vitam suam et fideles suos. Mittendo vero missionarios, Ecclesia crescit: maior enim erit gratia Dei, maior vita Christi in ea, maior caritas Dei.

2. Videtur in schemate motivum activitatis missionariae non sufficienter exprimi. Necessitas enim missionis non cum sufficienti evidentia apparet. Affirmatur quidem n. 1 necessitas Ecclesiae visibilis quae est « medium universale salutis a Christo institutum, ut omnes per id ad caelestem Patriam perveniant ». De facto autem, ut textus in eodem numero prosequitur, homines possunt salvari quin cognoscat Christum eiusque Ecclesiam; immo, secundum non paucos theologos hodiernos, plerique non-christiani ita salvantur.

Iam vero si talis optimismus respondet realitati, Ecclesia non iam videtur esse via ordinaria salutis, sed potius via extraordinaria cum plerique homines alia via salventur.

Talis doctrina non potest non perturbare missionarios, nisi ostendatur — clarius quam fit in schemate — cur debeamus conari omnes homines ad Ecclesiam adducere et cur non debeamus eos relinquere in sua bona fide, qua salvabuntur, si sunt bene dispositi.

Dicitur quidem eos *facilius* salvari in Ecclesia, sed haec vox valde ambigua: videtur dicere vitam christianam requirere minorem conatum, minorem energiam, amorem minus intensum. Quod est omnino falsum, nec certe est sensus a commissione intentus. Forsitan verius esset substituere vocem « securius » pro facilius.

Sed hoc vix sufficit ad exprimendum necessitatem et dynamismum missionis. Nec sufficit textus qui iam in schemate *de Ecclesia,* n. 17, invenitur. Ibi missio videtur dici necessaria ex mandato Christi, et « ut propositum Dei, qui Christum principium salutis pro universo mundo constituit, effectu compleatur ». Haec ratio minime convincit: nam Christus est principium salutis etiam iis qui extra ambitum visibilem Ecclesiae salvantur nec unquam praedicationem Evangelii audierunt; etiam in iis propositum illud Dei impletur. N. ille 17 *de Ecclesia* est verbosus potius quam illuminans.

Quare votum nostrum est, ut in n. 1 nostri schematis necessitas missionis clarius et solidius exponatur, tali modo ut possit excitare et nutrire zelum missionariorum qui iam in vinea Domini laborant, atque suscitare cum gratia Dei novas et numerosas vocationes missionarias.

93

EXC.MUS P. D. IOANNES ZOA
Archiepiscopus Yaundensis

Schema *de activitate missionali Ecclesiae* maximi est momenti: ipsum necessarium omnino est in libramento schematum Concilii: in memoriam enim revocat primum munus Ecclesiae esse illud praedicandi et baptizandi. Necessarium omnino est nostris temporibus, in quibus Ecclesia magis conscia fit facti quod post bis mille annos magna pars hominum adhuc aliena est Evangelio aut in eo est ut aliena fiat. Necessarium est ex eo quod crisis mundi hodierni (praecipue independentia acquisita a populis prius aliis populis subiectis: décolonisation) postulat ut problema missionarium sub nova ratione consideretur. Denique schema hoc necessarium est ex eo quod studium missionarium (esprit missionnaire) nostris diebus decrevit, id quod ex parte procedit ex defectu cognitionis sufficientis theologiae missionariae. Ex hoc fit ut nostrum schema fundetur oportet in solida theologia missionaria. Quatuor aspectus eiusdem theologiae, qui in schemate assumendi essent, propono.

1. Necesse est ut clare indicetur activitatem missionalem primam suam originem trahere ex missione Verbi et Spiritus Sancti: haec ipsa missio continuatur in Ecclesia et per Ecclesiam: ipsa Ecclesia est solum instrumentum talis missionis. Missio est motus unicus qui a Trinitate originem habet et ad ipsam redit postquam mundum et historiam transgressus est. Relate ad fideles missio in eo est ut ipsi ingrediantur in istum motum, qui Verbum ad homines adduxit, ut homines ad Patrem adducat et cooperentur Spiritui Sancto, qui tamquam fluvius aquae vivae quaerit in altum extollere genus humanum ad ima tendens ut ipsum versus Patrem elevet.

2. In schemate indicandum est « Missionem » esse substantiam historiae praesentis, historiae nempe huius temporis: ipsa enim est prosecutio historiae salutis, historiae nempe mirabilium operum Dei. Nos certe admirari debemus ea quae ingenium hominis perfecit in progressu scientiarum et in mundi moderamine, temperatione, sed plus admirari debemus ea quae Deus perficit in convertendis et sanctificandis animis. Peccatum mundi huius temporis consistit in hoc quod opera hominum ipsa abscondunt opera Dei.

3. In huiusmodi missione indicanda est haec facies Ecclesiae: motus ipsius ad conversionem totius generis humani. Haec facies est propria nostri schematis: graviter deficeret schema si consideraret Ecclesiam solum ut Institutum aut signum; ipsa est etiam coadunatio omnium hominum. Revera

plures hodie afficiuntur difficultatibus ad Evangelium acquirendi multitudines hominum; non amplius credunt possibilem conversionem omnium hominum et cedunt ideae Ecclesiam esse « diasporam » in mundo a Christo alieno. Si Paulus ita animo dispositus fuisset certe non esset aggressus conversionem Imperii Romani. Hoc non provenit ex eo quod virtus Evangelii deminuta sit, sed ex eo quod nos non satis credimus virtuti Spiritus, quae capax est destruendi omnia impedimenta, si invenit missionarios repletos spei quae non confunditur.

4. Necessarium est indicare quod « Missio », quae prosequitur Incarnationem, non solum tendit ad salvandas animas, sed etiam ad assumendum totum hominem, sive individualiter consideretur sive collective. Singillatim Missio tendit ad hoc ut Evangelio penetrentur variae « culturae » populorum. Hic permeatus « culturarum » Evangelio necessarius est ut Evangelium omnibus, et praecipue pauperibus, facile pateat. Impossibile enim est ut habeatur populus christianus si non creatur « ambiens » quod illum fulciat, si scilicet « cultura » populi non iam Evangelio imbuatur. Hic permeatus Evangelii in culturas etiam Ecclesiam ditat, quia unicus radius Evangelii, refractus in diversis faciebus generis humani, plus videre facit diversas suas facies.

Propter supradictas rationes, putamus schema propositionum de activitate missionali Ecclesiae quod basem utilem disceptationis tanquam terminum a quo ducimus, revera in his adiunctis, late longeque discutiendum esse in aula; ita ut Commissio ad hoc possit novum schema missionale et quidem sat ditatum nobis conficere.

[*Subsignaverunt etiam*] V. Sartre, arch. tit. Beroensis; T. L. Chambon, ep. Bossangoa; P. Pinier, ep. Constantine; R. Fourrey, ep. Belley; A. Bréherat, ep. Cahors; A. Fauvel, ep. Quimper; V. Favé, ep. tit. Andeda; A. Boussard, ep. Vannes; H. Mazerat, ep. Angers; G. Mercier, ep. Laghouat; G. Jacquier, ep. tit. Sufasar; R. Boisguérin, ep. Suifu; L. Duval, arch. Alger; A. Konings, ep. Keta; P. Dery, ep. Wa; J. Coudray, praef. ap. Kankan; P. Redois, ep. Natitingou; J. Lesourd, ep. Nouna; J. Perrot, ep. San; A. Duirat, ep. Bouaké; D. De Montclos; J. Brétault, ep. Koudougou; J. Lingenheim, ep. Sokodé; P. Zoungrana, arch. Ouagadougou; J. Etrillard, ep. Gagnoa; P. Maury, del. ap.; J. Strebler, arch. tit. Nicopolis in Epiro; A. Dupont, ep. Bobo-Dioulasso; L. Durrieu, ep. Ouahigouya; B. Yago, arch. Abidjan; A. Baud, ep. Berbérati; J. Coucherousset, arch. Bangui; F. Ndong, aux. Libreville; J. David, ep. Majunga; H. Véniat, ep. Fort-Archambault; A. Messmer, ep. Ambanja; J. Fauret, ep. Pointe-Noire; A. Tsiahoana, ep. tit. Abtugni; Th. Brosnahan, ep. Freetown.

94

CONFERENTIA EPISCOPORUM HELVETIAE

Liceat nobis emendationem non parvi, ut nobis videtur, momenti proponere, concernens collaborationem *laicorum* in opere missionali. Quae enim in n. 8 dicuntur, minime sufficiunt, ut relatio ipsa recognoscit.

In schemate *de Ecclesia* ut principium fundamentale affirmatur: « Populus Dei a Christo ut instrumentum redemptionis omnium adsumitur et tanquam lux mundi et sal terrae ad universum mundum emittitur » (n. 9). Unde concluditur ad opus missionale totius Ecclesiae et cuiusvis fidelis: Quilibet discipulus Christi onus fidei disseminandae pro sua parte assumit (n. 17), ita ut non tantum potest fidem propagare sed ut membrum Ecclesiae ad cooperandum huic muneri tenetur (Relatio ad n. 17 D).

Ideo sicut non promiscue sed alii aliter, sacerdotes et laici, in liturgica actione partem propriam habent, ita laici partem suam propriam habent in actione missionaria.

Ad hunc finem obtinendum nobis videtur necessaria renovatio profunda Operum Missionalium Pontificalium (OPM). Quae opera non tantum attendere deberent ad materialia auxilia obtinenda, quae utique necessaria et amplianda sunt, sed praesertim ad educationem missionariam totius populi christiani, incipiendo a paroeciis, ab associationibus apostolatus laicorum necnon a dioecesibus.

Laici maiorem partem habeant in operibus missionariis Pontificalibus non tantum in pecuniis praebendis, sed praesertim in efformando in sese sensum profundiorem apostolicum. Ita totus populus Dei vere missionarius fit.

Ideo optamus ut inseratur in n. 8 post lin. 18 talis textus: « Ad hunc finem obtinendum Opera Pontificia Missionaria consona fiant novis temporibus, ita ut laici participes fiant officiorum eorum et ipsi quoque gerenda curare possint ».

95

PRAELATI NULLIUS AMERICAE LATINAE

De missionis notione. Infrascripti Americae Latinae praelati nullius maximo cum studio conciliarem *de activitate missionali Ecclesiae* disceptationem prosecuti, ut eadem totius Ecclesiae activitas in dies efficacior evadat ac praesertim regiones a Sancta Sede sibi concreditae melius evolvi et evangelizare queant, quae hic adnotantur fidenter proponunt commissioni conciliari pro missionibus.

1. Omitti nequit clara *definitio* aut aequivalens descriptio territoriorum quae « missionalia » habenda sunt, secus in territoriis adhuc controversis ob iuridicam quasi cavillationem perdurabunt et crescent difficultates.

Cui voto, in aula, sequentes Patres vocem dederunt: card. Tatsuo Doi; mons. Legarra; mons. Moors; p. Grotti; mons. Riobé; mons. Moinagh; mons. Fulton Sheen.

2. Discernere aut supponere esse territoria missionalia solummodo dependentia a S. C. de P. F. inadaequatum esset. Excludendae sunt enim illae terrae quae sufficientem autonomiam assecutae sunt nec personis vel mediis ab extra indigent (P. G. Grotti: puta e. g. Gibraltar).

3. In « missionis » germana acceptione includenda omnino sunt territoria analoga, etsi, propter rationes singulares ab aliis Dicasteriis nunc pendent et quidem: *a*) a S. C. Consistoriali, uti sunt v. g. praelaturae nullius in America Latina et in Insulis Philippinis; *b*) a S. C. pro Ecclesia Orientali (ex Motu Proprio *Dei Providentia* anni 1917); *c*) a S. C. pro Negotiis Extraordinariis (ex Motu Proprio *Sancta Dei Ecclesia* anni 1938).

Hoc enim iam inaequivoce postulavit Pius PP. XII in Litteris S. C. pro Negotiis Extraordinariis diei 12 augusti 1958 ad em. card. praefectum S. C. de Propaganda Fide.

Ex his sequitur: Territoria missionaria considerari debent: *a*) regiones in quibus Evangelium nondum annuntiatum est; *b*) regiones in quibus christiani — quamvis a clero autochthono recti — uti numerica minoritas in ambitu non christiano vivere et agere debent; *c*) regiones, interdum christianae, immo etiam catholicae nuncupatae, in quibus Ecclesia « inchoatum aliquid prae se fert » (*C.I.C.,* can. 252 par. 9), sed activitatem missionalem ad finem suum perducere adhuc non potuit: tales sunt v. g.: *Regio Scandinava et Finnica* in qua habentur duo vicariatus apostolici et quattuor dioeceses S. C. P. F. subiectas; *Regio Amazonica* in qua habentur duodecim praefecturae apostolicae, 37 vicariatus apostolici S. C. P. F. subiecta necnon 38 praelaturae nullius S. C. Consistoriali subiectae; est regio deserta, usque ad praesentis saeculi initium a paucis tribubus indiis paganis habitata sed in dies celeriter succrescens, ob incompositum affluxum immigrantium, qui baptismum utique susceperunt sed instructione et formatione christiana omnimodo carent.

Idem vero magis valet pro regionibus quae (saltem ad tempus) Institutis missionalibus sive religiosis, sive saecularibus committi consueverunt.

Quae Instituta activitatem suam certe nomine Ecclesiae peragunt.

Quare, omnes regiones hae adiumento totius Ecclesiae indigent, nulla ratione diversae dependentiae iuridicae habita.

Hoc igitur postulat omnia dicasteria a quibus tales regiones dependent, media necessaria ad activitatem fructuosam exercendam suppeditare curent oportet.

[*Subscripserunt*] A. Ramos, arch. Belem; A. Cerqua, ep. prael. null. Parintins; J. de Sousa Lima, arch. Manáus; A. Pirovano, ep. prael. null. Macapá; A. Silveira de Mello, ep. tit. Nasai; G. Casullo, ep. aux. Pinheiro; J. De Lange, ep. tit. Fotice; M. Pereira, aux. Belem; M. Legarra, prael. null. Bocas del Toro; J. Grotti, prael. null. Acre et Purús; J. Schuck, ep. prael. Cristalandia; R. Gauci, prael. null. Chuquibamba; Fl. Armas, prael. null. Chota; R. Salas, prael. null. Arica; B. Nicolau, prael. null. Huamachuco; N. D'Antonio, prael. null. Imm. Conc. BMV in Olancho; J. McNabb, prael. null. Chulucanas; M. Anglim, prael. null. Coari; A. Veigle, prael. null. Borba; J. Artazcor, adm. El Petèn; I. Rolon, prael. null. Caacupé; M. Libardoni, prael. null. Huari; T. Ryan, ep. tit. Margo; C. Faresin, ep. prael. null. Registro do Araguaia; E. Coroli, ep. prael. null. Guamá; A. Gonzalez Ferreiros, ep. prael. null. São Raimundo Nonato; M. Buchholz, praef. ap. Shihtsien; P. Calzolari, praef. ap. Siangtan; J. Romaniello, praef. ap.

Kweilin; M. Michler, abb. null. N. Sra de Monserrate do Rio de Janeiro; A. Bossi, coad. prael. null. São José do Grajaú; J. Gazza, ep. prael. null. Abaeté; D. Parodi, ep. prael. null. S. Antonio de Balsas; C. Chizzini, ep. prael. null. Tocantinópolis; M. D'Aversa, ep. prael. null. Humaitá; J. Nepote, ep. prael. null. Raráima; C. Minali, ep. prael. null. Carolina.

96

PLURES PRAELATI NULLIUS

1. *Nostrae circumscriptiones,* licet a S. C. de Propaganda Fide non pendeant, *ut missiones habeantur* et qua tales tractentur; ideo:

2. *In Dicasterio a quo pendemus* (S. C. Consistorialis) *excitetur Sectio quaedam specialis quae de rebus nostris agat,* uti factum est, v. g. pro immigrantibus et pro apostolatu maris.

3. *Subsidia* quoque quae a Superiori Consilio Generali de Propaganda Fide distribuuntur, *distribuantur, habita ratione difficultatum, etiam nobis* (et non « ut extraordinarium ») ut clare dicitur in Statutibus Generalibus (praesertim in n. XI) Motui Proprio « Summorum Pontificum » Pii PP. XI adnexis.

[*Subscripserunt*] J. A. Schuck, ep. prael. Cristalandia; A. Ramos, arch. Belem; J. Gazza, ep. prael. Abaeté de Tocantis; J. Vazques, ep. prael. de Bom Jesus do Piaui; J. Costa; J. Marchesi, coad. Rio Negro; P. Massa; A. Cerqua, prael. Parintins; A. Pirovano, prael. Macapá; M. Anglim, prael. Coari; D. Parodi, ep. tit. prael. S. Antonio de Balsas; F. Armas, prael. Chota; R. Gauci, prael. Chuquibamba; A. Veigle, prael. Borba; I. Rolon, prael. Caacupé; M. Libardoni, prael. Huari; N. D'Antonio, prael. Imm. Conc. BMV in Olancho; A. Kühner, prael. Tarma; R. Salas, prael. Arica; J. Nepote, prael. Roraima; T. Ryan, prael. Santarem; F. Loewenau, ep. Obidos; E. Coroli, prael. Guamá; C. Faresin, prael. Registro do Araguaia; M. D'Aversa, prael. Humaitá; G. Barni, prael. Juigalpa; D. Roig, prael. Huamachuco; M. Legarra, prael. Bocas del Toro; J. Grotti, prael. Acre et Purús; F. Kaiser, prael. Caraveli; A. Ungarelli, prael. Pinheiro; V. Talleur, prael. Rondonopolis; L. Metzinger, prael. Ayaviri; J. Alvarez Macua, prael. Lábrea; H. Eccher, prael. Aiquile; Th. Manning, prael. Coroico; P. de la Fuente, prael. Batanes; J. McNabb, prael. Chulucanas; V. Garaygordobil, prael. Los Rios; V. Maya, prael. El Oro; A. Silveira de Mello, prael. Diamantino; C. Miccali, prael. Carolina.

APPENDIX

APPENDIX

I

SCHEMA

DE MISSIONIBUS *

PROOEMIUM [5]

Christus Iesus, omnium hominum Redemptor, eos in Populum Dei coadunare per Evangelii praedicationem voluit,[1] apostolos primum, et in eis Ecclesiam, ad convocandas omnes gentes mittens. Apostoli autem, Spiritus Sancti plenitudine moti ac roborati, euntes praedicaverunt ubique [2] et genuerunt ecclesias.[3] Eodem Spiritu impulsa etiam Ecclesia omni saeculorum decursu nuntios misit salutis in mundum universum, quibus Regnum Dei ad omnes populos extenderetur. Et quamquam ultimis hisce temporibus multas novellas ecclesias autochthonis pastoribus concredere potuit, labor tamen missionarius in non paucis adhuc regionibus propter varii generis obstacula vix inchoatur.

Numerus enim missionariorum et copia subsidiorum valde insufficiens ad evangelizationis opus sustinendum et promovendum, materialismi lata diffusio, et lugenda christianorum divisio graviter huic operi

---

* *In initio fasciculi legitur*: « Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema *de Missionibus* in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo discutiendum, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XVII mensis ianuarii, anno MCMLXIV.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

Enixe rogantur Patres, qui animadversiones et emendationes super schemate proponere desiderant, ut easdem scripto exhibere velint non ultra diem 31 mensis martii currentis anni ».

[5] adversantur. Alia vero ex parte plura elementa etiam novellarum ecclesiarum incremento favent: itinerum celeritas, instrumentorum socialis communicationis etiam ad bonum procurandum magna vis et potentia, augendae culturae et unitatis desiderium universale, et ipse denique scientiarum progressus, qui mentes hominum excitavit ut rerum spiritualium momentum magis attendere velint pro pace mundi assequenda et firmanda.[4]

Dum haec ita se habent, numerus non christianorum ita in dies crescit ut Ecclesia Christi longius distare videatur a sua extensione universali attingenda; et multae evangelizandi opportunitates quae nunc sunt praevidentur brevi annorum spatio non amplius exstiturae.

Unde Ecclesiae Dei interna renovanda iuventus, quae huius S. Concilii in votis est, vires omnium fidelium colligat atque dirigat necesse est ita ut ipsa Mater Ecclesia ubique terrarum praesens fiat in salutem populorum.

Quapropter haec S. Synodus, SS. Pontificum vestigia premens[5] principiis et rationibus generalibus apostolatus missionarii praemissis, declarare et decernere exoptat quae eundem apostolatum efficaciorem reddere et cooperationem pro Missionibus fovere possint.

[6]

NOTAE

[1] Cf. *Io.* 11, 52; *Mt.* 28, 19.

[2] Cf. *Mc.* 16, 20.

[3] Cf. S. Augustinus, *Enarr. in Ps.* 44, 25; *PL* 36, 508.

[4] Ioannes XXIII, *Humanae Salutis.*

[5] Benedictus XV, *Maximum illud* (1919); Pius XI, *Rerum Ecclesiae* (1926); Pius XII, *Saeculo exeunte* (1940), *Evangelii praecones* (1951) et *Fidei donum* (1957); Ioannes XXIII, *Princeps Pastorum* (1959).

[7]

Caput I

DE PRINCIPIIS DOCTRINALIBUS

1. [*Mysterium Christi annuntiandum*]. Ecclesia, Christi Corpus vivens et crescens, a Spiritu Sancto animatum, ad hoc nata est ut salutem, quam Iesus morte et resurrectione sua operatus est, ad omnes homines extendat « usque in ultimum terrae » et « in consummationem saeculi ».[1] Ubi Christus Dominus nondum nominatur nec fide agnoscitur, ibi Ecclesia necessitate tenetur Evangelium annuntiandi, secundum mandatum Domini: « Praedicate Evangelium omni creaturae ».[2] Ideoque et in gentibus nuntiat Ecclesia sacramentum salutis absconditum a saeculis

in Deo,[3] quod est Christus, in eis spes gloriae.[4] Ipse enim in carne mani- [7] festatus exinanitione et exaltatione Sua,[5] nunc assumptus est in gloria.[6] Ille est « servus Domini »[7] electus ut sit lumen ad revelationem gentium.[8] Et ideo Ecclesia a Christo missa nullum aliud fundamentum ponit in gentibus nisi Christum,[9] cum « non sit in alio aliquo salus, nec aliud nomen sub caelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri ».[10] Ipse solus est praedicandus, ut omnes impleantur in omnem plenitudinem Dei.[11]

2. [*Ministerium Ecclesiae*]. Quamvis Christus exaltatus in gloria omnem habeat in caelo et in terra potestatem,[12] noluit tamen Dominus gloriae visibiliter apparere, sed inter homines humiliter voluit permanere sub vultu Ecclesiae suae, ut per ipsam, quasi signum et instrumentum seu sacramentum, sese omnibus hominibus revelaret, eosque ad seipsum attraheret[13] et ad Patrem in Spiritu reduceret. Etenim resuscitatus abiit ad Patrem[14] ut Spiritum Paraclitum mitteret, in cuius virtute apostoli ab Eo missi[15] testimonium reddere possent « in Ierusalem, in Iudaea, in Samaria et usque ad ultimum terrae ».[16]

3. [*Necessitas apostolatus missionalis*]. Natura ergo sua necnon ex fidelitate erga hoc divinum mandatum et ex caritate erga suum Fundatorem et erga homines ab Eo redemptos, Ecclesia omnibus gentibus Evangelium Christi praedicare tenetur, ut omnes ad fidem « sine qua impossibile est placere Deo »[17] perveniant, et per fidem vitam, quam Christus in terram attulit, habeant et abundantius habeant.[18] Quod quidem Apostolus pro se his verbis expressit: « Vae mihi si non evangelizavero ».[19] Ita Ecclesia quae Sponsa est Christi, ministra etiam est [8] Domini in sua actione salvifica ad gentes et ad qualemcumque hominem Christum ignorantem. Sicut tota sua natura Ecclesia refertur ad Christum in terra manifestandum et communicandum, ita in tota sua operatione Ecclesia unice eo tendit ut « Christus in omnibus primatum teneat ».[20] Quod efficit Evangelium Dei praedicando « verbis et signis »,[21] homines per baptismum Christo incorporando, eos Spiritu Sancto confirmando, pane vitae reficiendo, ut « veritatem facientes in caritate »,[22] conformes fiant imagini Filii Dei.[23]

4. [*Commendatio Evangelii apud homines*]. Christi veritatem hominibus revelando, eo ipso Ecclesia etiam revelat atque affirmat genuinam hominis veritatem, in quantum hic secundum aeternum Dei consilium ad imaginem Christi creatus est « qui est ipse primogenitus in multis fratribus ».[24] Praedicatio Christi proinde ita fieri debet ut intimam hominis conscientiam attingat quae, sub illuminatione Spiritus

[8] Sancti, Deum agnoscere Eique consentire possit,[25] secundum illa verba Apostoli: « in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo ».[26] Media ergo quibus Ecclesia veritatem Christi hominibus proponit, non sunt nec esse debent « caro et sanguis », sed « virtus Spiritus Sancti »[27] « ad redigendum omnem intellectum in obsequium Christi.[28] Hoc ministerium veritatis quae personas singulas liberat,[29] populis quoque reddit Ecclesia, cum Christus cui inservit, sit « desiderium gentium »[30] « expectatio creaturae »[31] et omnium recapitulatio.[32] In Eo enim in quo omnia constant[33] et ad quem omnia tendunt,[34] nationes gentesque et totum genus humanum suam unitatem et veritatem inveniunt, aedificium spirituale constituentes in quo homines Christo mirabiliter in Spiritu incorporati, « petrae vivae »[35] esse possint.

5. [*Aedificatio Ecclesiae*]. Quae aedificatio Templi spiritualis a tota Ecclesia promovetur, sub ductu Romani Pontificis et Episcoporum qui munus a Domino receperunt Evangelium praedicandi et novas Ecclesias ubique implantandi. In hanc Ecclesiarum fundationem cooperari debent omnes Ecclesiae vires, semper hunc finem prae oculis habentes ut ex initiali statu evangelizationis evolvantur in communitates christianas formatas quae propriorum sacerdotum et episcoporum ministerio fruantur. Nam propriis suis episcopis qui Eucharistiae praesideant[36] dotatae, propriis quoque vitae christianae mediis instructae, locales Ecclesiae novellae iam exstant, et nova pro ipsis incipit aetas. In dies crescunt et proprias augent vires; quapropter et ab Universali Ecclesia novo ac di-
[9] verso modo adiuvandae sunt, ut et ipsae paulatim missionariae evadant, auxilium quod hactenus receperunt vicissim aliis praestare incipientes et ita suo modo totam Ecclesiam locupletantes. Sic extenditur et in effectum reducitur illa communio fidei, caritatis et cultus, quae inter omnes Ecclesias exsistere debet. Cum autem Ecclesia vim et capacitatem habeat omne quod humanum est, praeter peccatum, assumendi et in Christum transformandi, oportet ut quaecumque sunt vera, quaecumque sancta, quaecumque amabilia[37] ipsi Christo integrentur. Tunc Ecclesiae catholicitas manifesta apparebit eo quod in ea unitas nunquam offendat diversitatem et diversitas semper fulgeat in unitate. Corporis episcoporum varietas in Primatus soliditate confirmatur et unitur.

6. [*Essentia missionaria Ecclesiae resumitur*]. In illa Ecclesia per Verbum, Baptismum et Eucharistiam continuo sese aedificante, Christus Dominus invisibiliter et spiritualiter adest et operatur, usque ad illum diem in quo redibit ad adimplendam expectationem suae Ecclesiae et ad novum mundum constituendum. Dum autem in adventum Domini

properat, Ecclesia cessare non potest quin totis viribus laboret ut [9] omnes gentes quae adhuc Christum ignorant Verbum Salutis audire possint. Unde missiones, quae ex ipsa natura Ecclesiae profluunt, nihil aliud sunt quam operatio qua Ecclesia Corpus Christi visibiliter extendit.[38] Quare Ecclesia tota est missionaria, et tanquam ministra Christi in gentibus « sanctificat Evangelium Dei ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu Sancto ».[39]

Illius Ecclesiae missionariae est delineare ac determinare condiciones concretas operis sui in gentibus.

NOTAE

[1] Cf. *Act.* 1, 8; *Mt.* 28, 20.
[2] *Mc.* 16, 15.
[3] Cf. *Eph.* 3, 8.
[4] Cf. *Col.* 1, 27.
[5] Cf. *Phil.* 2, 6-11.
[6] Cf. *1 Tim.* 3, 16.
[7] Cf. *Is.* 42, 1-9; 49, 1-6; 50, 5-11; 52, 13 - 53, 12.
[8] Cf. *Is.* 49, 6; *Lc.* 2, 29-32.
[9] Cf. *1 Cor.* 3, 11.
[10] *Act.* 4, 12.
[11] Cf. *Eph.* 3, 19.
[12] Cf. *Mt.* 28, 18-20.
[13] Cf. *Io.* 12, 32.
[14] Cf. *Act.* 1, 9; *Io.* 16, 7. [10]
[15] Cf. *Io.* 20, 21; *Mt.* 28, 16-20.
[16] *Act.* 1, 8.
[17] *Hebr.* 11, 16.
[18] Cf. *Io.* 10, 10.
[19] *1 Cor.* 9, 16.
[20] *Col.* 1, 18.
[21] Cf. *Rom.* 15, 18; *Mc.* 16, 20.
[22] *Eph.* 4, 12.
[23] Cf. *Rom.* 8, 29.
[24] *Rom.* 8, 29; cf. *Col.* 1, 15.
[25] Cf. Conc. Araus. II, can. 7: Denz. 377, citatum a Conc. Vat. I, Sess. III, Const. *Dei Filius,* cap. 3: Denz. 3010.
[26] *2 Cor.* 4, 2.
[27] *1 Cor.* 2, 4.
[28] *2 Cor.* 10, 5.
[29] *Io.* 8, 32; cf. *Hebr.* 4, 12.
[30] Cf. *Gn.* 49, 10.
[31] *Rom.* 8, 19.
[32] Cf. *Eph.* 1, 10.
[33] Cf. *Col.* 1, 17.

[10] [34] Cf. S. AUGUSTINUS, *Confessiones.*

[35] *1 Pt.* 2, 5.

[36] S. IGNATIUS ANT., *Ep. ad Smyrn.* 8, 1-2; PAULUS PP. VI, *Oratio* diei 29 sept. 1963.

[37] Cf. *Phil.* 4, 8.

[38] Missio seu actio missionalis Ecclesiae in eo est ut per praedicationem Evangelii ad omnes gentes, seu per propagationem fidei inter gentes non-christianas (acatholicas) novi Christo Salvatori discipuli vel fideles aggregentur atque insimul Ecclesia, salutis per Iesum Christum medium universale, inibi constituatur vel implantetur. Cf. OHM, *Theorie der Mission,* 1962, p. 53.

[39] *Rom.* 15, 16.

[11]

CAPUT II

RATIONES GENERALES APOSTOLATUS MISSIONALIS

7. [*Spiritus evangelicus*]. Caritas Christi, oves dispersas in suum ovile congregantis,[1] urget cuiusvis temporis apostolos ut, ipsius Salvatoris sollicitudinem participantes, omnes homines invitent Deo reconciliari [2] et fratres fieri in Domino. Huius caritatis igne accensus apostolus in omnibus servum se praebet animarum, tum in verbi praedicatione, tum in sacramentorum administratione, tum denique in tota sua vita spirituali, omnibus omnia factus propter Evangelium,[3] conscius se gratiae Dei instrumentum esse, et neminem posse ad Filium venire nisi Pater traxerit eum.[4] Unde conversiones ad fidem non hominum sed gratiae Dei victorias aestimat, quum Christus ipse augmentum Corporis faciat in aedificationem sui in caritate.[5]

In cura sua pastorali clerus universae Ecclesiae praesertim autem in terris missionum, coram oculis semper habeat oportet immensam esse hominum multitudinem quae lucem Evangelii nondum accepit; auribus suis illum semper percipiat gemitum Christi: « et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere ».[6]

Christus Dominus, propter nos egenus factus, mitis et humilis cum peccatoribus est conversatus; Eius genuina legatione fungentes Evangelii praecones quasi vivam repraesentationem gentibus et novis fidelibus praebeant necesse est in totius suae vitae condicione et tenore, ut per eorum exemplum potius quam verba, Deus omnes homines ad viam salutis hortetur.

Inde ab initio ergo suae actuositatis missionalis, antequam adhuc Evangelii nuntium incipiant, virtutum evangelicarum exemplo praecedant necesse est, praesertim caritatis, quam Christus suis discipulis dedit in signum coram gentibus.[7] Gentis evangelizandae patrimonium religio-

sum et culturale, linguam et mores intimius callere studebunt et in eorum [11]
magna varietate providentiam Dei quae vias ad Evangelium praeparat,
agnoscent; vitam etiam suam eisdem moribus, sincero et amanti corde,
quantum fas sit, conformare satagent. Variis quoque caritatis operibus
amoris ipsius Christi erga cuiusvis generis indigentes ubique testes erunt.

8. [*Labor missionalis*]. Animis bene dispositis Christus, mundi
Salvator, proclamari oportet utpote qui culturam et spirituales exigentias
earum complet, imo longe superat; nam Deus in hoc Filio suo dilectis- [12]
simo manifestatur, omnibus sapienter providens, omnes a peccatis be-
nigne liberans et in filios suos adoptans. Cui primae et summariae Evan-
gelii expositioni si anima, gratia Dei suffulta, adhaerebit, ad Personam
Christi se convertet, qui est unicus Salvator in quo salvi esse possimus,[8]
omnium Dominus et Magister, via, veritas et vita.[9]

Neoconversi, ad catechumenatum liturgicis caeremoniis admissi, profundiorem cognitionem Christi in Ecclesia haurire debebunt et consequentias pro sua vita intellectuali, morali et sociali clare dignoscere, ut plene conscii et liberi, communitate christiana adiuti, ad Baptismum, Confirmationem et Eucharistiam accedere valeant.

Iam Christo et Ecclesiae renati, divinum germen nutrire et evolvere ne cessent in communitate fidei, cultus et caritatis: fidei, nempe, Dei verbum liturgice proclamatum sedulo audientes; cultus, per actuosam participationem quam missionarii suis fidelibus accommodare curabunt, ad normas Constitutionis de Sacra Liturgia; caritatis, denique, fraternae dilectionis in Christo continuo incremento. Scholarum aptati gradus valde conferent ad humanam et christianam maturitatem singulorum fidelium et universae communitatis procurandam. Varii etiam coetus et structurae gradatim instituendae et fovendae erunt, quibus et novella ecclesia in se firmius consistat totamque societatem humanam Evangelii spiritu pervadat. Familiarum in dies crescens virtus in vocationes sacerdotales et religiosas fructificet, ex quibus ministri omnis gradus assumantur et eadem novella ecclesia in hierarchiam universalis Ecclesiae quamprimum inseratur.

9. [*Novellae Ecclesiae*]. Missionarii exteri qui « pondus diei et aestus » [10] in missionibus diu portaverunt, fructus suorum laborum in constitutione Hierarchiae autochthonae in novella Ecclesia colligunt. Episcopus enim e gente propria electus, successionem Apostolorum ita suscipit ut mysterium Christi, quod est Ecclesia, in illo loco totum manifestetur. Nam uti dicit S. Cyprianus: « plebs episcopo adunata et pastori suo grex adhaerens »,[11] communitatem novam efformat et vitali communioni Ecclesiae universalis inseritur.

[12] Germen divinum est haec Novella Ecclesia, continuo crescens, sed et auxiliis Ecclesiae universalis semper indigens. Quae indigentia minime est defectus, sed potius signum propriae vitalitatis ad progressum perficiendum. Ecclesia universalis ergo auxilia necessaria Novellis Ecclesiis praestare debet ex intima necessitate derivante ab ipsa Ecclesiae natura, quae, utpote Corpus mysticum Christi, ad suum incrementum totas vires colligit et ordinat.

[13] Indigentia autem illa in Novellis Ecclesiis eadem non est ac in missionibus in genere. Nam talibus institutionibus ipsae indigent quae suum incrementum et maturitatem operentur. Curent igitur Praepositi Novellarum Ecclesiarum institutionem seminariorum, scholarum, institutorum catechismi et formationis ad apostolatum laicorum; curent insuper communitatem christianorum ad communionem cum Ecclesia universali educare; elementa culturae propriae traditioni Ecclesiae universalis associare. In intima communione cum Ecclesia universali Novellae Ecclesiae ita propriam maturitatem perficient ut et ipsae activam ac personalem operam ei conferre valeant, mutuo quodam virium effluvio,[12] quo una Ecclesia Catholica vivificatur et perficitur « in mensuram aetatis plenitudinis Christi ».[13]

10. [*De Vita Christiana*]. Aedificatio novellae Ecclesiae in terris Missionum non per solam hierarchiae autochthonae institutionem, neque per solam adaptationem christianam perficitur, sed etiam per profundam populi seu novorum christifidelium formationem ad vitam christianam, ut in eis Christus efformetur et vita supernaturalis abundantius habeatur.[14]

Vita haec christiana, etiam in novellis Ecclesiis, manifestatur et evolvitur observatione mandatorum Dei et disciplinae Ecclesiae, solida pietate cultus divini et vita sacramentali. Curent igitur missionarii ut novelli christifideles, limpido ac vivo spiritu christiano imbuti, in simplicitate evangelica, « sobrie iuste et pie vivant in hoc saeculo, expectantes beatam spem ».[15]

Ad plenitudinem autem vitae christianae in novellis Ecclesiis missionum obtinendam curent missionarii Instituta status perfectionis acquirendae constituere, sive per instituta iam alibi constituta sive per nova fundanda. Etiam vita contemplativa, quae in nonnullis locis missionum per antiquam traditionem indoli populorum mire respondet, in institutis religiosis christianis suam perfectionem et plenitudinem obtinere valet.

Sensus vero ac valor vitae christianae in missionibus manifestatur praesertim in virtute caritatis: « In hoc cognoscent omnes quia disci-

puli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem ».[16] « Super omnia [13] autem haec, caritatem habete, quod est vinculum perfectionis ».[17] Maius enim scandalum pro non-christianis non habetur quam divisio, contentio ac odium inter christianos; nihil vero maiorem admirationem admovet quam unio fraterna inter christianos. « Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una ».[18] Per caritatem tandem Novellae Ecclesiae dynamismum suum vitalem exercent incessanter ut earum vita profundius et largius evolvatur; cui etiam Dominus incrementum dat: [14] « Dominus autem augebat qui salvi fierent quotidie in idipsum ».[19]

Bona vita christiana novellorum christifidelium, tandem, testimonium fidei Christo reddet coram concivibus. « Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis ».[20]

Confert proinde hoc testimonium fidei in bonis operibus ad bonum commune societatis et nationis. Christiani enim per exemplum et per activitates suas concives ad amorem iustitiae, ad fraternam caritatem et ad rectum socialem ordinem colendum adiuvare possunt ac debent.

11. [*Adaptatio missionalis*]. Cum Christus universorum sit Dominus per quem omnia facta sunt[21] in quo omnia constant[22] et in quem omnia instaurantur,[23] evangelium eius omnibus gentibus annuntiatur, omnes mores purificat, cunctas culturas populorum vivificat et omnes homines sanctificat, uti hostia accepta Deo viventi.

Evangelii ergo Praecones suum faciant illud S. Pauli: « factus sum Iudaeis tanquam Iudaeus, ut Iudaeos lucrarer; iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, ut eos qui sub lege erant lucrifacerem, iis qui sine lege erant, tanquam sine lege essem ut lucrifacerem eos qui sine lege erant ».[24]

Etenim Ecclesia Christi, utpote catholica, nullam apud gentem vel nationem extranea[25] appareat oportet, sed uniuscuiusque populi usui vitae consentanea, ita ut « quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae »[26] assumantur ad aedificationem populi Dei qui facit omnia recapitulari in Christo[27] ut « gloriam et honorem gentium »[28] in Ecclesiam afferre valeant.

Fideles Christi ex gentibus cunctis in Ecclesia congregati, « neque regimine, neque sermone, neque politicis vitae institutis a ceteris hominibus sunt distincti »,[29] ideoque in consuetudine vitae gentis suae vivere debent; nam « quoniam communis est ipsa mortalitas, servetur in rebus ad eam pertinentibus inter civitatem utramque concordia ».[30]

Quapropter Ecclesia, inde a suo exordio, spiritum et normas adapta-

[14] tionis suis missionariis docuit atque inculcavit, quod et Summi Pontifices hisce temporibus iterum iterumque fecerunt.[31]

In caeremoniis igitur sacris, in arte aedificandi et ornandi, necnon in musica ac in supellectili sacra, sarta tectaque serventur ab hoc Concilio Vaticano Secundo statuta vel deinceps a Sancta Sede statuenda de adaptatione.

Curent insuper Praepositi Novellarum Ecclesiarum ut in ascetica christiana efformanda et in cultura christiana constituenda omnia bona [15] elementa localia recipiantur. Ad hoc seligantur de clero et de laicatu qui per profundam cognitionem culturae loci in eam fermentum evangelii immittere valeant.

In terris autem missionum ubi cultura id exigere videtur, Instituta altiora studiorum sub patrocinio Sanctae Sedis ab una vel a pluribus insimul Conferentiis Episcopalibus condantur, ubi sub ductu peritorum, missionarii ad hoc opus adaptationis melius et securius parari possint.

12. [*De coordinatione apostolatus*]. Sacerdotes, sive saeculares, sive religiosi, unum clerum in dioecesi sub episcopo constituunt, qui curam habeat oportet omnium hominum, christianorum et non christianorum, in territorio degentium. Episcopus est rector et centrum unitatis in apostolatu dioecesano. Omnes ergo, sive clerici, sive religiosi utriusque sexus, sive laici, animarum saluti operam navantes, eius solius debent stare in apostolatu mandatis. Sed ut facilior et efficacior evadat apostolicus labor, multum conferet superiores religiosos cum Episcopo frequenter convenire ut, collatis viribus et consiliis, totius operis faciendi ratio definiatur et ad executionem concordi animo perducatur. Hodie vero, cum Hierarchia ecclesiastica fere ubique iam est instituta, et quam plurimae dioeceses sunt Episcopis, sive autochthonis sive missionariis, commissae, qui unici sunt ordinatores totius actuositatis pastoralis in sua dioecesi, normae quibus regulantur relationes inter Ordinarium loci et Superiorem religiosum in missionibus,[32] vix adhuc applicari possunt; ius vero commune, quamvis desiderata sit meta, adhuc plene introduci nequit. Quare necesse est ut S. Sedes normas condat quibus novellae dioeceses tute ab una ad aliam periodum conducantur.

Sancta Synodus optat ergo ut competens S. Sedis dicasterium, auditis episcopis et superioribus missionariorum, quamprimum novas statuat normas, iisdem novis adiunctis congruentes.

Conferentiae vero Episcoporum, sive nationales sive regionales, cum suis organis centralibus, si in universa Ecclesia sunt perutiles, in Missionibus adhuc magis sunt necessariae ad communes dandas orientationes generales. In statutis autem condendis, prae oculis habeatur in Missio-

nibus maiorem autonomiam singulis Episcopis esse relinquendam, eo [15] quod adiuncta pastoralia necnon progressus evangelizationis a loco ad locum etiam in una natione nimis differunt. Attamen, si decreta communia in materia pastorali leniora esse debent, ita ut maior relinquatur libertas, in illis quae ad rem politicam relationem dicunt, debent esse maxime vinculativa.

Nec obliviscantur Conferentiae episcopales, in terris Missionum primum sibi praefigere munus curam gerendi de evangelizatione illarum regionum quae forsan in ambitu suae Nationis Nuntium Evangelicum [16] nondum receperunt.

In S. C. P. F., cuius opera utitur Summus Pontifex ad apostolatum evangelizationis in Ecclesiae Missionibus coordinandum, necesse est ut etiam partem habeant, et quasi repraesententur, omnes illi qui in opere missionis collaborant: Episcopi tum ex missionibus tum ex communitatibus antiquitus christianis, necnon Instituta missionaria quibus apostolatus missionarius et praeparatio apostolorum commissa est.

NOTAE

1 Cf. *Io.* 10, 16.
2 Cf. *2 Cor.* 5, 20.
3 Cf. *1 Cor.* 9, 19-23.
4 Cf. *Io.* 6, 44.
5 Cf. *Eph.* 4, 16.
6 *Io.* 10, 16.
7 Cf. *Io.* 13, 35.
8 Cf. *Act.* 4, 12.
9 Cf. *Io.* 14, 6.
10 *Mt.* 22, 12.
11 S. Cyprianus, *Ep.* 69, 8; *PL* 4, 406.
12 Cf. Ioannes XXIII, *Princeps Pastorum*: *A.A.S.*, 1959, p. 838.
13 *Eph.* 4, 13.
14 Cf. *Io.* 10, 10.
15 *Tit.* 2, 12-13.
16 *Io.* 13, 35.
17 *Col.* 3, 14.
18 *Act.* 4, 32.
19 *Act.* 2, 47.
20 *1 Pt.* 2, 12.
21 Cf. *Io.* 1, 3.
22 Cf. *Col.* 1, 17.
23 Cf. *Eph.* 1, 10.
24 *1 Cor.* 9, 20-22.
25 Cf. Litt. Enc. *Maximum illud,* in *A.A.S.,* 1919, p. 445.
26 *Phil.* 4, 8-9.

[16] [27] Cf. *Eph.* 1, 10.

[28] *Apoc.* 21, 26.

[29] *Ep. ad Diognetum,* 5; *PG* 2, 1173.

[30] S. AUGUSTINUS, *De Civitate Dei,* XX, c. 13.

[31] Cf. *Collectanea* I, 135; II, 1344, 1928.

[32] Instructio S. C. P. F. diei 8 decembris 1929, qua relationes inter Ordinarios locorum in Missionibus et Superiores religiosos ordinabantur, hodie in paucis illis missionibus, Institutis missionariis vel religiosis adhuc commissis, forsan adhuc applicari potest; plerumque vero novis adiunctis non amplius est aptata. Unde nova legislatio pro missionibus, imprimis pro relationibus inter Ordinarios et Superiores religiosos maxime est necessaria.

[17]

CAPUT III
DE FORMATIONE MISSIONALI

Quia ad fecunditatem operis missionalis summopere interest missionarios omnes, sive sint exteri sive sint locales, sive sint sacerdotes sive religiosi sive laici, pro specifico suo labore apte instructos ac praeparatos esse, de eorum formatione missionali Concilium Oecumenicum ea quae sequuntur decernit.

A) DE MISSIONARIIS EXTERIS

13. [*Formatio spiritualis missionariorum*]. Illis omnibus, magno animarum zelo praeditis, qui vitam apostolicam amplecti cupiunt et ad legatione Christi fungendum [1] sese parant, congrua spiritualis formatio impertienda est, ita ut tamquam boni milites Christi [2] ad omne opus bonum instructi evadant,[3] parati quoque sint pro annuntiatione evangelica animas proprias tradere.[4]

Spiritualitas itaque illis proponenda et inculcanda, apprime apostolica sit et missionalis atque profundo spiritu christiano et afflatu catholicitatis ipsius Corporis Christi imbuta. Formatio autem moralis positiva sit et dynamica, ad consciam vitae gubernationem ordinata sub intimo impulsu fidelitatis ad missionalem vocationem in ipso mundo [5] apostolico more explendam. Totum vero regimen seminaristicum spiritu mutuae confidentiae eluceat, singulorum personalitatem in Christo tueatur ac foveat, omnesque ad sensum responsabilitatis et spiritum initiativae apte adducat,[6] licet capaces quoque efficiendi sint socio nexu cum confratribus sub auctoritate hierarchiae concordi et humili animo collaborare.

14. [*Formatio doctrinalis missionariorum*]. Ad formationem doctrinalem quod attinet, iis qui futuri sunt evangelii praecones, in seminariis

maioribus etiam praescribantur congrua rerum missionalium studia prae- [17]
sertim circa principia theologica et historiam missionum, circa patrimonium religiosum et culturale et linguas et mores populorum ad quos mittentur, circa usum instrumentorum communicationis socialis.

Praeterea, ut melius et efficacius specialibus muneribus fungi pos- [18]
sint, pro bono ac progressu diversarum circumscriptionum missionalium, aliqui saltem ex candidatis missionariis peculiari modo praeparentur apud Institutum Missionale Scientificum aut formationem peculiarem consequantur in disciplina vel technica eorum apostolatui proficua.

15. [*Selectio et praeparatio Sodalium Institutorum Perfectionis*]. Superiores Institutorum perfectionis, operi missionario Ecclesiae addictorum, summopere studeant ut sodales ad magnum illud opus mittant non solum numero sufficientes sed etiam diligenter selectos et praeparatos. Quapropter eis, sive viris sive mulieribus, priusquam ad apostolatum accedant, pro diversorum munerum exigentiis congrua praebeatur instructio.

16. [*Laicorum formatio ad opus missionale*]. Fidelibus tandem seu laicis erga missiones catholicas amor et studium explicentur et inculcentur tam in ipsa institutione catechetica (pro pueris ac puellis praescripta) quam in libris manualibus qui instructioni religiosae inserviunt et catechismi communiter appellantur.

Illi autem viri ac mulieres qui in regionibus exteris missionali operi adiumentum praebere volunt, non sine aliqua saltem formatione missionali hoc opus nobile sane sed arduum aggrediantur. Ordinarii missionum sollicite curent ut isti adiutores laici spiritualibus auxiliis adiuventur et a sacerdotibus imprimis roborentur tanquam fratres ad idem opus missi.

B) De missionariis localibus

17. [*Formatio cleri autochthoni*]. Cleri localis formatio eo spectare debet ut imprimis zelo missionali imbuatur.

Formatio doctrinalis huius cleri, praesertim in seminariis maioribus ita fiat, ut solidae ecclesiasticae institutioni inserantur etiam programmata in unaquaque regione elaboranda; modus quoque et sermo docendi prudenter rationi gentis propriae aptetur. Curandum quoque est ut in iisdem seminariis habeantur studiorum curricula quibus ea opportune explanantur, quae et ad varias missiologiae rationes pertinent et ad technicam etiam cognitionem earum rerum, quae pro futuro illarum regionum cleri ministerio utilia videantur.[7]

Praeterea, pro specializationibus obtinendis apostolatui in propria

[18] regione utilibus, aptiores alumni e territoriis missionalibus libenter destinentur ad studia academica in universitatibus aliisve institutis scientificis perficienda.

[19] 18. [*Formatio missionalis Sodalium Institutorum Perfectionis*]. In Ecclesiis noviter conditis, signa ac fructus christianae maturitatis iure habentur utriusque sexus fideles ex ipsa missione orti qui deditionem totius vitae religiosae per observantiam consiliorum evangelicorum sub diversis formis praebeant.

Instituta perfectionis extera vero quae sodales autochthonos habent iisdem etiam formationem missionalem impertiri satagant ut operibus ab ipsis praestandis aptiores evadant.

Pari modo nova instituta localia, indoli ac condicioni gentium in terris missionum accommodata, proprios sodales ita forment ut etiam apostolatui Ecclesiae prosint.

19. [*Formatio apostolica fidelium*].

§ 1. Omni ope fovendus est in missionibus zelus apostolicus fidelium, ut actuose collaborent ad penetrationem evangelicam et ad novellarum Ecclesiarum constitutionem; quapropter eorum formatio christiana etiam sit apostolica, cum congruenti instructione opportuno tempore impertienda.

§ 2. Oportet ut in omnibus territoriis missionum quamprimum selecti christiani praeparentur qui apostolatum laicorum promoveant ac dirigant et spiritum christianum variis coetibus populi etiam exculti proponere valeant et in efformanda conscientia collectiva praevalidi sint; ad hoc requiritur ut iuvenes catholici qui ad maiora socialia munera tendunt, dum in variis scientiis ac technicis profanis instituuntur, pari gressu christianam formationem recipiant una cum illa praeparatione apostolica quae futurae eorum positioni consentanea sit.

20. [*Catechistarum necessitas et formatio*]. Catechistarum autochthonum in missionibus opera quam necessaria quamque frugifera semper extiterint, tum ad evangelizationem non-christianorum tum ad institutionem catholicorum, tota historia missionum demonstrat, eorumque munus tamquam praestantissimum apostolatus laicorum exemplum laudaverunt Summi Pontifices.

Cum scholae ad formationem catechistarum in ipsis missionibus omnino necessariae hodie evaserint, hortatur Concilium omnes ad quos spectat ut huiusmodi scholas instituere curent, in quibus simul cum formatione in fervida vita christiana et zelo apostolico, tradatur profundior de doctrina catholica, praesertim in re biblica et liturgica, instructio.

NOTAE [20]

1 Cf. *2 Cor.* 5, 20.
2 Cf. *2 Tim.* 2, 3.
3 Cf. *2 Tim.* 3, 17.
4 Cf. *1 Thess.* 2, 8.
5 Cf. *Io.* 17, 15.
6 Cf. PIUS XII, *Menti nostrae*: *A.A.S.,* 1950, p. 686.
7 Cf. IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum*: *A.A.S.,* 1959, p. 843.

CAPUT IV [21]

DE COOPERATIONE MISSIONARIA

Omnes et singuli christifideles, tamquam membra viventis Corporis Christi, evangelizationi omnium hominum et novellarum ecclesiarum formationi cooperari possunt ac debent. Missionalis actio omnium catholicorum est munus et honor. Huius autem actionis fundamentum unusquisque ex proprio statu sacramentali habet, et formas eius invenit in propriae vitae condicionibus et circumstantiis.

21. [*De collaboratione omnium fidelium*]. Quilibet fidelis, vitae supernaturalis Corporis Christi particeps factus per baptismum, necessario ad hanc vitam expandendam ordinatur et tenetur. Illa autem ordinatio, cum in sacramento confirmationis dona Spiritus Sancti recipit, augetur non ad propriam tantum, sed etiam ad Ecclesiae aedificationem. Unde per totam vitam, pro universo mundo, in fide et spe, praestare debet testimonium caritatis.

Illis sacramentis roboratus et Christo in Ecclesia unitus, missionem Ecclesiae et suam iuvabit, orationes, tribulationes et sacrificia, et etiam, pro viribus, materialia auxilia offerendo, quibus opera missionalia, praesertim pontificalia, quae iure primum locum obtinent, promovebit.

Familiae autem christianae nullo perfectiore modo opus evangelizationis iuvabunt quam vocationes missionales in proprio sinu fovendo, has maximum Dei beneficium reputantes.

Particulari laude digni sunt illi laici, tam viri quam mulieres, qui, regiones non christianas petentes, ibi sub ductu episcopi artes suas in servitium operis missionalis exercent, vel in spiritu evangelico temporalia officia persolvunt; item periti qui suis investigationibus historicis, vel scientifico-religiosis cognitionem populorum et religionum promovendo, Evangelii praeconibus et ipsis non christianis fidei viam faciliorem reddunt.

[21] 22. [*De collaboratione membrorum Institutorum perfectionis*]. Sodales Institutorum perfectionis, sive votis Deo obstricti sive non, ad perfectionem attingendam tenentur, non solum pro seipsis, sed etiam pro totius mundi salute. Orationes suas et sacrificia illo augeant spiritu missionali, qui nedum omnem activitatem propriam penetret, consodalibus etiam communicatur.

Quod si sodales sint Institutorum missionalium, meminerint pro-
[22] gressum fidei in gentibus, postquam ex gratia Dei, a suis conatibus maxime pendere.

Immo, ut gentes facilius evangelizentur, vehementer optandum est ut plura adhuc Instituta perfectionis partem assumant in fide propaganda, quibus committi possint vel territoria particularia, sicut iam a pluribus annis fieri solet, vel determinata opera eorum fini magis accommodata, quibus opus missionale promoveant.

23. [*De collaboratione sacerdotum*]. Sacerdotes ratione suae participationis ad sacerdotium Christi suaeque cooperationis cum ordine episcopali, ad missionem fovendam ordinantur. Ipsi enim missae sacrificium litant et divinum officium persolvunt « pro totius mundi salute », ac proinde totam suam vitam in eundem finem dirigant necesse est.

Insuper cum per proprium ministerium, quod essentialiter in Eucharistia locum habet, Capiti communicent et communicare faciant, non possunt non sentire quantum ipsi deest ad corporis complementum, et consequenter quantum praestandum sit, ut in dies crescat.

Iam in seminariis, iuvenes qui ad sacerdotium aspirant, de vera mundi situatione religiosa instruantur atque tali modo de Ecclesiae statu edoceantur, ut necessitas intensioris evangelizationis totius mundi ipsis clare appareat eorumque zelus inflammetur.

Sacerdotes autem in cura animarum versantes, sive in paroeciis, sive in scholis, sive in variis associationibus apostolatus laicorum, foveant in fidelibus ipsis commissis, praesertim in iuvenibus, zelum pro gentium evangelizatione, bene conscii hoc necessarium esse ad integralem formationem sensus christiani et apostolici, sine quo plena vita christiana concipi nequit. Ex tali formatione, ut plurimum, vocationes missionariae, necessariae ad Corpus Christi in mundo dilatandum, originem ducent.

24. [*De collaboratione episcoporum*]. Episcopis totius mundi, ex eorum cooptatione in collegium episcoporum, munus incumbit, una cum Romano Pontifice, pastori universali totius gregis Christi,[1] et sub eius auctoritate, ubique terrarum fidem promovendi. Successores enim sunt apostolorum, quibus a Domino dictum est « praedicate Evangelium omni

creaturae ».[2] Magnum et sanctissimum munus, sed nondum expletum, [22] cuius executio etiam ad eos pertinet.

Insuper cum per consecrationem episcopalem participes fiant potestatum eiusdem Capitis in bonum totius Corporis, participes quoque fiunt obligationis augmento ipsius corporis cooperandi.

Ut Ecclesiis localibus praepositi, responsabiles sunt sollicitudinis Ecclesiae universalis. Quam sollicitudinem manifestare possunt etiam quosdam ex proprio clero sacerdotes ad novellas Ecclesias deputando, ad [23] significandam participationem Ecclesiae localis in servitium missionis.

Episcoporum est ergo opus missionale in sua dioecesi suscitare, fovere ac ducere; fideles circa eorum officium erga missionem docere; Instituta missionalia et opera missionalia adiuvare; subsidia materialia colligere et ea, iuxta offerentium voluntatem, integre in favorem missionis destinare.

Cum finis missionis sit expansio Regni Dei et singulorum regeneratio in Christo, non confundendus est cum mera assistentia oeconomico-sociali regionibus sese evolventibus. Haec utique a fidelibus nunquam negligenda est, sed in ea ne sistant. Ob talem praesertim assistentiam nunquam obliviscantur auxilii tum materialis tum spiritualis quo missiones sive nascentes sive crescentes indesinenter egent. Curent Episcopi fideles suos educare, praesertim iuvenes, ut evolutio socialis nunquam in oblivionem trahat necessitatem regenerationis hominum in Christo, quae nedum progressui humano contradicat, illum exigit, promovet et transcendit.

Neque obliviscantur episcopi illorum studentium curam gerere qui, ex terris missionum, in nationes traditionis christianae studiorum causa se conferunt.

His et aliis modis Episcopi efficaciter sunt universalis sollicitudinis Romani Pontificis comparticipes, eiusque necessarii collaboratores in opere evangelizationis.

25. [*De collaboratione conferentiarum episcopalium*]. Ad conferentias episcopales quod attinet, et ipsae partem in opus evangelizationis fovendum habere possunt. De unitate et catholicitate Ecclesiae in propria natione cum respondeant, hunc ipsum scopum in servitium Ecclesiae universalis subordinare debent, etiam in bonum evangelizationis gentium, quae primum in sollicitudinibus Ecclesiae locum occupat.

Conferentiarum episcopalium etiam est cooperationem missionalem in proprio territorio coordinare, nova Instituta missionalia, si opus est, fundare, modos colligendi subsidia determinare; suggestiones ad eorum distributionem dare; praxim « gemellationis » ut aiunt, dirigere et ordi-

[23] nare, ut in bonum omnium Ecclesiarum cedat; aliaque huiusmodi praestare ita ut, tota Ecclesia cooperante, sub ductu Romani Pontificis, quam primum omnia in Christo instaurentur.

NOTAE

[1] Cf. *Io.* 21, 15-17.
[2] *Mc.* 16, 15.

II

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA DE MISSIONIBUS

1

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. DE BARROS CÂMARA
Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Januarii

Relate ad schema *de Missionibus,* in cap. III, « De formatione missionali », sub litt. *A* « De Missionibus exteris », perutile esset aliquid addere de « physica formatione », nam diversitas regionum saepe exigit in missionariis plus robur physicum quam in aliis qui in patria sua Missionibus inserviunt.

Et hoc acquiritur (saltem valde iuvatur) per physicas exercitationes, seu gymnasticam.

2

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. FRINGS
Archiepiscopus Coloniensis

In hoc schemate multa bona et utilia dicuntur, v. g. de adaptatione adhibenda (excepta phrasi pag. 14, linn. 32-34, in Ecclesia semper actum esse in hoc sensu; cf. litem de ritibus in Sinis), de formatione missionariorum autochthonorum et exterum, de necessitate et formatione catechistarum, de iis, quae ab omnibus fidelibus, praesertim a sacerdotibus et episcopis, faciendum sit in re missionaria.

Sed minus placet, quod schema sit *nimis longum,* et multa dicantur, quae evidentia sunt per seipsa, v. g. in cap. II.

Quoad phrasim pag. 9, linn. 24 s., Ecclesiae missionariae esse « delineare ac determinare condiciones concretas operis sui in gentibus », desideratur definitio concreta, quae sint organa, per quae haec delineatio ac determinatio fiat. Certe ipse Summus Pontifex ultimatim haec decernet; sed consilium generale (« Generalstab ») eius debet esse S. C. de Propaganda Fide, quae ei proponat strategiam missionariam et modos adaptationis et accommodationis. Bene dicitur pag. 23, linn. 24-36, quod etiam conferentiae nationales deliberent et proponant modos propagandi fidem in regione sua. Talis dispositio evangelizationis totius mundi

non erit possibilis sine consilio et auxilio magnorum ordinum et congregationum missionalium.

Minus placet, quod conceptus « novellae Ecclesiae » non sit clarus, vel etiam ambiguus. Iniuriose pag. 12, linn. 31-33, adhibetur locus apud S. Cyprianum (*Ep.* 69, 8) de episcopo, qui sit caput novellae Ecclesiae tantum, si sit autochthonus. Certe in India Ecclesiae, quae habent episcopum exterum, ut v. g. Madras, eodem modo nominari possunt novellae Ecclesiae, quo aliae Ecclesiae, quae habent antistitem autochthonum. Hae phrases aliquem nationalismum sapiunt, nec bonum videtur Concilium talem nationalismum fovere. Coloniae iam saeculo II p. Chr. n. fuit communitas christiana. Primus episcopus historice testatus est anno 313; sed primus, qui habet nomen Germanicum ideoque fuisse videtur vere Germanus (Eberegisil = Evergislus) apparet saeculo demum VI exeunte. Sed certe Ecclesia Coloniensis iam sub S. Materno fuit novella Ecclesia, cuius episcopus a Summis Pontificibus adhibebatur in Synodis maximi momenti contra Donatistas, sc. Romae (313) et Arelati (314), quas Synodos cum aliis episcopis subsignavit.

Ad pag. 13, linn. 28-31, quaeritur, an *vita mystica* in illis Ecclesiis novellis etiam formas assuetas contemplationis, e. g. Buddhismi, adhibere possit necne.

Minus placet, quod quaestio spinosissima de *relatione inter episcopos et superiores ordinum missionalium* non solvitur sed differtur. Revera regulariter is, qui habet maiora subsidia materialia, etiam directionem habebit. Qua de causa timendum est, ne episcopi autochthoni saepius in itinere sint ad colligendas eleemosynas pro Ecclesia sua cum neglectu personalis administrationis eiusdem dioeceseos. Difficultas videtur ex eo venire, quod, quamvis maxime laudanda sit cura Ecclesiae a tempore Benedicti Papae XV pro formando clero autochthono, tamen in aliquibus regionibus episcopi autochthoni prius constituti sunt, quam erat desiderandum; forsitan Ecclesia coacta erat a potestate civili.

Quoad *conferentias episcoporum,* pag. 15, linn. 32-38, proponitur textus, qui sequitur: « In statutis autem condendis relinquatur singulis episcopis libertas, exceptis iis, quae ad rem politicam pertinent, quia status evolutionis Ecclesiarum in una eademque natione valde diversus esse potest ».

Multae ergo quaestiones missionales magni momenti in schemate remanent non solutae. Quare schema retractandum et expoliendum esse videtur.

3

EM.MUS P. D. VALERIANUS CARD. GRACIAS
Archiepiscopus Bombayensis

As a sort of status quaestionis to the notes I should like to mention these points. The concern of the schema seems to be more missiological than doctrinal and dogmatic; as if it is addressed to students of missiology rather than for the clear teaching to the faithful.

There seems to be a sort of nervousness to state that the Church is the divinely instituted and necessary "medium salutis".

With the modern talk of "dialogue" between religions, there is the danger of regarding the dialogue as between equals. Some progressive missiologists seem to exaggerate the supernatural "bona" in non-christian religions, as if these were "per se" sufficient for salvation, "sine Ecclesia".

Comments on the "Schema de Missionibus". In general the Schema is well made and can serve as a basis for discussion. Suggested points for improvement:

I - Cap. 1. Since this Conciliar Decree will be the weightiest Church statement to date, it is necessary to insist on the Church as the necessary and universal "medium salutis" in the divine economy of salvation. This is mentioned only in footnote 38. While it is not necessary for the Council Fathers to determine the theological nature of the Church's universal mediation, the dogmatic principle should be stated. Certain ultra-progressive missiologists are inclined to minimise the necessity of the Church for salvation. The Council will correct this dangerous trend.

While "actualis aggregatio Ecclesiae visibili" is not necessary with "necessitate medii"; still "sine Ecclesia nemo salvatur".

II - Better to link up the "missiones" with the *Missio*: "Euntes docete...". Thus ad Cap. 1. para 6, page 9 ad lineam 19 "Unde Missiones... nihil aliud sunt quam adimpletio illius Missionis Apostolis a Christo commissae". "Euntes docete omnes gentes", etc.

III - In Cap. I. para 5, and again in Cap. II, para 9... expressions that seem to connote a plurality of churches (e. g. locales ecclesiae, fundatio ecclesiarum, etc.) may be better avoided. Unica eademque Ecclesia implantatur in multis locis, et realisatur in diversis communitatibus.

IV - The schema does well to give positive recognition to the real "bona" (spiritual values) to be found in non-Christian religions; p. 9, line 5, even recognising them as "paidagogus" ad Christum, Cap. II, p. II, line 28, but it is necessary to point out that without the ministry of the Church these values and "bona" are doomed to distortion and are precarious. Thus Cap. II, para 8, could be strengthened; "the cultural values, and spiritual exigencies of the gentes are fulfilled, and more than fulfilled by Christ in His Church; and without Him they remain imperfect, truncated and distorted".

V - The direction to present Christ as the fulfillment of the religious aspirations of non-christians must not lead to an obscuring of the scandal of Christ crucified: "Praedicamus Christum crucifixum scandalum Iudaeis, et stultitia gentibus". We cannot conceive a "novum evangelium" which will be palatable. Our presentation of Christ must always be the greatest religious challenge. He remains the sign of contradiction. The schema seems to weaken this challenge of Christ, presenting Him instead as the desired and awaited fulfillment of the religious aspiration of the non-Christian religions. He fulfills, but in a manner that they do not expect.

VI - Because the schema is more concerned with "missiology" than with the dogmatic principles of the mission of the Church, there can be a tendency to diminish the Church. In the dialogue with the non-Christian religions there cannot be a question of a dialogue between "equals". By divine institution the Church is, and must be "unique". While the document rightly acknowledges some Providential action in non-Christian religions (Cap. II, p. 11, para 8, line 28) they are not simply supernatural in the same sense and measure as the Church.

VII - Cap. I, page 9, line 8 seq.: to avoid ambiguity (so common in India) I would humbly suggest: "Tunc Ecclesiae catholicitas manifesta apparebit eo quod

in ea unitas in divinis nunquam offendat legitima diversitas in humanis, et...". Episcoporum est iudicare de hac legitima diversitate humana; unitas vero episcoporum cum suo Capite solidat et confirmat unitatem. This same principle of the Bishops' right to judge and decide should be asserted also in Cap. II, para 2, page 14 (Adaptatio Missionalis).

VIII - Cap. III, para 17, page 18 - *formatio cleri autochthoni.* Certe requiritur solida formatio doctrinalis in philosophia et theologia traditionalis; sed formatio in categoriis exclusive scholasticis Thomisticis non est apta ad mentalitatem Indianam. Desideratur ut cleri Indiani formentur etiam in mentalitate Augustiana et Newman. "Primatus amoris pro sapientia acquirenda".

* * *

I - *General.* It could be used as a basis for discussion, but needs a thorough revision. It is not properly focussed, unrealistic, vague and sometimes lost in generalities.

1. The very concept of "*Mission*" underlying it is *ambiguous.* Fundamentally it is the concept propagated by one recent school: Mission is identified with Kerygma, preaching the Gospel (cf. p. 5, line 2; p. 7, lines 5-15, 27-31, etc.). This abolishes the distinction between mission territories and old Christian countries (cf. p. 8, lines 2-3), though the schema is meant specifically for the territories under Propaganda.

As a matter of fact, missionary action means much more than preaching: it begins with preaching, but leads up to the sacraments (esp. baptism and the Eucharist) and the establishment of the Church. This latter conception appears occasionally in the schema, especially in note 38 (page 10), where it looks like an afterthought.

The conception of mission as preaching may explain why the chief missionary text (*Mt.* 28, *Mk.* 16) is never quoted in full: Euntes docete... *baptizantes...*

Hence the schema should begin by stating *what it is about*: scil. mission *territories,* i. e. territories where the Church is not yet established or not sufficiently developed.

And to be realistic, it should add immediately: while there are some vast regions or smaller districts where the Church is not present at all, most territories have happily reached a stage where the hierarchy is established; these are the "Younger Churches", struggling to reach their full development; they have special problems to face: cultural adaptation, higher education, developing the various institutions (social etc.), training an "adult laity" ... and at the same time they must continue to make the Church present in those districts where Christ is as yet unknown... All this is primarily the task of the local hierarchy, clergy and laity, but needs the help of other priests and missionaries, who will offer themselves as simple *auxiliaries* of the local hierarchy (cf. chapter 2, nn. 8 and 9, but more clearly).

2. The structure of the schema and the approach to the missions, instead of marking a progress, is rather "*pre-johannine*": it is written from the point of view of Europeans, slightly paternalistic, while John XXIII in his encyclical *Princeps Pastorum* addressed himself primarily to the Younger Churches. The

foreign missionaries are not excluded, but they are no longer the "bosses" but mere auxiliaries.

The defect could be remedied by beginning as explained above. Then should come what is now the last chapter, on missionary collaboration, but starting with the bishops and their collective responsibility. In the chapter on missionary action, it must be clear it is directed by the local hierarchy; and in the chapter of missionary formation, the two sections must be inverted: first the local clergy, then the foreign helpers.

3. The description of the missionary work (chapter II), lengthy and rather general, does not sufficiently face up to the *concrete situation*:

a) We bring the salvation of Christ to the "gentes", but we might remember that the *grace of Christ has already been active* in all men of John 1, 9. Presumably, many "good pagans" are in the state of grace. But all grace calls for visible incorporation into the Church. We must reveal Christ to them and give them a chance to become conscious Christians.

b) Not only do individuals receive grace, but the non-Christian religions contain religious values which constitute a real *praeparatio ... evangelica,* and which we must study in order to build on it and this poses many problems. Why is it that we have made no impact among the great religions?

c) We are not alone in the field: other Christian denominations are preaching Christ. *Ecumenism* calls for a rethinking of our missionary activity. As Mgr. Gay said in the General Congregation of November 26, it demands a revision of all our methods. This is a difficult problem, but the schema should at least mention it.

d) It is not enough to get converts, we must make of our parishes "witnessing missionary communities", dynamic and radiating, otherwise they will be an obstacle to the progress of the mission.

None of these 4 points is found in the schema with sufficient clearness; d) is mentioned in n. 10 (p. 14, lines 3-7); a and c are completely ignored; lack of realism. b is mentioned p. 11, line 28.

e) Missionary action in the schema (n. 8) is very simply preaching, conversion, catechumenate... There seems to be no place in missionary action for the so-called indirect apostolate—charitable, social, educational—so much recommended in the missionary encyclicals.

II - *Particulars. Prooemium*: Here a clearer *Status quaestionis* should be given: see above, General remarks, 1.

Perhaps at the beginning of the first sentence, one could mention that the Verbum illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Io.* 1, 9). Grace is active in all men.

Page 5, line 2 should read "per Evangelii praedicationem *et baptismi collationem...*" (see general remarks, 1. Baptizing is an essential part of the missionary function: *Mt.* 28, 19).

Ib., lines 21-24: this para is obscure and probably wrong in one part (Is the proportion of Catholics really decreasing?). It should be omitted.

Cap. I. The mission work seems to consist merely in preaching: see numbers 1, 2 and 3. The sacraments are just mentioned as a kind of appendix in the last two lines of n. 3.

Page 7, line 19: is the vultus Ecclesiae really *humilis in* mission countries?

Ib., line 29: why ignore the fact that they can have implicit faith in Christ before they hear the Gospel?

Page 8. The whole n. 3 is clumsy; does not even mention the establishment of the Church.

Ib., line 20: is the witness of charitable and social work excluded?

Ib., line 29 sqq. The two stages should be more clearly distinguished: 1) implantation of the Church, already achieved in most mission territories; 2) maturing the Ecclesia novella. Yet difference should not be overstressed; there is no break, but local hierarchy.

Ib., line 33: unhappy metaphor: num *vires* habent *oculos*?

Page 9, line 5: "vim et capacitatem habet" is weak. "Vim atque officium habet" would be better; it is a duty.

Ib., line 20: "Ecclesia corpus Christi extendit" is awkward, as the Church *is* the Body of Christ. One might say: "Ecclesia, Corpus Christi, visibiliter se *extendit* (or dilatatur)".

Cap. II. See General remarks, 2 and 3. Page 11, lines 1-31: this para seems to be addressed mainly to foreign missionaries. Most of it has no specific reference to the mission. Lines 11-16 could easily be omitted (in line 15 gemitus is scarcely the right word).

The last para (lines 23-31) partly anticipates the chapter on the formation of missionaries. The temporal succession (antequam adhuc Evangelii nuntium incipiant, line 23 *f*) is unreal; it will generally be a "prioritas naturae" only and the two will go together.

Page 12. The conception of the missionary action seems rather "simpliste". The reality is more complex. Despite lines 3-4, it may take years for a man to make up his mind. And there seems to be no place for what is often called "indirect" apostolate: see general remarks above, 3, *e*).

Pages 13 and 14. Number 11 should come before n. 10. And it should be made clear that this missionary adaptation as well as the training of the Catholics is primarily the task of the local hierarchy and clergy. Thus on page 13, lines 25-26, the word *missionum* can be omitted, and *missionarii* could be replaced by *Ordinarii*; and in line 32, "in missionibus" can be omitted.

Page 14, line 15 should read "uti hostiam acceptam".

Ib., lines 21-31: It might be added that cultural adaptation requires first of all that Christians—begining with the clergy—learn to know and appreciate the cultural values of their country.

Page 15, line 4: instead of "In terris missionum ubi..." it would be better to say "In regionibus ubi..."; and in line 7, replace "missionarii" by "clerus", to show that it concerns primarily the local clergy.

Ib., line 19: "sive autochthonis sive missionariis": in official documents, the two are not opposed, but both are missionaries; hence it should read: "sive autochthonis sive extraneis".

Ib., line 23: cur ius commune non posset applicari?

Ib., lines 8-28: this whole section could be omitted, as it belongs to the schema "De cura animarum" and to the canon law for missions (which has been referred *in toto* to the postconciliar code commission).

Ib., lines 29-38: some words might be changed. As it stands, it is a bit confused: Episcopal conferences are *more* necessary in missions than elsewhere to give *common directives*: yet they should leave *more autonomy* to each bishop...

Ib., line 39: after "in terris Missionum" add "aut in novellis Ecclesiis", in order to bring in explicitly the local hierarchy.

Cap. III. The order should be changed: first the local missionaries (nn. 17-20); cf. John XXIII's encyclical *Princeps Pastorum.*

What is said here is very general and could be summed up in the opening sentence, page 17, lines 1-4. But it is difficult to be more specific.

Page 17, line 8: "legatione Christi", better: "legatione pro Christo".

Ib., line 17: "spiritu eluceat": the two words do not go well together; "spiritu imbuatur" might be better.

Ib., line 21: an essential disposition of foreign missionaries henceforth is the animus serviendi sub auctoritate hierarchiae localis tanquam humiles adiutores. To make this clearer, the word *localis* should be added after *hierarchiae,* or the sentence could be changed.

Page 18, line 4: no capitals for *i*nstitutum *m*issionale *s*cientificum; else it refers to one particular institute.

Ib., line 37: add "generaliter post cursum seminaristicum in patria peractum" (Only those who are well balanced and have a certain maturity should be sent: otherwise they will suffer harm instead of profiting).

Page 19: *Catechistae* ponantur ante *fideles.* Sunt enim vere missionarii, dum fideles nonnisi improprie inter missionarios numerentur. Revera, melius esset hunc numerum ponere in cap. II, n. 10, ubi agitur de formatione fidelium.

Cap. IV. It should be made clear that this chapter treats of Christian countries which send missionaries to "foreign missions", generally to serve under the local hierarchy.

This chapter should come earlier, before missionary action or at least before ch. 3 on the formation of missionaries.

The chapter should begin with the bishops (the present nn. 24 and 25), since the mission to evangelize the whole world belongs to them; they share in the universal responsibility of the apostolic college.

After that, one could put n. 21 (but including the present introduction, page 21, lines 1-6)...

Page 21, line 1: "tanquam" is too weak: "as if"; they are really members, therefore *ut* or *quia.*

Ib., line 26: the sentence is involved; the idea is excellent (scholars deserve the gratitude of missionaries), but one does not see how they facilitate faith not only to the non-Christians but also to the preachers.

Ib., line 31: "pro totius mundi salute" recurs on the next page, line 11, where it is most appropriate. Here one might put "pro hominum salute".

Ib., lines 31-33: the use of "nedum" makes the sentence obscure; better "non solum... sed...", but it remains clumsy.

Page 22, line 30: read "pastor*e*".

Ib., lines 31-34: it is not merely a question of "promoting the faith" but of bringing also the sacraments to all men by extending the Church; it should be: "ubique terrarum fidem promovendi" should be replaced by "Ecclesiam dila-

tandi usque ad fines terrae. Successores enim sunt Apostolorum, quibus a Domino dictum est: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos..." (*Mt.* 28, 19).

Ib., line 39: not only "manifestare possunt" but "manifestent".

Page 23, line 11: "ob talem assistentiam" is not clear.

Ib., line 18: "neque obliviscantur" seems weak; "Cordi habeant" might be better.

Ib., ib., instead of "illorum studentium" one might put "illorum, praesertim studentium, curam gerere" because they should take an interest not only in students; but that would complicate the sentence, because in the next line one would have to add something to "studiorum causa".

Ib., lines 21-23: this para could be omitted, as it adds nothing new.

Ib., lines 27-28: "servitium" is the wrong word (means "slavery"), and so is "subordinare" construed with *in.* I would suggest, "in subsidium Ecclesiae universalis ordinare debent".

* * *

About the "Prooemium" I have to say only words in praise of it. References from Scripture, Encyclicals of the Popes and Fathers of the Church are apposite. A few more could be added which can be taken from the Liber secundus "De Fide catholica propaganda, fovenda ac praeservanda" titulus 1 of the Acta et Decreta Primi Concilii Plenarii Indiae page 67 et seq. In the second para of the Prooemium where are enumerated the difficulties for conversion work may be added after "lugenda Christianorum divisio" as n. 2 deficientia scientiae ex parte fidelium et etiam quorundam sacerdotum obligationis ad fidem propagandam et non exemplaris vita eorum. The Catholic laity though well versed in secular sciences and are intelligent to grasp things do not believe that they are in conscience bound to do their part in the work of the propagation of faith. The seminarians are not sufficiently instructed in seminary on the obligations. Vide *Acta et Decreta Concilii Plenarii Indiae.*

Cap. I. *Mysterium Christi annuntiandum*: It is better to qualify the word Ecclesia of het Schema by Ecclesia Catholica, Apostolica, Sancta, Romana —to distinguish it from all other Christian denominations which are as many as 200 or 300. Christ has not in mind that the heterodox churches must preach the Gospel to all the creatures and make conversions. Preaching of the Gospel and making conversions are allowed only to the Catholic Church. Hence the citations in this para are not meant for other churches but only to the Catholic Church. Now on the face of the earth in any nook and corner of the roads we see members of other Christian denominations preaching the gospel and making conversions which is a lasting and increasing scandal to non-christians. I think it is better to insert here nn. 163 and 164 of the Plenary Council of India.

About n. 2 and n. 3: nihil est addendum.

In n. 4: addatur: Praedicatio Evangelii debet intimam hominis conscientiam attingere. Nemo convertatur nisi conversionem vellet et desideret. Qui conversionis labori incumbit debet veram scientiam de Christi Ecclesia habere, et modo persuasibili praedicare. Allicere alios in nostram religionem sub praetextu et sub influxu violentiae et attractione bonorum temporalium omnino est vitandum.

N. 5 (Aedificatio Ecclesiae): "Sub ductu Romani Pontificis et episcoporum".

Hoc negatur a christianis aliarum denominationum. Ergo saltem in notis debent dari citationes cur Aedificatio Templi Spiritualis debeat esse sub ductu Romani Pontificis et episcoporum.

Cap. II. *Rationes generales apostolatus missionalis*: Here can be added n. 173 of the Plenary Council of India. 171 para 2. Tali debent vitae sanctitate et puro animarum zelo nitere ut vel silentes religionis quam profitentur sanctitatem ac divinitatem prae se ferant, etc.

N. 10. Ex schema de Missionibus Concilii Vaticani. Non sufficit dicere "Maius enim scandalum pro non christianis non habetur quam divisio, contentio ac odium inter christianos ". Haec decreta ne quidem leguntur bis ab aliis, ergo scandalum perseverat in Ecclesia et in mundo. Remedia debent inveniri et in praxim deduci. Primum tales sacerdotes, sorores, catechistae qui habent verum zelum, sanctitatem vitae et vocationem debent mitti ad missiones. Praeterea illis debent mitti continuo auxilium financiarium et id genus alia. Debet constitui commissio ut frequenter visitet loca missionalia et faciat relationes ad conferentias episcoporum, etc.

N. 11. *Adaptatio missionalis*: N. 167 Concilii Plenarii Indiae hic in loco inseri debet saltem summatim etsi non ipsissimis verbis.

De opere conferentiae episcoporum. Melius est ne multum conferatur potestas conferentiis episcoporum. Omnimoda libertas relinquenda est episcopis in his rebus ut secundum circumstantias et secundum eorum prudentiam agant. Tamen bonum erit ut relationes operariorum in terris missionis fiant in conferentiarum episcoporum coetui, ut collatis viribus invicem adiuvetur. Collegialitati episcoporum concredita est propagatio fidei in toto mundo.

Cap. III. *De formatione missionali*: N. 14. In nn. 14, 15 et 16 aliquid novi habetur de formatione missionali; tamen non sufficit publicatio Decretorum Concilii Vaticani. Quaedam commissio constitui debet ut in praxim deducatur hoc decretum. Aliter nullius erit utilitatis hoc decretum.

De missionibus localibus. Formatio doctrinalis in seminariis maioribus ita fiat ut solidae ecclesiasticae institutioni inserantur programmata in unaquaque regione elaboranda. Habeantur conferentiae in seminariis ita ut futuri sacerdotes zelo zelati exeant e seminario. Etiam aptiores alumni e territoriis missionalibus mittantur ad studia academica in universitatibus perficienda.

Formatio apostolica fidelium magis magisque insistenda. In n. 19 formatio apostolica bene delineatur ita etiam in n. 20 necessitas catechistarum et eorum formatio missionalis, tamen nihil fere dicit haec omni in actu perficienda. Omnino necessarium est ut inveniantur media, personae aptae et subsidium financiarium in unaquaque dioecesi ut familiae membrorum talibus operibus dedicatorum alantur. Apostoli et catechistae inveniuntur inter fideles non tamen divites; ergo si vellemus habere apostolos inter laicos debemus eorum necessitatibus tum individualibus et familiaribus subvenire.

Cap. IV. *De cooperatione missionaria*: Dicit de collaboratione fidelium, membrorum institutorum perfectionis, episcoporum et conferentiarum episcoporum. Inter alia omnia eminet collaboratio episcoporum. Si episcopi sint zelo zelati, pii, dantes exemplum aliis et sunt parati ad onera portanda expensorum, tunc opera missionalia successum habebunt, adiuvante Deo. Aliter inutilis omnis labor. Schema multa dicit utilia sed parum descendit in rebus practicis.

Nihil aliud dicendum censeo de toto schema de Missionibus Conciili Vaticani secundi. Si aliquid censeatur utiliter addendum, id optime inveniri potest in *Actis et Decretis Primi Concilii Plenarii Indiae...* Liber secundus a numero 163-194 inclusive.

4

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI
Archiepiscopus Ianuensis

Non placet pag. 8, n. 5, linn. 29 ss. Etenim: « novas Ecclesias ubique plantandas » in textu affirmatur esse « sub ductu Romani Pontificis et episcoporum ». Haec affirmatio: *a*) continet affirmationem omnes et singulos episcopos habere iurisdictionem universalem. Quae propositio non solum non est probata, sed saltem aliquo sub aspectu est plane falsa; *b*) non cohaeret actuali disciplinae, expressae in C.I.C., can. 1350, par. 2; *c*) potest dare locum magnis confusionibus et factionibus in Ecclesia.

Hic textus apparet reformandus eo sensu: ut affirmetur unice « ductus » Sedis Apostolicae; ut affirmetur sub eodem ductu onus adlaborandi omnium episcoporum.

5

EM.MUS P. D. THOMAS CARD. TIEN CHEN SIN
Archiepiscopus Pechimensis

Novum schema *de missionibus* multo melius est quam illud, quod anno elapso elaboratum et a pluribus Patribus commissionis sat severe iudicatum fuit.

I. *Principia doctrinalia* (cap. 1): sana sunt et respondent exspectationibus plurimorum Patrum commissionis. In nn. 1 et 4 lingua latina est sat difficilis intellectu.

Notatu dignum est quod in hoc capite non amplius fit distinctio inter Ecclesiam qua talem et missionem. Missio est Ecclesia in quantum implet mandatum divinum praedicandi verbum Dei.

II. *Rationes generales apostolatus* (cap. 2): Meo iudicio rectae sunt. Clare statuitur auctoritas episcopi, qui est « Rector et centrum unitatis in apostolatu dioecesano ». Recte etiam agitur de Conferentiis Episcopalibus.

III. *De formatione missionali* (cap. 3, n. 15): 1. Principium magni momenti meo iudicio est hoc: futuri missionarii debent amare, magni facere populos ad quos brevi mittentur eisque fidere. Tales affectus debent esse fundati non tantum in argumentis recta ratione propositis, sed etiam in quadam personali inclinatione et naturali sympathia.

Superiores religiosi proinde tempestive interrogent iuvenes clericos et fratres laicos de eorum desideriis et inclinationibus et amanter eos dirigant. Nullum sacerdotem vel fratrem laicum mittant ad determinatam quandam missionem contra suam naturalem inclinationem, etiam si talis inclinatio videtur carere fundamento in re. Numquam mittant iuvenes missionarios ad unam missionem contra eorum voluntatem sub praetextu periculoso maioris perfectionis vel perfectioris oboedientiae. Talis modus agendi postea saepe creat difficultates insuperabiles cum

pro ipso missionario tum pro eius superioribus religiosis et ecclesiasticis. Superiores tempestive cum iuvenibus missionariis communicent eorum futuram destinationem; ne exspectent usque ad ultimum momentum.

2. Iuvenibus missionariis tempestive, i. e. antequam patriam relinquunt, detur introductio in historiam, culturam, mentalitatem populi evangelizandi. Sciant oportet quod ille populus naturaliter amat, quod odio habet, a quibus rebus abhorret. Adventus impraeparatus saepe causat, ut experientia docet, imprudentias et anxietates, quae raro etiam a personis sanctis vincuntur.

3. Futuri missionarii discant corde magno et animo volenti acceptare omnia illa elementa culturae populi evangelizandi quae non aperte aliena sunt a lege Dei et Ecclesiae. Specialiter magni faciant usus et consuetudines commercii socialis et urbanitatis.

4. Curent etiam superiores ut futuri missionarii psychologice praeparentur ad omnimodam cooperationem cum Ecclesia catholica locali, quae nullam admittit distinctionem inter catholicos diversae originis.

5. Magni momenti pro iuvenibus missionariis est studium linguae populi et, si casus fert, etiam scripturae. Per duos annos vel saltem per integrum annum incumbant oportet huic studio sub directione peritorum magistrorum.

6. Quaedam puncta magni momenti in formatione missionariorum: *a*) Superiores sedulo examinent cur iuvenes aspirant ad sacerdotium vel statum religiosum in genere et ad apostolatum missionarium in specie. *b*) Futuri missionarii discant gubernare semetipsos. *c*) Futuri missionarii discant amare et magni facere populos ad quos mittuntur. *d*) Superiores examinent indolem et dispositionem personalem. *e*) Superiores corrigant affectus inordinatos erga propriam patriam, eiusque linguam, culturam, mores, consuetudines et etiam erga auctoritates civiles. *e*) Examinent etiam utrum possit et velit assumere tale vel tale officium et munus, antequam ei talia officia et munera committunt. *g*) Superiores animum attendant ad hoc quod ii qui inde a pueritia cura parentum, praesertim matris, privati erant, postea saepe manifestant indolem difficilem, immo intolerabilem. *h*) Considerent etiam utrum laboret aliquo vitio corporis, quod facile fastidium creat et irreverentiam provocat.

IV. *Quaedam proposita.* 1. Suadetur primum ut in numerum Minutantium S. Congregationis de Propaganda Fide asciscantur etiam missionarii — autochthoni vel exteri — qui linguam populi missionis sciunt eiusque mentalitatem, mores, consuetudines bene cognoscunt. Hoc valet imprimis pro terris missionum maioris momenti, uti sunt Africa, India, Sinae.

2. Suadetur deinde ut pro viribus evitetur, praesertim temporibus extraordinariis, nimia centralisatio facultatum penes Delegatos vel Internuntios Apostolicos. S. C. de Propaganda Fide libenter aures praebeat propositis et consiliis episcoporum, praeprimis autochthonorum.

3. Suadetur denique ut facultates episcoporum in opere evangelizationis amplificentur ita ut, quando v. g. eis desunt opes et missionarii, ipsi episcopi valeant invitare alios missionarios ad varia opera missionalia exsequenda.

4. Suadetur postremo ut in terris missionum non tantum variae formae Actionis Catholicae instituantur et promoveantur, sed etiam alii motus (mouvements) actionis apostolicae, v. g. inter pueros et puellas, inter studentes collegiorum et universitatum, inter magistros et viros doctos, ut christifideles sic magis ac magis ad apostolatum missionis adducantur.

6

Exc.mus P. D. ANTONIUS BAGNOLI
Episcopus Fesulanus

Ad cap. I, par. 3, linn. 29-30. Verba ex epistula Pauli ap. deprompta videntur esse omittenda. Nam illic proprie non agitur de fide quae praedicationis Evangelii Christi est fructus, sed de fide quadam rudimentali et mere sufficienti ut quis accedere possit ad Deum: et haec est fides qua salutem consequi possunt etiam ii qui forte nuntium evangelicum non acceperint et propterea Christum invincibiliter ignorent.

Ad cap. IV. Opportune in n. 22 optatur in instituta perfectionis « plura adhuc partem assumant in fide propaganda, *quibus committi possint particularia territoria* etc. ».

Sed cur hoc directum et organicum auxilium pro fide dilatanda non expetitur etiam ex antiquis dioecesibus, quarum aliquae, vita christiana florentes, certe possent non solum mittere aliquos sacerdotes ad significandam participationem Ecclesiae localis in missionale servitium, sed etiam particularia territoria sibi assumere ad Evangelium ibi praedicandum et omnia disponenda donec novella exurgat Ecclesia?

Optandum ergo videtur ut in n. 24 cap. IV, ubi agitur de collaboratione episcoporum, post lin. 2 pag. 23, adiungatur: « ... qui etiam particularia territoria obtinendo in locis missionum ut, suarum Ecclesiarum ordinata cooperatione Christi Evangelium ibi annuntietur et novellae Ecclesiae nativitas praeparetur ».

7

Exc.mus P. D. MAURITIUS BAUDOUX
Archiepiscopus S. Bonifacii

In genere. 1. Schema hoc manifeste biblicum esse reperitur, et iure declarat Christum eiusque mysterium quasi centrum vitale esse Missionis ipsius Ecclesiae (cf. Prooemium et cap. I, n. 1). Praestaret hanc doctrinam christocentricam (christocentrique) per totum schema firmius et validius asseri. Decet enim omnino inculcare neminem nisi Christum gloriosum caelestemque in Ecclesia sua, ad mundum missa, agere per eamque operari (cf. pag. 7, linn. 17 s., pag. 12, linn. 4 s.). In virtute nempe Spiritus ipsum Evangelium iis qui illud ignorant, Ecclesia annuntiat.

2. Notio doctrinaque de Ecclesia, quae per totum schema clare emicat, cum principiis fundamentalibus mysterii Ecclesiae fideliter consonat: Corpus mysticum Christi et populus Dei, in quibus hierarchia ab intus operatur prout ecclesialis functio sacerdotaleque servitium. Cavendum tamen est ne opus ipsum missionem cuidam operationi bellicosae (conquête) assimilari videatur (cf. pag. 5, linn. 21 s., pag. 9, lin. 20, pag. 11, linn. 9-10). Ecclesia est ante omnia mysterium et instrumentum salutis plene deditum servitio Christi ad Evangelium proclamandum, ad Regni Dei adventum procurandum, ad populos coniungendos in Christo hominesque discipulos Christi ex omnibus gentibus efficiendos. Hoc opus

certe actibus hierarchiae perficitur et praedicatione officiali Evangelii, sed aeque vita christiana universitatis fidelium et communitatum singularium apostolico vitalique spiritu pollentium.

3. Attamen, videtur schema tardiore gradu progredi relate ad magnam spem hodiernam fidelium omnium et ipsorum missionariorum ab ultimis Summis Pontificibus excitatam necnon et ab ipso Concilio. Non clare indicat schema finem definitam ad quem omnes movere intendit; non asserit modo satis presso, brevi et actuoso (dynamique) quid debeat laborem missionarium Ecclesiae vere renovare (« aggiornamento ») et inflammare, simulque totum populum christianum (i. e. episcopos, sacerdotes et laicos) ad manentem statum Missionis (état de mission) prorsus commovere. Deceret singulariter manifestare operationem universalem Spiritus Sancti, et quomodo sapientia Ecclesiae istam operationem consideret quasi quaedam praeparatio ad Evangelium (cf. pag. 11, linn. 26-29) et quasi quaedam Dei vocatio ad omnium collaborationem quoad evangelizationem mundi hodierni.

4. Schema multo actuosius fieret si perspicue inspirationem ex schemate conciliario *de Ecclesia* sumeret. Quamobrem novos titulos schematis et eius capitum cum reordinatione proponimus:

Sit titulus schematis: « De Missionibus in Ecclesiae missione ». Cap. I: de principiis doctrinalibus; Cap. II: de cooperatione in missione (olim cap. IV); Cap. III: de apostolatu missionali (olim cap. II); Cap. IV: de formatione missionali (olim cap. III).

Novus titulus in lucem ponit quod Ecclesia universa ex natura sua in statu missionis est, et quod missiones sunt quaedam applicationes peculiares huius actionis missionalis Ecclesiae inter gentes non christianas. Reordinatio autem capitum et emendationes (in specie infra notandae) in maiore luce proferunt: 1. missionem evangelicam Ecclesiae (cap. I): *a*) missionem ipsius Christi, a Patre missi; *b*) missionem collegii episcopalis una cum successore Petri; *c*) missionem universorum sacerdotum et fidelium vi eorum sacramentali insertione in Ecclesia; 2. cooperationem omnium in exsequenda missione (cap. II); 3. considerationes specificas de singulis rebus missionum (capp. III et IV).

5. Hoc schema, idque valde lugendum, de toto ignorare videtur schema *de Oecumenismo*. Valde opportunum hic esset tractare etiam in singularibus de relationibus (colloquium, collaboratio, opus caritatis) tantum promovendis inter varias communitates christianas quantum prae se ferant res veri pretii (valeurs) et proprie christianas. Non sufficere videtur proclamatio principatus caritatis (cf. pag. 13, linn. 33 s.). Urget vero dirigere actualem praxim huius christianae caritatis, summa evangelizationis causa operativa. Unde ratio sequentis n. 6.

6. De habitudinibus cum fratribus separatis quoad missiones: 1) Christianis et Ecclesiis cum earum membris, qui non in communione cum Roma sunt, propter eorum baptismalem insertionem Ecclesiae et Christo adest exigentia fundamentalis praedicare Christum et eius Evangelium. Sic agendo « internis divinae gratiae impulsionibus », quae eadem est in eis et in nobis, oboediunt (cf. Enc. *Myst. Corp.*: *A.A.S.*, 35 [1943], p. 243).

2) Praeterea, secundum hanc veritatem, incomprehensibile est in schemate *de Missionibus* nihil dici de existentia operis missionarii, quod perficiunt Ecclesiae vel communitates christianae quae in communione cum Ecclesia catholica non sunt. Magis incomprehensibile est quod hoc schema nihil de necessitate,

de natura et de modis collaborationis inter utrosque in evangelizatione mundi elaboret.

3) Praeter hunc aspectum vere fundamentalem alia quaestio exsurgit: i. e. reditus omnium christianorum ad hanc unitatem quam Christus voluit et quam Concilium semper prae oculis habet ardenterque exoptat. Quomodo ergo schema hoc Ecclesiis et fratribus separatis infamiam inferre audet praetermittendo eorum zelum missionalem admirabilem, generosum et, in universum, pure evangelicum.

4) Deinde, cum schema agnoscat immensitatem immo impossibilitatem (pag. 5, linn. 11 et 21) operis evangelizationis efficiendi, nonne omnibus Ecclesiis et communitatibus christianis ardens votum clare annuntiare oporteret scil. Ecclesiam catholicam, ducente Christo, cum eis « una procedere » (marcher ensemble) in praedicationem Evangelii.

5) Hic labor in communi nonne cum Dei oeconomia salvifica congruit? In separationis culpa participantes, omnes in solidum facti sumus participes in peccato contra mandatum a Domino datum, i. e. omnes homines discipulos Christi facere. Nonne ergo oporteret scandalum nostrae divisionis non-credentibus illatum delere et omnes in proclamatione eiusdem Evangelii, ut filii eiusdem Patris, per concordiam quamdamque collaborationem partem assumere.

6) Tandem, inter eas res in quibus omnes christiani simul superimpendere debent, in testimonio beneficiorum quae Christus Iesus hominibus contulit, Evangelii annuntiatio in universo mundo locum supremum et efficaciorem sane obtinere debet.

7) His attentis, principia et regulas cooperationis missionalis inter omnes Ecclesias et communitates schema hoc statuere oporteret. Eorumque principiorum expressio et applicatio speciali organismo, in quo Consilium Oecumenicum Ecclesiarum partem habeat, committi deberent.

8) Mihi persuasum est principia sequentia et regulas, inter alia proponenda esse: *a*) theologice et in praxi agnoscatur condicio propitia baptizatorum relate ad non-baptizatos: « Il ne convient donc pas du tout de mettre les chrétiens non catholiques sur le même plan que les non-baptisés car ils portent toujours sur le front le nom du Christ et son image même demeure empreinte dans leur âme d'une manière profonde et ineffaçable par le saint baptême » (A. card. Bea, *Pour l'Unité des Chrétiens,* Cerf, 1963, p. 25); *b*) divitiae spirituales et theologicae fratrum separatorum serventur et aestimentur; *c*) statuendum est ut nulla detrusio nec competitio fiat relate ad Ecclesiam vel communitatem christianam a Roma separatam, cum tam multae abundent regiones ubi Christus non adhuc nominatur; *d*) proclametur Evangelium modo positivo, quanquam modo doctrinae Ecclesiae consentaneo, at nullomodo condemnatorio illius qui, etsi nos non sequitur, Iesum praedicat (cf. *Mc.* 9, 38; *Lc.* 9, 49); *e*) instituatur et servetur dialogus et habitudines caritate imbutae inter Evangelii praecones, cuiuslibet ecclesialis oboedientiae, omniaque incepta quibus dignitas hominis, ordo socialis atque amor Dei et proximi foveatur.

In specie. Titulus schematis sic mutetur: « De Missionibus in Ecclesiae missione ». *Ratio*: oportet in lucem ponere Ecclesiam universam ex natura sua in statu missionis esse, et missiones esse tantum quasdam applicationes peculiares huius actionis missionalis Ecclesiae inter gentes non christianas.

Prooemium. Pag. 5. Prooemium sic reducatur et emendetur: « Christus Iesus, omnium hominum Redemptor, eos in populum Dei coadunare per Evangelii praedi-

cationem voluit, apostolos primum, et in eis Ecclesiam, ad convocandas omnes gentes mittens. Apostoli autem, Spiritus Sancti plenitudine moti ac roborati, euntes praedicaverunt ubique et genuerunt Ecclesias. Eodem Spiritu impulsa etiam Ecclesia omni saeculorum decursu nuntios misit salutis in mundum universum, quibus Regnum Dei ad omnes populos extenderetur (cf. linn. 1-7).

« Unde Ecclesiae Dei interna renovanda iuventus, quae huius S. Concilii in votis est, vires omnium fidelium colligat atque dirigat necesse est ita ut ipsa Ecclesia, i. e. omnes fideles, ubique Evangelium Christi annuntiet et filios in salutem populorum parturiat (cf. linn. 25-28).

« Quapropter haec S. Synodus, SS. Pontificum vestigia premens principiis et rationibus generalibus apostolatus missionarii praemissis, declarare et decernere exoptat quae eundum apostolatum efficaciorum reddere et cooperationem pro missionibus fovere possint » (cf. linn. 28-32). *Ratio*: linn. 7-24 « Et quamquam ultimis ... exstiturae » hic inutiles videntur et aspectui accidentali vim nimiam addunt. Supprimendae ideo sunt ut maiora puncta schematis clarius evadant. Considerationes hic propositae melius evolverentur in contextu materiae cap. IV iuxta annotationes nostras etiam quoad titulum emendati: de formatione missionali.

Pag. 5, lin. 27: loco « Mater Ecclesia » scribere « Ecclesia Mater » vel simpliciter « Ecclesia ». *Rationes*: 1) A Medio Aevo, expressio « Mater Ecclesia », sicut et « Mater et Magistra, Domina », communiter usurpatur ut titulus auctoritatis ad inculcandum superioritatem Ecclesiae super ordinem temporalem et sic in oblivione relinquit notionem generationis in actu et formationis spiritualis christianorum qui ipsam Ecclesiam constituunt et immo gignunt, sicut dixit S. Beda in *Explan. Apocal.* lib. II (*PL* 93, 1660): « Nam et ecclesia quotidie gignit ecclesiam... » (cf. DELAHAYE KARL, *Ecclesia Mater,* Préface de Y. Congar, Paris 1964, pp. 7-32); 2) insuper expressio « Mater Ecclesia » in ultimis saeculis usurpata est secundum acceptionem praesertim iuridicam: Ecclesia intelligitur sicut mediationis institutio seu aliqua realitas extra nos (etiam si pro nobis exstat) et praetermittitur Ecclesiam esse Christum cuius membri sumus. In hoc schemate « de Missionibus in Ecclesiae missione » (secundum novum titulum propositum) praesentatio Ecclesiae fieri debet ad mentem Patrum, et speciatim S. Augustini: v. g. « Ecclesia... sibi est mater et filii; nam simul omnes quibus constat, Ecclesia mater dicitur, singuli autem iidem ipsi filii appellantur » (*Quaest. Ev.* I, 18: *PL* 35, 1327); « Cum ex ipsis filiis congregatis constet ea quae dicitur mater » (*De div. quaest.* 83 q. 59, 4: 40, 47).

Pag. 5, linn. 27-28. Textus « ubique terrarum praesens fiat in salutem populorum » mutetur et legatur: « ubique Evangelium Christi annuntiet et filios in salutem populorum parturiat ». *Rationes*: Maximi momenti est: 1) notionem Novi Testamenti praecipuam hic introducere, scil. « Evangelium praedicare », seu « Euntes ergo docete (in textu graeco: discipulos facere) omnes gentes... » (*Mt.* 28, 19), « Vae enim mihi est, si non evangelizavero » (*1 Cor.* 9, 16), cf. etiam *Mc.* 16, 15; *Lc.* 24, 47 s.; *Act.* 1, 8; 2) dynamismum praesentiae Ecclesiae apertius manifestare, secundum verba Pauli: « filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis » (*Gal.* 4, 19).

Pag. 5, lin. 32. Addatur textus: « Item, hanc occasionem nacta, haec S. Synodus opera missionalia illarum Ecclesiarum aut Communitatum christianarum a communione catholica seiunctarum tanquam incepta a vero spiritu Evangelii

pressa et imbuta laete agnoscit, de eorum progressu in Christo Domino gaudet, ac circa ea incepta et sua propria optatam collaborationem nullo alio studio praeterquam Dei gloria et animarum salute omni ex parte appetit ». *Ratio*: cf. Animadvertenda *in genere* supra pag. 3 s. nn. 5 et 6 enumerata.

Cap. I: Pag. 7, lin. 5: loco: « Ubi Christus Dominus nondum nominatur nec fide agnoscitur, ibi... », dicatur: « Unde Ecclesia necessitate tenetur Evangelii semper et ubique annuntiandi... ». *Ratio*: praedicatio Evangelii adeo munus imperiosum est ut semper et ubique, etiam in christianis nationibus, Ecclesiae prosequenda sit.

Pag. 7, lin. 12: loco: « ... Ecclesia a Christo missa nullum aliud fundamentum ponit... » dicatur: « praedicatores in Ecclesiis aedificandis nullum aliud fundamentum ponere debent... ». *Rationes*: 1) Magis consonat cum verbis ipsius Pauli sententia haec: « Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus » (*1 Cor.* 3, 11); 2) « Ecclesia a Christo missa » in contextu minus accurate dici videtur. Ecclesia enim cum Christo mystice identificatur, ideoque et ipsa « mittere » potest.

Pag. 7, linn. 29-31: loco: « ut omnes... abundantius habeant » dicatur: « ut omnes ad plenitudinem christianae fidei et vitae perveniant ». *Rationes*: 1) ipsis paganis a Deo iustificatis non est negandum quoddam minimum principium fidei, saltem implicitae, sicut in Epistola ad Hebraeos (11, 5 s.) dicitur de Henoch qui nullum verbum divinum acceperat; 2) textus emendatus in hoc insistit quod per ipsam evangelizationem homo in aetatem perfectam in Christo promovetur, abstractione facta perditionis suae vel salutis aeternae.

Pag. 8, linn. 21-24: haec sententia omnino ambigua mihi et multis aliis videtur ideoque mutanda.

Pag. 8, lin. 26: loco « et totum genus humanum suam unitatem et veritatem inveniunt » dicatur « et totum genus humanum suam *plenam* unitatem et veritatem inveniunt ». *Ratio*: oportet non oblivisci paganos itemque fratres nostros separatos etiam participatione quadam unitatis et veritatis gaudere.

Pag. 8, lin. 28: omittenda sunt signa « » ibi posita (guillemets), et in nota 35 mutanda est referentia in cf. *1 Pt.* 2, 5. *Ratio*: quamvis haec versio latina mihi valde arridet, quia tamen non agitur de ipso textu Vulgatae in quo « lapides vivi » legitur, melius esset consociationem verborum « petrae vivae » sine signis « » (guillemets) scribere.

Pag. 8, linn. 29-39; pag. 9, linn. 1-11: totus n. 5 supprimendus videtur eiusque tota substantia inserenda in cap. noviter II. Ita n. 6 perbelle et directe connectitur cum n. 4.

Pag. 8, lin. 30: loco « sub ductu Romani Pontificis » dicatur: « ducente Petri Successore » vel « ducente Summo Pontifice » (veritatis biblicae et oecumenicitatis causa).

Pag. 9, lin. 5: loco « Cum autem Ecclesia vim et capacitatem... » scribatur « Cum autem Ecclesia munus et capacitatem... ». *Ratio*: textus schematis videtur innuere Ecclesiam statim posse omnia recapitulare in Christo. Experientia demonstrat e contra difficultates multas quas invenit Ecclesia in eo opere progressive explendo usque ad secundum adventum Christi. Quoad hoc tempus officium laborandi ad hunc finem committitur Ecclesiae. Videtur mihi ergo verbum « munus » aptius esse.

Pag. 9, linn. 19-20: loco « Unde missiones... extendit » scribere oportet: « Unde missio, quae ex ipsa natura Ecclesiae profluit, nihil aliud est nisi operatio qua Ecclesia Corpus Christi visibiliter aedificat in mensuram aetatis plenitudinis Eius (*Eph.* 4, 13), ut exhibeat omnem hominem perfectum in Christo Iesu (*Col.* 1, 28) ». *Rationes*: 1) conveniret definire hic « missionem », non vero « missiones », quia de hac missione in toto capite agitur; 2) praeferendum est verbum biblicum « aedificat » cum eius contextu, verbo « extendit » qui nimis exclusive expansionem potius geographicam Ecclesiae connotet.

Cap. II. Animadversio generalis. Hoc caput melius collocaretur in schemate tanquam cap. II, sub novo titulo: « De apostolatu missionali » (cf. Animadvertenda *in genere,* n. 4), et materia eiusdem emendetur atque reducatur ad quatuor solummodo paragraphos, nempe: 1) loco « (Spiritus evangelicus) » inscribatur « (Praeparatio ad Evangelium) ». In hac enim paragrapho elaborarentur praesertim ea quae per transennam dicuntur pag. 11, linn. 26-29; 2) (Labor missionalis). Titulus et materia huius n. 8 servanda sunt. Tamen ibi addatur quaedam ex nn. 9 et 10 (ut infra *in specie* notatur) quia hae paragraphi non separatim tractandae et quoad maiorem partem supprimendae sunt; 3) (Adaptatio missionalis). Titulus et materia substantialiter servetur, sed duo aspectus materiae clarius distinguendi sunt, scil. *a*) adaptatio proprie dicta ipsius missionarii, et *b*) opus receptionis vitalis et assimilationis culturae localis ab Ecclesia in omnibus gentibus effectum; 4) (De coordinatione apostolatus). Substantialiter servetur. *Rationes*: 1) titulus novus magis convenit cum secundum ordinem logicum schematis tum secundum materiam ibi elaborandam; 2) textus huius capitis nimis extensus videtur. Multa enim elementa iam in cap. I enuntiata mere repetuntur. Deest insuper vigor et actuositas exoptata, exindeque spem multorum fallit. Ideoque rationes principaliores servandae sed strictius ordinandae sunt.

In specie. Pag. 11, lin. 6: loco « administratione » scribatur « celebratione ». *Ratio*: verbum « administratione » res materiales nimis connotat.

Pag. 11, linn. 7-8: loco « se gratiae Dei instrumentum esse » dicatur: « se Dei ministrum esse ». *Ratio*: haec expressio pressius indicat personalem hominis cum Deo collaborationem.

Pag. 11, linn. 9-11: supprimenda haec sententia quia repetitio praecedentis est. Si tamen conservatur, loco « gratiae Dei victorias » ponendum est: « Dei opera », ita ut vitetur innuere Deum cum homine colluctari.

Pag. 11, linn. 12-16: supprimantur. Si tamen non supprimuntur, loco « gemitum » (lin. 15) dicatur « verbum », ut Scripturae magis consonans.

Pag. 11, lin. 20: loco « in totius suae vitae... ut » ponatur: « ut, radicati in paupertate evangelica... ». *Ratio*: Evangelii praecones paupertatem evangelicam omnino effectivam colere debent. Insuper, magis cum textu consonat: « Christus... egenus » et « praecones... vivam repraesentationem (eius)... praebeant ».

Pag. 11, linn. 26-29: sententia « Gentis... patrimonium... et... Providentiam Dei quae vias ad Evangelium praeparat, agnoscent » in maiore luce ponenda est, et etiam ampliore elaboratione indiget. Est enim problema maxime practicum et nodus vitalis evangelizationis hodiernae apud gentes: Deus multis modis homines ad Evangelium suum praeparat et vocat. Ideo labor missionalis se habet tanquam Ecclesiae actio ad Dei operationem respondentem.

Pag. 11, lin. 26: addatur: « Sibi persuasum habeant locum prorsus primum

tenere, inter eos quibuscum vinculo caritatis vinciendi erunt, praedicatores Evangelii missos ab Ecclesiis aut Communitatibus christianis qui non cum Ecclesia Romana coniuncti sint. Habeantur tanquam operarii circa ipsos laborantes, consilio divinae Providentiae abscondito, at non contra ipsos sed cum ipsis » (cf. *Mc.* 9, 39; *Lc.* 9, 50). *Ratio*: cf. Animadvertenda *in genere,* n. 6.

Pag. 11, lin. 32 - pag. 12, lin. 6: haec breviore modo dicenda sunt, et repetitiones e pag. 8, n. 4 vitandae.

Pag. 12, lin. 7: loco « caeremoniis » scribatur « actibus ». *Ratio*: verbum « caeremoniis » aspectum externum cultus liturgici nimis significat.

Pag. 12, lin. 8: post verbum « Ecclesia » inserenda est consociatio verborum « vi institutionis catecheticae ». *Ratio*: convenit enim peculiarem catechesis praestantiam pro neoconversis in lucem ponere, in quantum partem integralem christianae initiationis constituit.

Pag. 12, lin. 11: inseratur post paragraphum secundum huius paginae: « Cum sit " unum baptisma " (*Eph.* 4, 5), numquam reiteretur hoc sacramentum, ne quidem sub conditione, in Ecclesia aut communitate christiana collatum, nisi certo et positive constet, ex severa investigatione, baptismum iam receptum vitio invaliditatis revera laborasse ». *Ratio*: non parum viget in missionibus praxis rebaptizandi eos qui ex Ecclesia separata ad Ecclesiam catholicam veniunt. Hoc quidem indiscriminatim faciunt sive habent dubium minimum vel negativum ex eo quod supponunt deficientiam aliquam intentionis in ministro aut defectum mere canonicum circa materiam proximam (v. g. circa aspersionem, madefactionem, defectum simultaneitatis materiae et formae, etc.).

Pag. 12, lin. 26 - pag. 14, lin. 10: hae paragraphi n. 9 (Novellae Ecclesiae) et n. 10 (De vita christiana) in nova forma et breviore conscribendae sunt. Hic et illic enim invenitur redundantia earumdem notionum et expressionum, v. g. « vitali communioni Ecclesiae universalis inseritur » (pag. 12, linn. 32-33); « ad communionem cum Ecclesia universali educare » (pag. 13, linn. 6-7); « In intima communione cum Ecclesia universali » (pag. 13, lin. 8). Insuper, talis modus loquendi infert adiunctionem quasi externam potiusquam incrementum internum ipsius Ecclesiae. In novo textu servetur sola doctrina ex sequentibus lineis, scil. pag. 12, linn. 35-40; pag. 13, linn. 8-12 et linn. 32-38.

Pag. 13, lin. 8: loco « cum Ecclesia universali » dicendum esset « cum aliis Ecclesiis particularibus ». *Ratio*: sic melius affirmatur cohaerentia plurium in unum et responsabilitas singularum dioecesium.

Pag. 13, lin. 10: loco « ei conferre valeant » scribere oportet « eis magis ac magis conferre valeant ». *Ratio*: Ecclesia novella Ecclesiam universam aliquomodo iam adiuvat. Tamen per intimam communionem cum Ecclesiis particularibus hoc adiumentum crescere valet.

Pag. 13, linn. 19-21: melius esset, si tamen casus ferat, scribere: « Vita christiana evolvitur et manifestatur solida pietate cultus divini et vita sacramentali, observatione mandatorum Dei et disciplinae Ecclesiae ». *Ratio*: accuratius sic vita christiana explanatur, cum de vita sacramentali seu de vita Christi in nobis imprimis agatur.

Pag. 13, lin. 34: post « ... ad invicem » addatur textus: « Hoc praesertim dicendum est de omnibus qui obviam non christianis prodeunt tanquam servos Iesu Christi, vocatos Apostolos, segregatos in eumdem Evangelium Dei (cf. *Rom.* 1, 1) ». *Ratio*: obvia est.

Pag. 13, lin. 37: post « ... inter christianos » addatur comma et textus novus: « ..., quod Evangelistarum labores et praedicationes inanes reddit: ». *Ratio*: evidens est.

Pag. 14, lin. 14: ante « omnes mores purificat » affirmatio sequens inserenda videtur: « in iis qui Evangelio oboediunt ». *Ratio*: non sufficit enim praedicatio Evangelii, sed etiam requiritur fides, et etiam invocatio nominis Domini Iesu Christi (cf. *Rom.* 10, 14-18). In multis enim nationibus olim vere christianis, ubi nunc « non omnes oboediunt Evangelio » (*Rom.* 10, 16) vita proprie christiana pedetentim amittitur, et mores pravi istorum hominum fieri possunt « deteriora prioribus » (cf. *2 Pt.* 2, 20; *Mt.* 12, 45).

Pag. 14, linn. 32-38: hae sententiae supprimendae sunt. Prior enim uti stat « triumphalismum » sapit; altera autem sese refert ad principia sufficienter alibi tractata (cf. Constitutio *de sacra Liturgia*).

Pag. 15, linn. 8-25: haec paragraphus breviore modo conscribenda est, ita ut solummodo essentialia ibi serventur. Quae ad transitoriam condicionem pertinent, praesertim linn. 17 s., e medio tollenda sunt.

Pag. 15, lin. 13: post « ... sive laici », inseratur textus sequens: « cuiuslibet christianae Ecclesiae aut Communitatis sunt, ... ». *Ratio*: cf. Animadvertenda *in genere*: totus n. 6.

Pag. 15, linn. 26-28: supprimantur hae lineae, sive quia partim in linn. 24-25 idem exoptatur, sive quia infra dicenda de conferentiis episcoporum (linn. 29 s.) ex his enervantur.

Pag. 15, lin. 30: loco « universa Ecclesia » melius diceretur: « antiquis Ecclesiis ». *Ratio*: novellae Ecclesiae minus ab universali Ecclesia quam ab Ecclesiis localibus diu constitutis distinguuntur.

Pag. 15, linn. 25-38: haec ultima sententia paragraphi supprimenda videtur, quia ad schema *de episcopis ac dioecesium regimine* pertinet.

Pag. 16, lin. 1: « Nationis Nuntium Evangelicum » sine litteris maiusculis scribendum est.

Pag. 16, lin. 3: supprimenda est abbreviatio « S.C.P.F. ». *Rationes*: 1) non decet uti abbreviationibus in textu Sanctae Synodi. Iam, hodie, abbreviatio « S.C.P.F. » non clara est, a fortiori, in futuro non clarior erit; 2) de cetero, nonne inveniendum esset aliud nomen aptius ad hoc Dicasterium Apostolicae Sedis designandum? Hodie, nomen « Propaganda » sensum peiorativum sapit. Videtur innuere doctrinam quadam vi et oppressione inculcari (indoctrination; lavage de cerveau). Redolet insuper media « publicitatis » hodiernae (le panneau-réclame). Melius esset uti alio nomine v. g. Sacra Congregatio de Evangelizatione.

Pag. 16, lin. 8: addatur alia paragraphus sequens: « Tandem instituatur peculiaris coetus coordinationis inter omnes christianas Ecclesias aut Communitates. in quo Consilium Ecclesiarum Oecumenicum partem habeat, eique committatur cura moderandi conatus laboresque missionales ad uberiorem Evangelii proclamationem ubique terrarum ». *Ratio*: cf. Animadvertenda *in genere,* n. 6, 7).

Cap. III. Animadversiones generales: 1. Hoc caput melius collocaretur tanquam cap. IV schematis (cf. Animadvertenda *in genere,* n. 4).

2. Caput hoc est nimis longum. Multa principia et iam nota elementa formationis missionalis repetuntur. Consequenter, deest actuositas et vis nova. Nonne melius esset, in hoc capite, simpliciter tractare de quaestionibus modernis quae

omnes missionarios hodiernos praeoccupant, non solum in terris missionum sed etiam in terris christianis. In mundo materialistico et technico, interdum atheistico, hodie vivimus; homines in definita cultura et ideologia educatos evangelizare oportet; ad populos veram libertatem et felicitatem inquirentes mittimur; unde omnino praestat hunc mundum et hos populos cognoscere ad missionem Christi explendam.

3. In hoc schematis capite non tractandum est nisi de elementis formationis missionalis. Unde bene distinguendum est inter formationem omnibus communem, et illam specialem quae pro missionariis ubique terrarum necessaria est. De priore formatione non est disserendum; de altera hic speciatim tractetur, nempe: *a*) de formatione doctrinali et pastorali complementaria, quae maioris momenti est ad praedicatorum efficientiam; *b*) de formatione speciali pro tali agro missionum (e. g. Mahometani, Indiani, etc.); *c*) de formatione technica quasi suppletiva, uti sunt medicina, instrumenta preli, radiophonica, televisifica.

4. In terris missionum optandum est ut sacerdotes locales et externi efformentur in seminario communi, saltem quoad annos theologiae, nisi causae graves exceptionem urgeant.

5. Necesse mihi videtur insuper ordinatim tractare: *a*) de formatione cuiusque cleri; *b*) de formatione sodalium religiosorum; *c*) de formatione laicorum.

In specie: Pag. 17, linn. 6-11. Haec paragraphus estne vere utilis? Eius materia iam alibi tractatur, e. g. pag. 11, n. 7.

Pag. 17, linn. 6-8. Consociatio verborum « magno animarum zelo praeditis » mutanda est, et melius insereretur post « congrua spiritualis formatio » (lin. 8) ita ut textus sic legatur: « Illis omnibus qui vitam apostolicam... sese parant, spiritualis formatio zelo missionali imbuta impertienda est... ». *Ratio*: ex comparatione pag. 17, linn. 6-7 cum pag. 18, linn. 24-25 constat supponi « zelum » in missionariis exteris non vero in missionariis localibus. Quod omnino non verum, ideoque vitandum est.

Pag. 17, lin. 12. Verba « et inculcanda » supprimenda sunt. *Ratio*: si spiritualitas optime proponitur, facile acceptabitur. Non est urgenda vox « inculcanda » quae videtur saltem etymologice libertatem humanam discipuli laedere.

Pag. 18, lin. 4. Vox « Missionale » supprimenda est. *Ratio*: Instituta missionalia scientifica pro professoribus et specialistis imprimis fundata sunt. Missionarii vero non tam indigent « theoria missionali » seu studio speciali apud Institutum specifice Missionale, quam studiis apud Instituta Scientifica omnibus sacerdotibus communia (v. g. Universitates Pontificiae, Institutum Biblicum, etc., ut infra dicitur pag. 18, linn. 34 s.).

Pag. 18, lin. 5. Hic addendum est quod plerique missionarii seu maior pars missionariorum seminarium vel scholasticatum in terris futuri apostolatus sui debent perficere, ita ut culturam localem et linguam melius cognoscant et ministerium ab initio aptius et efficacius expleant.

Pag. 18, linn. 6-12. Tota paragraphus supprimenda videtur. Non enim tractat de re proprie missionali, sed de principio generali formationis. Agendum esset potius de donis a Deo acceptis, quae fundamentum necessarium ad apostolatum praebent.

Pag. 18, linn. 13-23. Uti stat, textus nimis debilis videtur. Adiungere oportet aliquid de formatione christianorum per quam ad maturitatem fidei pervenire

possint. Exinde enim logice fluit amor seu zelus erga opus missionale Ecclesiae. Loquendum etiam est de ipsa praeparatione requisita ad opus missionale efficiendum.

Pag. 18, lin. 25. Loco « ut imprimis... imbuatur » dicere oportet « ut eorum zelum missionalem augeatur et nutriatur ». *Ratio*: nonne clerus localis praesumitur zelum missionalem habere?

Pag. 18, lin. 31. Ante verbum « missiologiae » inserere oportet verbum « pastoralis ». *Ratio*: sic melius apparet quod hic non agitur de « *theoria* missionali ».

Pag. 19, linn. 1-11. Haec omnia supprimenda videntur, quia inutilia sunt. Quae hic exprimitur verbis « signa et fructus christianae maturitatis » inseri potuerint supra pag. 12, linn. 26 s.

Pag. 19, linn. 11-25. Parum utile est, mihi videtur, hic tractare de formatione fidelium quasi aliquid in missionibus speciale sit. Unde melius est has lineas supprimere.

Pag. 19, linn. 26-36. In hac paragrapho aliqua distinctio diversis categoriis catechistarum accommodata expectatur, quia eorum status et formatio exinde diversificari debet: v. g. sodales institutorum, laici, uxorati, paroeciarum officiales, etc. Etiam ibi de ordinibus minoribus et de diaconatu loquatur, ita ut opportunitas eos restituendi clarius appareat.

Cap. IV. Animadversio generalis: Hoc caput bene confectum est et vim actuosam cap. I feliciter ostendit. Melius tamen videtur inserendum immediate post cap. I et fieri cap. II sub titulo « De cooperatione in missione ».

In specie: Pag. 21, linn. 1-5. Prooemium huius capitis sic emendetur: « Aedificatio Templi spiritualis a tota Ecclesia promovetur, ducente Summo Pontifice una cum episcopis qui munus a Domino receperunt Evangelium praedicandi et novas Ecclesias ubique implantandi. In hanc Ecclesiarum fundationem cooperari debent omnes Ecclesiae vires (cf. pag. 8, linn. 29-33). Sic extenditur et in effectum reducitur illa communio fidei, caritatis et cultus, quae inter omnes Ecclesias existere debet. Cum autem Ecclesia munus et capacitatem habeat omne quod humanum est, praeter peccatum, assumendi et in Christum recapitulandi, oportet ut quaecumque sunt vera, quaecumque sancta, quaecumque amabilia ipsi Christo integrentur. Tunc Ecclesiae catholicitas manifesta apparebit eo quod in ea unitas numquam offendat diversitatem et diversitas semper fulgeat in unitate. Corporis episcoporum varietas in Primatus soliditate confirmatur et unitur (cf. pag. 9, linn. 3-11).

Omnes et singuli christifideles, tamquam membra viventis Corporis Christi, evangelizationi omnium hominum et novellarum Ecclesiarum formationi cooperari possunt ac debent. Missionalis actio omnium christianorum est munus et honor. Huius autem actionis fundamentum unusquisque ex proprio statu sacramentali habet, et formas eius invenit in propriis vitae condicionibus et circumstantiis (cf. pag. 21, linn. 1-6) ». *Rationes*: 1) materia n. 5 (cf. pag. 8 « Aedificatio Ecclesiae ») substantialiter servata et prooemium praesentis cap. IV bene introducunt quaestionem de cooperatione in missione huius capitis noviter II; 2) in maiore luce ponitur veritas principalis quod Ecclesia universa « in statu missionis » (en état de mission) se habere debet.

Pag. 21, lin. 13. Addantur sequentia: « Item communitas christiana qua talis

excipere debet Evangelium et unanimiter perseverare in Christo ita ut credentibus et non-credentibus fiat forma atque testis doctrinae Apostolorum » (cf. *1 Thess.* 1, 6-7; *Act.* 2, 42-47). *Ratio*: praeter officium cuiuslibet fidelis oportet etiam testimonii munus cuiuslibet *communitatis christianae* definire. Maximi interest coram exteris discipulis in Universitatibus et migrantibus in communitatem vitaliter testificari de Christo et Ecclesia. Ita de qualibet communitate christiana dici poterit: « A vobis enim diffamatus est sermo Domini... et in omni loco fides vestra... profecta est » (cf. *1 Thess,* 1, 8 s.).

Pag. 22, linn. 1-2. Loco « postquam ex gratia Dei... pendere » scribatur « a solo Deo donari, maxime per ministerium suum et conatus suos » (cf. *1 Cor.* 2, 5-9). *Ratio*: potiusquam iuxtapositio conatuum humanorum ad gratiam divinam (scil. Deus partem suam expleret et relinqueret homini ut suam faceret) manifestanda est collaboratio actu Dei cum homine in ipso conatu ipsaque operatione (cf. CHAVAZ E., *Catholicisme romain et Protestantisme,* Casterman 1958, pp. 44 ss.).

Pag. 22, linn. 4-5. Loco « in fide propaganda » scribere « in evangelizatione gentium ». *Ratio*: [*cf. supra*: pag. 16, lin. 3]

Pag. 22, lin. 7. *Animadversio*: Praestaret Instituta Religiosa curare ut suae Institutiones activitatesque apostolicae minus pendeant a fluctionibus politicis, mittendo ad missiones sodales suos ex diversis nationibus. Ita spiritus magis evangelicus et catholicus appareat.

Pag. 22, lin. 16. Addendum est: « Itaque aliqui sacerdotes libenter se paratos praebeant, exhortante proprio Ordinario, ad totum suum ministerium erga non christianos aut etiam erga christianos egentia pastorum laborantes exercendum ». *Ratio*: oportet conficere exhortationem ita audacem ut pastores incitentur ad saltem 10% ex sacerdotibus designandum ad ministerium apud non christianos et non catholicos. Pluribus in locis enim sacerdotes non curant nisi de catholicis seque dedunt ministerio intenso (confessiones, missae solemnes, etc.) sed absque magno respectu ad suam evangelizandi missionem. Verus zelus apostolicus non potest circumscribi sola cura quod iam est conquisitum conservandi.

Pag. 22, lin. 39. Loco verbi « possunt » dicatur potius « tenentur », ut exhortatio pressius exprimatur.

Pag. 23, lin. 22: cf. etiam pag. 8, lin. 30; pag. 22, lin. 30; pag. 23, lin. 35. Summopere deceret ubique substituere vocabulo « Romanus Pontifex » vocabula seu locutiones sequentes aut eisdem similes: « Papa » (*De Ecclesia,* Pars I, pag. 27, lin. 35; pag. 28, lin. 9); « Summus Pontifex » (*ibid.,* pag. 12, lin. 6); « Supremus Pontifex »; « Vicarius Christi »; « Praesul seu Princeps Collegii Episcoporum »; « Pastor Ecclesiae Supremus »; « Primus Episcoporum »; « Dux Collegii Episcopalis »; « Beati Petri Successor »; « Episcopus Romae », etc.

Rationes: 1) Ad *veritatem* pertinentes: Prout successor Petri, electus ex duodecim ad fratres suos confirmandos, Summus Pontifex seu Papa universali munere curae animarum auctoritateque in ceteros episcopos potitur.

2) Ad *prudentiam* et *caritatem* pertinentes: Maximi momenti est ut nostri et *cogitandi* et *loquendi* modi tales sint ut, veritate salva, « ne quod offendiculum demus Evangelio Christi » (*1 Cor.* 9, 12; cf. etiam *Rom.* 14, 13; *1 Cor.* 9, 9; etc.). Porro, multi sunt christiani, scil. orientales cum catholici tum orthodoxi et alii, anglicani, lutherani aliique multi ex Reformatione orti, quibus maxime displicet

vocabulum « Romanus » semper coniunctum cum vocabulo « Pontifex ». Neque Ecclesiae orientales, neque Ecclesiae afro-asiaticae (etsi multa sunt ritus latini) neque communiones anglicanae et lutheranae, unitate obtenta, idcirco sunt aut erunt « Romanae ».

3) Ex *usu* sumptae: *a*) Non parum interest ad rem referre quod S. Thomas in *Summa Theologica* locutione *Summus Pontifex* 27 vicibus, at vocabulo *Romanus Pontifex* tantum 11 vicibus usus est. *b*) Sensim sine sensu, in documentis e Sancta Sede prolatis, voci « Romanus » substituitur vox « Summus ». Exemplum unum tantum proferam (licet *plurima* addere possem), scil. documentum pontificale cui titulus *Ordo Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi* (13 sept. 1963 - Editio altera recognita - Typis Polyglottis Vaticanis MCMLXIII). Cum in loco C.I.C. ad quem *Ordo* se refert, Papa semper nominatur « Romanus Pontifex », hic semper vocabulum « Summus Pontifex » adhibetur.

8

Exc.mus P. D. MICHAEL BERNARD
Archiepiscopus Brazzapolitanus

In n. 5 cap. I, legitur: « In hanc ecclesiarum fundationem cooperari debent omnes Ecclesiae vires... ». Iterum cap. IV schematis loquitur de collaboratione fidelium, membrorum Institutorum perfectionis, sacerdotum, episcoporum et conferentiarum episcopalium in opere apostolatus missionarii.

Ex altera parte, ut ait prooemium, necesse est ut vires omnium fidelium colligantur et dirigantur ut ipsa Mater Ecclesia ubique terrarum praesens fiat in salutem populorum.

Itaque lector mirari poterit cur in schemate non loquatur ullo modo, nec mera mentio facta sit de aliquo Instituto vel de aliqua Congregatione quae, in nomine Summi Pontificis, coordinare vires missionarias possit et eas rationabiliter distribuere inter partes omnes Orbis terrarum. Imperativa necessitas evidens est talis Instituti quod sit in auxilium et consilium novellarum Ecclesiarum et cuius ope praesertim vitentur dispersio necnon disperditio virium apostolatus missionarii.

De illo Instituto coordinationis in unitate, animationis quoque et auxilii paragraphus videtur esse necessaria, una tantum, quae locum habere posset in initio cap. IV vel in fine eiusdem capituli, per modum conclusionis.

Pag. 18, n. 17, lin. 35, ultima paragraphus ita mutetur: « Praeterea pro specializationibus obtinendis apostolatui in propria regione utilibus aptiores sacerdotes, cursu philosophico et theologico in proprio seminario expleto, e territoriis missionalibus destinentur ad studia academica in Universitatibus... ».

Ad mentem etenim schematis *de Sacrorum alumnis formandis*, pag. 12, n. 18, necesse videtur ut alumni formentur iuxta rationem studiorum a competenti auctoritate ecclesiastica institutam et accommodatam peculiaribus locorum temporumque adiunctis.

9

Exc.mus P. D. VITALIS BONIFATIUS BERTOLI

Episcopus tit. Attaeatanus, vic. ap. Tripolitanus

Schema *de Missionibus* ut iacet iuxta pauperem meum iudicium: bonum et practicum est, etsi multa praeclara contineat in votis. Attamen tantum hoc propono.

In *prooemio,* lin. 5 post « genuerunt Ecclesias » quae verba inducere possunt in errorem: Ecclesia Petrina... Ecclesia paulina etc. ac confusionem gignere: « Ergo plures Ecclesiae fundatae sunt »; mihi videtur magis conceptui Ecclesiae respondere, adiungere: « genuerunt Ecclesias in unica universali Ecclesia, quae Christi est » tamquam partes in toto.

In lin. 15 (transeat pro materialismo) expungatur « adversantur » ut actio positiva ex parte christianorum divisionis potius ponenda sunt verba: « provocant ex se, obstaculum progrediendi ». Memorare illa Domini Nostri Iesu Christi verba: « Regnum inter se divisum, dilabitur ».

Proh dolor! Quanta opera mirabiliter incepta, terminare non potuerunt, ob divisionem spirituum!

Adiungo: ut revera progressus habeatur et ut stabilis, oportet ut Deus incrementum det. Ergo...

In lin. 16, post « instrumentorum socialis communicationis » quae non semper et ubique possibilia sunt, adiungatur: « ubi habentur ».

Conclusionis votum, bonum est. Adiungo: « Ut omnes nos hic in unum in Christo et sub Spiritus Sancti inspiratione congregati, unum revera simus in adiuvando missiones et missionarios, ut hii vivere possint et operare!

Cap. III sub *A*) De missionariis exteris: art. 15 « Selectio et praeparatio Sodalium Inst.... »: *Optandum est ut ista* Instructio pro sacerdotibus petrinis et religiosis valeat, quia experientia edoctus superiores ac etiam directores, student se liberare et proinde in missiones mittere personas parum aptas et, quod Deus avertat, forsan ineptas et indisciplinatas.

Circa numerum missionariorum dicendum est: quod superiores avaritia laborant. Faxit Deus quod responsabiles liberalitate et generositate erga missiones laborent!

Cap. III sub *A*) art. 16, lin. 23: Quaenam est norma in re oeconomica erga laicos missionarios?... Ergo... episcopi, vicarii apostolici, praefecti apostolici etc. qui vim non habent subsidiandi laicos, mori debent in egestate absque auxilio laicorum...? Magni momenti haec est quaestio.

10

Exc.mus P. D. GABRIEL PAULINUS BUENO COUTO

Episcopus tit. Leucenus, aux. Taubaté

1. Schema hoc summi momenti esse videtur. Vult enim normas praebere quibus secutis, fides catholica per universum orbem propagatur ad omnium hominum salutem, efficaciori quo possit modo. Tanquam *Charta Magna* apostolatus catholici est habendum.

2. Attamen, humili meo iudicio, sentio hoc schema, prout modo iacet, huic universali expectationi non plene respondere. Dum mens studiose schema istud examini subicit, detegere non valet nexum idearum, quibus ditescit, etsi distinctis paragraphis contineantur. Etenim, v. g., cap. I agit de « Principiis doctrinalibus ». In hoc capite videntur ideae permisceri quae sunt circa ipsam rationem *externam* missionis Ecclesiae, scil. mandatum Domini (par. 1), deinde in eadem paragrapho (linn. 7 et ss.) iam sermo fit de materia seu de *re praedicanda,* ut, in sequenti paragrapho, transitus fiat ad *subiectum* missionis, seu *Ecclesia,* ad redeundum iterum, in par. 4, ad *materiam seu obiectum* missionis. In par. 5 sermo iam est de *fructu* istius missionis et tandem aliquando, in par. 6, definitio praebetur operis missionalis Ecclesiae, quae tamen non videtur sequi ex prioribus paragraphis. Omnia autem haec non videntur quomodo componantur cum titulo « De principiis doctrinalibus ». Idem, meo humili iudicio, dici oporteret de cap. II, « Rationes generales apostolatus missionalis ». Etiam hic, dum graves discutiuntur conceptus circa rem propositam, legenti autem mens non quiescit ob defectum « consequentiae » in eorum explanatione: hoc iam innuunt ipsi paragraphorum subtituli (« Spiritus evangelicus - Labor missionalis - Novellae Ecclesiae - De vita christiana - Adaptatio missionalis - De coordinatione apostolatus »). Tertium vero et quartum caput perspicaciori methodo rem sibi propositam evolvunt, ut legenti patet.

Liceat mihi nunc, pro modulo meo, aliquid proponere, quo servato, fortasse res tota de missionibus plenius atque gratius exponeretur.

3. Est sequens: Tota res de missionibus, quae in hoc schemate continetur, potest distribui apte in tot paragraphos quot sunt illae « circumstantiae » quibus tractatio de aliqua re compleri videtur, nempe: Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis. Quinam sunt dicendi *missionarii* Ecclesiae? *Lato sensu*: omnes Ecclesiae fideles, quia sunt membra unius corporis et tanquam membra desiderare et operari debent totius corporis aedificationem. *Stricto sensu*: illi soli qui mandatum seu missionem receperunt, nempe 1. Summus Pontifex, individualiter, ex directo et personali mandato seu missione *divina*; 2. collegium episcoporum, ex communi missione divina, pro tota Ecclesia; 3. singuli episcopi, ex missione canonica (pontificia) pro Ecclesia particulari; 4. fideles utriusque sexus, qui membra sunt Ordinis, Congregationis vel Saecularis Instituti Religiosi, specialiter ad missiones adprobati; 5. sacerdotes qui vi proprii muneris vel ex facultate sibi ab episcopo concessa, ad praedicandum mittuntur; 6. singuli fideles qui a legitima auctoritate ecclesiastica ad apostolatum assumuntur et mittuntur.

Quid. Quid praedicandum est? Christus eiusque mysterium, Corporis scil. eius mystici, quod est Ecclesia; oporteret praeterea, huius mysterii praeambula nuntiare, de quibus, hodierno tempore, falso sentitur: de recta hominis natura, prout Deus ipse eam ordinavit. Nisi de hominis natura recte sentiatur, ipsum mirabile Christi mysterium incassum praedicatur, cum homines aliter de se sentientes quam ipse eorum Creator, alio se vertant « cisternas dissipatas, non valentes capere aquas » sibi fodientes.

Haec et alia capita (*ubi,* etc.) a doctissimis commissionis viris aptissime explananda, non possunt non summum inferre gaudium in omnes qui in vinea Domini operantur, quippe qui viam tunc prae oculis habeant, schemate hac methodo confecto, plenam atque perlucidam.

Liceat nunc de schemate prout iacet sequentia notare: linn. 6-7, pag. 5 ... extenderetur. Et quanquam, etc. Non videtur nexus haberi inter ea quae praecedunt et quae nunc (et quanquam) dicuntur. Etenim prologus qui, iucunde pro merito res Ecclesiae extollit (« Christus Dominus... extenderetur », lugentissima nota (vera quidem!) prosequitur, ex abrupto transiens ad luctuosum missionum statum describendum (« Et quanquam... non amplius exstiturae », linn. 7-24).

Passim sermo fit de *novellis ecclesiis,* de *ecclesia* (simpliciter), de *ecclesia universali* (v. g. lin. 8, 22 [pag 6]; pag. 12, linn. 24, 33, 35, 37, etc.). Estne possibile nomen *ecclesiae* (simpliciter) attribuere *tantum* toti communitati christianae (scil. Ecclesiae universali) dum aliae eiusdem Ecclesiae « fractiones » simpliciter denominarentur *communitates catholicae,* vel quid simile? Hodie, ut videtur, ubique locorum nomen *Ecclesiae* est nomen *proprium,* signans distinctam quandam societatem, quae est *Ecclesia universalis* seu *catholica*; improprie proinde videretur produci ad significandas alias societates quae non sunt *universales,* etsi huius societatis universalis sint fractiones. Hoc ad claritatem et dignitatem *signati,* seu Ecclesiae.

Sermo etiam fit de hierarchia *autochthona* (pag. 12, lin. 28), de missionariis *exteris* (pag. 12, lin. 26) de episcopis e gente *propria* electis (pag. 12, lin. 29). Haec et alia similia, sine dubio, distinctiones innuunt utiles ad expositionem doctrinae, de qua in schemate; sed non videntur aptae, cum applicantur ad signandas personas seu gradus indicandos Ecclesiae ut *talis.* Discrimen inter personas seu res Ecclesiae, meo humili iudicio, non est desumendum ab eorum conditione geographica vel tribali, cum Ecclesia una sit, eiusque hierarchia et ministri (missionarii vel non), ubique locorum, ut *domestici* habendi sunt ab omnibus fidelibus, sine ullo respectu ad locum unde venerunt, etc.

Haec notanda habui, salva omnimoda reverentia erga clarissimam commissionem pro missionibus, Deum adprecans ut eidem munificentissima sua gratia assistat semper.

11

Exc.mus P. D. ALFREDUS CAVAGNA
Episcopus tit. Tianus

I. Quaestio *de Missionibus,* inter omnes huic Concilio propositas, procul dubio urgentissima est; attamen, cum schema *de Ecclesia* iam locum eminentissimum teneat, utilius mihi videretur ipsum schema *de Missionibus* huic schemati inseri, sicut pro schemate *de B. M. Virgine* actum est. Ita, uno capitulo, nonnisi generaliora principia colligerentur, normas practicas subsequentibus documentis relinquendo.

II. In privatis Patrum Concilii conversationibus, plures affirmarunt ipsum titulum « schema de Missionibus » immutandum esse cum alio magis apto, uti v. g.: « De munere evangelizandi » vel: « De variis conditionibus in quibus hodie Ecclesia versatur ». Nam locutio « terra missionum » ut offensiva habetur a quibusdam populis qui recenter politicam independentiam adepti sunt (quod in internationalibus conventibus - O.N.U. facile patet); hac locutione, enim, benefica Ecclesiae actio aliquando interpretatur sub lumine cuiusdam spiritualis colonialismi.

III. Si, e contra, locutio recepta servari cupimus, explicari debet quomodo « missio » totam Ecclesiam respiciat, quia omnes Ecclesiae particulares, etiam vetustissimae, in « statu missionis » versantur; omnes insuper nationes, etiam antiquae traditionis christianae, innumeris difficultatibus premuntur, uti, v. g. emigratione, atheismo, laicismo, exteriori immoralitate, quibus ipsa vita religiosa funditus minatur.

Capitulum « De missionibus » in schemate *de Ecclesia* inserendo, natura Ecclesiae pressius patebit; ipsa enim, utpote corpus Christi mysticum, membris iuvenibus et antiquis, fortibus et debilibus, aegrotis et sanis ornatur; unde munus et officium exurgit ea maiore cum sollicitudine adiuvare, quae maioribus in necessitatibus versantur.

Ad instar divini Fundatoris qui pauper vixit, et tamen infirmos curabat et turbas satiabat, Ecclesia debet seipsam in suo spectabili aspectu et in suis ministris tanquam « Ecclesiam pauperem » praebere, et tamen in suis operibus operam evangelizatricem et universalem caritatem mutuo sociare.

Huiusmodi interpretatione, in memoriam revocantur sive nationes in quibus saevit persecutio usque ad effusionem sanguinis, sive regiones quae nonnisi paucis abhinc annis evangelizari coeperunt, sive plagae vel nationes quas Ecclesia maxima cum sollicitudine sequitur propter subsidiorum carentiam et cleri inopiam, quamvis tanquam « terrae missionum » non habentur: cf. v. g. Americae Latinae.

Validius Ecclesiae adiumentum ad gravissimum problema famis (cf. Sermonem natalicium Pauli VI), leprae, mortis praecocis, iuvenum institutionis solvendum, praeiudicatas opiniones atque incomprehensiones paulatim debellaret, evangelizationis operi foveret, atque facile ostenderet actionem Ecclesiae eo tendere ut homines humilis conditionis, quin humiliaret, ad veram potius libertatem et independentiam efficaciter eveheret.

IV. Insertio capituli « de Missionibus » in schema *de Ecclesia*, insuper, facile ostendet problema evangelizationis esse problema Ecclesiae universae, cum sit officium praeeminens ecclesiasticae hierarchiae et etiam omnium christifidelium.

Hoc in loco, inseri deberet quod praesens schema dicit de episcopis, de presbyteris et de seminaristarum institutione. Pressius e contra, urgendum esset illud effatum quod evangelizatio est *officium etiam omnium christifidelium.*

Hodiernum schema *de Ecclesia,* praesertim capp. « De populo Dei et speciatim de laicis », et « De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia », bene explicat quomodo quivis christifidelis sit vivum Ecclesiae membrum et ideo illi incumbant responsabilitates in ordine non solum ad eius personalem perfectionem, sed etiam ad opera apostolatus.

Haec est optima occasio clarius explicandi omnibus indistinctim christifidelibus officium evangelizationis incumbere, iuxta uniuscuiusque possibilitates. Aliqua media ad hoc adhibenda iam memorantur in schemate; sed alia insuper proponenda videntur, uti v. g. exemplum operariorum et opificum, praesertim si technica specialitate donantur qui in his regionibus passim laborant; medici, aegrotantium ministri necnon magistri et professores cuiusvis sexus; ipsae familiae christifidelium quae cum sacerdotibus et fratribus coadiutoribus in exteras regiones transmigrant, ut officio evangelizationis plenius ac fecundius consulere valeant.

Inde a familiari institutione, ac deinde in scholis et in paroecialibus instructionibus, urgeri debet officium fratres adiuvandi qui in maiore pressura versantur;

quod officium ab ipsa solidaritate Corporis Christi mystici necnon et a christiano caritatis praecepto derivatur et consequitur.

In hoc oecumenico Concilio, invitatio altius resonare debet ut vita cuiusvis christifidelis plenius nobilitetur atque efficacius ad illam *mundi consecrationem* concurrat de qua clarius in ultimo schema Concilii sermo est; sed etiam in hoc contextu aliquid dicendum, vel saltem locus tractationis indicandus est.

V. Commissiones post-conciliares deberent profundius investigare, utrum eminentissimum evangelizandi munus Congregationi de Propaganda Fide, quae de cetero optime meruit, etiam in posterum reservandum sit, an potius dividendum et participandum inter varias Romanas Congregationes, iuxta uniuscuiusque competentias; hoc modo, quin efficacia minuatur, evitatur complexus inferioritatis profluens ex eo quod ab unica Congregatione quaedam nationes dependent; haec solutio, uti mihi videtur, melius ostenderet munus evangelizationis esse munus universae Ecclesiae.

12

EXC.MUS P. D. RICHARDUS CLEIRE
Episcopus tit. Tadamatensis

Prooemium. Le texte ne fait aucune allusion à la conjoncture actuelle des missions qui hypothèque tout leur avenir. Il ne suffit pas de signaler des facteurs favorables ou défavorables (2ème alinéa), apparaissant comme le développement normal du devenir historique. La conjoncture des Missions se définit, ces dernières années, non plus en termes d'évolution, mais bien de révolution. Ce sont des *res novae* — autant que celles que diagnostiquait Léon XIII dans sa célèbre Encyclique — nées de changements politiques profonds (fin de l'ère coloniale) et caractérisées par l'accélération de l'Histoire (montée rapide et accroissement démographique intense des jeunes Nations).

Dans cette conjoncture nouvelle, les problèmes missionnaires apparaissent, eux aussi, sous un jour nouveau: l'*Evangélisation* n'a jamais paru aussi urgente depuis la paix constantinienne, les *Jeunes Eglises* sont une réalité nouvelle appelant la sollicitude de toute l'Eglise, les problèmes des *pays en voie de developpement* ont une incidence inévitable sur l'activité missionnaire de l'Eglise. Ce jour nouveau, sous lequel se présente la Mission, le prooemium devrait s'efforcer de le décrire, en guise d'introduction à un schéma qui veut présenter la réponse de l'Eglise aux problèmes actuels.

1. *L'Evangélisation du monde.* Elle n'a jamais paru aussi *urgente*: malgré des siècles parfois d'efforts surnaturels, d'immenses espaces humains ne sont encore effectivement dans une attitude d'accueil et de réceptivité à l'égard du Message chrétien; l'accroissement démographique augmente d'une manière inouïe, chaque année, la multitude des hommes qui sont en dehors de l'Eglise.

Elle n'a jamais paru aussi *tragique,* du fait qu'elle se pose désormais aussi, et de plus en plus, dans les milieux jadis chrétiens et constituent maintenant les aires de déchristianisation ou de catholicisme purement sociologique.

Elle apparaît davantage affrontée à des problèmes humains, et de ce fait exige une mise à jour de ses méthodes: sa tâche ne réside plus tellement dans l'implantation géographique de l'Eglise, mais dans sa pénétration et son rayon-

nement dans les *espaces humains constitués* par chaque grande religion non-chrétienne, par l'athéisme, l'indifférence religieuse.

Enfin elle doit tenir compte de *facteurs d'actualité*: l'Œcuménisme et un respect accru pour les valeurs positives des grandes religions non-chrétiennes.

2. *Les Jeunes Eglises.* Les efforts d'évangélisation des siècles précédents ont donné naissance à une *réalité nouvelle*: les *Jeunes Eglises,* dotées d'une Hiérarchie residentielle. Ces Jeunes Eglises, en général, sont en pleine croissance, à la recherche d'une expression religieuse chrétienne conforme à leur individualité culturelle, à la recherche aussi d'une maturité qui ne peut résulter que de l'assimilation profonde de la tradition et de l'efflorescence de la vie de l'Eglise dans toutes ses dimensions.

Ces Jeunes Eglises sont dans une *situation nouvelle*: elles sont situées dans des contrées en voie de développement, se dégageant de toute tutelle, avec le risque de l'isolement et le danger de l'anémie au moment, précisément, où elles doivent opérer leur croissance en profondeur et en vitalité chrétienne authentique.

3. *Pays en voie de développement.* Notre époque est aussi caractérisée par la prise de conscience du devoir de venir en aide aux pays en voie de développement. Ces pays sont, en général, ceux des Missions et des Jeunes Eglises. L'Eglise, de ce fait, y connaît des devoirs spéciaux, qui se présentent comme autant de *situations nouvelles.* Dans quel sens opérer, compte tenu des profondes mutations sociales et politiques, l'adaptation des services sociaux chrétiens aux impératifs de l'heure? Comment maintenir intact, dans ces services sociaux, le caractère spirituel de la Mission de l'Eglise? Quelle orientation doivent-ils prendre dans un contexte qui s'affirme pluraliste et se caractérise par une socialisation de plus en plus poussée?

Le Concile, examinant devant Dieu ces graves problèmes, apportera aux Missions d'aujourd'hui et de demain, la réponse qu'elles attendent.

Cap. I. A première lecture, ce Chapitre paraît laborieux, un peu diffus, pas assez lumineux. A la réflexion, on constate qu'il aborde les questions essentielles.

Art. 1. L'essentiel de la Mission: apporter le Christ aux Nations.

Art. 2. Le Christ se révèle aux hommes par l'Eglise, dans laquelle travaille le Saint-Esprit.

Art. 3. Obligation pour l'Eglise d'apporter aux hommes l'Evangile, par la prédication suscitant la Foi et les Sacrements incorporant au Christ.

Art. 4. Elle fait la Mission dans le respect de l'homme, de la liberté des consciences, rejoignant la vérité de l'homme et répondant à l'attente des Nations.

Art. 5. Par la coopération de *toute* l'Eglise, de nouvelles communautés chrétiennes se créent et se forment. Une fois constituée, la Jeune Eglise doit être aidée d'une manière autre qu'auparavant.

Art. 6. En résumé, la Mission est l'action par laquelle le Corps du Christ s'étend visiblement.

Quelques lacunes sont à signaler cependant: 1. L'aspect christocentrique de la Mission est bien mis en relief; de même que ses aspects anthropologiques (Art. 4, fin Art. 5). La relation marquante est celle du Christ à l'homme et à l'humanité. Ceci offre le danger d'un certain anthropocentrisme. On pourrait ob-

vier à ce danger par un développement de l'Art. 6, lignes 21 à 23, qui montrerait davantage que la Mission du Christ, et donc de l'Eglise, est tout orientée *à la gloire de Dieu*: comme tout le dessein du salut, elle est « in laudem gloriae Eius » (*Eph.* 1, 3-14).

2. Vue dans le concret de son implication historique, la Mission a des incidences dans l'ordre temporel. Souvent, dès le stade de pré-évangélisation, la Mission se fait par des *services sociaux*; presque toujours, ils accaparent une bonne partie de l'activité missionnaire. Dans les circonstances actuelles, il serait souhaitable qu'un paragraphe (entre 5 et 6 sans doute) soit consacré à montrer comment, dans ces services sociaux, l'Eglise accomplit sa Mission véritable et authentique: prêcher le Christ, c'est aussi opérer la « consecratio mundi ».

3. Le texte, fondamental pour la Théologie de la Mission, de *Mt.* 28, 16-20, n'a pas vraiment trouvé place dans cet exposé doctrinal, où les citations scripturaires sont pourtant si nombreuses.

Cap. II. I. Art. 7: *Spiritus evangelicus.*

A. *Plan de cet Article*: *I alinéa*: Zèle pour l'évangélisation; ses qualités surnaturelles: esprit de service, don total de soi, conscience d'être l'instrument de Dieu qui est l'Agent principal. *II alinéa*: La nécessité de l'évangélisation, dans toute situation pastorale. *III alinéa*: Le témoignage de vie, plus important que la parole. *IV alinéa*: La pré-évangélisation: témoignage de vie évangélique; les pierres d'attente; adaptation au genre de vie local; œuvres caritatives (témoignage de l'amour du Christ).

B. *Réflexions*: 1. *L'urgence et l'ampleur d'un effort d'évangélisation.* Le second alinéa (qui devrait peut-être venir en tête de cette section) au lieu de parler en termes généraux de la nécessité de l'évangélisation en toute situation pastorale, gagnerait à donner une vue objective, c'est-à-dire à signaler ce qui caractérise la *situation actuelle*, l'*urgence de l'évangélisation* et son *ampleur.*

a) *Situation actuelle.* Par un effort d'évangélisation de plusieurs siècles, les Missions modernes ont abouti à une certaine implantation géographique de l'Eglise (catholicité géographique). Ceci fait d'autant ressortir le fait que d'immenses espaces humains, constitués par les grandes Religions non-chrétiennes, fortement intégrées culturellement, ne sont pas encore en état d'ouverture et d'accueil pour le Message chrétien (les statistiques accusent seulement 4% de catholiques dans les pays de religions chinoises; 1.8% pour ceux de religion bouddhiste; 0.3% pour les religions japonaises; 1.3% pour religion hindoue; 1.3% pour les pays musulmans. Cf. *Informations Catholiques Internationales,* 1 sept. 1963, page 16). Cette situation est tragique, parce que l'évolution démographique accuse d'année en année l'état de minorité des Chrétiens dans le monde.

b) *Urgence exceptionnelle* de l'évangélisation: à cause des phénomènes des mutations sociales et de la planétarisation. Ces peuples sont soucieux d'un développement économique et humain, qui aboutira dans l'avenir à une société plus stable, planifiée à l'échelle de la planète. Si l'effort d'évangélisation, en dépit de son immensité, n'est pas déployé sans retard selon l'ampleur qu'il demande à notre époque, l'occasion qu'offrent les mutations sociales échappera et le Christianisme, dans le monde de demain, risquera de ne représenter quantitativement à peu près que la valeur spirituelle des peuples occidentaux.

c) *Ampleur*: l'évangélisation est nécessaire et urgente aussi dans les zones

déchristianisées (par exemple en Europe) et de catholicisme purement sociologique (par exemple, Amérique Latine); ceci révèle toute l'acuité et l'ampleur du problème de l'évangélisation à notre époque.

Ces choses sont dites dans le Prooemium, mais d'une manière vague et sans nerf; de toute façon, il faut en reparler ici, car la vue objective de la situation actuelle est nécessaire pour tirer les conclusions qui s'imposent pour l'apostolat missionnaire.

2. *Un effort plus éclairé et plus concerté pour l'évangélisation.* Un effort plus éclairé et plus concerté est nécessaire pour la pré-évangélisation et pour l'évangélisation, afin de créer dans ces espaces humains des dispositions d'accueil à l'Evangile.

a) *Action éclairée.* Du point de vue humain: grâce au secours des sciences de l'homme: anthropologie, ethnologie, psychologie religieuse, étude des Religions; pour dépister les pierres d'attente, les failles qui permettront de susciter une inquiétude religieuse, par où tel aspect du Message pourra s'insinuer; pour venir au dévant des problèmes de vie, des besoins de synthèse, etc. Le kérygme, bien qu'il ne puisse pas être adapté dans son object, peut être amené suivant diverses voies d'ordre psychologique, religieux, humain, historique, en conformité avec l'attente, la « praeparatio evangelica » d'un chacun. Aussi, pour chaque grande aire culturelle ou religieuse, un nouvel effort de recherche doit contribuer à mettre mieux au point les méthodes de pénétration intérieure et de présentation du kérygme, en rapport avec le fond humain et religieux propre à chaque culture.

Du point de vue pastoral: une présence de l'Eglise ne suffit pas, même avec des Services Sociaux florissants (enseignement, hôpitaux, etc.). La présence de l'Eglise doit être telle qu'elle fasse question et suscite une inquiétude religieuse. Le seul témoignage de charité ne suffit pas: il doit être « lisible ». Donc, la parole jointe au témoignage, doit découvrir son sens.

A ce point de vue, le troisième alinéa est déficient: dire que Dieu attire au salut, plus par les exemples du Missionnaire que par ses paroles, semble une extrapolation. On donne volontiers un tel conseil dans les Noviciats, les paroisses chrétiennes; mais, du point de vue de l'évangélisation, il faut affirmer le primat de la Parole: « fides ex auditu, auditus autem per Verbum Christi ». La Parole est le moyen spécifique de l'évangélisation, lui-même inséparable et dépendant d'une vie authentique de charité: la Parole d'évangélisation est fécondée par la prière et la sainteté de vie.

Cette action doit s'éclairer... par les conclusions et les expériences de pré-évangélisation et d'évangélisation faites en d'autres milieux.

b) *Action concertée.* L'action de pré-évangélisation et d'évangélisation doit répondre à un plan d'ensemble pour chaque grande aire religio-culturelle, inspiré par des principes valables: il faut, en effet, une « stratégie » missionnaire, une pastorale d'ensemble pour l'évangélisation. Les espaces humains des grandes Religions forment en général un monde homogène et cohérent. Leur évangélisation doit être guidée par une vue d'ensemble, grâce à laquelle tous les efforts sont intégrés et poursuivent un but précis en harmonie avec les exigences du tout.

Les impératifs de l'évangélisation, en ce qui concerne les vastes espaces humains culturellement intégrés, ne peuvent trouver de solution vraiment valable à l'échelon diocésain ni à l'échelon des Conférences Episcopales. Certes, à ces

niveaux, les problèmes doivent être étudiés, mais ces études doivent converger vers une instance haute, à la tête même de l'Eglise.

c) *Conséquences*: *On devrait en déduire la nécessité*: 1) d'un *Secrétariat d'études,* auprès de la Sacrée Congrégation de la Propagande, pour les problèmes de la pré-évangélisation et de l'évangélisation. Il ne s'agit pas d'un Secrétariat pour les contacts et les relations avec les grandes Religions non-chrétiennes, mais un Bureau directement au service de l'action missionnaire, en vue de l'évangélisation proprement dite. Sa création exigera un personnel spécialisé, recruté dans le monde entier, notamment parmi les Missionnaires spécialisés, possédant et entretenant, en plus d'une science théorique une connaissance directe des situations concrètes et des mentalités. Ce Bureau devra donc être en contact avec les Bureaux similaires auprès des Conférences Episcopales et avec les Instituts Missionnaires spécialisés pour un milieu déterminé (c'est d'ailleurs ce que propose, d'une manière générale, le Schéma, page 16, ligne 5).

2) d'une *fonction directrice,* et pas seulement administrative, de la Sacrée Congrégation de la Propagande, en collaboration (pour l'étude et la direction) avec les Conférences Episcopales intéressées et les Instituts Missionnaires.

3) d'une *spécialisation* plus grande des Instituts Missionnaires suivant les milieux humains, et de la possibilité de leur conférer une *missio canonica* dans le cadre d'une pastorale d'ensemble pour la pré-évangélisation et l'évangélisation.

Cette *missio canonica* peut paraître compliquée à première vue et constituer une entorse au principe que l'Evêque résidentiel est le premier responsable de l'évangélisation dans son diocèse. Cependant, conçue dans de sages limites et pour l'évangélisation d'un milieu bien déterminé, il semble qu'elle soit une condition nécessaire pour l'efficacité. Dans les circonstances présentes, elle répond à une nécessité similaire à celle qui poussa le Saint-Siège, il y a 4 siècles, à instituer les Vicaires Apostoliques. Prenons un exemple, l'Islam. Il constitue un tout cohérent quoique si diversifié soit qu'il s'agisse du monde arabe de la Turquie, du Pakistan et de l'Islam en Afrique Noire. Dans ce monde d'Islam, il y a des centres de vitalité et de diffusion. L'attention doit être portée sur eux — et sans doute une action apostolique d'un genre spécial — ce qui demande une vue d'ensemble du problème échappant souvent aux Evêques locaux et même aux Conférences Episcopales. Il se peut que l'action apostolique, inspirée par la connaissance d'une vaste proportion homogène de ce monde de l'Islam, par exemple l'Islam en Afrique Orientale, doive s'exercer simultanément à divers points névralgiques, ou bien là où est possible une action par l'intérieur. L'Evêque résidentiel n'aura pas cette vue, il ne pourra pas en jauger l'importance. Il pourrait même être personnellement réticent, parce qu'il jugerait que son personnel apostolique doit être employé pour des besoins autres, qui, à son avis, sont plus urgents sur le plan diocésain. La seule solution est alors la *Missio canonica.*

Un raisonnement similaire peut-être tenu pour les autres grandes aires religieuses de l'humanité, et pour les zones déchristianisées.

4) d'une attention nouvelle, dans le monde entier, à éveiller et orienter les *vocations* spécifiquement missionnaires. Ce point devrait être développé dans le Chap. III. S'il ne trouvait pas sa place à cet endroit, il faudrait en traiter ici.

C. *Conclusion.* Au lieu de parler du « spiritus evangelicus », il vaudrait mieux que cet Art. envisage l'*urgence et l'ampleur de l'évangélisation,* et en déduise les conclusions qui s'imposent pour lui faire face par une pastorale d'ensemble: c'est-à-dire un effort nouveau d'évangélisation, plus éclairé et plus concerté. Ce serait le développement du 2ème alinéa actuel.

Le premier et le troisième alinéas pourraient trouver place au Chap. III: nous proposons en effet que ce Chap. III ne traite pas seulement de la formation missionnaire, mais des missionnaires eux-mêmes.

Le 4ème alinéa, qui traite de la pré-évangélisation, serait à reporter à l'Art. 8: Labor Missionalis, car il s'agit bien du travail missionnaire.

La matière proposée pourrait se répartir en 2 Art.: I Art.: Urgence et ampleur de l'évangélisation; II Art.: Un effort nouveau d'évangélisation, plus éclairé et plus concerté.

II. Art. 8: *Labor Missionalis.*

A. *Plan de cet Article. I alinéa*: l'évangélisation (sens restreint): la proposition du kérygme qui a pour but la conversion au Christ Sauveur; *II alinéa*: l'initiation chrétienne, le Catéchuménat; *III alinéa*: l'implantation de l'Eglise: communauté de foi, de culte et de charité, dotée de sa propre Hiérarchie.

B. *Réflexions.* 1. *Importance de cette matière.* Cette section est de la plus haute importance au point de vue pastoral. La Théologie de la Foi, sous son double aspect de conversion et d'illumination progressive est placée à la base de la pastorale de l'évangélisation et de l'initiation chrétienne.

La Théologie de l'Eglise, mystère invisible sous des signes visibles, est placée à la base de l'œuvre missionnaire d'implantation de l'Eglise; elle nous montre les dimensions selon lesquelles doit se faire l'initiation chrétienne que viendra couronner le Baptême: elle est un apprentissage de la vie en Eglise, communauté de foi, de culte et de charité.

La Théologie sacramentaire nous découvre que la montée du converti vers le Baptême doit se faire avec le secours des grâces conférées par l'Eglise au cours des rites liturgiques propres au Catéchuménat. Les trois Sacrements de l'initiation chrétienne viennent couronner tout l'itinéraire de Foi accompli par le catéchumène.

Cette section répond à un besoin très réel: dans la pratique, il y a trop souvent un manque d'attention à la conversion que doit susciter le kérygme: on se contente d'un désir trop vague et pas assez purifié dans ses mobiles. Pour le catéchuménat, trop souvent l'effort en vue de transmettre des connaissances d'ordre plutôt intellectuel l'emporte sur le souci d'initier vraiment à la vie en Eglise, communauté de foi, de culte et de charité. La pastorale de l'évangélisation, dans les territoires de Mission, a un besoin urgent d'être éclairée par les progrès opérés dans la Théologie de la Foi, dans l'ecclésiologie et dans la théologie sacramentaire. Elle doit davantage tenir compte des différentes étapes que doit normalement parcourir celui qui passe de l'infidélité à la vie plénière de fils de Dieu dans l'Eglise: étape de conversion, de l'initiation, de la mystagogie; tout ceci en conformité avec la Tradition patristique. Ainsi le Schéma des Missions ferait écho à la constitution *de s. Liturgia,* Art. 64-66.

Dans ces étapes prend normalement place la pré-évangélisation qui dans les circonstances actuelles demande un effort spécial de réfléxion et de pastorale.

Concurremment, les étapes pour l'implantation de l'Eglise se situent dans la formation d'une communauté chrétienne vivante, de foi, de culte et de charité, dans la formation d'un Clergé issu de cette communauté, et dans l'installation d'une Hiérarchie locale.

Il serait souhaitable que ceci soit repris en plus long dans un « Directoire d'Evangélisation » comme le propose le Schéma *De cura animarum*.

Ce serait peut-être ici l'occasion d'expliciter le statut propre du Catéchumène dans l'Eglise; il en est membre réellement quoique inchoativement.

2. *Destinataires de l'évangélisation*. Un mot devrait être dit pour les destinataires de l'évangélisation: ceci doit éclairer, non seulement l'apostolat missionnaire, mais la « stratégie » missionnaire.

En partant de *Marc* 16, 15: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae », et de *Marc* 16, 20: « Illi autem profecti praedicaverunt ubique », on peut inférer, selon l'accent universaliste mis sur la Mission de l'Eglise durant les travaux conciliaires, que l'évangélisation, dans son orientation primordiale, vise tous ceux qui ne sont pas établis dans la lumière du Christianisme, ceux qui ont renié le Christ aussi bien que ceux qui ne l'ont jamais connu; elle vise tous les milieux qui ne se trouvent pas dans l'aire de son rayonnement sacré, ceux qui ne comprennent plus sa voix aussi bien que ces régions qui ne l'ont jamais entendue.

Il ne suffit pas de parler des destinataires en général. Tout comme il y a un ordre préférentiel dans la charité, ainsi, dans les Saintes Ecritures, un ordre préférentiel apparaît pour l'évangélisation.

Positivement: les pauvres, les malheureux, les pécheurs (*Lc.* 4, 17; 7, 22; 15, 4; *Mt.* 9, 13, etc.); ceux qui n'ont jamais entendu la Bonne Nouvelle (*Lc.* 3, 43; *Mc.* 13, 10; *Mt.* 24, 14); là où l'Esprit Saint travaille plus intensément (où une porte est ouverte: *1 Cor.* 16, 9; ou bien où il y a une indication providentielle: *Act.* 16, 9-10; 10, 19; 13, 2); d'après la tactique paulinienne: aux endroits-clefs, d'où le rayonnement est facilité par les échanges sociaux.

Négativement: laisser à leurs propres responsabilités ceux qui refusent d'accueillir le Message et aller le porter à ceux qui sont de bonne volonté (*Mt.* 10, 14; *Act.* 13, 51; 18, 6). Ce dernier texte montre que l'ordre préférentiel dans l'évangélisation ne recouvre pas absolument l'ordre de la Charité, surtout quand on le compare avec *Rom.* 9, 3.

D'où l'on peut inférer que l'effort évangélisateur de l'Eglise doit être organisé dans le respect de cet ordre de préférence. Il devra se déployer davantage dans les milieux plus réceptifs à la Bonne Nouvelle; il devra donner une attention spéciale aux classes déshéritées, etc. Il faut en déduire donc que l'action missionnaire doit être organisée sur le plan de l'Eglise universelle, pour qu'il puisse être tenu compte de ces critères.

Si nous considérons la Mission évangélisatrice de l'Eglise sous son angle universel, il ressort de ces considérations que ce sont précisément les Jeunes Eglises qui constituent le terrain préférentiel où doit porter l'effort d'évangélisation: c'est là que se trouvent les pauvres, c'est là souvent que l'Evangile est le mieux accueilli, c'est là que le Saint-Esprit semble agir le plus intensément au point de vue conversion au Christ; c'est là aussi que souvent de grandes multitudes d'hommes, désirant une vie religieuse plus élevée que le paganisme, pas-

sent à l'Islam, alors qu'ils seraient venus au Christ s'ils avaient rencontré un Missionnaire et avaient eu à demeure chez eux, un catéchiste; c'est là enfin que se trouvent les aires des grandes Religions, c'est-à-dire des hommes liés à Dieu d'une manière plus intense que dans les milieux matérialistes d'Occident. Ces constatations ne peuvent diminuer en rien l'urgence d'un effort missionnaire dans les milieux de déchristianisation. Elles veulent seulement éviter une confusion qui n'est pas imaginaire: suite au slogan « la mission est partout dans l'Eglise, chacun est missionnaire », on se replierait sur soi négligeant l'effort requis pour la Mission Universelle d'Evangélisation.

3. *Problèmes connexes à l'évangélisation*: a) *Evangélisation et liberté de conscience*. Ce problème est d'autant plus d'actualité que des Etats sont portés à interdire à l'Eglise d'exercer sa fonction évangélisatrice à l'intérieur de leurs frontières; s'il est clairement établi que l'Eglise respecte la pleine liberté de conscience, qu'elle agit selon les droits de l'homme même en évangélisant, bien des griefs tomberont.

L'accueil au Message ne se fait pas grâce aux « persuasibilibus humanae scientiae verbis » (*1 Cor.* 2, 4), mais par la force de l'Esprit (*Rom.* 1, 16-17; *1 Cor.* 1, 18-25; 2, 1-5). Il y a, sousjacent à l'œuvre de l'évangélisation tout le Mystère de l'élection divine. Il réside, pour ce qui concerne Dieu, dans une faveur gratuite (quos trahit Pater, quos dedit mihi Pater) et doit se manifester, pour ce qui concerne le Missionnaire, dans le respect des consciences. Ceci engage à une attitude de tolérance chrétienne, qu'il serait sans doute opportun de signaler et de préciser bibliquement dans le Schéma *De Missionibus* quitte à renvoyer au Schéma XVII pour de plus amples développements.

b) *Evangélisation et Œcuménisme*. Au niveau de l'évangélisation, le problème œcuménique est parfois crucial. Dans le passé, il y a eu trop souvent de la concurrence, avec tous les égarements que, suite à la faiblesse humaine, elle peut comporter dans des paroles de dénigrement et des actes déloyaux. A ce niveau de l'évangélisation, l'esprit œcuménique ne serait-il pas à définir de l'acte de Foi, de la Charité, et de la poursuite du plus grand bien.

La *liberté de l'acte de foi,* interdit tout faux prosélytisme. L'évangélisation consiste en une proclamation sereine de la foi, éclairant les intelligences et les cœurs, tout en respectant la liberté des consciences et bannissant toute espèce de pression morale.

La Charité: devrait imprégner les jugements, et les attitudes des catéchumènes et des néophytes des catholiques, vis-à-vis des Frères Séparés et des Eglises qui ne sont pas en pleine communion avec Rome, tout en prémunissant contre le relativisme religieux, danger trop réel chez les âmes simples et qui est contraire à tout sain œcuménisme.

La poursuite du plus grand bien: les efforts d'évangélisation porteront avant tout sur les non-croyants, bien davantage privés du Christ que les Protestants qui lui sont incorporés fondamentalement par la Foi et le Baptême. Il faudra avoir conscience aussi que le mieux est parfois l'ennemi du bien: aussi une grande circonspection est nécessaire, afin de ne pas désunir des foyers qu'une Foi chrétienne, même imparfaite, anime spirituellement.

Au niveau des relations humaines et des services sociaux. Les prêtres catholiques s'efforceront de témoigner de la bienveillance et de la cordialité à leurs

Frères en Jésus-Christ qui, bien que séparés, sont Frères. Ils tâcheront d'entretenir avec eux des relations humaines et, à l'occasion de la Semaine de l'Unité, des relations chrétiennes se manifestant dans des prières communes. Il faudrait aussi s'appliquer à collaborer dans tous les domaines où, nonobstant les divergences dogmatiques, la collaboration est possible: notamment dans les Services Sociaux, dans les efforts pour donner une inspiration chrétienne dans le temporel, pour le rehaussement du niveau humain et spirituel en dehors du christianisme. Les dialogues œcuméniques sont souhaitables et les évêques devraient les encourager chaque fois qu'ils disposent de prêtres ayant la préparation requise pour cette tâche.

c) *Evangélisation et respect pour les valeurs religieuses et humaines en dehors du Christianisme.* L'Eglise a en face d'elle des valeurs religieuses, dans l'Islamisme, le Bouddhisme, l'Hindouisme, l'Animisme, etc. Les travaux conciliaires sur le *De Ecclesia* ont parlé de l'« Ecclesia ab Abel ». Ne serait-ce pas l'endroit dans le Schéma des Missions, pour creuser les applications actuelles de cette vue de la Foi, vis-à-vis des réalités de vie religieuse que l'on trouve dans le monde en dehors du christianisme?

Actuellement, dans les régions déchristianisées, la Mission de l'Eglise est affrontée à un humanisme plus ou moins athée. A l'exemple de Jean XXIII et de Paul VI, le Concile ne devrait-il pas tâcher d'en dégager les valeurs positives d'ordre religieux et moral qui se cachent sous ce refus apparent de Dieu?

Ce sujet sera sans doute traité à fond dans le Schéma XVII, mais le Schéma des Missions peut-il passer sous silence un tel problème si spécifiquement posé à l'évangélisation?

C. *Conclusion.* Cette matière pourrait être organisée à la suite des 2 Articles auxquels a abouti l'analyse de l'Article précédent (Spiritus evangelicus). Le tout pourrait former une Section, ayant trait à l'évangélisation. Nous aurions ainsi:

Cap. II. Par. 1 *De evangelizatione*: 1. Urgence et ampleur de l'évangélisation; 2. Un effort nouveau d'évangélisation, plus éclairé et plus concerté; 3. Les étapes de l'évangélisation et de l'implantation de l'Eglise; 4. Les destinataires de l'évangélisation; 5. Evangélisation et liberté de conscience; 6. Evangélisation et Œcuménisme; 7. L'évangélisation et les valeurs humaines et religieuses qui se trouvent en dehors du Christianisme; 8. Bureau romain d'études pour les problèmes d'évangélisation.

III. Art. 9: *Novellae Ecclesiae.*

A. *Plan de cet Article*: *I alinéa*: l'aboutissement de l'Œuvre missionnaire (implantation de l'Eglise) est la constitution de Jeunes Eglises; en quoi consiste une Jeune Eglise; *II alinéa*: caractéristiques des Jeunes Eglises: en état de croissance intensive qui requiert une très grande aide de la part de l'Eglise universelle; *III alinéa*: comment doit être assurée la croissance des Jeunes Eglises.

B. *Réflexion*: 1. *A propos du I alinéa*: La notion de Jeune Eglise n'est pas assez nette: elle doit être en rapport avec le Mystère de l'Eglise, son apostolicité sur le plan local (l'institution de la Hiérarchie), et non pas tellement sur le fait que l'évêque est autochtone (élement qui, quoique très important, n'est que secondaire). En somme, pour qu'il y ait Eglise locale — et donc Jeune Eglise — il faut: Une communauté de Foi et d'Amour, rassemblée par l'Eucharistie, ca-

pable d'assurer sa permanence dans le temps (familles chrétiennes) et sa croissance (apostolat des laïcs).

Donc les ministères: ce qui exige normalement que les familles qui composent cette communauté fournissent les vocations sacerdotales dans une certaine proportion.

Qu'un successeur des Apôtres préside à l'Eucharistie et dirige *en son nom propre,* la communauté de grâce; donc pas un Vicaire Apostolique, mais un Evêque Résidentiel; diocèse selon le droit commun, et non plus objet du Ius Commissionis.

Une mission se développe surtout par l'apport extérieur, organisé en vue d'implanter le noyau de l'Eglise. Une Jeune Eglise se développe surtout par la vitalité de son propre noyau, bien qu'elle ait besoin de l'aide extérieure pour qu'il se développe normalement. Il n'y a plus de Ius Commissionis; la Jeune Eglise devrait être régie par le Droit commun, droit assez souple pour être valable dans toutes les situations particulières de l'Eglise Universelle, là où elle est normalement constituée.

Certains pensent que l'état de Mission perdure tant que l'Eglise ne peut vivre sur ses propres ressources et qu'elle a besoin d'une aide extérieure en personnel. C'est céder à une conception trop sociologique de l'Eglise. Dès que la Mission de l'Eglise se réalise en un endroit, grâce à la « congregatio fidelium » dirigée par un Successeur des Apôtres, l'Eglise y est totalement et pleinement présente. Peu importe qu'elle soit pauvre: elle est totalement Eglise, au même titre que l'Eglise des Saints, dont parle St-Paul, qui était à Jérusalem et dont les collectes faites en Achaïe et en Macédoine permettaient de vivre. La pauvreté ne peut être un critère déterminant de « statut » de Mission d'une Eglise. Pas plus d'ailleurs que la pénurie de prêtres locaux: il ne viendra à personne l'idée que le Diocèse de Rome n'est pas Eglise au sens plénier, du fait qu'il ne suffit pas à fournir les prêtres dont il a besoin.

2. *A propos du II alinéa*: La Jeune Eglise n'est qu'un « germen divinum », est-il dit, un embryon. Il y a beaucoup plus: elle est sortie de la minorité et a atteint l'âge majeur; elle préside davantage elle-même à son propre développement, compte tenu de l'influx vital qui anime toute l'Eglise à partir de la tête et par la communion entre les membres.

Le texte caractérise la Jeune Eglise comme « continuo crescens sed auxiliis Ecclesiae universalis semper indigens »; c'est la croissance intensive, en vue d'arriver à un état de maturité vraie et profonde, qui assurera la stabilité et la vitalité par ses propres forces et ressources. Le troisième alinéa essaie de determiner le sens de cette croissance: Séminaire, catéchistes, apostolat des laïcs; mais ceci appartenait déjà à la phase d'implantation et ne suffit pas à caractériser l'état de Jeune Eglise.

Il faudrait dire en gros le sens véritable de cette croissance, ses conditions et les contingences propres dans lesquelles elle s'opère.

a) *Sens de la croissance*: La croissance doit se faire dans toutes les dimensions de la vie ecclésiale en symbiose avec les requêtes culturelles du milieu (manière de penser, valeurs de vie, modes d'expression, sens esthétique, « traces de Dieu » dans la culture ambiante, coutumes civiles et familiales, etc.). En somme, la croissance doit se faire selon la loi de l'économie de l'Incarnation.

Donc: une vitalité toujours plus accrue de la communauté de Foi, de Culte

et de Charité; un clergé toujours plus animé de l'esprit du Christ et de l'Eglise; un Episcopat sans cesse grandissant dans la charité pastorale, à la dimension de la Mission universelle du Collège Episcopal; une vie familiale se nourrissant de plus en plus de l'esprit de l'Evangile et donnant de nombreuses vocations; une variété de Congrégations Religieuses exerçant leur ministère spécifique, apportant leurs charismes de prédication, d'enseignement, de soin des pauvres et des malades, prenant part aux nécessités multiples des Diocèses; l'efflorescence de vie contemplative et d'Instituts spécifiquement missionnaires, car privée de ces états de vie bien particuliers, la vie chrétienne dans un Diocèse n'a pas encore atteint sa maturité; un laïcat vraiment conscient de son sacerdoce royal et prophétique, engagé dans ses tâches propres; une communion à la vie dont le Saint-Esprit marque son Eglise: ressourcement biblique et liturgique, souci œcuménique, orientations majeures de la pastorale...

Ceci suppose, au fondement, une réflexion théologique à base de Bible et de Tradition, originale du fait qu'il tient compte des valeurs et du génie de la culture ambiante; réflexion théologique qui determine l'adaptation catéchétique et liturgique, l'adaptation des formes de piété populaire; ceci suppose en outre une adaptation des formes de la vie religieuse, de la législation ecclésiastique, de la doctrine sociale de l'Eglise.

b) *Conditions de la croissance.* Pour que puisse se réaliser l'individualité propre dans l'unité catholique, deux conditions sont requises. D'une part l'assimilation authentique de la Tradition, âme de l'Eglise, que le Saint-Esprit a transmise jusqu'à nous à travers les traditions orientales et occidentales; d'autre part, l'expression de cette Tradition dans des « traditions » locales, faisant corps avec le génie, les dominantes culturelles et ses modes d'expression, constituant ainsi ce milieu éducatif vivant nécessaire à la vie chrétienne. Le principe de base est donc la Théologie de la « catholicité », de la Tradition (pour l'importance que nous attachons à la Tradition, la distinction entre Tradition et traditions, le rôle de ces dernières, cf. GONGAR, *Tradition et Vie de l'Eglise,* Fayard, 1963).

D'où l'importance primordiale de la bonne formation du clergé local, appelé à être l'instrument de cette croissance (sujet à traiter dans le Chap. III).

c) *Contingences dans lesquelles s'opère cette croissance.* Les Jeunes Eglises sont tragiquement démunies de moyens: pénurie de prêtres, manque de ressources (pays en voie de développement).

Bien que majeures, ces Jeunes Eglises n'ont pas la maturité que, seule, confère l'assimilation profonde de la Tradition authentique, assurée: par des institutions stables: Centres de pensée (Université, Ordres Religieux) et de vie chrétienne (Ordres monastiques) ayant un enracinement et une tradition solides; par un milieu ambiant imprégné de valeurs chrétiennes (souvent dans les Jeunes Eglises, la pression du milieu joue dans un sens contraire); par des familles ayant une longue tradition chrétienne (milieu vraiment éducatif).

Les dangers de l'isolement et du repliement sur soi.

Affronter au syncrétisme religieux, à l'indifférentisme, au matérialisme. Il faut en outre considérer que le monde n'a plus de frontières. Les idéologies pénètrent partout. Les Jeunes Eglises ont à faire face à la pensée marxiste, à la libre pensée.

3. *A propos du III alinéa.* Le texte devrait davantage spécifier comment assurer la croissance des Jeunes Eglises. On peut distinguer:

a) *L'aide de l'Eglise Universelle.* La « communion » (koinonia) des Eglises est la réalité ecclésiale qui doit présider à la croissance des Jeunes Eglises, communion grâce à laquelle chacun communique aux autres de ses biens suivant les besoins de chacun.

Les biens spirituels: l'Eglise Universelle a le devoir de communiquer, incessamment, aux Jeunes Eglises le trésor de la Tradition, le « sens catholique », alimenté sans cesse par le retour aux sources — qui permettra l'éclosion des « traditions » chrétiennes locales, en continuité avec la Tradition et répondant à l'individualité propre. Les Jeunes Eglises communiqueront aux autres Eglises un souffle nouveau pour l'apostolat, une réflexion théologique particulière qui enrichit la pensée chrétienne, des situations qui forcent à mieux cerner l'essentiel du christianisme, de la législation canonique, etc.

La communion doit se faire aussi au niveau des principes et des pratiques pastorales: grâce à une confrontation, à une réflexion mûrie, cet échange ira dans le sens d'une vitalité plus grande de la vie chrétienne, d'autant plus, comme nous l'avons dit, que les idéologies ne connaissent pas de frontières.

Une aide en personnel. Il serait nécessaire de renouveler l'appel de « Fidei donum », afin de subvenir à la pénurie du clergé. La chose, signalée ici, devrait être traitée au Chap. III.

Une aide en ressources: la communion ecclésiale devrait être remise en honneur en vue de fournir aux Jeunes Eglises les ressources matérielles dont elles ont absolument besoin pour vivre. L'appel à un tel principe n'est pas inventé pour le besoin de la cause. Il est inspiré des directives du Concile de Jérusalem: « Tantum ut pauperum memores essemus » (*Gal.* 2, 10), que Saint Paul eut tant à cœur d'appliquer. A la lecture de ses Epitres nous voyons l'importance majeure qu'il accorde à la collecte que lui-même organise en faveur de l'Eglise pauvre de Jérusalem. Cette collecte est quelque chose de distinct des oblations faites pour subvenir aux frais causés par l'évangélisation (dont il est question en *Phil.* 1, 5; 4, 15-16; *2 Cor.* 11, 8-9). Cette entraide est également signalée dans la lettre de Denys de Corinthe que cite Eusèbe de Césarée (*H. E.* IV, XXIII, 10).

Nous constatons donc, dans l'Eglise primitive, que ce ne sont les Eglises pauvres qui se font mendiantes, mais bien les Eglises plus favorisées qui viennent au devant des besoins des Eglises pauvres. Actuellement les Evêques des Jeunes Eglises doivent parcourir le monde en mendiants!

D'où la nécessité, pour les Conférences Episcopales dans le monde entier, d'avoir une Section, non seulement pour le devoir missionnaire, mais aussi pour l'aide aux Jeunes Eglises: ceci devrait être développé au Chap. IV.

b) *La vigilance active du Saint-Siège.* « Confirma fratres tuos ». Rôle animateur vis-à-vis des Conférences Episcopales des Jeunes Eglises: suivre leur travail, veiller à leur orientation, susciter et suivre l'effort d'une saine adaptation, éviter (en coordonnant ou groupant les Conférences) une diversité qui irait à l'émiettement et au chaos, veiller à la compétence des organismes stables des Conférences Episcopales, présider au plan mondial à la répartition des ressources et du personnel, etc.

c) *Structuration des Conférences Episcopales des Jeunes Eglises.* La croissance des Jeunes Eglises demande une adaptation très profonde de la Liturgie, de la réflexion théologique, de la législation canonique, de la vie religieuse, de

la doctrine de l'Eglise. Dans cette adaptation, ce qui importe, c'est l'assomption des éléments essentiels qui caractérisent chaque grande aire culturelle; vouloir faire une adaptation en tenant compte de toutes les particularités locales, régionales, ou même nationales, aboutirait à de l'émiettement. Il faut veiller à ce que la vie de l'Eglise soit sensiblement la même entre peuples voisins, partageant une même culture fondamentale.

Le seul moyen d'assurer cette adaptation fondamentale est la structuration des Conférences Episcopales selon les grands ensembles culturels. Toute autre solution serait illusoire: il faut, en effet, des organismes d'étude et d'action, doués d'une réelle compétence, qu'il serait impossible d'établir à l'échelon des Conférences Episcopales Nationales, faute précisément de personnel vraiment compétent.

Un autre aspect du problème est à considérer: les Conférences Nationales, appartenant à une même aire culturelle, sont en général affrontées aux mêmes problèmes pastoraux, se présentant avec les mêmes particularités. Que l'on songe aux mêmes tendances étatiques en vue d'une socialisation en continuité avec les formes sociales traditionnelles dans telle culture, aux conditions concrètes dans lesquelles le pluralisme s'établit, à la teinte particulière que prennent les idéologies occidentales, aux dangers intérieurs à l'Eglise (syncrétisme, relativisme, isolement et repli sur soi); l'on constate que ces problèmes sont largement communs et offrent les mêmes nuances fondamentales dans une même aire culturelle.

En outre, les leçons de l'Histoire, même récente, nous montrent que des pays ont tendance à se replier sur eux-mêmes jusqu'à s'isoler complètement. Il faudrait trouver un moyen juridique pour permettre aux Eglises isolées et sans communication avec le dehors de perpétuer leur Hiérarchie.

d) *Les Instituts Missionnaires*. Leur tâche n'est pas terminée avec l'extinction du Ius Commissionis qui devrait faire place à un Debitum adiuvandi; leur rôle propre est de continuer à « fonder » l'Eglise, conformément à leur vocation et leur charisme. Ceci demande une certaine reconversion de leurs activités, point qui devrait être traité au Chap. III.

C. *Conclusion*. Toute cette matière pourrait être organisée, sous le titre « Jeunes Eglises » correspondant au précédent sous-titre: « L'évangélisation ».

Par. 2: *De novellis Ecclesiis*: 1) Ce qui caractérise les Jeunes Eglises: Réalisation locale de tout le Mystère de l'Eglise; croissance intensive, vers la maturité chrétienne; besoin urgent de l'aide de l'Eglise Universelle; contingences au milieu desquelles s'opère cette croissance.

2) Les dimensions selon lesquelles doit se faire la croissance des Jeunes Eglises.

3) Conditions nécessaires à la croissance des Jeunes Eglises: Tradition et Traditions; formation saine du Clergé local.

4) L'aide de l'Eglise Universelle (Communion des Eglises): Communion dans les choses spirituelles, pour l'aide en personnel, pour l'aide en ressources; le devoir spécial des Instituts Missionnaires.

5) La structuration des Conférences Episcopales des Jeunes Eglises.

6) Le rôle animateur du Saint-Siège.

IV. Art. X: *De vita christiana.*

A. *Plan de cet Article*: Les 4 premiers alinéas parlent successivement de l'approfondissement de la vie chrétienne, nécessaire à l'édification de l'Eglise: comment se fait cet approfondissement (assez moralisant); comment elle exige le développement de la vie religieuse; la charité, test de la vie chrétienne.

Remarque. Il n'y a pas grand'chose d'original, pâle rappel des Encycliques missionnaires. Ce serait dit d'une manière organique en intégrant ces données dans les facteurs de croissance des Jeunes Eglises.

Le 5ème alinéa traite du témoignage de la foi, et le 6ème des services sociaux.

B. *Réflexions.* Ces deux dernières matières mériteraient d'être traitées sur la base du Sacerdoce des fidèles, qui est prophétique et royal. Ce qui est dit des Services Sociaux devrait rejoindre le problème actuel de l'insertion de ces Services dans l'ensemble des efforts des Etats en vue du développement communautaire. Ce serait alors répondre aux préoccupations actuelles de l'Eglise dans les pays de Mission. Le problème est complexe, aussi il vaut bien la peine d'un peu s'y arrêter.

1. *Situation nouvelle.* Une révolution sociale très profonde a transformé les conjonctures dans la plupart des pays de Mission. Un ancien régime a disparu: le nouveau régime rénove tout. Naguère les services sociaux de l'Eglise fonctionnaient dans un esprit de collaboration, pour le bien commun, avec les Puissances Coloniales. Actuellement, avec l'éveil des Jeunes Nations les situations sont neuves. Les Gouvernements sont justement préoccupés de former la conscience nationale, et dans les circonstances difficiles du sous-développement, de promouvoir le bien commun. La promotion du bien commun exige une planification d'autant plus impérieuse et exigeante que les ressources sont limitées et l'équipement réduit. De plus, la socialisation devient, plus vite qu'ailleurs dans le monde, l'idéologie selon laquelle l'Etat s'édifie, car, non seulement elle paraît indispensable pour le développement, mais elle répond aux requêtes de la culture ambiante. L'Eglise cherche donc, pour ses Services Sociaux, un modus vivendi qui harmoniserait la liberté d'action nécessaire à sa mission et les impératifs du bien commun: d'une part, sa Mission spirituelle l'empêche de collaborer aux plans de développement comme le ferait une organisation purement philanthropique; d'autre part, consciente des nécessités urgentes du bien commun, elle ne veut pas maintenir des états de fait où, dans ses Services Sociaux, elle jouissait d'une assez grande liberté d'initiative et d'action.

2. *Nécessité pour l'Eglise Missionnaire de s'occuper du domaine social.* L'Eglise ne peut pas rester indifférente devant les misères: ignorance, maladie et faim: d'une part à cause de son animation de charité voulue si expressément par le Christ; d'autre part parce que, continuant la Mission du Christ, elle est envoyée pour prêcher le Royaume et aussi guérir de toutes misères et infirmités. Dans ces deux activités, le même but final est poursuivi, car derrière ces facteurs de misère humaine, Satan est à l'œuvre pour s'opposer au progrès de l'Evangile (cf. *Vocabulaire de Théologie Biblique,* Léon-Dufour, article *Démons,* col. 200). A notre époque, la charité s'exerce d'une manière plutôt sociale qu'individuelle: écoles, hôpitaux, œuvres sociales de tous genres; elle a donc, par le fait, une insertion plus grande dans le temporel.

Cette extension, dans le temporel, de la Mission de l'Eglise, s'exerce par l'action de ses membres. Mais cette action revêt une originalité que ne connaissent pas les œuvres purement philanthropiques: le Chrétien est à la fois et indissociablement citoyen d'une Patrie terrestre (donc vocation humaine, devant concourir au perfectionnement de la création matérielle, au bien commun de la Cité) et citoyen du Royaume des Cieux (vocation chrétienne, sacerdoce royal et prophétique qui veille à élever le niveau spirituel des hommes, les rapprocher de Dieu, répandre l'esprit du Christ). Les Services Sociaux chrétiens, en plus de la spécification propre déterminée par leur but immédiat, revêtent donc une dimension purement spirituelle. Celle-ci est inaliénable, l'Eglise ne pouvant pas renoncer à sa mission, les chrétiens ne pouvant pas faire abstraction de leur régénération dans le Christ.

La Hiérarchie a parfois à s'occuper directement de l'organisation ou du fonctionnement des Services Sociaux ou de certains de leurs aspects, soit par devoir propre (par exemple, pour les écoles), soit par mode de suppléance, en attendant que les laïcs soient en mesure de les assumer complètement. Dans l'un et l'autre cas, ce qui l'anime, c'est uniquement un esprit de service: service vis-à-vis du bien commun, et au service de sa Mission spirituelle — et non pas le désir d'affirmer une quelconque puissance dans le temporel. Toujours elle veut rendre à César ce qui est à César.

3. *Œuvres caritatives, éducatives et sociales de l'Eglise dans les conjonctures actuelles des Missions. a*) Voulant être au service du bien commun, les Services Sociaux de l'Eglise s'intègrent normalement dans les plannings fixés par les Gouvernements, ils s'exercent en pleine collaboration avec eux, dans le respect de leurs directives légitimes; ils évitent de s'établir en réseau parallèle et, a fortiori, concurrentiel. Les droits de l'Etat concernant le caractère national de l'éducation sont tout spécialement respectés.

b) Etant au service de la Mission spirituelle des chrétiens dans le monde, les Services Sociaux de l'Eglise, tout en se mettant loyalement au service du bien commun tel que l'Etat le promeut, doivent conserver la liberté d'action nécessaire à assurer la Mission de l'Eglise, tant vis-à-vis de ses membres (entretenir la vie chrétienne) que vis-à-vis de ceux du dehors (en se recommandant à la conscience de tous, sous les yeux de Dieu, par la manifestation de la vérité, *2 Cor.* 4, 2).

c) Se mouvant dans une Société pluraliste et au service du bien commun, les Services Sociaux de l'Eglise sont ouverts à tous, sans discrimination. Mais un sain pluralisme exige l'harmonisation des droits des individus avec ceux de la société civile et ceux qu'exige la Mission de l'Eglise. Les Services Sociaux ne sont pas des instruments de prosélytisme, mais respectent la liberté des consciences, tout en permettant à l'Eglise d'exercer sa Mission propre.

d) Enfin, dans les mêmes conditions, les Services Sociaux de l'Eglise collaborent avec les Institutions Internationales.

C. *Conclusion.* Cette matière pourrait être organiquement insérée au Schéma: 1) Comme il a été dit, il faudrait montrer dès le Chap. I, les fondements doctrinaux selon lesquels la Mission spirituelle de l'Eglise a des incidences dans le temporel tout en restant elle-même; 2) la réponse aux problèmes actuels que pose la situation des Missions pourrait venir dans la Section des Jeunes Eglises, à la

suite de ce qui a été indiqué page 16, à savoir: 7. Les Services Sociaux des Jeunes Eglises.

V. Art. XI: *Adaptatio missionalis.* Vu le développement suggéré plus haut au sujet des Jeunes Eglises, vu aussi ce qui a été dit ailleurs dans le Schéma, tout cet article devient inutile. En effet:

I alinéa: *l'Evangile respecte les cultures, les purifie et les vivifie.* - Observations: *a*) Formulation très peu nuancée: tout dépend de la réponse de la Foi; *b*) principe doctrinal exprimé déjà au Chap. I, Art. 4 et 5.

II alinéa: *les Missionnaires doivent se faire tout à tous.* - Observations: *a*) C'est déjà dit à l'Art. 7, IV alinéa; *b*) serait mieux à sa place lorsqu'on parle explicitement des Missionnaires, au Chap. III.

III alinéa: *parce que Catholique, l'Eglise respecte les diversités en les assumant dans une Unité supérieure.* - Observations: C'est déjà dit au Chap. I, Art. 5.

IV alinéa: *Les Néophytes doivent continuer à vivre selon les habitudes de vie de leur région.* - Observations: *a*) Vise ce qui est tout-à-fait extérieur à l'adaptation: on passe sous silence son élément essentiel: l'adaptation au génie et aux valeurs de vie; *b*) par manque de nuance, ce texte peut être mal interprété, à savoir dans le sens que l'Eglise s'opposerait à l'évolution.

V alinéa: *L'Eglise a toujours inculqué l'esprit et les règles de l'adaptation.* - Pas d'observations.

VI alinéa: *applications au Culte.* - Observation: Semble ne considérer que les éléments extérieurs. Par ces éléments extérieurs, l'Eglise va *paraître* chinoise, japonaise, africaine, sans l'être nécessairement. Ce qui importe, c'est l'*esprit*: s'adapter à la mentalité, aux valeurs d'Eglise, au génie. Ceci est le principal et a été dit à l'Art. 7, lignes 25-28; à l'Art. 8, lignes 34, 9, 12.

VII alinéa: *assumer les éléments culturels sains dans la formation chrétienne et humaine; députer à ce travail des hommes compétents.* - Observations: Ceci serait dit d'une manière plus organique à propos de la croissance des Jeunes Eglises, comme cela a été suggéré plus haut.

VIII alinéa: *Instituts d'Etude auprès des Conférences Episcopales pour l'adaptation.* - Observation: ceci est dit d'une manière plus organique dans les amendements proposés au sujet de l'Art. 9.

VI. Art. 12: *De coordinatione apostolatus.*

A. *Plan et observations*: *I et II alinéas*: l'Evêque dirige la Pastorale dans son Diocèse. Les Supérieurs Religieux doivent le rencontrer souvent, pour une ample collaboration. Nécessité de reconnaître les normes juridiques réglant les relations entre l'Autorité Episcopale et les Instituts Missionnaires. - Observations: Les 2 premiers points reprennent vaguement des éléments mieux développés dans le *De cura animarum.* Comme il n'y ajoute rien, au contraire, il vaut mieux ne pas en parler.

Le 3ème point serait mieux à sa place lorsqu'il est question des Missionnaires; donc dans le Chap. III, selon l'orientation que nous proponons.

III alinéa: *Conférences Episcopales en Pays de Mission*: *leur utilité. Liberté d'application laissée à chaque Evêque.* - Observation: Le texte présume de la

force *obligatoire* des décisions des Conférences Episcopales. Or, le Schéma *De episcopis et dioecesium regimine,* et les discussions conciliaires à son sujet, n'allaient pas du tout dans le sens d'une obligation juridique. Les présentes considérations sont donc inutiles.

IV alinéa: les Conférences Episcopales ne doivent pas oublier l'évangélisation. - Observation: Ceci est vrai pour l'Eglise Universelle, et pas spécialement pour les Missions. Mieux vaut donc renvoyer au *De cura animarum.*

V alinéa: représentation de l'Episcopat et des Instituts Missionnaires auprès de la Sacrée Congrégation de la Propagande. - Observation: Ceci a été repris plus haut.

B. *Conclusion.* Si l'on adopte les suggestions faites pour rendre ce Chap. II plus organique, la présente matière est intégrée tout naturellement dans le plan que nous avons déjà proposé.

Cap. III. A. *Observation générale*: ce Chap. a un objet très précis: la Formation Missionnaire. Presque tout ce qu'il en dit se trouve dans les Encycliques Missionnaires; il y ajoute une insistance, heureuse, sur l'orientation missiologique, pastorale et même technique, adaptée à l'apostolat missionnaire. Mais, rester dans ces généralités risque de laisser passer inaperçus certains problèmes urgents, posés par la conjoncture actuelle.

Vu son objet si précis, la « formation », à propos de catégories de personnes dont il est question ailleurs dans le Schéma, il donne lieu à des doublets et à des redites. Doublet pour les Missionnaires (Art.13 double Art. 7, alinéas 1 et 3); pour les Religieux (Art. 15 double Art. 22, alinéa 1); pour les Auxiliaires Laïcs (Art. 16 est en complément de l'Art. 21, alinéa 4); pour les Enfants (Art. 16, alinéa 1, double Art. 23, alinéa 4); pour la formation à l'apostolat des Laïcs (Art. 19 double Art. 23, alinéa 4). Ces doublets sont inévitables dans le plan adopté par le Schéma.

Cependant la conjoncture actuelle pose certains problèmes d'une manière très aigüe; nous allons les examiner. En vue de les intégrer en ce Chap. III, il serait nécessaire d'en élargir le Titre: au lieu de traiter uniquement de la « Formation Missionnaire », il aurait pour objet les « Agents de la Mission: De iis qui in missionibus adlaborant ».

B. *Problèmes d'actualité*: 1. *Les Missionnaires.* Les circonstances actuelles demandent que la vocation missionnaire soit revalorisée en elle-même. Suite à la prise de conscience que tout chrétien est missionnaire, suite également à la possibilité, largement ouverte par *Fidei donum,* pour les prêtres diocésains d'aller travailler un certain nombre d'années dans les Missions, une mentalité se répand parmi le clergé de certains pays, et par son entremise, parmi la Jeunesse et les familles, à savoir que la vocation missionnaire est désormais anachronique. Or, la vocation spécifiquement missionnaire est un élément non seulement traditionnel dans l'Eglise, mais absolument indispensable. Le Corps Episcopal, avec et sous le Souverain Pontife, a la responsabilité de faire face à l'immensité et à l'urgence des problèmes d'évangélisation. Dans ce but, il a besoin d'instruments. Ces instruments sont les Congrégations missionnaires: de tout temps dans l'Eglise il y a eu des corps spéciaux « mis à part pour l'œuvre d'évangélisation », caractérisés par une vocation spéciale, des charismes particuliers et une formation spécialisée.

Ces dernières années, les vocations missionnaires sont en baisse, alors que, à cause du développement des Chrétientés, les tâches sont de plus en plus grandes et urgentes. Dans les conjonctures actuelles de l'accélération de l'Histoire, cette baisse prend des proportions tragiques (chiffre pour l'Afrique Noire: de 1949 à 1961, pour une augmentation des Catholiques de 104%, celles des Missionnaires n'a été que de 62%). L'augmentation des Seminaires, des Instituts d'Education, des Œuvres d'Apostolat des Laïcs mobilise à tel point le personnel que les effectifs pour le ministère paroissial et l'évangélisation sont dangereusement amenuisés. Les toutes dernières années accusent une baisse effrayante dans les envois de missionnaires: pour 1955-1957, 733 nouveaux missionnaires; pour 1957-1959, 556; pour 1959-1961, 331. Ce mouvement de baisse continuera à s'accentuer au vu des maigres effectifs de recrues dans les maisons de formation. Qu'on ne pense pas que l'augmentation du clergé local et des prêtres Fidei donum compense la baisse des missionnaires; en effet, avec l'apport de ces 2 derniers groupes, l'augmentation des prêtres de 1949 à 1961 n'a été que de 70%. Pour maintenir les proportions de prêtres de 1949, l'Eglise devrait avoir actuellement en Afrique Noire au moins 1000 prêtres externes en plus! (Cf. J. MASSON, *Nouvelle Revue Théologique,* mars 1963, pages 280 et suivantes).

C'est donc un vrai cri d'alarme qu'il faut pousser. Il y va de la vie ou de la mort des Missions. Aussi, est-il non seulement opportun, mais nécessaire que le Schéma traite du sens de la vocation missionnaire, du rôle des Instituts Missionnaires, du devoir des prêtres d'éveiller et d'orienter les vocations spécifiquement missionnaires, et de la nécessité d'un redoublement de prières pour les Missions (ces 2 derniers points relèvent du Chap. IV).

a) *La Vocation Missionnaire. La Sainteté Missionnaire. La Formation des Missionnaires.* Restant sauve la transcendance de la vocation paulinienne (il est envoyé directement par le Christ et non par Pierre; il a la grâce incommunicable de révéler le Mystère du Christ; il a les charismes propres aux membres du Collège apostolique), Saint Paul est le type de la *vocation missionnaire,* que réalisent, dans la Primitive Eglise, les Evangélistes (*Act.* 21, 8; *Eph.* 4, 11; *1 Tim.* 4, 5), les collaborateurs de St. Paul, les Apôtres itinérantes que signale la *Didachè,* et dont l'œuvre et l'esprit sont décrits par Eusèbe de Césarée. Ces vocations se retrouvent à toutes les époques de l'Histoire de l'Eglise sous des formes différentes; elles se concrétisent, dans les temps modernes, dans les Congrégations et Instituts spécifiquement missionnaires. Elles consistent en un choix de Dieu « une mise à part pour l'œuvre d'évangélisation - Segregatus in opus Evangelii », et comportent des charismes spéciaux en vue de la conversion et de la fondation d'Eglises parmi les Gentils; elle entraîne une forme particulière de sainteté, tout orientée sur l'évangélisation (Eusèbe la décrit dans ses grands lignes), et, à notre époque, demande une préparation, une formation adaptée au but envisagé. Le texte de Galates 2, 7-9, où il est dit: « Celui qui avait agi en Pierre pour faire de lui un Apôtre des circoncis avait pareillement agi en moi en faveur des payens » montre bien que, toute proportion étant gardée (car la qualité d'Apôtre au sens strict que possèdent Pierre et Paul est incommunicable), il existe une vocation particulière, une indication providentielle désignant tel ou tel comme plus ou moins apte à évangéliser tel ou tel milieu.

Cette vocation pour l'évangélisation et l'implantation de l'Eglise requiert une *forme spéciale de sainteté,* des vertus vraiment spécifiques, qu'il serait heu-

reux de décrire ici. Cette forme spéciale de sainteté se réalise soit dans la vie religieuse soit en dehors d'elle. On en trouve la synthèse dans l'intervention du TRP Volker, Supérieur Général des Pères Blancs, à la II Session du Concile. Certains éléments sont épars dans le Schéma (Art. 7, Art. 11, 2ème alinéa), mais c'est beaucoup trop incomplet.

La *formation des Missionnaires,* sera commandée par la fin propre de cette vocation et par la forme spéciale de sainteté qu'elle comporte (Art. 13, 14, 15). Vu le but d'évangélisation, le caractère kérygmatique de la formation doctrinale devrait être exigé; de même, une formation pastorale sérieuse en catéchétique et en liturgie. Ceci est important et n'est pas mentionné à l'art. 14.

Il y a lieu également de faire appel aux vues de la Foi pour revaloriser la vocation des *Frères Missionnaires.* C'est une vocation spécifique dans l'Eglise que ne sauraient remplacer les Auxiliaires Laïcs. Peut-être le Diaconat stable constituerait-il le Sacrement donnant les grâces requises à ces fonctions des collaborateurs du clergé missionnaire pour les tâches matérielles inhérentes à la fondation des Eglises, et aussi pour la catéchisation.

De même l'attention devrait être attirée sur la vocation de *Religieuses spécifiquement missionnaires.* Leur rôle est irremplaçable dans l'évangélisation. La consécration totale « ad opus evangelii », qui est le propre de leur vocation, exige un don de soi beaucoup plus parfait que d'offrir seulement quelques années de sa vie aux missions comme aide laïque. Dans ce domaine, il y a aussi des déviations dans la mentalité actuelle.

Du temps de la Colonisation, il n'était pas rare que l'envoi des missionnaires était restreint à la nationalité des Puissances Coloniales. Actuellement l'Eglise est beaucoup plus libre à ce point de vue. Il est désormais possible — et donc nécessaire — d'ouvrir *tout* le champ d'évangélisation à *toute* l'Eglise. Non seulement l'Europe et l'Amérique, mais l'Asie et l'Afrique peuvent et donc devraient trouver leur place dans l'évangélisation du monde, et il faut chercher les moyens aptes à faciliter à chaque chrétienté la fidélité à ses devoirs, dont d'ailleurs elle sera la première à recueillir les fruits. Cette nouvelle ouverture dans le champ d'apostolat est d'autant plus nécessaire que c'est le moyen tangible de prouver, dans les Missions, que l'Eglise n'est pas exclusivement européenne ou occidentale. Ceci inclut que, dans le champ d'action de la Mission, il faut faire une place aux Eglises Orientales.

L'appel du Concile en faveur des vocations missionnaires devra donc être ample, universel et vigoureux.

b) *Les Congrégations et Instituts spécifiquement missionnaires.* Leur apostolat s'exerce dans des contingences tout-à-fait neuves. Nous n'envisageons pas ici la conjoncture proprement dite (cela a été examiné au Chap. II), mais la situation juridique des Congrégations Religieuses, leurs relations avec la Hiérarchie locale, celle-ci étant désormais établie presque partout dans les pays de mission. De plus, est apparue la réalité nouvelle des Jeunes Eglises, stade ultérieur de l'implantation. Quel devient alors le rôle des Congrégations missionnaires et leurs devoirs?

Si les contingences ont changé, leur rôle reste cependant essentiellement le même: leur fin propre réside toujours dans l'évangélisation et la fondation de l'Eglise. Il est nécessaire d'examiner comment, dans les contingences nouvelles,

cette fin propre pourra se réaliser pour le plus grand bien de l'Eglise et de sa Mission.

aa) *Leur rôle dans l'évangélisation et l'implantation de l'Eglise.* Il faut se rendre compte de la *situation nouvelle* dans laquelle se trouvent les Instituts Missionnaires. Naguère le Saint-Siège leur confiait un territoire à évangéliser (*Commissio*) et, à ce titre, ils partageaient avec le Vicaire Apostolique, appartenant à l'Institut, la responsabilité du développement de l'évangélisation en fournissant le personnel et les ressources. A ce titre, ils étaient les instruments du Souverain Pontife pour la réalisation de son devoir universel d'évangélisation. Une longue expérience, sans cesse repensée, leur avait permis de mettre au point des méthodes d'apostolat dont ils pouvaient urger l'application sous le régime du *Ius commissionis.*

Actuellement le *Ius commissionis* est supprimé ou en voie rapide de suppression. Mais l'évangélisation est à peine entamée et elle continue, dans la plupart des pays de Mission, de relever de la responsabilité directe du Souverain Pontife et du Collège Episcopal, son ampleur dépassant les possibilités des Evêques locaux. Il est donc nécessaire de trouver une formule qui, en s'alliant avec le fait de l'institution de la Hiérarchie, permettra au Saint-Siège et au Collège Episcopal de faire honneur à leur responsabilité universelle d'évangélisation, et de disposer des instruments souples et spécialisés que sont les Congrégations Missionnaires, apportant tout le profit de leur expérience, de leur réflexion et de leur activité.

Il semble que l'évangélisation demandant une *action concertée,* davantage en fonction des milieux humains que constituent les grandes Religions non-chrétiennes, une *Missio Canonica* doive être envisagée pour certains cas; de même, comme le suggère le Schéma page 16, lignes 5 à 8, les Instituts Missionnaires doivent être davantage associés à la direction de la Sacrée Congrégation de la Propagande. Puisque l'évangélisation doit être davantage *éclairée,* il est souhaitable que les Instituts Missionnaires se spécialisent davantage pour tel milieu culturel ou religieux, qu'ils renouvellent leurs méthodes d'apostolat à la lumière des études et des orientations qui viendraient du Bureau d'Etudes dont on souhaite voir dotée la Sacrée Congrégation de la Propagande, pour la pré-évangélisation et l'évangélisation, et qu'ils collaborent activement à ces études.

bb) *Leur rôle dans la Croissance des Jeunes Eglises.* Conformément à leur fin propre, qui est non seulement l'évangélisation, mais la fondation des Eglises, les Instituts Missionnaires ont un rôle à jouer dans les Jeunes Eglises.

Au service de l'Evêque Résidentiel. Suite à l'établissement de la Hiérarchie, une certaine reconversion dans leur manière d'exercer l'apostolat est nécessaire.

L'Institut perd le *Ius Commissionis*; la responsabilité de l'Eglise locale passe entièrement aux mains de la Hiérarchie. Précédemment l'Institut, étant au service directe du Souverain Pontife pour l'établissement de l'Eglise à tel endroit, jouissait d'une grande liberté d'initiative et de mouvement sous le contrôle de la Sacrée Congrégation de la Propagande. Désormais, il est au service de la Hiérarchie locale; c'est elle qui gouverne le jeune diocèse, les différentes œuvres et les activités pastorales. Les membres des Instituts Missionnaires collaborent avec cette Hiérarchie, en toute soumission et avec générosité, selon les normes du Droit qui régissent les rapports des Evêques résidentiels et des Religieux.

Ceci est exprimé dans le Schéma, page 15, lignes 14-25; cependant il vaut mieux en traiter ici.

Selon le Droit Commun. Le texte du Schéma (page 15, ligne 27) demande un droit d'exception, transitoire, il est vrai, pour régler les relations entre Supérieurs Ecclesiastiques et Supérieurs Religieux. Aucun motif précis n'est indiqué, et c'est dommage; on se contente d'affirmer « Ius commune adhuc plene introduci nequit » (ligne 23). Ceci demande certainement réflexion.

Les normes du Droit Commun, concernant ces relations, telles qu'elles font l'objet des réflexions du Schéma *De cura animarum,* ont pour but d'assurer, d'une part à l'Evêque la plus ample collaboration des Religieux (Art. 19, page 14; Art. 33) et la pleine autorité dans la direction de l'apostolat (Art. 20, lignes 15 à 32; Art. 22, lignes 23 à 30; Art. 23; Art. 26; Appendix V, page 91 à 98) et, d'autre part, veillent à protéger les exigences propres à la vie religieuse des Congrégations (Art. 21, page 15; Art. 28, lignes 17-18; Art. 33, lignes 21 à 25).

On peut se demander dans quel sens viendrait jouer un droit d'exception? Le Droit Commun est une position d'équilibre entre les exigences de la Pastorale et celles de la vie Religieuse. Une exception ne pourrait avoir pour conséquence que de rompre cet équilibre, soit au détriment du gouvernement pastoral de l'Evêque (comme c'est le cas sous le régime du *Ius commissionis,* à cause des nécessités de l'implantation de l'Eglise confiée à un Institut missionnaire), soit au détriment de la vie religieuse (ce qui causerait le plus grand dommage pour l'activité pastorale elle-même). Il semble, en outre, que puisque l'état d'implantation de l'Eglise a été jugé suffisant pour que la Hiérarchie soit installée, il faille prendre au sérieux cet état de fait: il ne s'agit pas de rogner sur le pouvoir des Evêques en faveur des Instituts Missionnaires (d'où la reconversion de ceux-ci, dont il vient d'être question); il ne s'agit pas non plus de courir le risque d'énerver la structure de la vie religieuse (d'où l'application du Droit commun, revue dans les perspectives du Schéma *De cura animarum*). Ce serait sans doute le plus mauvais service que l'on rendrait aux Jeunes Eglises, en les mettant dès le départ dans une situation juridique qui n'est pas normale: comment, en effet, opérer dans ces conditions une croissance harmonieuse? D'ailleurs ce Droit d'exception pour les Instituts Missionnaires aurait pour effet d'établir une véritable discrimination: la Jeune Eglise, en effet, doit faire appel à d'autres Congrégations Religieuses afin d'assurer le développement de la vie chrétienne; ces Congrégations nouvellement arrivées offrent leurs services à la Hiérarchie selon les normes du Droit commun; pourquoi alors introduire des distinctions de Statuts Juridiques entre Religieux et Religieux?

Un « Debitum adiuvandi ». La présence des Instituts Missionnaires est nécessaire encore après l'établissement de la Hiérarchie. Tant que les Jeunes Eglises ne sont pas à même de vivre sur leurs propres ressources en personnel, l'Institut Missionnaire qui avait le *Ius Commissionis* a le devoir de les aider, en leur fournissant, suivant leurs moyens et conformément à un contrat, un supplément de personnel apostolique mis à la disposition de la Hiérarchie. Actuellement, il y a une lacune dans le Droit. Les Bulles d'érection disent que le Diocèse « committitur » à la Hiérarchie locale. La *Commissio* de l'Institut Missionnaire cesse, sans être remplacée par une autre disposition juridique. Il faudrait qu'un *Debitum adiuvandi,* spécifié dans des contrats ultérieurs prenne la place du *Ius Commissionis.*

Une activité répondant à la fin propre des Instituts Missionnaires. Confor-

mément à leur vocation et à leur charisme, les Instituts Missionnaires ont pour fin propre l'évangélisation et la fondation de l'Eglise. Cette fin propre se réalise dans une collaboration directe à la Hiérarchie en vue de la structuration et de la croissance de l'Eglise locale. Il constitue l'élément de choix pour continuer à transmettre la Tradition et, avec l'aide du clergé local, pourvoir au développement des traditions (voir ce qui a été dit plus haut). En plus de l'aide dans le ministère direct et dans l'évangélisation, qu'elles doivent continuer à fournir, les Congrégations Missionnaires auront avant tout pour tâche la formation des prêtres, les Instituts de formation pastorale, les services permanents des Conférences Episcopales.

2. *Le Clergé local.* Deux problèmes se posent principalement: une pastorale réfléchie des vocations et une formation plus adaptée.

a) *Pastorale des vocations plus réfléchie et plus intense.* L'examen de la situation actuelle doit faire réfléchir. En Afrique Noire de 1949 à 1961, bien que le nombre des prêtres locaux ait doublé (2243 contre 1048), le rapport du nombre de prêtres locaux avec le nombre des catholiques n'a qu'à peine une avance: (en 1949, 10.000 pour 1 prêtre; en 1961, 9.000 catholiques; il s'agit bien de catholiques, car par nombre d'habitants, cela fait 1 prêtre local pour 100.000). Les supputations concernant l'avenir avancent l'hypothèse que, si en l'an 2000 on voulait avoir le taux modeste de un prêtre pour 2.000 catholiques, il faudrait alors un clergé local de 30.000 prêtres. Cela suppose que les actuels prêtres africains (2.243) doublent presque tous les 10 ans leurs effectifs, selon une progression géométrique. Or l'effectif actuel des Séminaires interdit tout espoir à ce sujet. L'Eglise d'Afrique est donc condamnée à mourir d'anémie parce qu'elle ne se fournit pas les prêtres dont elle a besoin. Il faut donc, sous peine de déchéance des Chrétientés et d'arrêt de l'apostolat, provoquer et, Dieu aidant, réussir une immense et continue campagne pour les vocations (ces renseignements sont fournis par J. MASSON, *La Relève Sacerdotale en Afrique Noire,* « Nouvelle Revue Théologique », Mars 1963, pp. 288-294).

Un effort immense a été déployé pour augmenter le nombre des Séminaires. Mais l'attention n'a pas été portée, au même degré, sur le problème de l'éveil des vocations et de leur culture, sur la pastorale familiale et paroissiale que cela comporte, sur les sélections à l'entrée des Petits Séminaires et les facteurs qui facilitent la persévérance au cours des années de formation. Il semble qu'il y ait là une lacune certaine dans la Pastorale, sur laquelle le Concile devrait attirer l'attention, en engageant les Conférences Episcopales à faire étudier ce problème, à mettre en commun les conclusions, et à recourir aux spécialistes en cette matière. Sans doute qu'ici également devrait intervenir le rôle animateur du Saint-Siège, que nous avons signalé à propos des Conférences Episcopales. La situation cruciale que révèlent les chiffres exige vraiment un effort d'envergure.

b) *La formation du Clergé local.* Une Foi vivante, éclairée, s'approfondissant de plus en plus en authenticité, est à la base de la croissance des Jeunes Eglises.

D'où la responsabilité immense qui repose sur le clergé local. Comme l'ont bien vu les Encycliques missionnaires, l'adaptation doit être avant tout l'œuvre de ce clergé, car, issu lui-même de ce milieu culturel, il est davantage capable d'en vivre les composantes, de les juger au regard de la Foi, de les christianiser et d'en faire des éléments dynamiques pour l'efflorescence de la vie chrétienne.

Mais pour qu'il soit apte à contribuer à cette croissance, le clergé doit recevoir une formation humaine et théologique appropriée: formation humaine grâce à laquelle il pourra mieux pénétrer les ressorts intimes de sa propre culture, les passer au fil de la critique et en juger; formation théologique qui lui fasse approfondir le Message divin lui-même et non pas tellement les systèmes doctrinaux au sujet du Message.

Il est donc nécessaire d'aborder par le fond, à la lumière de l'expérience et de la vie actuelle de l'Eglise, le problème de la formation du clergé autochtone. Il y aurait peut-être lieu de se demander si, parfois et même trop souvent, on n'impose pas aux Séminaristes des catégories de pensée, des formes culturelles et esthétiques, des habitudes de vie, qui ne sont pas de soi liées au Mystère chrétien, et qui les rendent comme étrangers à leur propre peuple? Plus que sur un système scientifique dont la synthèse rationnelle satisfait un type d'esprit culturellement défini, ne faudrait-il pas axer la formation dans les Séminaires sur la transmission de l'Evangile (dans le sens dont en parle le Concile de Trente, Sess. IV, Chap. 1, Denz. 783)? Cela demanderait une exploration vivante du Mystère chrétien (théologie biblique, patristique et liturgique), assimilée dans la prière (formation spirituelle intégrée), vécue dans la liturgie vivante (le Mystère chrétien actualisé, vécu, médité) nourrissant la prière, imprégnant la vie morale (assimilation de la conception biblique de l'homme, commandée par l'élément péché et l'élément Rédemption, sujet de l'Alliance), rayonnée dans la vie de relation et l'apostolat (formation kérygmatique et pastorale), confrontée aux valeurs religieuses, morales et humaines véhiculées dans la culture ambiante. Ceci implique une orientation humaniste au Petit Séminaire et une formation philosophique qui, sans occidentaliser, parvient à former la raison à la pensée critique et différenciée (cf. le début de l'intervention de Monseigneur Makarakiza, II Session du Concile; celle plus générale de Mgr. Schmitt, Evêque de Metz, à la I Session; cf. *Parole et Mission,* n. 22, juillet 1963, p. 493 ss.).

Ce problème est trop vaste pour pouvoir être résolu à l'échelon des Conférences Episcopales Nationales. Aussi doit jouer, en cette matière comme en beaucoup d'autres, le rôle animateur du St-Siège, notamment par la constitution d'une Commission de spécialistes à laquelle serait confiée l'étude de ce problème.

Dans son discours aux Observateurs au cours de l'audience du 17 octobre 1963, Sa Sainteté Paul VI a fait part de l'éventualité d'un projet concernant la mise au point d'une « Théologie concrète et historique, centrée sur l'Histoire du Salut ». Ce projet répond à une nécessité œcuménique. Mais en plus, il contient sans doute le principe de solution pour la réforme des études dans les Séminaires des Jeunes Eglises.

3. *Prêtres des diocèses de chrétienté au service des Jeunes Eglises.* La situation critique des Jeunes Eglises, au point de vue personnel prêtre, ne peut vraiment trouver sa solution en dehors d'une meilleure répartition du clergé mondial.

Pie XII avait lancé un appel pressant par l'Enc. *Fidei donum.* Cet appel devrait être renouvelé, non seulement en faveur de l'Afrique, comme *Fidei donum,* mais de toutes les Eglises défavorisées.

Il s'agit ici, en ordre principal, de l'aide aux Jeunes Eglises par des services temporaires et non pas de l'évangélisation proprement dite, qui demande nor-

malement la vocation spécifiquement missionnaire, avec une préparation intense, un apostolat déterminé par des conditions psychologiques, culturelles, religieuses et matérielles bien spécifiques. C'est ce qu'a bien vu *Fidei donum,* qui propose à ces prêtres diocésains, d'une part l'enseignement ecclésiastique et profane, et d'autre part des formes plus nouvelles et plus spécialisées du ministère sacerdotal. L'expérience a montré que l'apostolat paroissial est rempli également par ces prêtres, dont certains n'ont pas reculé devant les efforts nécessaires pour apprendre la langue du pays.

L'appel de *Fidei donum* n'a pas été tellement entendu. Il y a 400.000 prêtres pour l'Occident, et seulement 40.000 pour toute l'Asie et l'Afrique. Les terres chrétiennes favorisées, qui ont un prêtre pour moins de 800 habitants, groupent à elles seules plus de 200.000 prêtres: de ce nombre, il n'en est pas parti 500 suite à l'appel de Pie XII (cf. *Informations Catholiques Internationales,* 1 sept. 1963, p. 24; voir aussi: J. MASSON, dans *Le Départ au Missions de prêtres diocésains,* dans *Novella Ecclesiae Germina,* 1963, pp. 110-118).

Fidei donum basait son appel sur la responsabilité de l'Episcopat vis-à-vis de la Mission Universelle de l'Eglise. Les travaux du Concile sur le *De Ecclesia* affermissent cette base; le prêtre est ordonné comme « coopérateur de l'Ordre Episcopal »; il doit donc être en disponibilité pour le service de la Mission épiscopale, non seulement au plan diocésain, mais à l'échelon de l'Eglise Universelle.

La situation des Jeunes Eglises, dont beaucoup vont à la catastrophe par pénurie de prêtres, demande que des mesures juridiques viennent mettre en pratique la responsabilité du Collège Episcopal vis-à-vis de la Mission Universelle de l'Eglise. Ceci devrait être traité au Chap. IV: *De cooperatione missionaria* (Art. 24, III alinéa).

4. *Religieux et religieuses. Deux problèmes se posent à leur sujet*: *a*) Celui, connexe au précédent, d'une meilleure répartition mondiale des Religieux. Ce problème s'inscrit au Chap. IV du Schéma, Art. 22, III alinéa. *b*) L'implantation et l'adaptation de la vie religieuse.

Le problème est loin d'être résolu. L'Art. 18, III alinéa, parle de l'adaptation, mais uniquement pour les Congrégations locales. L'art. 11 n'en dit rien.

Le fait est que les Religieux et Religieuses, s'établissant dans les Jeunes Eglises en vue d'y exercer l'apostolat propre de leur Congrégation, font du recrutement sur place et deviennent, par le fait même, des Institutions stables dans le pays: le problème de l'adaptation s'impose donc à eux.

Il en est de même des Ordres Contemplatifs: leur but est d'implanter la vie contemplative. Pour eux aussi, l'adaptation est obligatoire.

Dans le Schéma *De statibus perfectionis acquirendae* il est question de l'adaptation missionnaire à l'Art. 13; mais ceci peut aussi s'entendre des seules Congrégations autochtones. Par contre, ce même Schéma, lorsqu'il s'agit de l'établissement de Religieux Latins en Orient est beaucoup plus ferme: il exige l'érection d'une Province spéciale (Art. 22), ce qui facilite l'adaptation.

Le problème est compliqué et, jusqu'à présent, sans grande orientation pour une solution valable. Il en sera indéfiniment ainsi, tant que l'étude du problème sera fait d'une manière sporadique. Pour trouver une solution, il faudrait une conspiration de tous les efforts, des études communes aux Congrégations intéressées organisées à l'échelon et larges Conférences Episcopales; il faudrait aussi une animation venant du St-Siège imposant, lorsqu'il le faut, les mesures d'adap-

tation préconisées. Il serait souhaitable que la Congrégation des Religieux soit dotée d'un Office spécial pour l'étude de ce problème, en relation avec les Congrégations Religieuses et les Services des Conférences Episcopales.

5. *Les catéchistes.* Il en est question à l'Art. 20. Ce texte est bon. Trois remarques cependant. *a*) Il y a un caractère d'urgence à revaloriser la fonction de catéchistes: leur valeur humaine doit correspondre au rythme d'évolution de la société, afin qu'ils puissent jouir, dans leur milieu, de la considération et du crédit nécessaires à leur apostolat. Il faut donc intensifier leur formation humaine. *b*) Il serait bon, pour la mise à jour de leur formation catéchétique, de renvoyer aux normes générales qui seront données dans le *De cura animarum.* Il y a en plus la formation proprement pastorale, que le texte oublie de mentionner. *c*) Les Evêques missionnaires sont d'accord sur ces principes. Le grand problème est celui des ressources: actuellement elles leur permet à peine d'entretenir décemment les catéchistes en fonction; il leur est impossible d'ériger des Ecoles pour leur formation ou de multiplier le nombre des catéchistes, alors que l'évangélisation et la pastoration demandent qu'ils soient beaucoup plus nombreux.

Certains Evêques souhaitent l'établissement, en faveur des Catéchistes, d'une Œuvre Pontificale Missionnaire, similaire à celle de Saint-Pierre-Apôtre.

6. *Des auxiliaires laïcs.* On pourrait reprendre ici l'Art. 21, IV alinéa, 1ère phrase et l'Art. 16, II alinéa.

C. *Conclusion.* D'après les suggestions précédentes, il serait possible d'organiser le Chap. III comme suit: *De iis qui in missionibus adlaborant*:

1. *De missionariis*: 1) De vocatione missionaria et suis dotibus; 2) De Congregationibus et Institutis specifice Missionariis: *a*) eorum partes in evangelizatione et implantatione Ecclesiae; *b*) eorum partes in incremento novellarum Ecclesiarum.

2. *De clero autochthono*: 1) Opus vocationum; 2) Formatio impertienda.

3. *De servitio temporaneo cleri dioecesani in novellas Ecclesias adiuvandas.*

4. *De religiosis.*

5. *De catechistis.*

6. *De adiutoribus laicis.*

Cap. IV. I. Art. 21: *De collaboratione omnium fidelium.*

A. *Plan de cet Article. I alinéa*: tout chrétien, par son Baptême et sa Confirmation, est missionnaire; *II alinéa*: comment s'exerce son devoir missionnaire; *III alinéa*: devoir des familles d'éveiller des vocations missionnaires; *IV alinéa*: coopération plus spéciale: Auxiliaires laïcs, travaux scientifiques.

B. *Réflexion.* 1. L'accent n'est pas mis *sur l'urgence* de revivifier l'esprit missionnaire des fidèles, à la vue des tâches pressantes d'évangélisation et de leur immensité.

2. Les circonstances actuelles ne demandent-elles pas un effort particulier de prières, d'information des fidèles sur les problèmes d'évangélisation?

La chose pourrait être obtenue, si au lieu d'un simple dimanche des missions, était instituée une Octave de Prières (comme pour la Semaine de l'Unité), avec

chaque jour une intention spéciale développée par la prédication (par exemple: Islam - Bouddhisme - Hindouisme - Religions chinoises - Religions japonnaises - Animisme et autres religions - Déchristianisation et catholicisme sociologique - Jeunes Eglises).

3. Le devoir missionnaire ne gagnerait-il pas à être décrit selon toutes ses dimensions? On est Missionnaire parce qu'on est chrétien; le devoir qui en découle ne consiste pas seulement à aider les Missions, mais à être missionnaire dans son milieu, être « en état de mission ».

4. Pour le dernier alinéa, ce qui est dit des Auxiliaires laïcs (lignes 21, 24) viendrait mieux à sa place dans le Chap. III, amendé dans le sens décrit plus haut.

En plus de la coopération spéciale pour des travaux scientifiques (lignes 24-27), il y a urgence à signaler la coopération dans le travail social. Les pays de Mission sont, en général, en voie de développement. Il importe que les plans et les méthodes de développement soient inspirées de l'esprit chrétien. Dans ce but, il est urgent que soient fondés des Instituts Supérieurs pour la formation des techniciens de plans de développement, dans des perspectives chrétiennes (voir note du Père Lebret, *Communiquée par le Secrétariat Pan-Africain,* durant la II Session du Concile).

II. Art. 22: *De collaboratione membrorum Institutorum perfectionis.*

A. *Plan de cet Article et observations. I alinéa*: la dimension missionnaire présente à toute vie religieuse. - Observation: ne devrait-on pas dire que les devoirs missionnaires sont fondamentaux à toute vie chrétienne, mais ils urgent d'une manière spéciale à cause de la Consécration religieuse? Ne devrait-on pas signaler l'obligation qu'ont les Religieux de répandre l'esprit missionnaire parmi les fidèles?

II alinéa: les Instituts Missionnaires: le progrès de la Foi dépend de leurs efforts. - Observation: la formulation est tellement vague qu'elle est banale. Il vaudrait mieux rejoindre la situation actuelle: effort d'études et de pensées pour la Pastorale d'évangélisation, pour la « reconversion » du travail apostolique lors du passage entre Mission et Jeune Eglise. Cet alinéa vient mieux à sa place au Chap. III, tel que nous l'avons proposé.

III alinéa: appel aux Congrégations pour prendre en charge des territoires ou des œuvres en pays de Mission. - Observation: faut-il encore insister sur le Ius Commissionis? Un appel aux Instituts de perfection, non spécifiquement missionnaires, rentre plutôt dans le cadre de l'aide aux Jeunes Eglises, que dans celui de la Mission proprement dite. Nous avons abordé le problème au Chap. III.

B. *Réflexions.* Cet Article aborde le problème si urgent d'une meilleure répartition du clergé religieux dans le monde, mais d'une manière si lénifiante qu'il esquive plutôt le problème.

L'exemption, ou le Statut de Droit Pontifical, est, fondamentalement, une disponibilité plus grande au Pape et au Collège Episcopal, pour le « service » de la Mission Universelle de l'Eglise, dans la ligne de la fin propre de chaque Congrégation. Pour 400.000 prêtres en Occident, il n'y a que 40.000 prêtres dans les Missions. Etant au service de la Mission Universelle de l'Eglise, les religieux devraient être plus équitablement répartis dans le monde, en tenant compte de l'urgence et de la hiérarchie des nécessités pastorales.

III. Art. 23: *De collaboratione sacerdotum.*

A. *Plan de cet Article et observations. I alinéa*: fondement de leur devoir missionnaire, « coopérateurs du Corps Episcopal ».

II alinéa: l'Eucharistie, aliment de leur zèle missionnaire. - Observation: ceci est vrai, non seulement pour les prêtres, mais aussi pour les fidèles. Ce serait donc mieux à sa place à l'Art. 21, après la mention du Baptême et de la Confirmation.

Le texte ne parle du ministère que sous son aspect d'offrande de l'Eucharistie. Et le souci d'évangélisation immédiate? C'est dit à l'Art. 7, lignes 12-16, mais ce serait mieux à sa place ici.

III alinéa: formation à l'esprit missionnaire dans les Séminaires. - Observation: la formulation est platonique. Il serait bon de reprendre ce que dit Pie XI dans *Rerum Ecclesiae*: si des vocations missionnaires se dessinent que les Directeurs les orientent là où elles pourront vraiment s'épanouir et se réaliser.

IV alinéa: les prêtres doivent donner l'esprit missionnaire aux fidèles, surtout à la jeunesse. - Observation: il serait bon d'ajouter que les vocations missionnaires doivent être orientées vers les Congrégations spécialisées. La possibilité offerte par *Fidei donum* est trop souvent prétexte à détourner des vocations missionnaires qui, ainsi, n'aboutissent pas. Les prêtres *Fidei donum* sont avant tout une aide aux Jeunes Eglises, et non pas vocation strictement missionnaire. Ajouter ici ce qui a été dit à l'Art. 16, lignes 13-17, au sujet du catéchisme.

B. *Réflexions*. On ne peut échapper à l'impression que cet Article esquive le problème d'une juste répartition du clergé, alors qu'il constitue la solution pour aider efficacement les Jeunes Eglises.

Dans ce sens, la base de la responsabilité missionnaire du clergé n'est pas assez fortement marquée. La mission des prêtres s'origine au fait qu'ils sont ordonnés « cooperatores ordinis episcopalis »: ils partagent donc la responsabilité de l'Evêque et son souci l'évangélisation, tant pour ce qui regarde l'Eglise Universelle (d'où meilleure répartition du clergé, en aide aux Jeunes Eglises), que pour ce qui concerne le Diocèse auquel ils sont inscrits (travail propre d'évangélisation dans leur milieu et pas seulement soin du bercail).

Pour une plus juste répartition du clergé, il ne suffit pas de faire une exhortation (fin du Schéma *De clericis*); il faudrait sans doute doter la Collégialité Episcopale, à l'échelon le plus élevé de son mode d'exercice (Conseil Papal) d'un véritable pouvoir qui obligerait en cascade les échelons inférieurs (Conférences Episcopales).

Cet Article eut été une excellente occasion de renouveler l'appel de *Fidei donum*; il est bien pâle à côté du souffle de cet Encyclique.

IV. Art. 24: *De collaboratione episcoporum.*

A. *Plan de cet Article et observations. I alinéa*: l'Evêque, parce que membre du Collège Episcopal, est responsable de la Mission Universelle d'Evangélisation.

II alinéa: la Consécration Episcopale le fait participer aux pouvoirs du Christ, pour le bien de tout le Corps.

III alinéa: préposé à une Eglise locale, l'Evêque a la sollicitude de l'Eglise Universelle. - Observation: cette formulation est difficile à comprendre, surtout

à cause du *Ut* du début. La « sollicitudo omnium ecclesiarum », n'est pas à « manifester dans un signe », mais à prendre réellement en charge. Manifester une obligation dans un signe, c'est presque l'esquiver. Que dirait-on, dans un Etat, si les Officiers envoyaient trois soldats dans une contrée en état d'urgence, pour manifester dans un signe qu'ils sont responsables du bon ordre? Or les Jeunes Eglises sont dans un état non seulement d'urgence, mais d'alarme!

IV alinéa: comment se fait la collaboration de l'Evêque. - Observation: que doit-on entendre par l'« opus missionale » qui doit « suscitare, fovere, ducere »? N'est-ce pas: l'esprit missionnaire, qui se manifeste dans le souci d'évangélisation au plan local, et dans le souci missionnaire universel? Ensuite les vocations missionnaires à éveiller et à orienter: et donc, favoriser les activités des Instituts Missionnaires, en vue de répandre le souci missionnaire universel et de susciter des vocations? Enfin les ressources, et donc les Œuvres Pontificales Missionnaires?

V alinéa: à la préoccupation des Chrétiens à venir en aide aux pays en voie de développement, doit venir s'ajouter la dimension spirituelle exigée par la Mission spirituelle du Chrétien dans le monde. - Observation: très important.

VI alinéa: le soin spirituel des étudiants originaires des pays de Mission. - Observation: cette remarque est trop vague. Ne faudrait-il pas parler positivement d'accueil, d'intégration dans la communauté chrétienne, de soutien?

VII alinéa: cette phrase résume tout l'article en reprenant les principes énoncés aux alinéas 1, 2 et 3.

B. *Réflexions*. Tout ceci gagnerait à être plus organique, en parlant de la Mission Episcopale dans toute son envergure. Par la Consécration épiscopale, l'Evêque appartient au Collège Episcopal et sa Mission première est l'évangélisation du monde entier. Le souci premier de l'Evêque est la « sollicitudo omnium ecclesiarum »; en ordre second, il a la charge d'un Diocèse particulier. Sous ce rapport, il porte la lourde responsabilité, non seulement d'être le Pasteur du troupeau des fidèles, mais aussi d'être l'évangélisateur des non-croyants. Il a donc la mission: de susciter, parmi ses fidèles, le souci d'évangélisation du monde entier; d'éveiller les vocations missionnaires qui seront les instruments de la solidarité épiscopale pour la réalisation de sa Mission Universelle; de porter le Christ dans les différents secteurs de la non-croyance de son Diocèse; de faire appel aux Instituts spécialisés dans cette tâche, et, au besoin, d'en instituer; d'éveiller le souci d'Evangélisation chez ses fidèles afin qu'ils portent le Christ à leur entourage.

V. Art. 25: *De collaboratione Conferentiarum Episcopalium.*

A. *Plan de cet Article. I alinéa*: les Conférences Episcopales sont aussi au service de l'Eglise Universelle.

II alinéa: elles doivent coordonner la coopération missionnaire dans leur propre territoire.

B. *Réflexions*: 1. Au I alinéa, ligne 26, il faudrait *debent* au lieu de *possunt.*

2. Le II alinéa devrait être plus précis. Il serait normal que chaque Conférence Episcopale ait un office spécial pour l'Evangélisation, et un autre pour l'aide aux Jeunes Eglises.

Office pour l'évangélisation. Sous son aspect universel: intégrant les directions nationales des Œuvres Pontificales; animant la prise en charge du devoir d'éveiller les vocations missionnaires, de susciter des prières publiques, d'informer l'opinion sur les problèmes mondiaux de l'évangélisation, etc.

Sous son aspect local: de sorte que, dans la région de la Conférence, les problèmes d'évangélisation soient traités avec la même importance que les problèmes de pastoration. Les problèmes locaux d'évangélisation dépassent souvent l'ambitus de la Conférence: pour les résoudre dans une Pastorale d'ensemble, il sera nécessaire qu'elles soient en rapport avec un Organisme plus central, par exemple la Sacrée Congrégation de la Propagande. Sans cet intérêt tout à fait particulier, les problèmes d'évangélisation que posent les aires de déchristianisation et de catholicisme purement sociologique risqueront de demeurer stagnants.

Office pour l'aide aux Jeunes Eglises. L'aide aux Jeunes Eglises (apport des richesses spirituelles de la Tradition, aide en personnel et en ressources), dans l'esprit de la communion des Eglises, doit s'organiser à partir des Conférences episcopales. Ce sont elles, qui dans le monde actuel sont aptes à établir des relations valables et efficaces. Les plans d'entraide doivent, en effet, se bâtir sur de vastes échelles; c'est en unissant les efforts et les besoins des différents diocèses d'une même région qu'on pourra arriver à une organisation rationnelle, soit chez les Eglises pauvres, soit chez les Eglises plus favorisées. Que d'efforts perdus par suite de trop d'éparpillement.

VI. Rémarques générales concernant le Chap. IV. 1. Devant l'urgence et l'immensité des problèmes actuels d'évangélisation, devant la situation critique de nombreuses Jeunes Eglises qui, sans une aide généreuse et immédiate, vont immanquablement dépérir et tourner à l'indifférentisme religieux et au matérialisme, ce Chapitre paraît beaucoup trop lénitif.

Il doit poser le problème de la coopération missionnaire et termes d'urgence tragique. Dans 10 ans, il sera trop tard. C'est une question de vie ou de mort pour le Christianisme dans de nombreuses régions missionnaires.

2. Le Chap. parle à peine des Œuvres Pontificales (page 21, ligne 17); (elles semblent absentes pag 23, ligne 5); il ne parle du Souverain Pontife que tout à la fin (page 23, ligne 35).

Dans l'introduction à ce Chap., devrait être affirmé le principe que le Souverain Pontife est le premier responsable de l'évangélisation dans le monde; qu'il doit donc animer, susciter, orienter, diriger les efforts de l'évangélisation et de la coopération missionnaire. De même, il est le premier responsable vis-à-vis de la croissance des Jeunes Eglises.

Dans cette même tête de Chap., il y aurait avantage à mettre bien en relief la responsabilité conjointe du Collège Episcopal, sa Mission évangélisatrice universelle, son devoir de créer la communion des Eglises en vue d'assurer la croissance des Jeunes Eglises.

Dans cette vue, l'Art. 24 serait réservé à la « collaboration des Evêques résidentiels ».

13

EXC.MUS P. D. IOSEPH PHILIPPUS A CARMINE COLAÇO
Episcopus S. Iacobi Capitis Viridis

Ad Prooemium. Lin. 1 melius sic scriberetur: Christus Iesus omnes homines, quos pretioso sanguine suo redemit, in populo Dei...

In lin. 13, expuncta particula « et » ante verbum « lugenda », addenda esse videntur verba « et alia huiusmodi » inter verba « divisio » et « graviter ». Quis enim ignorat alia esse elementa operi missionum graviter adversa? In memoriam revocentur, v. g. vita christianorum, sive illorum qui in ipsis locis missionum adsunt, sive illorum qui in antiquis regionibus christianis degunt; lugenda aliqua facta historiae missionum, uti inopportunae interventiones principum vel conflictus inter missionarios; defectus congruae selectionis missionariorum...

In lin. 15, inter verba « favent » et « itinerum » addere iuvabit « verbi gratia », vel aliquid sic. Nam recensio causarum novellarum Ecclesiarum incremento faventium quae in textu fit non est completa. Poterant quidem adiungi aliae, tum supernaturales (uti diffusio vitae contemplativae et orationis pro missionibus, item martyrium tot christianorum nostris etiam diebus hinc inde effulgens) tum naturales, uti progressus apostolatus laicorum, diffusio doctrinae socialis catholicae, gloriosum nomen Romanorum Pontificum qui ultimis hisce temporibus catholicam Ecclesiam sapienter gubernarunt...

Ad cap. I. Vultus missionarii *catholici* in capite hoc clare depictus non apparet.

1. Ipse, imprimis, totus intentus ostenditur in revelando Christum illis qui Eum ignorant. Sic in pag. 7, lin. 5, legitur: « Ubi Christus Dominus nondum nominatur nec fide agnoscitur ibi Ecclesia » etc. Et rursus in pag. 8, linn. 2-3, dicitur: « ... ad qualemcumque hominem Christum ignorantem ». Iamvero, si res ita se habent, christiani non catholici ponuntur extra scopum operis missionarii, etiamsi inveniantur in territorio missionum. Quodsi dicatur tales pertinere ad opus oecumenicum, respondemus tales distinctiones, utique doctrinaliter validas, in documento pastorali, ad actionem potius quam ad expositionem speculativam intento, non esse adhibendas. Missionarius catholicus omnes « alias oves quae non sunt ex hoc ovili » (nempe Ecclesia catholica) ad illud adducere debet.

2. Si quaeramus quemnam in finem missionarius oculos conversos habeat, invenimus ipsum velle homines adducere ad Christum. Nullibi vero dicitur Christum inveniri in sola Ecclesia visibili. In pag. 7, linn. 12-13, invenitur: « nullum aliud fundamentum ponit in gentibus nisi Christum ». Similiter, in pag. 8, linn. 6-9, legitur: « Quod efficit Evangelium Dei praedicando... homines per baptismum Christo incorporando, eos Spiritu Sancto confirmando, pane vitae reficiendo... ». Nonne missionarii protestantes, saltem aliquarum sectarum, haec suum etiam esse scopum asserere possunt? Unde videtur quod, ut appareat « differentia specifica » missionarii catholici, explicite ostendatur oportet ipsum velle incorporationem hominum in Christo, utique, sed in Ecclesia catholica vivente et crescente.

Ad cap. II. In pag. 13, lin. 4, inter opera a Praepositis Novellarum Ecclesiarum promovenda nominari possunt instituta beneficentiae.

Nonne utile esset si in n. 10, pag. 13, aliquid expresse diceretur de efforma-

tione genuinae familiae christianae in missionibus? Scimus quantum haec quaestio difficilis sit in Africa et quomodo praeteritis temporibus aliquantulum fuerit neglecta.

Ad cap. III. Optimum esset si in capite hoc mentio fierit de congressibus, conferentiis per hebdomadam ductis, conventibus etc. de re missionaria. Talia enim multum conferunt ad efformationem missionariorum et ad diffusionem culturae et spiritus missionarii inter fideles.

14

EXC.MUS P. D. IOSEPH ANTONIUS DAMMERT BELLIDO

Episcopus Cajamarcensis

In genere. El esquema expresa principios muy generales que no parecen constituir un progreso ascendente en las lineas trazadas por Benedicto XV hasta Juan XXIII en sus importantes enciclicas misionales.

Es preferible que en el esquema *de Ecclesia* se incluya un titulo o un capitulo que resuma brevemente los dos primeros capitulos del presente esquema. Los otros dos capitulos pueden ser incluidos en el esquema *de episcopis ac de dioecesium regimine* en forma muy breve.

Razones: 1. No se tiene en cuenta la nueva situación de los antiguos territorios de misión en la forma tan precisa que describió el Santo Padre Paulo VI, felizmente reinante, en su Mensaje de la Navidad de 1963, que entre otras cosas dijo « que la fraternidad reemplace al paternalismo »; los párrafos de ese Mensaje deberian ser transcritos.

2. En el número 12, línea 23-24, se dice: « ius vero commune, quamvis desiderata sit meta, adhuc plene introduci nequit ». En las discusiones conciliares, particularmente sobre Liturgia, se expresó claramente que muchas normas canónicas debían ser revisadas y existe una Comisión cardenalicia para la reforma del Derecho canónico, porque se require mayor elasticidad en la disciplina canónica dadas las diferentes situaciones de apostolado. Muchisimas disposiciones del « ius missionale » deben pasar al derecho común.

3. La actual delimitación entre territorios dependientes de la S. C. Consistorial y de « Propaganda Fide » aparece tal vez absurda, por ejemplo que Escandinavia y Australia sean territorios de misión es absurdo. Igualmente en el Perú son Vicariatos apostólicos en la selva Amazónica regiones que en su gran mayoría son pobladas por católicos, así Iquitos con 130.000 habitantes tiene 127.000 católicos; Pucallpa tiene 58.000 habitantes con 55.000 católicos; Requena con 62.454 habitantes tiene 60.154 católicos, etc. (datos del *Annuario Pontificio,* 1964). La misma proporción de católicos tienen las diócesis situadas en los Andes y quizas el apostolado sea más difícil por la penuria de clero y sin embargo dependen de la Consistorial. No se explican las diferencias juridicas que se establecen a favor de los territorios de misión.

4. No se dice nada acerca del nombramiento de Vicarios y Prefectos Apostólicos, Obispos y Prelados nullius misioneros, porque se considera que es materia disciplinar concreta. Sin embargo es fundamental que dichos Ordinarios misio-

neros « no autoctonos » tengan experiencia pastoral y misional en los países que gobernarán, porque con frecuencia no conocen personalmente los territorios de misión, y pierden muchos anos en adaptarse a la nueva situación con grave detrimento de sus diocesanos.

15

REV.MUS P. D. ODEMARUS DEGRIJSE
Superior generalis C.I.C.M.

Prooemium. Linn. 20-25: ob demographicum humanitatis progressum (in fine huius saeculi numerus hominum erit 6.000.000.000) magis distincte dicendum esset catholicorum numerum proportionate constanter decrescere, acatholicorum autem numerum valde augeri. Opus missionale vixdum inchoatur. Hoc esset affirmandum, quia saepe opinio divulgatur quasi opus missionale ad terminum prope pervenerit. Hoc alte declarare magni interest, ut invitatio Concilii ad missiones sustentandas rectius intelligatur.

Cap. I, n. 3, linn. 1 s. Simul cum *1 Cor.* 9, 16 plures alii textus S. Pauli adduci possent: *2 Tim.* 4, 1-5; *Col.* 2, 1-2; *Act.* 20, 18-31; *2 Cor.* 5, 20; *2 Tim.* 4, 1-5; *2 Cor.* 5, 11; *Rom.* 10, 1. Tota vita doctrinaque Apostoli in conversionem paganorum tendunt. Hac erga paganos sollicitudine transmissa, impossibile est apostolos et christianismum primaevum attingere. Utile est hoc affirmare contra illos qui necessitatem evangelizationis enervant.

Cap. I, n. 5, linn. 36-39 et *cap. II,* n. 9, linn. 28-31. Nonne momentum « Ecclesiarum Novellarum » immoderate amplificatur et quodam romantico modo proponitur, sicut quoque momentum episcopi autochthoni? Suntne haec in theologia sufficienter fundata et ab omni racismo aliena, his praesertim temporibus universalismi et internationalismi? Num Ecclesia Novella existere nequit cum episcopo extraneo? Num sanae theologiae repugnat virum Gallum esse episcopum dioeceseos Italiae? Et quid sentiendum, si episcopus ille extraneus factus sit civis illius nationis? Ceteroquin patet ob motiva psychologica et pastoralia Ecclesiam Novellam potius gubernari ab episcopis propriis.

Quaestio moveri potest, annon sit immoderata et artificialis dicenda distinctio inter missionem ordinariam et Ecclesiam Novellam? Num missio evadat Ecclesia Novella eo ipso quod proprium autochthonam hierarchiam recipit? Sed tunc multae Ecclesiae Novellae adhuc sunt regiones plane paganae, dum, e contra, alia loca, quamvis ut missiones ordinariae notata, iam multos fideles habent.

Cap. II, n. 11, linn. 35-36. Agendum quoque esset de adaptatione in materia catecheseos, in elaboranda et exponenda doctrina christiana.

Etiam notari posset in adaptatione promovenda non esse modum excedendum, cum non tantum occurrat hodie tendentia valorizandi id quod unicuique populo est proprium, sed etiam in nostro mundo, ad unitatem properante, crescat universalis cultura technica, quae ubique easdem formas assumit.

Cap. II, n. 12, linn. 29-30. Opportune sermo fieret de erigendis conferentiis superiorum maiorum et de collaboratione inter conferentias episcopales et conferentias superiorum maiorum. Fatendum enim est huiusmodi collaborationem saepius multum desiderari, in magnum damnum laboris missionalis.

Cap. III, n. 18, linn. 10-11. Non ita patet quorsum tendant verba sequentia: « proprios sodales ita forment ut etiam apostolatui Ecclesiae prosint ».

Cap. III, n. 19. Doctrina huius articuli conformanda esset doctrinae de populo Dei in schemate *de Ecclesia*: omnis baptizatus conscius fieri debet se per baptismum membrum factum esse sacerdotalis populi Dei, communitatis christianae, quae in omnibus membris suis versatur in statu missionis et evangelizationis.

Cap. III, n. 20. Cur non affirmare optandam esse erectionem seminariorum pro apostolicis laicis, inter quas catechistae nonnisi partem efformant? Magis magisque apparet necessitas formandi laicos, qui servitio Ecclesiae penitus sese addicant, quique, utpote mente ecclesiali ac spiritu apostolico plene imbuti, apti sint ad omnis generis munera apostolica obeunda.

Cap. III, nn. 24-25. Membris institutorum missionalium hunc schematis textum legentibus, fortasse videbitur se iam non magni fieri, sortemque operis missionalis abhinc iam esse apud episcopos veteris Ecclesiae christianae, apud sacerdotes saeculares et apud laicos ab illis missos. Ex hoc liquet magis urgendum esset momentum, cui nil suffici potest, institutionum missionalium, et insistendum in subsidio eis ferendo.

Considerationum sequentium ratio esset habenda:

a) Videtur quod conscientia missionalis episcoporum deberet eos adducere ut imprimis auxilium praestarent institutis missionalibus suae dioeceseos aut suae patriae. Horum institutorum sodales, e sua dioecesi oriundos, veluti a dioecesi missos considerent. Vicissim autem, hi sodales magis conscii sint suae communionis cum dioecesi e qua oriuntur.

Ex notione collegialitatis: instituta missionalia iuris pontificii praesto sunt Summo Pontifici quidem, sed etiam collegio episcoporum cum eo coniunctorum, et cuicumque episcopo, membro huius collegii.

Quia instituta missionalia aptiora sunt ad laborem missionalem nec substitui possunt in opere evangelizationis. Per plures enim annos membra sua praeparant: spiritum missionalem eis inculcant eosque methodos laboris missionalis edocent. In ipsis deinde locis missionum collaborant communiter, modo bene ordinato et stabili, iuxta traditionem certam. Linguam addiscunt populi evangelizandi, cuius vivendi rationem suam faciunt. Hoc modo ipsi soli apti sunt ad infideles evangelizandos: quod primum manet Ecclesiae munus.

b) Auxilium a clero saeculari suppletum magnum quidem constituit emolumentum, praesertim in re pastorali; et missionarii eis gratiam habent. Attamen, si actio in favorem vocationum apud sacerdotes, in sensu Enc. *Fidei donum,* diminueret vocationes ad vitam vere missionalem, hoc pro Ecclesia potius detrimentum constitueret. Melius enim est habere missionarios bene paratos et pro tota vita missionibus devotos, quam missionarios minus praeparatos et in tempus tantum auxilium ferentes.

c) Aliquando obliviscuntur vitam missionariam esse valde arduam, propriam praeparationem exigere multisque modis esse sustentandam. De auxilio missionibus ferendo saepe loquuntur cum insufficienti sensu realitatis.

Si episcopi ipsi aut conferentiae episcoporum curam operis missionalis systematice sibi assumant, videtur quasi necessario deveniendum esse ad methodicam erectionem novorum institutorum missionalium, cum ad sacerdotes saeculares pro

missionibus parandos, tum ad eorum laborem in ipsis locis missionum ordinandum. Haec autem instituta paulatim propriam independentiam prosequentur, quo probabiliter fiet ut intra satis breve tempus nova instituta missionalia exsurgant, quae iam existentibus necessario detrimento erunt aut etiam ea eliminabunt.

d) Optandum videtur ut conferentiae episcopales cooperationem missionalem instituant in consensione cum institutis missionalibus localibus.

16

EXC.MUS P. D. ALBERTUS CONRADUS DE VITO

Episcopus Lucknovensis

In cap. II in genere. Nemo est qui non videat quam magni omnes faciant acta quae a Romanis Pontificibus et ab Apostolica Sede decursu saeculorum exarata sunt de cura novellas Ecclesias in missionibus plantandi in constitutione Hierarchiae autochthonae et de adaptatione elementorum culturae locorum in conversione infidelium.

Valde ergo convenit ut etiam Concilium Vaticanum II de hac re disserat, speciatim quaedam principia statuendo e quibus optimi fructus in opere missionali obveniant.

Nostris diebus missiones catholicae tales difficultates experiuntur quale saeculis elapsis numquam expertae sunt. Hoc primario provenit e quadam specie « nationalismi exaggerati » qui praecipue apud illas gentes invenitur quae paucis abhinc annis independentiam politicam adeptae sunt, et proh dolor! non raro clerus quoque autochthona huius aberrationis victima est.

Liceat mihi aliqua suggerere quae, si inserta in textu schematis *de missionibus*, magna beneficia Ecclesiae afferent.

I - Neminem latet maximam rerum mutationem fervere apud populos qui olim fuerunt « coloniae » cuiusdam imperii politici. Atque res ita se habent ut quodcumque ab alia natione mittatur vel dono detur sicut aliquid « anti-nationale » considerari debeat. Immo, pretextu sic dicti amoris patrii, religio quoque christiana ut aliquid « conspirativum » Nationis integritati consideratur et missionarii exteri vel in eorum ministerio impediuntur vel non admittuntur omnino.

II - Iisdem rationibus, de quibus supra, quaevis religio localis, etiamsi superstitionibus vel principiis pantheisticis imbuta sit, ita extollitur atque sublimatur ut religioni christianae vel anteponatur vel saltem aequalis dicatur. Ad hanc confusionem generandam, in mentibus non bene instructis, certo certius multum confert usus vel abusus sic dicti « dialogi » cum religionibus paganis, quasi hic dialogus inter pares fieret!

III - Proh dolor! clerus quoque indigena, a quadam specie exaggerati nationalismi deceptus, falso missionarios exteros apud auctoritatem civilem accusavit quasi si eorum praesentia bono Nationis non consuleret, aperte affirmantes quod fidelium necessitatibus a clero indigena provideri poterat, nullo recursu habito missionariis exteris. Missionarii exteri accusati quoque sunt de mala bonorum ecclesiasticorum administratione, quasi aliquid agentes contra leges civiles. Atque ita res in peius factae sunt ut gubernia civilia vel missionarios et episcopos

exteros expulerint, vel in carcerem miserint vel quandoque morti damnaverint.

Quod in Cina vel Africa recentissimis annis accidit, non potest explicari alia ratione. Sic dictae « Ecclesiae nationales » non a missionariis exteris conditae sunt, sed a clero autochthona!

Haec tristissima experientia valde commendat ut quidam canones a Sacrosancta Synodo condantur de solida praeparatione cleri localis antequam ei directa responsabilitas alicuius missionis tradatur. His praemissis haec proponere velim:

1) Concilio quam maxime cordi esse debet constitutionem novellarum Ecclesiarum in missionibus cum hierarchia autochthona, nempe episcopis et presbyteris e propria gente electis. Tamen, memor moniti S. Pauli « nemini cito manus imponas » vel « non neophytum ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli », priusquam circumscriptiones ecclesiasticae e missionariorum exterorum curis clero indigenae tradantur, a Sede Apostolica attentissime examinari debet quod non modo numerus sufficiens cleri habeatur, cuius responsabilitati novae dioeceses concredantur, sed praeprimis S. Sedes certior fieri debet quod hic clerus bene formatus atque spiritu missionali imbutus sit. Omnino devitari debet etiam umbra sic dicti « nationalismi » in re tam sancta, nempe nulla adesse debet suspicio quod novae dioeceses clero indigenae traduntur, non iam quia ipse ad hanc responsabilitatem assumendam paratus sit, sed tantum quia expelli volunt missionarii exteri e territorio!

Hic modus agendi quam causa malorum fuerit in recta propagatione Evangelii historia dicet.

Etsi dici possit quod catholica Ecclesia apud omnes populos aliquo modo nota est, tamen labor missionarius adhuc immensus est et missiones missionariorum exterorum opera multo magis nostris diebus quam saeculis anteactis indigent.

2) Missionarii exteri, qui « sine patre, sine matre, sine genealogia » amore Christi facti sunt atque « omnibus relictis in mundum universum euntes pro Christi legatione funguntur in praedicatione Evangelii, maximo dolore afficiuntur cum in regionibus sibi assignatis, non modo a guberniis civilibus quasi tolerati vel intrusi habentur, sed rationibus politicis seu diplomaticis, quae nihil aliud quam maiorem ansam clero indigenae praebent in suo ipsius exaggerato « nationalismo », a Sancta Sede quoque quandoque non adaequate considerantur, v. g. cum systematica exclusione ab officiis ecclesiasticis in administratione novellarum Ecclesiarum.

Hic modus agendi magna mala et permultas incertitudines causat in opere evangelizationis.

3) Quam maxime desideratur in schemate aliqua mentio de sublimitate vocationis et cooperationis missionariae, quae non tantum consisti debet in sollicitatione eleemosynarum vel auxilii a fidelibus alicuius nationis traditionis christianae, sed praecipue in missione operariorum evangelicorum. Clare definiatur in quo consistat « vocatio missionaria », quia e sua equivocatione multas perplexitates et damna obveniunt operi evangelizationis.

4) Opus initiale plantationis Ecclesiae in missionibus praesupponit aliquam organizationem quae suppeditare possit omnia quae necessaria sunt ut missio a sua infantia paulatim crescat et transeat ad maturitatem.

Ad hoc obtinendum valde laudandum et commendandum est systema iam felici saeculorum experientia probatum, nempe ut territorium missionale initio

concredatur curis alicuius Instituti Religiosi cum superiore ecclesiastico e membris eiusdem Instituti selecti.

Et, si Sancta Sedes novas et clariores normas ediderit circa relationes superioris ecclesiastici et Instituti Religiosi cui missio concredita est, certissime hoc systema etiam nostris temporibus omnium optimum erit.

In cap. II. De adaptatione missionali [*cf. pag. 516*].

Inserantur ergo in schemate *de Missionibus* quoque circa adaptationem missionalem quae in citata constitutione inveniuntur in decr. 37, 40, 119, 123, nempe quod, priusquem aliqua mutatio fiat, acta referri debeant ad Sanctam Sedem pro adprobatione.

De adaptatione in vestibus liturgicis et religiosarum. 1. Qualitas vestium liturgicarum in missionibus nequit esse eadem ac in alienis nationibus et hoc ob nimios calores climatis. Sic v. g. paramenta sacra in Europa confecta ac in missionibus usu facta, ita sudorem augent ut maxima molestia obveniat sacerdoti cum evidenti dedecore celebrationis mysteriorum Dei.

2. Vestes pontificales quoque, uti enumerantur in libris liturgicis, sive ob eorum qualitatem seu quantitatem, valde sunt anacronisticae in missionibus.

Multiplicitas etenim et pretiositas vestimentorum ecclesiasticorum, specie relate ad praelatorum vestes, valde incongruentia sunt cum extrema paupertate populorum in missionum territoriis.

3. Forma vestium ecclesiasticorum, sive religiosorum sive religiosarum, in missionibus, praecipue in Indiis Orientalibus, magna aestimatione atque veneratione donatur sive apud fideles sive apud infideles. Tamen materia, color et amplitudo adaequata esse deberent locorum necessitatibus, climati, paupertati vel indoli populorum. Hoc speciatim referri debet Sororum vestibus. Reformationes usque nunc habitae revera valde minimae sunt. Ergo votum facimus ut in novis statutis condendis pro missionibus de iis quoque de quibus supra locuti simus mentio fiat.

De coordinatione apostolatus [*cf. pag. 515*].

17

Exc.mus P. D. HADRIANUS DJAJASEPOETRA

Archiepiscopus Djakartanus

[*Cf. n. 78,* pp. 885-891, *exceptis I, nn. 1-4*; II, pag. 8, lin. 14, linn. 22-26, lin. 33, lin. 35, lin. 36; pag. 12, lin. 28, lin. 31, lin. 36, lin. 37; pag. 13, linn. 20-21, lin. 36; pag. 15, lin. 1, lin. 23, lin. 33; pag. 16, lin. 3; pag. 17, linn. 6 ss.; pag. 18, linn. 24 ss.; pag. 23, lin. 18, linn. 24 ss.].

18

EXC.MUS P. D. LEO STEPHANUS DUVAL
Archiepiscopus Algeriensis

Adhibeatur textus emendatus qui ab exc.mo Tarcisio van Valenberg, nomine unius episcopi et plurium superiorum generalium * proponitur, sed cum sequentibus mutationibus:

Prooemium. Retineatur textus usque ad verba: « Huc accedit... » exclusive. Omnia subsequentia deleantur quorum loco haec ponantur: « Ceterum nemo non videt conatus missionarios Ecclesiae valde impares esse progressui demographico qui in multis regionibus hodie cernitur.

Ex alia parte summa cura cruciatur humanum genus cuius aequilibrium et ipsa existentia in periculo versantur et cui pax vera dari non potest nisi per lumen et gratiam Christi.

In talibus adiunctis, caritas Christi omnes filios Ecclesiae compellit ut conscii fiant urgentissimae obligationis qua tenentur ad respondendum tum profundis studiis, optatis et anxietatibus totius familiae humanae, tum accitu miserentissimae pietatis Dei omnium corda allicientis ad unitatem et veram pacem inveniendam in Filio dilectionis suae. Omnibus fidelibus maxima cura sit ut « sermo Dei currat et clarificetur » (*2 Thess.,* 3, 1) et ut omnes homines cognoscant verum Deum et quem misit Iesum Christum (cf. *Io.* 17, 3).

Les raisons de ces modifications sont les suivantes: 1. Il est absolument nécessaire que soit affirmée fortement dès le prooemium, que le devoir missionnaire est une obligation d'amour fraternel, sinon toute la constitution *de Missionibus* risquerait de heurter et de choquer une grande partie de l'opinion mondiale qui n'y verrait qu'une volonté réaffirmée d'un prosélytisme intéressé. D'autre part, il est nécessaire que ce témoignage d'amour soit exprimé en fonction de la situation présente de la grande famille humaine, de ses souffrances, de ses aspirations, de ses inquiétudes.

2. La phrase « Insuper... » ne convient pas dans une constitution conciliaire; il n'est pas dans les attributions d'un Concile d'émettre une prophétie concernant des faits contingents.

3. La phrase « Dum haec ita se habent... » peut soulever des difficultés d'ordre doctrinal.

4. Le reste « Hodie... » semble superflu.

Pag. 3. Lin. 19: verba « *apparet* Deus vivus » videntur non recte dicta. De qua apparitione agitur?

Pag. 4. Loco « Cum autem » usque ad « inserantur» dicatur: « Ecclesia omnibus omnia fieri (64) semper parata est, atque vim et capacitatem habet omne quod humanum est, praeter peccatum, assumendi, qui quaecumque sunt vera, quaecumque amabilia (65) Christi sunt « qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum » (*Io.* 1, 2). La raison de cette modification est la suivante: bien que le texte proposé puisse se soutenir, la modification souhaitée met mieux en relief la priorité de l'action du Christ et témoigne d'un plus grand respect pour les valeurs propres de chaque peuple.

---

* Cf. pag. 902.

In ultima paragrapho, loco: « In illa Ecclesia... sese aedificante », dicatur: « In illa Ecclesia, quae per verbum Dei, Baptismum et Eucharistiam continuo aedificatur... etc. ».

Raison de cette modification: l'expression « sese aedificante » n'est pas assez expressive de la réalité de la grâce, réalité exprimée, au moins implicitement, par le mot « aedificatur ».

In eadem paragrapho, loco « Unde missiones... perficit », dicatur: « Unde missiones, quae ex ipsa Ecclesiae natura profluunt, nihil aliud sunt quam operatio qua Ecclesia, seu Corpus Christi, visibiliter extenditur et perficitur ». Raisons de cette modification: 1. Puisque l'Eglise est le Corps du Christ, on ne doit pas dire que l'Eglise fait grandir le Corps du Christ; 2. La forme passive est plus respectueuse de la réalité de la grâce.

Pag. 5. Loco paragraphi: « Cum isti... provideatur », haec dicantur: « Cum isti homines, sive ut asseclae alicuius religionis, sive ut fautores materialismi, in determinatos et aliquando magnos coetus coalescant, dialogus instituendus est non tantummodo cum singulis hominibus, sub responsabilitate episcoporum,' sed optandum est etiam ut communi omnium conamine ab Ecclesia universali media parentur quibus dialogo latiori via aperiatur. Quae omnia cum magna prudentia fieri debent, tum ut veritas nullum detrimentum patiatur, tum ut consulatur debitae reverentiae erga personas et diversos coetus in quibus coalescunt, ad imitationem Dei qui, cum sit " dominator virtutis ", tamen cum tranquillitate iudicat et magna reverentia disponit hominem (cf. *Sap.* 12, 18) ». Raisons de cette modification: 1. Il ne faut pas mépriser les petites communautés religieuses en n'ayant d'égards que pour les grandes; 2. Il faut maintenir et affirmer la nécessité du dialogue *à tous les degrés*; le dialogue à l'échelon supérieur ne sera efficace que s'il s'appuie sur le dialogue aux échelons inférieurs et même à l'échelon individuel.

Paragraphus « Satores Verbi Dei... », de praeparatione evangelica, valde insufficiens est. Proponitur sequens paragraphus: « Parandae sunt viae Domini. In primis orandum est ut Deus aperiat Evangelii praeconibus os sermonis ad loquendum mysterium Christi (cf. *Col.*, 4, 3). Virtutes evangelicae in Ecclesia fulgeant; caritas, quam Christus dedit discipulis in signum coram omnibus (6) talis vigeat, ut omnes vel ex vita Ecclesiae sentire possint appropinquasse regnum Dei. Sedulo vitent Christi discipuli miserandam confusionem inter causam Ecclesiae et causas temporales, quippe quae maximum impedimentum affert diffusioni evangelicae veritatis, cum sit negatio eius transcendentiae. In genere, omnes christiani, plane conscii communis oneris regni Dei in toto terrarum orbe instaurandi, totis viribus contendant bona essentialia hominis promovere, praesertim reverentiam erga personam humanam, iustitiam, amorem fraternum universalem, concordiam, pacem, quae omnia bona non implentur nisi in Christo et per Christum; praesto sint affectu et opere doloribus et angoribus hominum; semper parati sint ad cooperandum cum hominibus bonae voluntatis quoties agitur de dignitate et vera felicitate humana, gaudio affecti quod etiam per homines extra limites visibiles Ecclesiae degentes sed a Spiritu Sancto ductos viae parentur ad Evangelium, quo fit ut isti homines veniant ad Deum " non recedentes de loco suo, quia credentes in eum invenient eum in corde suo " (S. AUG., *de Fide rerum quae non videntur,* IV, 7) ».

Pag. 6. Lin. 3: deleantur verba « non raro iustificati », qui pleonasmum faciunt cum his quae sequuntur (adhaesio Deo per caritatem).

Pag. 7. In par. II, post verba « et convalescant », addatur « sub auctoritate episcoporum ».

[*Subscripsit etiam*] Vedastus M. Jacquier, ep. aux. Algeriensis.

19

Exc.mus P. D. IOSEPH FADY
Episcopus Lilongwensis

Libera anima expono quid sentiam de schemate.

Est optima sed *tantum* pia exhortatio et nihil in ea invenitur quod iam antea dictum non fuerit a SS. Pontificibus. Hae gravissimae exhortationes vix a paucis episcopis legebantur et rarissime sequebantur.

Hoc schema *tardius venit*. Cur non praesentatum fuit in prima sessione Concilii? ita ut causam nostram iterum dicere potuissemus, si inefficax evasisset.

Ne in II quidem sessione aliquid de hoc schemate dictum est sed disputationes multae et inanes de scholis theologorum habitae sunt quae nihil vel parum prosunt fini primario Concilii, nempe curae pastorali animarum in toto orbe terrarum, praesertim in missionibus.

Nunc quoque dubium est num de hoc schemate in III sessione Patres disputaturi sint...?

Quaeritur: « praedicare Evangelium omni creaturae » (*Mc.* 16, 15), nonne hic finis primarius missionis est? Ecclesia nonne tota missionaria esse debet? Nonne verum est actionem missionariam omnium episcoporum et sacerdotum necnon omnium catholicorum esse munus et honorem?

Quae cum ita sint, quomodo fit ut usque nunc multi Patres — experientia loquor — sacerdotibus et seminaristis facultatem denegant se ministerio in terris missionum vovendi?

Quaeritur: Ad quem hae piae exhortationes in hoc schemate *diriguntur?* (capp. II et III).

Iterum atque iterum operarii in terris missionum laborantes exhortantur quomodo muneri missionali obire debeant. Valde nobis hae admonitiones notae sunt et saepius a SS. Pontificibus et a superioribus maioribus Institutionum missionalium nobis in memoriam revocantur.

Exhortationes ad eos potius dirigantur qui nobis efficax auxilium denegant, cum ipsi operariis et mediis ditissimi sint.

Scandalum maximum hoc est: inaequalitas distributionis sacerdotum in mundo.

In hoc schemate nihil vere concretum affertur ut hoc scandalum efficaciter tollatur. Et interim in regionibus « christianis dictis » praedicatio Evangelii iis importune et inopportune repetitur qui saepe clarius oculis et auribus ei resistunt.

Num praecones Evangelii in terris missionum expectare debent dum ultimus communista et ultimus operarius in ovile Ecclesiae cogatur, antequam episcopi harum regionum paucos sacerdotes ad 99 oves perditas in terris missionum mittere dignentur? Num apostoli prius omnes iudaeos in Ierusalem ad fidem christianam

convertere decreverint, antequam in varias regiones proficiscerentur? Minime! « In omnem terram exivit sonus eorum ». *Rom.* 10, 18; *Ps.* 18, 5.

Quaedam animadversiones in concreto. Prooemium. Sermo sit brevior. Praedicatio Evangelii in universo mundo, lex suprema est in Ecclesia Christi. Num haec praedicatio vere universalis dici potest? Minime! Quare? Quaedam rationes in prooemio linn. 10-14 afferuntur: 1) Numerus missionariorum valde insufficiens; 2) Copia subsidiorum valde insufficiens; 3) Materialismi lata diffusio; 4) Lugenda christianorum divisio. Addatur: nationalismus, mahomedismus.

Aliae rationes afferri possunt inter quas lamentabilis negligentia Hierarchiae implendi vota Summorum Pontificum (qui repetunt mandatum Christi ut Evangelium omni creaturae annuntietur) et non raro tacita si non expressa oppositio!

Quae in linn. 14-15 elementa favorabilia esse dicuntur, sunt reapse adiutorium et impedimentum simul.

Quod in linn. 21 ss. continetur iterum atque iterum a SS. Pontificibus et episcopis in missionibus laborantibus repetitum est in decursu annorum. Vox in deserto.

Conclusio: linn. 25-32 est optima sed abbrevietur et fiat mandatum concretum, v. g. Quapropter haec S. Synodus, SS. Pontificum vestigia premens declarat et decernit ut cooperatio pro missionibus efficacior reddatur.

Cap. I. Pag. 7: nota sunt omnia. Retineatur lin. 26 (n. 3). Necessitas apostolatus missionalis. Post lin. 30 « per fidem vitam quam Christus in terram attullit, habeant et abundantius habeant » addatur: fidem nempe per praedicationem, vitam autem per sacramenta.

Pag. 8, linn. 1-10 nihil novi afferunt.

Pag. 8 et 9, par. 5-6: aedificatio Ecclesia missionaria Ecclesiae abbrevientur.

Quid sibi vult: « novo et diverso modo adiuvandae sunt ». Pag. 8, lin. 39; pag. 9: quis est hic novus et diversus modus?

Retineatur pag. 9, lin. 21: Quare Ecclesia tota est missionaria. In concreto nondum tota missionaria est, multum abest!

Quaeritur: quomodo Ecclesia quae adhuc partem non habet in Ecclesia missionaria adduci potest ut missionaria fiat? i. e. ut pauper et egenus a divite adiuvetur?

Cap. II. Pag. 11, lin. 12: initium sententiae ita compleatur: In cura pastorali clerus universae Ecclesiae tam in terris iam christianis quam in terris missionum etc.

Pag. 13, par. 10: post lin. 18 adde haec verba: praesertim autem familia vere christiana promoveatur. Tunc solum vocationes ad instituta perfectionis necnon vitam contemplativam (de quibus sermo est infra: linn. 25-30) ex ea quasi naturaliter nascentur.

Pag. 13, lin. 35: post sententiam: Maius enim scandalum pro non christianis non habetur quam divisio, contemptio ac odium inter christianos catholicos et christianos non catholicos.

Pag. 15, par. 12: valde utilis est haec paragraphus, praesertim lineae ss.: 12-15; 21-28; 30-38 et finis par. pag. 16.

Cap. III. Abbrevietur. Iam multa alio loco dicta sunt. Pag. 19, par. 20: addatur conclusio practica, nempe: instituatur opus catechistarum pro sustentatione scholarum catechistarum et sustentatione catechistarum qui in apostolatu iam laborant. Sit simile Operi S. Petri Apostoli pro Clero Indigena.

Cap. IV litteris aureis imprimi debet. Est manifestum ad totam Ecclesiam. Si par. 22, 23 et 24 ubi sermo est de collaboratione Institutorum, sacerdotum et episcoporum, litterae mortuae non remanent, tunc et tunc solum renovabitur facies terrae.

Pag. 21, linn. 21 ss.: valde approbo et libenter corroboro quae hic dicuntur de laicis, tam viris quam mulieribus qui... artes suas in servitium operis missionalis exercent, etc.

Quindecim sunt qui abhinc tres annos mecum in mea dioecesi laborant. Melius et citius voci SS. Pontificum (Encycl. *Fidei donum*) obtemperaverunt, quam sacerdotes. Utinam totidem sacerdotes vocem eius audissent! Duo tantum sunt qui mecum laborant. Et hic opus urget! Catechumeni abundant! Nunc hora est messis multa, operarii autem pauci! Utinam vocem audierint!

Quaedam consilia et vota. 1. Valde optandum est ut Ordinarii in terris christianis et superiores Institutorum tam religiosorum quam religiosarum, Divina Providentia magis quam considerationibus tantum innixi, opera quae a laicis peragi possunt, eisdem relinquant atque sacerdotes, religiosos et religiosas sic liberatos in terras missionum proficisci permittant. Pag. 21, par. 22; pag. 22, par. 23.

2. Valde desiderandum est ut ipsa Sancta Sedes quae sola necessaria auctoritate in hac re pollet, opus instituat in omnibus et singulis dioecesibus ad seligendos et formandos et distribuendos in diversas regiones missionum, sacerdotes.

3. Delegati Apostolici inopiam operariorum et necessitates particulares et locales non modo tantum generali sed accurate inspiciant et Episcopis optatum auxilium obtineat.

4. Insuper Ordinarii earum dioecesium quae multos sacerdotes habent, omnibus suis subiectis non tandem libertatem tribuant ad missiones proficiscendi, sed optimum quemque enixe exhortentur ut libenter aliquot annos missionibus devoveant! Qui habet aures audiendi audiat...

20

Rev.mus P. D. IOANNES FERREIRA
Praefectus Apostolicus Guineae Lusitanae

Praeliminaria. Schema in genere placet. Quamquam in introductione dicatur quod S. Synodus intendit tractare potius ea quae « apostolatum efficaciorem et cooperationem pro Missionibus fovere possint » (cf. prooemium, lin. 30), tamen in explananda materia habentur 10 paginae pro principiis generalibus (pp. 5-16) et tantum 6 paginae pro formatione et cooperatione missionali. Ergo, aequilibrium non datur inter propositum practicum schematis et materiam praesentatam.

Cap. I. Mutato titulo, dicatur potius: *De Ecclesia Missionaria.* Desideratur maior synthesis et simplificatio in toto capite. Sufficeret, ut puto, succincta enuntiatio de mandato Domini Evangelii annuntiandi et de annuntiatione Evangelii per ministerium Ecclesiae. Deinde, consequentiae ex nota missionaria Ecclesiae, scl., in specie urgentia et necessitas istius apostolatus, tanquam forma aedificationis Ecclesiae apud homines.

Melius foret, ex alia parte, si, iam supposita haec nota missionaria ut « nota ecclesialis » in decreto *de Ecclesia,* hoc in capite brevis enuntiatio et immediatae consequentiae practicae iuxta spiritum oecumenicum et pastorale daretur.

N. 1: in titulo dicatur: « Mandatum Domini de Evangelio annuntiando ».

N. 2: in titulo dicatur: « Annuntiatio Evangelii per ministerium Ecclesiae ».

N. 6: sumatur expressio « Ecclesia missionaria » (lin. 21) ut titulus specificus pro toto capite.

N. 7, linn. 12-13: supprimantur verba « praesertim autem in terris missionum ». *Ratio* est quia verba S. Ioannis (10, 16), linn. 15-16 citata, valent pro toto clero. Missionarii sunt iam in « actu missionali » annuntiandi Evangelium. Ergo verba Christi specifice complectunt eorum programma. Si Ecclesia est « missionaria » ex natura sua, omnes sacerdotes et fideles debent pro se verba Christi sumere: « alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere ».

N. 8, linn. 26, 34 (p. 12) et linn. 1, 4 et passim in schemate: supprimatur expressio « Novellae Ecclesiae ». *Ratio*: daretur hic aliqua oppositio inter « vetula Ecclesia » et « Novella Ecclesia », quod non convenit, actuali spiritu oecumenico respecto. Expressio simplex, « Ecclesia » scilicet, est satis clara. Ecclesia semper iuvenis est, etiam apud communitates antiquiores. Spiritus Ecclesiae semper novus est, tam in veterioribus (respectu temporis) quam in recentioribus communitatibus seu ecclesiis christianis. Iam in decreto *de Ecclesia,* aliquis Pater postulabat eliminationem expressionis « Ecclesia Orientalis » pro vitanda confusione. Hic adest similis ratio confusionis et impraecisionis. Dicatur « Ecclesia » simpliciter. Gradus evolutionis est aliquod accidentale et non iustificat ex se talem expressionem. Alias, haberemus etiam « Ecclesia infans », « Ecclesia adulta », etc.

N. 9, lin. 26: supprimatur expressio « missionarii *exteri* » de schemate. Est magis politica quam christiana, et sensui divisionis inter operarios eiusdem vineae Domini magis favet quam sensui unitatis. Etiam si ratione laboris et nationalitatis et iure humano, dentur exteri et nationales, ratio formalis in spiritu Ecclesiae seu in sinu Corporis Mystici est simpliciter « Missionaria » conditio. Nihil amplius. S. Bonifatius, S. Willibrordus, S. Henricus, S. Patricius, SS. Cyrillus et Methodius, S. Franciscus Xaverius non erant neque « nationales » neque « exteri », sed tantum « praecones Dei ». Non faveat documentum officiale Ecclesiae huic divisioni nimis humanae et psychologice valde delicatae.

N. 11, lin. 14: supprimatur verbum « omnes » in textu « omnes mores purificat ».

N. 12: quia non loquitur ex professo de hierarchia in terris missionum et hoc in articulo synthetice delineatur quaestio relate ad coordinationem apostolatus, puto clariorem hunc titulum: *De regimine et de coordinatione apostolatus in terris missionum.*

Cap. III. Pag. 17, linn. 1-2: omittantur verba: « sive sint exteri sive sint locales ».

In introductione istius capitis interesset habere aliquid de sensu missionali apud christianos, sive in genere sive praesertim in specie.

N. 13: supprimatur titulus et substituatur: « de missionariis exteris », iuxta rationes praesentatas in n. 9.

N. 16, lin. 14 (pag. 18, n. 16) et lin. 12 (pag. 19, n. 19): habentur duo loci paralleli circa collaboratores Evangelii, tam apud « missionarios exteros » quam apud « missionarios locales ». De collaboratoribus priorum habetur titulus: « Laicorum formatio ad opus missionale ». Pro collaboratoribus « missionariorum

localium », datur titulus: « Formatio apostolica fidelium ». Quia loquitur de Ecclesia missionaria, videtur proprium seligere unicam expressionem, nempe: « Laicorum (vel fidelium laicorum) apostolica formatio ad opus missionale ».

Cap. IV. Exoptatur ordo logica in materia. Primo, de personis (fideles, sacerdotes - episcopi et praesules); deinde, de institutionibus (Instituti perfectionis - conferentiae episcopales).

21

Exc.mus P. D. FRANCISCUS VENANTIUS FILIPPINI

Episcopus tit. Thinisensis in Numidia, vic. ap. Mogadiscioensis

Quod in art. 12 expositum est de episcopi auctoritate eiusque relatione cum diversis hominibus entibusque, optime est expositum; tamen mihi videtur nonnulla amplius singillatim designari, nisi in « constitutione », saltem in quodam speciali statuto pro missionibus, et hoc ad frequentia graviaque incommoda quae subscriptus per quinquaginta et unum annos apostolatus sui in terris missionum intellexit vitanda. De his in argumento haec humiliter propono:

1. Amplius singillatim designanda est dependentia missionariorum utriusque sexus sive religiosorum sive laicorum (qui vulgo « ausiliarii » et « ausiliarie » vocantur) et operum missionariorum ab episcopo in omnibus quae ad apostolatum pertinent.

2. In constitutionibus, Regulis aut in praeceptis de missionibus diversorum Ordinum, Institutorum Religiosoroum laicorumque necesse est ut peculiare titulum sit de relationibus inter eorum membra et episcopum in missionibus, a S. Sede approbatum. E. g. in constitutionibus Sororum Missionariarum a Consolatione (vulgo: della Consolata) nihil fere est de istis relationibus, quare independentes ab episcopo videntur et ut tales se gerunt.

« Statuta pro Missionibus Fratrum Minorum » etiam non sunt convenienter accommodata ad « instructionem S.C.P.F. » diei 8 dec. 1929 et facile insurgunt discrepationes inter ecclesiasticam et religiosam auctoritatem.

3. Ordinarii missionum audiantur oportet, cum Ordo vel Institutum eligit superiorem regularem aut superioram delegatam. Vera calamitas est missioni nisi sit concentus inter duas auctoritates. Humiliter praesens facio quod in mea missione Somaliae accidit. Superiora delegata quae est huius temporis Sororum Missionariarum a Consolatione — dici potest independens ab episcopo — quod vult facit. Etiam in suis relationibus cum civili auctoritate suo arbitrio agit ita ut episcopus in gravi difficultate plerumque sit. Cum omnibus superioribus domorum missionariarum discrepat. In fere omnibus sororibus, maxime in superioribus, inest molestia ob eius consuetudinem agendi. Etiam in sororum commutatione sua sponte agit, inconsulto episcopo, in diversis operibus missionum.

Persaepe, pro bono missionis, eius commutationem a superiora generali precatus sum sed sine exitu. In his diebus per alterum quinquennium confirmata est. Perdifficile est se imponere, quia statim minantur retractationem sororum!

4. Etiam quaestio de mammona magis singillatim designanda est. Praedicti superiores ratione propria proventus administrant qui saltem in parte fructus

missionis sunt, et clam ad suos in Italia superiores magnam pecuniam mittunt, dum haec missioni opus est. Quamvis in citata Instructione plane loquatur. Ergo humiliter suggero ut S. Concilii commissio quaedam statuta pro missionibus componat, in quibus omnia bene explicentur ad gravia incommoda missionibus eripienda.

22

EXC.MUS P. D. MARIUS FRANCISCUS FORST

Episcopus Dodgepolitanus

In general the Schema gives a needed clarification of the Catholic Church's position toward the "missions", and the need for a Catholic's taking a personal interest and concern in the missionary activity of the Church. The schema should, in this, be acceptable.

However, I feel that the Schema could be strengthened, and the Church's missionary work vastly improved, if emphasis were placed on, and clarification demanded of the pastoral area which looks to the support and the government of the "missions".

1. The word "mission" should be strictly defined. I would suggest that the definition state that any ecclesiastical territory which is not self-supporting: i. e. cannot provide for its own religious vocations and its needed funds, will be called a "mission".

Therefore, it would not matter that a territory was "newly developed" or on the other hand one that had enjoyed a long history of Catholic practice, if it had to go beyond its own confines for material and clerical help it should be classified a "mission".

2. The government of all "mission territories" should rest in the hands of one, single, Congregation of the Holy See, preferably the Propaganda. This Congregation should be responsable for all administrative detail, including supervision of the clergy, and dispensing of financial help.

3. In the administration of "mission territories" the Holy See should carefully distribute clergy, religious, laity and funds solely on the basis of need. An annual examination of a "mission territory's" budget should be demanded, with a canonical visitation of the "mission territory" by the Holy See every five years. Emphasis would be placed on the formation of a local, diocesan clergy, together with the fostering and training of native religious vocations.

4. The Holy See would provide an annual budget that would suffice for all mission financial needs for the current year. This budget should realistically provide for all mission financial obligations. A break-down of the budget would reveal how much the specific "mission territory" could provide from its own "at home" resources.

The balance needed for operation of the missions would then be assessed against all self-supporting dioceses throughout the world. An international Mission Committee would meet at least once every five years to decide percentages to be allocated to the several national groups. The national bodies would, in turn, assess the various dioceses. The dioceses would again, in turn, assess the various parishes. All funds would eventually be sent to the Congregation of the Propaganda for distribution.

5. With worldwide support for the Church's missions coming directly from the parishes and dioceses, the soliciting of funds for missionary purposes by Religious Communities of men and women would be strictly forbidden. If a Religious Community received such funds, e. g. through bequests, they would be forwarded to the Holy See through the national offices of the Society for the Propagation of the Faith.

However, Religious Communities engaged in mission work would be permitted to present the Holy See with a statement, detailing Community expenditures for the education of personnel for mission work. If Burses were not existing to care for such education, then the Holy See would reimburse the Religious Community for such out-of-pocket expenses.

Conclusion. It seems evident, today, that a somewhat inadequate handling of the Catholic Church's mission responsabilities stems from the unregulated and slip-shod methods with which the "missions" are supported.

The needless overlapping of organizational endeavor by so many Religious Communities, dioceses, and even Congregations of the Holy See has resulted in a waste of man-power and money, with a resulting waste of interest by our Catholic clergy and laity in the mission works.

Conditions are such, today, in the self-supporting, affluent countries of the world that it is possible to organize their help, and by using the Propaganda as the sole mission agency, both seek and obtain a much more satisfying support, and perhaps more effective results in the mission territories.

Vatican Council II alone seems to be in a position the discuss, evaluate and prescribe the Church's missionary activities today, and to formulate a plan that would more realistically embody the Church's mission theology.

The Church and even the World would be enriched by such a study.

23

EXC.MUS P. D. DOMINICUS SENYEMON FUKAHORI

Episcopus Fukuokaensis

Animadversio generalis. Verba « missio », « missionalis », « missionarius » non semper sumuntur eodem sensu. Quapropter, optatur ut unificatio fieri possit.

Praeterea, dubitatur an clerici autochthoni territoriorum missionum recte vocari possint « missionarii locales », ut fit in pag. 18.

Animadversiones particulares. Pag. 9, post lin. 23 oportet dicat non omnes in Ecclesia eamdem responsabilitatem habere, ut scribitur in *Evangelii Praecones* (Pius XII), etsi Ecclesia tota est missionaria.

Pag. 12, lin. 15: post verbum « missionarii » *addatur* « sive exteri sive locales ».

Pag. 15, linn. 24-25: post verbum « normas » *addatur* « statis temporibus recognoscendas ».

Pag. 17, lin. 28: post verba « ad quos mittentur » *addatur* « circa Facultates Apostolicas missionariis concessas necnon circa praeparationem librorum paroecialium ». *Ratio*: nimis numerosi sunt missionarii qui carent scientia necessaria de his rebus, cum detrimento animarum.

Pag. 18, n. 17 et pag. 22, linn. 17-20: Optatur ut omnes seminaristae saepe docentur sacerdotium ipsum esse natura sua, essentialiter, missionarium. Zelus apostolicus erga animas quae extra Ecclesiam errant, non est aliquid accidentale, neque aliquid proprium illorum tantum qui vocationem missionariam habent. Hic iuvabit citare verba a S. P. Pii XI prolata die 13 nov. 1936 ad ecclesiasticos qui participaverunt II Congressu Inter. Unionis Cleri (Union Missionnaire du Clergé): « ... notre sacerdoce n'est pas en marge de celui du Christ, mais il en est précisément la continuation... (...) ... le sacerdoce unique de l'Eglise est essentiellement missionnaire. Si donc le zèle missionnaire, ainsi pratiquement conscient de ses devoirs, manque à votre sacerdoce, il lui manque quelque chose d'essentiel ».

Pag. 23, post lin. 2, *addatur* « non denegando permissionem in territorium missionum adlaborandi sacerdotibus, et praesertim seminaristis suis, petentibus ».

24

Exc.mus P. D. XAVERIUS GEERAERTS

Episcopus tit. Laganitanus

Generatim. Schema est adoptandum, permittit enim seriam discussionem conciliariam. Non tradit tamen problemata actualia missionis sufficienter clare et non indicat novas solutiones. Insuper non est « ignis ardens » ad peculiarem actionem missionariam excitans. Ideo propono sequentes emendationes.

Ad prooemium: pag. 5, linn. 11 s. Debet *melius* et *clarius* indicari urgens actuale problema missionis, tam respectu evangelizationis totius mundi quam respectu novellarum Ecclesiarum et exinde deducere gravem obligationem Ecclesiae illud totis viribus optimo modo solvendi.

Cap. I. Bene tractatur et bene monstrat aedificationem Ecclesiae esse opus a tota Ecclesia perficiendum.

Cap. II: pag. 11, n. 7, linn. 12 s. Non indicatur satis urgentia evangelizationis mundi nec problematis amplitudo. Post multa saecula evangelizationis invenimus coetus hominum maximos ubi religio christiana fere totaliter absens est (v. g. mahometani, hinduisti, buddhisti, confucianisti, shintoisti). Dechristianisati in regionibus nominatim catholicis sunt permulti (v. g. America meridionalis, multae regiones europeanae). Fides christiana non iam apparet ut fermentum totam massam humanam fermentans et non obstante augmentatione numerica christianorum continua respectu populationis totius mundi pars proportionalis christianorum decrescit. Urget ergo actio immediata et fortis. Ergo in schemate deberet proponi Concilio:

1. Creatio alicuius « Secretariatus studiorum pro evangelizatione » apud S. C. Propagandae Fidei. Ita ista Congregatio posset melius dirigere et animare totam strategiam missionariam per studia secretariatus determinatam. Hoc naturaliter fieri deberet in intima collaboratione cum conferentiis episcoporum et cum Institutis Missionariis.

2. Compendium regularum et principiorum ad suscitandum et fovendum pluriores vocationes missionariorum.

3. Quaenam sint facienda ad praeparandam evangelizationem (pre-evangelizatio), quomodo ordinanda evangelizatio et initiatio christiana. (Haec omnia in

connexu cum quaestionibus tam actualibus de libertate conscientiae, oecumenismo, respectu pro valoribus humanis et religiosis).

Ad pag. 15, n. 12, linn. 17 s. Novellae Ecclesaie, quamvis ius commune sit meta desiderata, non iam possunt ad hanc periodum statim transire et novae normae debent a Concilio statui quibus novellae dioeceses post institutionem hierarchiae ecclesiasticae in conditionibus actualibus gradatim ad applicationem iuris communis simplicis conduci possint. Ad hoc commissio pro missionibus constituta fuit ut Concilio practicam viam indicaret quam S.C.P.F. post Concilium sequi deberet. Opus est ut provideatur maturatio novellarum Ecclesiarum, quia traditio christiana ibi est generatim superficialis tantum. Debet profundius assimilari ope communionis vitalis cum Ecclesiis antiquioribus. Sed, firma permanente *unitate* Ecclesiae, catholicitas debet explicitari in legitima diversitate. Maturatio ergo novellarum Ecclesiarum fieri debet secundum individualitatem suam determinatam a cultura, ingenio proprio et populorum traditionibus. Etsi hoc opus difficile maneat, poterit tamen maxime proficere si a Concilio provideatur:

1. Ut conferentiae episcopales in territoriis missionum coadunentur secundum ambitum magnarum culturarum; sine cooperatione omnium virium adaptatio fieri nequit modo sano et profundo elementa essentialia attingens.

2. Ut activitates conferentiarum episcopalium animentur a Sancta Sede eo fine ut legitima diversitas promoveatur in unitate catholica.

Ad pag. 16, nota 32, ad calcem. Principia novae legislationis pro relationibus inter ordinarios et superiores religiosos tam in regionibus evangelizationis quam in Ecclesiis novellis ab ipsa commissione Concilio proponenda sunt ita ut Concilium ipsum viam indicat post Concilium sequendam. Res tam gravis et urgens ab ipso Concilio tractari debet.

Cap. III. Notandum generale. Ambitus huius capitis debet extendi et amplectere formationem, sub omnibus suis aspectibus, eorum omnium qui in missionibus adlaborant. Primo debet tractari de vocatione specifica missionaria quae in multis regionibus non satis secundum valorem propriam aestimatur. « Congrua spiritualis formatio » eorum est specialis et melius deberet determinari. Omnes categoriae missionariorum examinentur. Dein tractetur *complete* de missionariis localibus: clerus autochthonus in ipsa regione nativa educandus est usque ad sacerdotium ut non extraneus fiat populo suo, post sacerdotium autem adire posset, et hoc valde suadendum est, universitates vel scholas speciales ad ampliorem formationem recipiendam (congregationes religiosae et instituta perfectionis); catechistae, quorum officium erit renovandum; laici qui diversi modo auxilium possunt praestare. Tractandum erit specialiter de sacerdotibus qui secundum principia quae in *Fidei donum* exponuntur, missionibus dantur et de auxiliariis qui temporaliter auxilium praestant.

Cap. IV. Notandum generale. Generaliter dicendo doctrina bene exponitur et principia cooperationis missionariae totius Ecclesiae clare ponuntur. Notandum tamen:

1. Bene praevideatur a Concilio quid in singulis paroeciis sit faciendum ut omnes fideles clare sciant (et ad hoc fervide exhortentur) quaenam sit eorum obligatio. Omnibus de vocatione missionaria sub diversis eius formis saepe tractandum est. Ab Ordinariis ipsis regulae huius actionis debent determinari.

2. Instituta perfectionis omnia debent partem aliquam operis assumere. Obligatio haec debet determinari a Concilio commissione proponente.

3. Pro neo-sacerdotibus universae Ecclesiae optandum est ut multi (maior pars?) aliquod tempus exercitationis (stage) habeant in terra missionis.

4. Collaboratio episcoporum totius mundi deberet regulari principiis quae a Concilio sunt determinanda. Sic omnes eodem modo maximam illam Ecclesiae obligationem adimplere poterunt. Usque huc in multis dioecesibus parum aut nihil fit.

Pro hac omnium episcoporum collaboratione ad opus evangelizationis maxime oportet ut massa constituetur communis alenda a dioecesibus privilegiatis ex qua dioeceses novellae et pauperes adiuvari possint quin obligati sint ipsae continua mendicatione, saepe cum magna perditione temporis et parvo successu, alimoniam quaerere.

5. Pertinet ad conferentias episcoporum ut regulas practicas pro regione propria indicent secundum principia generalia quae iam a Concilio probata erunt.

25

EXC.MUS P. D. CLEMENS GEIGER

Episcopus tit. Olenensis, prael. null. Xinguensis

Forsan esset melius schemati titulum imponere: *De activitate missionaria Ecclesiae.*

Prooemium. Pag. 5, lin. 7: magis placeret versio biblica: « Regnum Dei omnibus populis *annuntiaretur* » loco « *extenderetur* ».

Cap. I. Pag. 8, n. 5: momentum propriorum (= autochthonorum) sacerdotum et episcoporum *exaggerari* videtur. Ecclesiae nempe locales iam exstant, quando communitates christianae sub episcopo *etsi extero* in dioecesim colliguntur. Eadem exaggeratio invenitur in fine huius numeri in asserto: « Corporis episcoporum varietas... ».

Pag. 10, nota 38: assertio missionem in eo esse, « ut... per propagationem fidei inter gentes non-christianas (acatholicas) novi Christo Salvatori discipuli... aggregentur » *certo certius publicas indignationes observatorum acatholicorum provocabit,* cum hac extensione obiecti missionis *ad acatholicos* orthodoxi, protestantes et aliae denominationes christianae paganis, mahometanis et iudaeis aequiparentur. Haec sententia certo non est sententia cl. auctoris Ohm.

Cap. II. Pag. 11, linn. 20-22: melius dicatur: « ut per eorum exemplum potius quam verbis testimonium reddatur Deum omnes homines ad viam salutis hortari et invitare ». Lin. 26: « coram gentibus » non correspondet textui *Io.* 13, 35 ubi simpliciter legitur: « omnes ».

Pag. 12, lin. 24: assertio laborat eadem exaggeratione iam supra notata: *novellae Ecclesiae etiam per episcopum exterum in hierarchiam Ecclesiae universalis inseruntur.*

Linn. 29-33: effatum celebre S. Cypriani ne verbo quidem insinuat episcopum, cui plebs adunatur, debere esse e propria gente electum. Agitur de eadem exaggeratione ut supra: Communitas christiana etiam per episcopum non ex propria gente ortum efformatur et communioni Ecclesiae inseritur.

Linn. 35 s.: phrasis: « Quae indigentia minime est defectus, sed potius signum propriae vitalitatis... » non est intelligibilis. Idem valet de pag. 13, linn. 1 s.: « Indigentia... in novellis Ecclesiis eadem non est ac in missionibus in genere ».

Nam missiones in genere reapse non indigebant talibus institutionibus uti seminariis, scholis catechistarum etc., secus candidati ex autochthonis fidelibus numquam ad sacerdotium provecti essent.

Lin. 12: totus passus discrimen aliquod construit novellas ecclesias inter et missiones in genere. Textus ita sonat, acsi missiones non starent « in intima communione cum Ecclesia universali ».

Linn. 32 ss.: divisio inter christianos non causatur solo defectu caritatis, sed et veritatis. Timendum est, ne dissensione in fide « nomen Domini inter gentes blasphemetur » (*Rom.* 2, 24), ita ut praedicatio Evangelii nequeat esse « in testimonium omnibus gentibus » (*Mt.* 24, 14).

Pag. 14, lin. 23: textus allatus (*Phil.* 4, 8 s.) nullomodo de culturis gentium agit. Dicatur simpliciter: « quaecumque sunt bona et vera ».

Linn. 30 s.: eliminetur textus S. Augustini ad duplicem civitatem, ecclesiasticam nempe et civilem, alludens.

Linn. 35-38: agitur de adaptatione nonnisi in rebus externis. Principia adaptationis liturgicae melius delineantur in constitutione conciliari *de Liturgia*.

In sequentibus duabus paragraphis denuo construitur discrimen inter Ecclesias novellas et terras missionum.

Pag. 15, lin. 19: loco « Episcopis, sive autochthonis, sive missionariis », melius dicatur: « sive exteris ».

Linn. 23-28: forsan melius esset dicere: « ... vix adhuc applicari possunt. Quare necesse est normas concedere, quibus relationes auctoritates inter ecclesiasticam et religiosam ordinentur, auditis episcopis et superioribus religiosis missionariorum ».

Linn. 30 s.: loco « si in universa Ecclesia sunt perutiles, in missionibus adhuc magis sunt necessariae », forsan melius diceretur: « in universa Ecclesia perutiles, in missionibus necessariae fere sunt ». Linn. 35-38: non sunt intellegibilia.

Pag. 16, lin. 8: loco « Apostolorum », « nuntiorum Evangelii ».

Cap. III. Pag. 17, linn. 12 s.: proponitur: « Spiritualitas... apprime sit missionalis ». Linn. 16 s.: loco « apostolico more », « Apostolorum more ». Lin. 25: eliminetur « etiam ».

Pag. 18, lin. 5: forsan dicatur et addatur: « in disciplinis eorum apostolatui imprimis proficuis, uti e. g. in theologia pastorali et liturgica, in scientiis sociologicis, linguisticis, ethnologicis. Viri hoc modo instructi episcopo vel conferentiis episcoporum regionalibus praesto esse possent, ut res urgentes in commissionibus specialibus deliberarent et tractarent ».

Linn. 13-17: hic non habent locum suum. Bonum esset hoc loco ponere, quae pag. 21, linn. 21-27 dicuntur, et viceversa.

Pag. 19, linn. 15 ss.: dicatur: « formatio christiana apprime sit apostolica congruenti instructione *omni occasione* impertienda ».

Lin. 21: loco « conscientia collectiva » melius diceretur « conscientia publica » (vel « opinio publica »?).

Lin. 27: melius: « Catechistarum... opera necessaria atque frugifera semper exstitisse... ».

Cap. IV. Pag. 21, lin. 15: deleatur « et suam ». Lin. 30: melius diceretur: « ad perfectionum attingendam tenentur non pro seipsis solis, sed pro totius mundi salute ».

Pag. 22, lin. 6: « a pluribus annis »? Non esset verius dicere: « a pluribus saeculis »? Lin. 10: loco « ordinantur » forsan melius « destinantur ». Lin. 23: cur restrictio ad iuvenes? Lin. 25: deleatur « et ». Lin. 34: deleatur « etiam ». Lin. 39: dicatur forsan distinctius: « Quam sollicitudinem manifestent quosdam ex proprio clero sacerdotes ad terras missionum deputando... ».

Pag. 23, lin. 8: loco « expansio Regni Dei » ex tenore biblico dicendum esset « annuntiatio Regni Dei ». Lin. 14: cur haec restrictio ad iuvenes? Lin. 26: « fovendum habent » loco « habere possunt ». Lin. 26: impossibile mihi videtur conferentias episcopales « hunc ipsum scopum » scil. responsabilitatem de unitate et catholicitate Ecclesiae « in propria natione » « subordinare » debere « in servitium Ecclesiae universalis, etiam in bonum evangelizationis gentium ». Quid significant haec verba?

Appendix. Loco prooemii et cap. I: « De principiis doctrinalibus » breviter colligari possint quae in schematibus *de Ecclesia* et *de Liturgia* de missione Ecclesiae iam edicta sunt.

Pro contrahendo prooemio proponantur quae sequuntur:

Prooemium. Sancta haec Synodus cum iam natura et missione universali Ecclesiae tractare sibi proposuerit (*de Eccl.,* n. 1) et declaraverit ministerium fidem salutarem praedicandi supponere missionem divinam in apostolis Ecclesiae translatam (n. 13), simul constituit hanc auctuositatem toti Ecclesiae communem esse (n. 17) itaque obligare omnia Ecclesiae membra, ut pro viribus suis fidem verbo et opere diffundant (n. 24). Ideoque etiam statutum est Ecclesiam debere opus salutis, quod annuntiat, per sacrificium et sacramenta exercere simulque, quotiescumque dominicam coenam manducat, mortem Domini annuntiare, donec veniat (*de Liturgia,* n. 6). Itemque Ecclesia persuasum habet in Liturgia Deum ad populum suum loqui Christumque suum adhuc annuntiare Evangelium (*ibid.,* n. 33).

Qua de re Ecclesia tota est missionaria et tamquam ministra Christi in gentibus « sanctificat Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu Sancto » (*Rom.* 15, 16).

Illius Ecclesiae missionariae est delineare ac determinare conditiones concretas operis sui in gentibus. Quod opus hisce temporibus nostris maxime urget, cum mundum magis magisque in unum coalescit et hominum numerus in dies ita crescit, ut Ecclesia a sua extensione universali longius distare videatur quam quovis alio decursu saeculorum tempore.

Nn. 9-10 schematis emendari possunt, quia de rebus agitur quae per se intelliguntur et plane perspicuae sunt.

26

Rev.mus P. D. IOANNES GIORDANI

Praefectus apostolicus Paciensis in California Inferiore

Il povero sottoscritto si permetterebbe di fare risaltare di più l'obbligo di spogliarsi dello spirito di nazionalismo, sia nei Missionari esteri, sia nel Clero indigeno. Troppe volte, nel mio peregrinare per Africa e America ho dovuto constatare mancanze a questo principio. Pareva che lo spirito di Patria tenesse precedenza a quello di Cattolicità.

Sarebbe anche bene che come già hanno per regola alcuni Istituti, fosse obbligatorio per tutti i Missionari parlare sempre la lingua del luogo.

Che tutti amministrino in spirito di povertà quegli aiuti che ricevono da Propaganda o dai benefattori. Spesso si vedono Pastori, Sacerdoti o semplici chierici, permettersi dei viaggi, o comprare cose non necessarie, che Vescovi e Sacerdoti del vecchio mondo neanche si sognerebbero. Si dovrebbe pensare quanti sacrifici rappresentano nei benefattori quei soldi.

Pag. 15, pag. 12. Per avere una migliore cooperazione tra Ordinario e Superiore Religioso, mi pare sarebbe molto conveniente che quest'ultimo non avesse... due Padroni da servire, ossia Opere della Società o Congregazione Religiosa e Missione, e che abitualmente viva fuori della giurisdizione ecclesiastica, perché le Opere della Congregazione stanno fuori. Si finirà naturalmente con attendere con più sollecitudine a queste che alle opere dirette della Missione.

Ma forse, tutto sommato, lì dove l'Ordinario è della stessa Congregazione dei Missionari, sarebbe meglio che fosse anche Superiore religioso. Ma i Consoli devono già aver vagliato questa delicata questione.

Pag. 17, par. 14. Un insegnamento pratico che non dovrebbe mancare prima di venire in Missione, sarebbe quello della meccanica. Saper guidare, e soprattutto aggiustare, almeno nei difetti più ordinari, l'auto. Quanto tempo si perde alle volte, quanto ritardo e danno nel ministero, per non aver saputo a metà cammino, cavarsi dall'imbroglio. Qualcuno poi che non sa neanche guidare è quindi obbligato a dipendere o da un Fratello o da un borghese che a volte non si trova.

Così pure non solo il Fratello coadiutore, ma anche il Padre, sappia praticamente un po' di arte muraria e falegnameria. Non solo un tempo in Africa, ma qui nel nuovo mondo (è dell'altro ieri), dovetti dire a un giovane che da un gruppo di fedeli era stato incaricato di fare dei blocchi di cemento per una cappella, che i suoi blocchi di cemento si rompevano, perché la sabbia non era molto pulita, perché sbagliava la proporzione tra sabbia e cemento, e perché non venivano bagnati dopo, più volte.

È vero che non sono... grandi problemi del Concilio questi, però una cappella in più e presto, per noi in questo angolo del mondo, è sempre una cosa grande.

27

Exc.mus P. D. IOSEPH GUFFENS
Episcopus tit. Germanicianensis

Remarques d'ordre général. 1. Le texte gagnerait à être allégé. En fonction du texte, l'intelligence de l'une ou l'autre références scripturaires ne saute pas aux yeux; des déviations d'interprétation pourraient se produire. On trouvera plus loin quelques suggestions.

2. Suite à l'usage multiséculaire, en pays de Mission, le vocable « missionnaire », qu'on le veuille on non signifie « étranger ». De ce fait, si regrettable soit-il, ne faut- il pas tenir compte?

3. On souhaiterait voir mieux mis en lumière certain devoir commun, que l'on soit ou non missionnaire: des relations humaines normales. Faute de se ranger à pareil devoir, nonobstant de réels dévouements et d'innombrables sacrifices, la charité désintéressée, si heureusement suggérée par le schema paraîtrait

douteuse aux masses populaires des pays de mission. Ceci se vérifie aisément en période de crise comme celle que l'on vit depuis des années. Ces « relations humaines normales » excluent toutes les attitudes blessantes venant du malencontreux complexe de supériorité. Elles inclinent à apprécier les valeurs culturelles « exotiques », à reconnaitre volontiers les vertus et les talents des natifs. Elles se refusent à traiter des derniers en enfants, à colporter la litanie de leurs défauts et maladresses; à différer plus que de raison la formation professionnelle de base des habitants, et leur cooptation dans les cadres dirigeants à tous les degrés. Elles incitent enfin à aider les débutants, dans leurs multiples tâches, avec patience et discrétion. De la sorte, on arrive à un échange de biens culturels et autres; on reçoit et on donne quasi sur pied d'égalité, on collabore amicalement. Agir autrement, n'est-ce pas pécher contre l'homme?

4. Après tant de siècles d'expérience et d'étude on s'étonnerait de ne point lire dans le texte une formulation précise de l'objet spécifique de la Mission. On n'ignore pas les opinions divergentes en la matière. Dans les pays en voie de dévoloppement, l'implantation, à savoir la structuration de l'Eglise, et conjointement, d'une société humaine chrétienne: ne voilà-t-il pas l'objectif qu'il faut atteindre au plus tôt? En ce cas le § 6 du cap. I, p. 9 ne l'exprime qu'imparfaitement.

La vigueur chrétienne des masses populaires dépend beaucoup de la ferveur de laïcs, compétents dans leur travail, honnêtes et dévoués, engagés dans les affaires du pays: commerce, industrie, agriculture, coopératives, politique, enseignement, administrations, armée, police, magistrature, œuvres caritatives, etc... Ces laïcs doivent être préparés à temps, mis à même d'exercer sur les masses une influence capable parfois d'infléchir le cours des évènements.

5. A la p. 5, lignes 22-23, les termes choisis semblent être trop négatifs, pour souligner comme il convient l'évolution, la *transformation accélérée* du monde. Un phénomène aussi inédit paraît bien révéler une « disposition providentielle ». Le texte pourrait l'interpreter en termes positifs d'adhésion confiante. Répéter comme on le fait dans les sociétés humaines plus favorisées, que « les choses vont trop vite » en Afrique et ailleurs — (il faudrait dire « très » vite) — n'arrangera rien; et l'excuse ne vaudrait pas lourd au jugement de l'Histoire. Mieux vaut essayer de s'adapter aux bouleversements dont nous sommes les témoins quelque peu effrayés.

A la p. 5 (lignes 23-24) le texte donne à penser que dans un proche avenir les occasions présentes de réussite pourraient faire défaut. C'est à craindre, aujourd'hui comme hier. L'expression de cette réalité apparaîtrait peut-être trop uniment négative. Il se pourrait qu'on l'interprétât non sans malice comme suit: plutôt que de former des cadres stables, ou tout au moins de travailler en liaison avec d'autres à cette création de cadres qui soient garants de la vitalité chrétienne, non seulement des masses actuelles, mais encore de celles de l'avenir, les missionnaires veulent s'assurer au plut tôt du baptême des masses. Comme si le sacrement résumait leur action.

Trop brièvement peut-être pourrait-on écrire: p. 5, lignes 23-24, « multis evangelizandi opportunitatibus quae nunc sunt, *magis uti iuvabit,* quam hisce ultimis decenniis passim saltem fiebat. Et praesertim quoad structuras efformandas futurae societatis christianae; quae ipsa societas sit christianizans ».

N.B. Il est permis de penser que plus personne ne doute de la nécessité d'un sacerdoce composé surtout de natifs; on est toutefois loin de compte... mais

n'a-t-on pas, deci delà, compris un peu tard? Raison de plus pour songer aux laïcs de tout grade, à temps.

P. 5, ligne 5, se lit le mot « omni ». Discutable, n'ajoutant rien d'essentiel, ne pourrait-il pas tomber? Ligne 9, ... « concredere potuit ». L'expression semblerait insinuer qu'on ne pouvait appeler plus tôt, en pays de mission, à l'épiscopat, des prêtres autochtones. L'interprétation donnerait lieu à discussion. Ne pourrait-on pas écrire tout simplement: « concredidit »?

Cap. I, p. 7. On trouvera ici quelques suggestions destinées à dépouiller davantage le texte. Ligne 7: depuis le mot « ideoque »... jusqu'aux mots « Et ideo Ecclesia ». Ces mots pourraient tomber? Ligne 15: depuis « Ipse »... jusqu'à « Dei ». Mots pouvant tomber? Ligne 17: le par. 2 ne pourrait-il prendre fin avec l'avant-dernier mot « reduceret »? Ligne 26: le par. 3 ne pourrait-il commencer à la ligne 6 de la page 8: « Quod efficit »... (qui seraient ainsi les premiers mots du par. 3).

P. 8: le par. 4 irait de la ligne 10 à la ligne 16... « possit » serait le dernier mot. Le par. 4 reprendrait à la ligne 28. On aurait donc: « Christi veritatem (10)... (15) conscientiam attingat qui, sub illuminatione... consentire possit (16), (28) et petra viva fieri queat ». Ligne 35: formatas quae propriorum *fidelium laicorum,* sacerdotum et episcoporum ministerio fruantur. (A la ligne 36 la conjonction « Nam » s'effacerait). Il semblerait en effet opportun que le texte ne donnât pas à penser que les églises nouvelles soient faites d'évêques et de prêtres; ceux-ci restant toujours, au sein du peuple de Dieu, l'indispensable minorité.

Cap. II, p. 11. Lignes 12-16. Le par. ne devrait-il pas faire allusion aux masses futures encore plus importantes, pour l'avenir de la Chrétienté Universelle, que les masses d'aujourd'hui? Lignes 17 sqq., par. 3. Si l'on écrivait: « Christi Domini egeni... egeni, mitis ac humilis, genuina fungentes legatione Evangelii praecones... »?

N.B. Le mot de la p. 18: « peccatoribus », en ce contexte pourrait être mal interprété par les masses populaires des pays de mission, lesquelles ne sont pas plus pécheresses que celles des autres pays.

Lignes 25 sqq., par. 4: « caritatis ». Le mot est bien explicité jusqu'à la ligne 31. Mais ne conviendrait-il pas de citer encore le rôle primordial de bonnes relations humaines avec tous les habitants? Et aussi de souligner qu'on rappelle les très fréquentes exhortations données sur le sujet par les Papes depuis des siècles, et en particulier depuis 80 ans?

P. 12, ligne 15: le mot « missionarii » semble être ambigu. Mieux vaudrait peut-être écrire: « ... participationem quam clerus cum expertis laicis, suis fidelibus... ». Lignes 17-18: « scholarum... ».

N.B. Dans la rédaction de cette partie du schema certaines incidences donneraient à réfléchir: 1) Au cours des siècles, et particulièrement depuis 100 ans, partout dans le monde l'Eglise a revendiqué ses droits en matière d'enseignement, même profane. Celui-là détient l'avenir, qui forme la jeunesse. 2) Un confirmatur: récemment au Rwanda (Afrique centrale) les Watutsi (14% de la population) empêchèrent pendant très longtemps les enfants des Bahutu (85% de la population) d'accéder à l'école secondaire et universitaire. Dominateurs, les rwandais avaient saisi l'importance de la question.

Or le schema consacre bien peu de lignes à l'école, cet instrument essentiel de promotion humaine, sociale et spirituelle. On s'étonnera sans doute; car il

s'agit bien des pays de mission, où l'enseignement profane à tous les degrés est une question vitale... Noyées dans d'abondants contextes, les allusions faites à l'école, par les encycliques du xxe siècle, ont souvent été inaperçues, en mission tout au moins. Et d'ailleurs, comme le suggère le texte, l'efficience du par. 2 de l'art. 19, p. 19, dépend de l'instruction scolaire.

Proposition: p. 12, art. 9: Scholae, coetus et structurae diversae: « Valde conferent omnes scholarum aptati gradus, ad humanam et christianam maturitatem... procurandam. Varii etiam coetus et structurae... ».

L'actuel art. 9 deviendrait 10: Novellae Ecclesiae. A l'art. 19 actuel (devenant le 20) à la p. 19, il serait recommandé de veiller à la formation spirituelle, civique, morale et apostolique de tous les étudiants chrétiens, quelle que soit l'école fréquentée. Même dispensée par un établissement chrétien, l'instruction profane ne pourrait — seule — donner l'élite tant attendue par les populations, et par les Organisations Internationales. Celles-ci réclament la collaboration d'hommes issus des pays du Tiers-Monde; mais que pourrait-on attendre de tels délégués, s'il n'ont pas l'esprit chrétien?

Il en est certes qui affirment la priorité de la pastoration qua talis sur l'écolage, priorité en soi fondée. Mais ils oublient que la société humaine ne vit plus comme il y a quelques siècles; que la pastoration devient souvent sans objet, attendu que baisse la pratique religieuse, voire même cesse complètement, faute de ces cadres chrétiens dont il fut question ci-dessus. Il faut par ailleurs songer aux renforts possibles de personnel laïc chrétien bien formé. Soit dit incidemment on se rappellera le très grand avantage que constituent, étant bien formés à tous égards, les religieux enseignants autochtones. Ceux-ci gagneraient à se grouper en de puissantes congrégations, préférables à de stérilisants émiettements.

Avant donc de porter un jugement, que l'on veuille aussi tenir compte du nombre de prêtres affectés à des tâches d'enseignement en vieux pays chrétiens, où l'apport de laïcs est plus faisable qu'ailleurs; du nombre des prêtres qui partout, même en pays de mission sont attachés à des bureaux, ou commissions de tout genre: leur travail pourrait aussi parfois être accompli par des laïcs préparés ad hoc.

Un fait domine ce débat: même en pays chrétiens depuis bien longtemps, la fidélité des baptisés est liée à l'action discrète et à l'exemple vécu de croyants courageux pourvus d'autorité, d'influence professionnelle. On saisit alors l'inquiétude de ceux qui sont responsables de l'avenir spirituel des pays en voie de développement.

Nous ajouterons ceci: parallèle au « secondaire » conduisant à l'université, s'avère indispensable un enseignement moyen *diversifié*; s'y prépareront aux fonctions rurales, aux fonctions urbaines modestes, les jeunes gens écartés du secondaire, que le primaire largement étalé a ouverts au désir, voire à l'exigence d'une promotion satisfaisante.

N.B. A la ligne 23 les mots « omnis gradus » pourraient tomber. On écrirait simplement: ... ex quibus ministri assumantur. Ceci afin de ne pas employer deux fois à un même endroit le mot « gradus », une fois pour l'école, une fois pour la fonction ecclésiale.

P. 12, ligne 24: novella Ecclesia, nisi iam assumpta, in hierarchiam... inseratur.

Ce qui fut dit de l'école reste vrai là où est établie, en pays de mission, la

hiérarchie. On suggère d'ajouter au texte: « Experientia enim constat quantum christianae communitati prosunt ipsi laïci spiritu Christi imbuti, qui diversis opus dant profanis officiis: tum superioribus, tum mediis, necnon inferioribus ».

P. 13, lignes 21-22: le mot « missionarii » pourrait tomber.

« Curent igitur omnes, tam laici quam clerici, ut novelli christifideles limpido ac vivo... ». Pourraient aussi être omis les mots: « in simplicitate evangelica »; redite superflue, pouvant être défigurée, et ainsi évoquer l'opium du peuple... du moins dans *ce* contexte.

L'art. 10 (devenant 11) ne pourrait-il s'intituler comme suit: « De vita christiana per caritatem »?

Ligne 26: le mot « missionarii » serait remplacé par « superiores ».

P. 13, lignes 39-40, et p. 14, lignes 1-2: Per caritatem tandem... in idipsum. Ces lignes pourraient tomber. Peut-être écrirait-on: « Quae unio fraterna fiat praesertim ex mutua aestimatione: extraneos inter ac nativos; cives catholicos inter ac alios cives ».

P. 14, lignes 8-10: « Christiani... colendum plus quam quivis adiuvare possunt ac debent ». Certes les rédacteurs ont bien voulu exprimer une telle idée, mais le libellé proposé semblera peut-être rendre plus fidèlement encore leur pensée.

Ligne 14, au lieu d'écrire « purificat », on suggererait: « purificare..., vivificare..., sanctificare... valet ».

Malgré la noblesse de l'idée exprimée par l'apôtre, les lignes 16-20, sujettes à diverses fausses interprétations, feraient mieux de s'effacer peut-être.

P. 15, ligne 7: au lieu de « missionarii » écrire « selecti »; 12, au lieu de « apostolatu dioecesano », écrire « apostolatu in dioecesi » (plus clair); 18, suggestion: « Hodie vero, cum hierarchia... permultis in missionum regionibus iam est constituta... »; 19, effacer les mots « sive autochthonis sive missionariis » (salvo meliore iudicio); 23, effacer aussi: « quamvis desiderata sit meta »; 36, on suggérerait de remplacer le mot « leniora » par le mot « suggestiva ». Mais ne serait-il pas préférable de ne pas établir cette distinction entre diocèses missionnaires et autres? Quand la direction est hésitante, malavisée, de sérieux retards sont à craindre.[1]

P. 16, ligne 2. On propose d'ajouter une ligne: « ... receperunt. Meminerint imprimis structuris curae christianae societatis efformandae ».

Cap. III. Quand il s'agit de formation à recevoir *en pays de mission*, il conviendrait d'insister sur l'établissement de Centres d'instruction desservant une vaste région qui débordera les diocèses. Ce qu'ont fait souvent les Autorités pour de grands séminaires. Il est permis de penser que ce système serait à adopter par des collèges, petits séminaires, écoles normales ou techniques. Diverses économies en résulteraient, ainsi que le contact prolongé entre étudiants issus d'ethnies et de couches sociales diverses.

Quand il s'agit de formation à recevoir en vieille chrétienté, une collaboration d'autochtones, clercs et laïcs à venir des régions où iront travailler les personnes en formation, serait très avantageuse à bien des égards.

L'échange ad tempus de professeurs, comme celui d'étudiants, donnerait d'heureux résultats; notamment là où sévit à l'excès l'esprit particulariste, clanique, ethnique, etc...

---

[1] A propos de l'autorité des conférences episcopales en terres de mission.

Quant aux jeunes missionnaires, rien de tel que le contact pris à temps avec des hommes de couleur pleinement formés déjà, pour dissiper les funestes complexes, rendre accueillant aux cultures « exotiques »; et faire comprendre, mieux que par des instructions, que certains éléments des diverses cultures peuvent à bon droit prétendre — comme le dit une fois de plus le schema — être assumés dans le patrimoine commun de l'Eglise et de l'humanité.

P. 18: B. De missionariis localibus. Il fut noté au début de ces pages, que le mot « missionnaire » avait pris un sens bien déterminé. Il semble que maintenir le vocable pour désigner des autochtones équivaudrait à exposer ceux-ci aux conséquences d'une solidarité sujette à interprétation maligne. Un noir serait missionnaire en France; un Japonais au Gabon. On pourrait écrire, par exemple: B. De Clero locali efformando, necnon de eiusdem sociis localibus.

Pour conclure. Il est à croire que ce schema sera examiné à la loupe, voire au microscope, plus encore par les hommes du Tiers Monde que par les autres. Cette éventualité n'a certes pas échappé, ni à la commission, ni aux rédacteurs.
C'est pourquoi, sans doute, une crtique du texte fut sollicitée. On l'offre en toute simplicité, debita cum caritate et reverentia. Si, comme on peut l'espérer, des suggestions parviennent à Rome, venant de nombreux Pères et Periti sensibilisés aux aspirations du « Tiers Monde », le texte définitif du document conciliaires tant attendu, aura multiplié les chances d'objectivité et de portée universelle.

28

Exc.mus P. D. RICHARDUS LESTER GUILLY

Episcopus Georgiopolitanus

Par. 9, pag. 12. Non videtur satis explicite insisti in necessitate *maioris aequalitatis* in distributione virium ad aedificandum Corpus Christi. Ecclesiae antiquiores paratae esse debent vera sacrificia facere propter Ecclesias novellas, sed periculum est ne dentur duae mensurae ita ut Ecclesiae novellae tamquam propinquos pauperes ("poor relations") habeantur.

Ita Ordinarii Ecclesiarum antiquarum haesitant dare sacerdotes vel religiosos missionibus ne opera sua detrimentum patiantur, dum opera magis essentialia omnino desint in novellis Ecclesiis propter penuriam sacerdotum vel religiosorum.

Simili modo apud Ecclesias antiquiores aedificantur ecclesiae magnificae et presbyteria optima et clerus aliquando habet vehicula splendida dum in aliquibus regionibus missionum non detur satis pecuniae ad aedificandas ecclesias necessarias ne quidem simplicissimas, et sacerdotes omnino careant vehiculis etiam ad apostolatum valde necessariis.

Par. 10, pag. 14, lin. 10. Aut hic aut in par. 19 magis explicite insistendum est in necessitate formandi eos qui duces optimi fiant in populo.

Par. 25, pag. 25. Notanda est necessitas ut aliqui ex episcopis cuiusque conferentiae visitaverint terras missionales earumque condicionum actualium cognitionem habeant. Nam sine cognitione accurata conferentiae prudenter iudicare nequeunt.

29

EXC.MUS P. D. CAROLUS HERMANNUS HELMSING

Episcopus Kansanopolitanus - S. Iosephi

There are so many excellent passages in this schema that one would hesitate to reject it. For instance, I can give a hearty "placet" upon the emphasis on the episcopate, that is upon the role of the local bishop as head of the local church (Paragraph 9), and upon the college of bishops. Likewise, it is good to notice the emphasis on the " essentia missionaria " of the Church (n. 6), and finally upon the obligation of all the faithful to take part in this work (Chapter 4).

The basic weakness of the whole schema is the view of missionary work as seen from the S. Congregatio de Propaganda Fide and its territorial jurisdiction over certain churches or areas that are considered missionary. The " essentia missionaria " of the entire Church must be emphasized in season and out of season. I dare say that there is not a dioecese in any part of the world that does not have its areas of true missionary need: areas that need to be evangelized, areas that need priests, that need material resources, that need all needs natural and supernatural, which spell the success of the work of the Church.

It is for this reason that in my suggestions to the Commission for amending the Code of Canon Law I propose very strongly that one Congregation be put in charge of the entire Church with perhaps subsidiary arms to look after specialized needs. The distinction between the "established Church" and the "missionary Church" is a sad one especially for the so-called established Church. Europe and the United States, and many other parts of the world have long suffered from the idea of bishops and priests and so-called established Churches "taking care of their own". A Church that is not missionary in spirit and not apostolic in outlook, is definitely not the Church as Christ willed it to be. We will never get over this attitude unless we abolish the invidious distinction between the Churches under the Sacred Consistory and those under Propaganda, likewise those under the Congregation for the Oriental Church. This, I believe, is the great weakness of the schema. It presupposes missions as we know them now. May I add that I like the expression " Ecclesiae novellae ", as an expression distinguishing Churches recently established.

It seems to me that Chapters 3 and 4 might better be regarded as flowing from a Church that considers itself to be essentially missionary. There will never be any true universal missionary spirit in the Church until every individual Christian is imbued with the missionary spirit, every family, every parish, and every diocese. This formation must be regarded essentially, as one of growth in charity—a charity fostered by prayer, by fasting, or self-denial, and finally by releasing the fruit of self-denial in alms for the spread of the faith in one's own environment and throughout the world.

In view of the above observations, I believe that it might suffice for these simple ideas to be expressed in the schema " De Ecclesia ", and that the Council request the Holy Father to set up a post-conciliar commission, similar to that which he has recently appointed for the reform of the Liturgy, to reconsider reform and restate the missionary problem and its solution.

The schema, in my estimation, contains many admirable statements with which one would have to agree. It reminds me of the beautiful but innocuous message suggested be sent to the priests of the world, but happily rejected by the fathers of the Council. Yes, it is a beautiful statement, but " cui bono "? A strong directive " De Missionibus " should depict the whole Church as missionary, and alert all the faithful to their duty of witnessing to Christ even to the ends of the earth.

30

Exc.mus P. D. ANDREAS JACQ
Episcopus tit. Cerasenus

Animadversiones generales. 1. In hoc schemate de missionibus passim leguntur quaedam sententiae quae videntur certis regionibus particulares, vel temporales. Optandum est ut in ipso textu conciliario, non legantur nisi universalia et quae vim habeant perennem. Particularia vero et temporanea aptius locum invenire possunt in appendice instructionibus adiunctis.

2. Sunt non pauca verba quae legebantur in documentis de missionibus, sed quorum sensus, evoluta societate et mutatis circumstantiis, iam non habent certum sensum vel falso interpretari queant.

Optandum est ut de hac re missionaria, Concilium renovationem et progressum faciat, non tantum iam nota referat. Itaque principia doctrinalia, consilia practica aut leges verbis a textu et contextu legantur sine ulla possibili aequivocatione.

3. Praesertim optandum est ut Ecclesia ita doceat ut ex vocabulo « missionibus » nullum dubium moveri possit, nulla confusio in mentibus fiat. Cum apud multos, notiones « de missionibus » confusae sint, oportet ut clare appareat de « quibus missionibus » Concilium agere intendat: Utrum de omnibus internis et externis an de solis externis? Certe, non de missionibus *internis,* quia missiones internae « ad renovandam spiritualem vitam vel forte labentem fidem », ubique terrarum fiunt, etiam in terris « missionum » in quibus iam adest minoritas christiana. Sed si de solis *externis,* utrum de omnibus externis, etiam inter minoritates atheicas (donc même dans les milieux déchristianisés des pays « chrétiens »), protestantes, orientales, an de solis inter terras infidelium? Si de solis infidelium terris, utrum in solis terris ubi non adest s. hierarchia vel etiam ubi adest s. hierarchia?

Commentaire. En général, on se plaît à reconnaître que ce schéma sur les « Missions » n'est pas dénué de valeur. Sur le plan doctrinal, il apporte déjà une base sérieuse qu'il suffira de préciser et de compléter. Sur le plan pastoral, plusieurs questions qui préoccupent le monde missionnaire ne sont pas abordées: œcuménisme en Mission, situation des missions par rapport aux Eglises Orientales, diversité et adaptation des rites, mariages mixtes ou avec disparité de culte etc. Surtout on peut se demander si lors de la rédaction de ce schéma, on a eu suffisamment conscience du caractère nouveau qui doit marquer l'activité missionnaire. Elle ne peut être efficace, si le problème missionnaire n'est pas repensé en fonction du monde concret dans lequel il se pose aujourd'hui. La plupart des Missions se trouvent en des pays sous-développés (avec tous les problèmes qu'ils

comportent), en des pays colonisés devenus indépendants, mais en pleine effervescence et qui sont loin d'avoir trouvé leur équilibre et de s'être libéré des nouveaux impérialismes qui les menacent...; certaines missions, et non des moindres, se trouvent sous le joug communiste, on ne peut les oublier et ne pas tenir compte de leurs problèmes. Certes, l'Eglise n'est pas restée en dehors de toute cette évolution, mais le Concile est l'occasion unique de reconsidérer de façon plus générale le problème missionnaire. Tel qu'il est, on peut douter que le schéma réponde suffisemment à l'attente du monde actuel, en particulier du monde missionnaire.

Une des premières questions que l'on se pose à la lecture de ce schéma est celle-ci: Au juste, de quoi s'agit-il?

a) Ce schéma est-il une Constitution ou un décret? Même s'il s'agit d'un « décret », comme il le semble, c'est un décret « conciliaire », qui à ce titre ne peut entrer dans les détails et doit s'abstenir de donner des solutions de caractère trop provisoire: les chapitres 3 et 4, mais surtout 3, seraient à revoir dans cette perspective. Il serait donc souhaitable que le schéma comporte deux parties: le *décret proprement dit,* nécessairement assez court, où l'on exposerait les principes doctrinaux, les raisons générales (cf. les Chap. I et II, avec quelques corrections), puis les directives générales, les principes directeurs bien envisagés en fonction du monde réel, actuel, mais sans entrer dans les applications immédiates de caractère trop particulier et qui risquent de devenir rapidement caduques. En second lieu, en appendice, *une ou plusieurs instructions,* où toutes les principales questions actuelles, même si elles ont un caractère temporaire, seraient envisagées.

b) Dans ce schéma, on traite des *Missions.* Quel sens précis donne-t-on à ce mot? Il ne peut s'agir de « la Mission » de l'Eglise prise dans son ensemble, et qui s'identifie alors avec l'Apostolat. Sens évidemment trop large pour notre schéma. Il faut également exclure le sens de « Missions internes ou intérieures »; ces dernières ont pour but premier la rénovation spirituelle des fidèles; elles existent partout, même « in terris Missionum » (v. g. au Vietnam, en Chine...) dès lors qu'il y a au moins une minorité chrétienne.

Reste le sens de missions « externes », missions qui s'adressent à ceux du dehors, aux non-chrétiens. Dans le sens habituellement reçu, il s'agissait des missions chez les « infidèles », par opposition aux pays de vieille chrétienté; pratiquement les territoires relevant de la Propagande. Ce sens, qui englobe même des territoires où la Hiérarchie a été établie (Nouvelles Eglises) semble être celui du Schéma, encore qu'ici ou là une tendance à une interprétation plus large se manifeste, celle devenue assez courante de nos jours, et qui entend le mot « Mission » non seulement de tous les pays, mais aussi de tous les « milieux » (plan sociologique) en qui ou à qui le mystère du Christ n'a *pas encore* été ou de nos jours *n'est plus* annoncé. Pour qu'aucune confusion ne règne dans les esprits, il convient que le Schéma indique clairement le sens qu'il donne au mot « Missions », en le définissant « dans le cadre de *la* Mission ».

Le mot « *missionnaire* » ne doit pas prêter à équivoque. Il se définit en raison de sa fonction, non en raison du pays d'origine.[1] A une époque où dans de

[1] « Missionarius dicendus est quilibet sacerdos (positis ponendis, religiosus laicus et religiosa) cuius officium principale est ad Regnum Dei inter acatholicos dilatandum ». Optan-

nombreux pays le nombre des missionnaires venus de l'étranger diminue et où croît le nombre des prêtres originaires du pays même, il faut fortement inculquer et développer chez ces derniers le sens missionnaire: ils sont missionnaires comme les autres.

Convient-il de faire une discrimination entre les missionnaires? En particulier d'utiliser les vocables « *exteros* » « *autochthonos* » (cf. cap. III)? Quoiqu'il en soit du sens étymologique, ils ont pris, au moins en certains milieux, une nuance péjorative. L'Eglise n'est « étrangère » nulle part; ni ses ministres, comme tels. On peut en dire autant des Instituts religieux, dont il est question cap. III, p. 19, lig. 6; même au point de vue canonique, s'il s'agit des Instituts de droit pontifical, ils participent à la catholicité de l'Eglise, et s'il s'agit des Instituts de droit diocésain ils dépendent de l'Ordinaire du lieu et ne sont pas du tout étrangers.

Titulus *de Missionibus* qui, ut dictum est, non satis est ad obiectum certum significandum, neque, ut videtur idem obiectum dicit. Optandum est ut titulus dicat ipsam Ecclesiae missionem cuius missiones, non sunt nisi actuatio particularis, v. g.: de missione Ecclesiae ad Evangelium omnibus gentibus praedicandum; de missione Ecclesiae ad fidem propagandam; de missione Ecclesiae ad regnum Dei dilatandum etc.

De prooemio. Omissis particularibus quae in textu proposito leguntur (pag. 5, linn. 7-20), enunciatur ipsa Missio Ecclesiae. Explanentur 6 primae lineae; in eis valde optandum est ut citetur *1 Tim.* 2, 4 s.

Multum interest dicere expressis verbis ius divinum et officium ad Evangelium praedicandum ut ex ipso textu positivo ab errore moderno praecaveatur. In regionibus enim sub materialistico gubernio, libertas religionis datur quae ita intelligitur ut sit libertas in conscientia et libertas cultus, sed denegatur libertas praedicandi. Igitur claris verbis addatur ius et officium regnum Dei dilatandi.

Brevis conclusio linn. 25-32. Lin. 30, loco « apostolatus missionarii »: actionis missionalis. Lin. 31: quae « eam » efficaciorem reddere cum universae Ecclesiae cooperatione. Linn. 11-20, in appendice; linn. 21-22, in cap. III locum aptiorem inveniant.

Cap. I. Animadversiones generales. Duo occurrunt notanda ut principia optima quae in hoc capite leguntur clarius oculis appareant:

a) Materia sub n. 6 exposita ad modum repetitionis et compendii, locum invenire potest sub nn. 3 et 4 (cf. infra ex n. 2).

N. B. Ce n. 6 du texte proposé laisse trop l'impression d'une reprise de la question. Certains passages pourront être intégrés dans les numéros précédents.

b) Tituli qui interponuntur, ita mutari possint ut ordinem logicum qui iam adest clarius appareat: n. 1: Mysterium Christi annuntiandum; n. 2: Mysterium Christi communicandum; n. 3: Ministerium Ecclesiae; n. 4: Essentia missionaria Ecclesiae; n. 5: Aedificatio Ecclesiae.

Animadversiones particulares. N. 1: Mysterium Christi annuntiandum; n. 2: Mysterium Christi communicandum.

Pag. 7, lin. 16, addendum: Christus est lux mundi, Fons aquae vivae; eius

---

dum est ut Ecclesia in hoc schemate ita doceat ut deinceps spiritus catholicus, universalis ita promoveatur ut nulla attentio fiat ad qualitates secundarias et naturales quae inter operarios Evangelii vigent.

regnum est regnum veritatis et vitae, sanctitatis et gratiae. Quamvis Christus exaltatus... etc. (lin. 17...).

Lin. 20, loco « sub vultu Ecclesiae », dicatur: « in suo Corpore mystico, quod est Ecclesia », ut per ipsam... etc. usque ad ultimum terrae (lin. 25).

N. 3: proponitur: Ministerium Ecclesiae. Afferuntur linn. 12-15 pag. 9: « In illa Ecclesia, Christus Dominus invisibiliter etc. ... constituendum ». Et addatur n. 3: « Natura ergo sua... imagini Filii Dei » (pag. 7, lin. 26 - pag. 8, lin. 9).

N. 4: essentia missionaria Ecclesiae (proponitur). Afferuntur linn. 17-23, pag. 9: « Dum... Ecclesia cessare non potest quin... in Spiritu Sancto ». Et addatur n. 4: « Christi veritatem... petrae vivae esse possint » (linn. 10-28, pag. 8).

N. B. On a fait remarquer à juste titre que pour éviter le danger d'un certain anthropocentrisme, on pourrait développer le passage de la p. 9, lignes 21-23, en montrant davantage « que la Mission du Christ, et donc de l'Eglise, est toute orientée à la gloire de Dieu: comme tout le dessein du salut, elle est " in laudem gloriae Eius " (*Eph.* 1, 3-14) ».

N. 5: aedificatio Ecclesiae (cf. pag. 8). Afferuntur linn. 12-13 pag. 9: « Illa Ecclesia per Verbum *salutis,* Baptismum et Eucharistiam continuo sese aedificat ». Et addatur: n. 5, linn. 29 s.: « Quae aedificatio Templi spiritualis a tota Ecclesia... » etc. usque ad lin. 35, pag. 8. Linn. 36 s., sic corrigantur: « Nam propriis suis episcopis, qui Eucharistiae praesideant dotatae, propriis quoque vitae christianae mediis instructae, locales Ecclesiae in dies crescunt (omissis quibusdam verbis) et proprias augent vires ».

(*N. B.* Quae leguntur: pag. 9, in linn. 1, 2, 3 non sunt clara; Ecclesia est essentialiter missionaria; sacerdotes unius regionis in eadem natione forsan in eadem dioecesi habent apostolatus campos qui postulant magna sacrificia [novas linguas etc.]. Ecclesiae, in quibus sacerdotes sunt sat iam numerosi debent mittere suos sacerdotes ad regionem nondum apertam, ut saepe accidit in India, in Sinis et etiam in Vietnam et in aliis nationibus quae plures regiones linguisticas habent. Itaque textus corrigatur ut clare appareat verum sensum missionarium qui ab omnibus postulatur).

Deinde: « Extenditur et in effectum... etc. » (pag. 9, lin. 3). Post verba: « confirmatur et unitur » caput absolvitur.

(*N. B.* Peut-être serait-il souhaitable d'introduire dans ce n. 5, quelques mots qui lui donnent la « dimension eschatologique » qui lui manque. On pourrait s'appuyer sur *Eph.* 4, 13 et *1 Cor.* 15, 28).

Pag. 9, linn. 24-25 essent optima introductio ad appendicem adiiciendam.

Cap. II. Animadversio generalis. In hoc capite, multa optima principia leguntur, sed quaedam videntur corrigenda, alia ad Appendicem reiicienda utpote nimis temporalia.

Animadversiones particulares. Pag. 11, n. 7, lin. 6: loco « tum denique in tota sua vita spirituali », dicatur: « tum denique in omnibus actionibus suis a profunda sua vita spirituali animatus ».

Linn. 23-24: loco « actuositatis », dicatur: « actionis missionalis ». Loco « Evangelii nuntium incipiant », dicatur: « Evangelium nuntiare incipiant ».

N. 8, lin. 32: loco « animis bene dispositis », dicatur: « omnibus hominibus bonae voluntatis ». (Pag. 12, lin. 1: loco « earum », dicatur: « eorum »).

Pag. 12, n. 8, lin. 12: loco « divinum germen », dicatur: « divinum semen ». Lin. 26, n. 9: titulus sit: « Fundatio ecclesiarum » (cf. infra *N. B.*).

Animadversio: Ecclesiarum fundatio non fit ita ut in hoc n. 9 describitur ope primum « missionariorum exterorum », deinde « Hierarchiae »...; sed, longo tempore, in statu praefecturae vel vicarii apostolici, omnes operarii simul ad ecclesiae fundationem laborant. Stabilita hierarchia, vera fundatio nondum absoluta est, ita ut novus episcopus residentialis novas divisiones praeparare debeat ut efficaciter Ecclesia omnes homines attingere valeat. Itaque oportet in meliorem formam n. 9 mutare: Proponitur n. 9: « Missionis Ecclesiae finis est Ecclesias ubique fundare; ad eum obtinendum, mittuntur apostolici missionarii, quorum munus est infideles adducere in Christi notitiam et amorem, novos christianos educare, vocationes sacerdotales adiuvare. Ubi sacerdotes in ipsa regione nati iam feliciter adsunt, omnes operarii uno corde et anima una in fundationem laborant, seminaria, scholas, opera caritativa etc. condere satagunt usque dum s. hierarchia constituatur. Postquam constituta fuerit, episcopus, si ut semper sperat Ecclesia, ab ea elegi potest e gente propria, successionem apostolorum etc... » (pag. 12, linn. 29-33: inseritur).

Linn. 34-35: loco « Germen... indigens », dicatur: « Ecclesia iam condita non est nisi granum sinapis qui crescere adhuc debet in ramos magnos (*Mc.* 4, 31-32), quae suis viribus impar est Regnum Dei, ut oportet, augere; auxiliis Ecclesiae universalis semper indiget ». Quae indigentia... (lin. 35).

Pag. 13, linn. 1-5; loco « Indigentia... apostolatum laicorum » dicatur: « Instituta iam condita non tantum sunt perficienda, sed multiplicanda ad novas divisiones parandas. Curent igitur episcopi ab universa Ecclesia adiuti vocationes sacerdotales efformare; curent insuper... » (linn. 5 s.).

N. B. De novellis Ecclesiis. Saepe, fere omnibus paginis, occurrit in textu adiectivum « novellus, novella » qui sensum essentialiter temporaneum habet. Cum s. hierarchia feliciter iam fere ubique sit constituta, periculum est ne post non multos annos decretum de « novellis » iam nullum obiectum habeat!

Dubium movetur: Quanto tempore Ecclesiae iam erectae dicendae sunt « novellae »? Ubi s. hierarchia constituta est a plus quam 20, 30 annis (v. g. in Sinis, in Japonia, in India, etc.) illae Ecclesiae sintne adhuc « novellae »? (On n'entend pas nier l'existence de jeunes Eglises; c'est un fait trop important pour ne pas retenir l'attention du Concile, qui se doit d'édicter à leur sujet des directives — directives d'ailleurs plus à leur place dans une Instruction que dans un décret conciliaire —. Si l'on tient à garder l'expression « nouvelles Eglises » il faudra en préciser la notion, qui reste floue et ambigüe. Le caractère d'épiscopat « autochtone », si important qu'il soit sur le plan sociologique et psychologique, reste en soi sur le plan missionnaire trop accidentel pour servir de critère.

Pag. 13, n. 10: lin. 14, deleatur: « autochthonae ». Lin. 15, loco « adaptationem » dicatur « accommodationem ». Lin. 19, omittantur verba « etiam in novellis Ecclesiis ». Lin. 25, omittantur verba « in novellis Ecclesiis » (hoc patet ex contextu).

Pag. 14, lin. 3: deleatur « novellorum ». Multi christiani iam a familiis a saeculo aut saeculis christianis...

Lin. 11, n. 11: titulus, loco « adaptatio missionalis » dicatur: « *Accommodatio* missionalis ».

Lin. 30, dicatur: in consuetudine vitae gentis suae, *in omnibus quae Fidei virtutibusque christianis non opponuntur*, vivere debent etc.

(*N. B.* Il conviendrait d'insister ici davantage — ou mieux dès le premier

chapitre — sur ce que l'on a appelé « la Préparation évangélique » dans les cultures et les coutumes des peuples).

Pag. 15, lin. 2, loco « qui per... valeant », dicatur: « qui per profundam cognitionem simul culturae loci et christianae inspirationis, novam artem creant quae simul suis concivibus placeant et eorum mentem et animam ad Deum elevant ».

N. 12, linn. 8 s., in hoc numero multa temporanea ad appendicem videntur reiicienda. De hac materia (sive reiicienda, sive in hoc loco maneat) occurrunt tria sedulo notanda:

1. *De religiosis.* Sunt religiosi, qui olim terram colebant sub ductu vicarii apostolici; eis in Instructionibus S.C.P.F. dabantur normae certae. Hierarchia iam condita, pro eis qui pergunt in labore, pro omnibus societatibus missionariis (etiam pro religiosis mulieribus quae in parochiis laborant sicut olim in stationibus) novae normae postulantur.

Alii religiosi aut religiosae opera determinata habebant; eorum opus si annuit novus episcopus, non mutatur. Tamen sunt religiosi, qui post conditam hierarchiam, vocati sunt ad opus determinatum, vel domum ad normam iuris condiderunt. Itaque normae de quibus agitur in hoc numero non possunt omnibus esse communes sed diversae pro diversis statibus.

2. *De conferentiis episcoporum.* Ut notatur valde diversa problemata ponuntur etiam in eadem natione aut regione quae non possunt solutionem omnibus communem habere.

Aliquando conferentiae episcopales possint sub alia forma fieri: omnes episcopi qui habent similia problemata, inter se conferunt etiam si non sint eiusdem nationis aut regionis.

3. *De Ecclesia Orientali.* Ad finem huius numeri ubi agitur de S.C.P.F., oportet, ut videtur explicite dicere de S. C. pro Ecclesia Orientali de omnibus missionibus inter Orientales.

De Delegatis Apostolicis. In schemate, nihil dicitur de Delegatis Apostolicis in terris missionum. Opportunum autem videtur:

1. In seligendis legatis Sanctae Sedis pro territoriis missionalibus, ratio habeatur de cognitione quaestionum missionalium et culturae gentis ad quam mittuntur.

2. Delegati Apostolici (et Nuntii, salvo praescripto can. 267, 1, 1) tantum fruantur potestate vigilandi « modeste » in statum Ecclesiarum in territoriis sibi commissis et de eo Romanum Pontificem certiorem reddendi; ideo facultates ipsis commissae coarctentur et stricte limitentur, ne Delegati locorum Ordinariorum suae iurisdictionis liberum exercitium impediant et videantur super episcopos atque archiepiscopos residentiales dioecesim gubernare.

(Les Délégués Apostoliques peuvent jouer un rôle important dans les missions, à condition qu'ils remplissent ce rôle avec compétence et discrétion. *a*) La compétence requise n'est pas tant celle de la diplomatie... que la connaissance des questions missionnaires, de la culture, des coutumes, et même celle, si difficile à acquérir, de la mentalité des peuples auxquels ils sont envoyés. Cela suppose, si possible, un séjour préalable sinon dans le pays même, du moins dans les régions avoisinantes [v. g. en Extrême-Orient]; de plus le séjour ne doit pas être trop bref. *b*) La discrétion: tout d'abord ne s'immiscer en aucune manière

dans la politique intérieure ou extérieure du pays; sur le plan religieux, leur rôle ne comporte pas qu'ils s'immiscent ordinairement dans l'administration des diocèses, mais bien plutôt de contrôler et de rendre compte au St-Siège: Intermédiaires entre le S. Siège et les Ordinaires, ils ne sont pas les intermédiaires normaux entre les fidèles et leur Ordinaire...).

Cap. III. Animadversiones generales. Plurima in hoc cap. III occurrunt notanda et suggerenda:

A) Plurima quae in capite leguntur sunt essentialiter temporanea; non post multos annos, evoluta societate, novis habitis circumstantiis, erunt adaptanda, partim mutanda etc. Non decet talia temporanea et particularia manere in decreto conciliario. Itaque petitur ut aut tantum dentur in hoc capite principia altiora, aut, praeter brevem commendationem in qua, quae nunc leguntur in prooemio, aptiorem locum invenire possunt, tota quaestio ad Instructionem de formatione missionali remittatur.

B) In hac Instructione vel in hoc capite, si Concilium iudicat omnia esse in textu servanda, ne retineatur distinctio inter exteros et autochthonos quae nunc misere legitur, sed potius sint tot paragraphi quot sunt materiae tractandae. Insuper vitantur « loci communes » vel « exhortationes generales » quae nihil specificum addant.

Breviter citentur omnia documenta Ecclesiae quae spectant ad formationem clericalem et religiosam et laicalem, pro universa Ecclesia, non omisso ultimo documento a Summo Pontifice dato. His omnibus praehabitis, dantur quaedam specifica quae apostolatum in terris missionum vel in coetibus acatholicorum respiciunt.

Animadversiones particulares. Tota materia sic distribuatur:

1. *De formatione spirituali.* Notandus est praesertim zelus animarum et disponibilitas ad apostolatum in terris pauperioribus et inter non excultos populos.

2. *De formatione doctrinali.* Formatio dogmatica et formatio in theologia morali propter specifica problemata solvenda inter acatholicos. Notanda quaedam de sororibus religiosis natis in regione et de aliis... quia progressus obtinendus est in istam formationem doctrinalem.

3. *De formatione technica.* Hic veniunt quae optime dicuntur in capite (cf. nn. 14 et 15) de quibusdam seligendis inter cleros, religiosos, religiosas, sine ullo respectu ad locum nativitatis, qui indolibus a Deo praediti, possunt progressum in apostolatum promovere.

4. *De praeparatione proxima ad apostolatum.* Circa usum instrumentorum communicationis socialis, circa historiam, patrimonium religiosum et culturale, circa mores et praesertim linguas populorum ad quos futuri Evangelii praecones mittentur. « Praesertim linguas discere », ideo qui et quae veniunt ex alia regione, saltem per unum annum aut alterum annum discant linguas antequam opus quodcumque incipiant; pariter qui et quae nati sunt in regione, discant tempestive linguas quae non sunt eis propriae, ut saepissime accidit in vastis nationibus, et illi veram humanitatem in sua propria lingua acquirant.

(*N. B.* Il est bien évident que cette préparation prochaine se fait surtout dans le pays même).

5. *De formatione laicorum. a*) De formatione omnium fidelium (in exercendo

quisque pro suis viribus apostolatum saltem apostolatum orationis et exempli). Cf. nn. 16, 19.

b) De formatione laicorum apostolorum (cf. n. 16, linn. 18-24): hic veniunt quaestiones de laicis qui ad tempus vel definitive se dedicant in missionum servitium.[1]

c) De formatione catechistarum. Cf. n. 20. In textu deleatur verbum « autochthonum ».

De Institutis perfectionis (pag. 19, n. 18, linn 5-10). Instituta (Ordines religiosi, Congregationes religiosae...) sunt aut:

a) Instituta Iuris Pontificii, ita nullibi sunt « extera » sicut asseritur in istis lineis. In quantum a Sancta Sede dependentia, participant catholicitati Ecclesiae. Plerique numerantur alumni ex omnibus nationibus mundi. Quo iure dicitur sodales « autochthonos » esse exteros in Ordine extero? Religiosi omnes eisdem iuribus gaudent, eisdem regulis tenentur, eisdem gradibus vivunt atque omnes in mundo.

b) Instituta Iuris dioecesani, ita necessario pendent a quadam domo centrali. Etiam si domus centralis est in aliena natione, Instituta possunt condere domos in aliis nationibus et dioecesibus, et tunc pendent ab Ordinario loci, et nullo modo sunt extraneae.

In omnibus regionibus in quibus feliciter Ecclesia adest a pluribus annis, forsan a saeculo, de facto ubique adsunt Congregationes Sororum aut Fratrum in hac terra conditae, quae multum iuvant in apostolatum. Sunt etiam Provinciae integrae Ordinum quae constant solum fere religiosis in regione natis. Linn. 5-10 videntur misere ignorare vera problemata quae exurgunt ex divisionibus quae necessario mutant; statum Congregationum olim conditarum ab uno episcopo, dum alter non habet forsan eamdem formam ut optimam...

Cap. IV. Animadversiones generales. De hoc capite in quo multa et pulchra leguntur quaedam tantum occurrunt notanda ad, ut videtur, meliorem formam obtinendam.

Vocabulum « Cooperatio » est optimum, sed non satis in textu distinguuntur: « Cooperatores primarii » ad ipsam actionem (v. g. missionarii etc.) et « Cooperatores secundarii » (v. g. fideles...).

Optandum est, ne paulatim desint in vinea Domini operarii, ut clare dicantur Instituta Missionalia quae feliciter habentur in Gallia, Belgica, Italia, Canada, Statibus Foederatis etc.; Ordines et Congregationes religiosae quae alumnos habent ad opus missionale, omnes debent multos operarios mittere ad terras adhuc infidelium vel ad dioeceses quae operarios postulant.

Animadversiones particulares. De ordine paragraphorum: magis decet, ut videtur, ordinem inversum sequi, incipiendo ab episcopis et finiendo a fidelibus. Ita proponitur ordo:

1. *De collaboratione episcoporum* (nn. 24 et 25). N. 24, pag. 24, lin. 2: addatur: « Itaque etiam si in propria dioecesi, ut saepe fit, sint verae missiones inter acatholicos protestantes, orientales, immo infideles operarios aut ruricolas

---

[1] *N. B.* On devrait ici distinguer deux catégories de laïcs: *a*) ceux dont on vient de parler et qui font partie temporairement ou définitivement du personnel de la mission; *b*) des chrétiens venus en mission et vivants en mission « comme des laïcs » afin de servir l'Eglise par leur vie même de laïcs, mais sans faire partie du personnel de la mission.

qui misere fidem prorsus amiserunt, ne cunctentur tamen, nec renuant aliquos ex suis necessariis operariis in servitium adhuc magis urgentem mittere ad terras infidelium ». (On pourrait aussi ajouter que: « Ordinarius loci in missionibus operarios tenetur vocare, ut quam primum Evangelium perveniat ad sui territorii infideles, operarios et novas divisiones parare ut Ecclesia crescat quam citissime. Itaque foveantur ubique Instituta missionalia quae iam condita sunt, foveantur ubique vocationes »).

2. *De collaboratione sacerdotum* (n. 23).

3. *De collaboratione membrorum Institutorum perfectionis* (n. 22). (*N. B.* Nulla authentica est vita religiosa quae non sit apostolica. Media sunt diversa [contemplatio et poenitentia, actio mixta, actio...] itaque non cogitandum est de vita religiosa quae esset tantum ad salutem proprium. Exhortentur ad augendum suum proprium sensum apostolicum). Pag. 22, linn. 3-7 possunt cum fructu in maiorem lucem poni.

4. *De collaboratione omnium fidelium* (n. 21). (*N. B.* Pag. 21, n. 21, linn. 7-13, au baptême et à la confirmation, il conviendrait d'ajouter le rôle de l'Eucharistie, comme on l'a fait pour les prêtres, pag. 22, n. 23, linn. 13-16).

Addendum. Schema, ut decet, missionalem doctrinam exponit et congruas normas statuit, et necessario a nimis particularibus circumstantiis abstrahit.

Cum Concilium finem habeat mundum modernum intueri et novas congruas normas invenire, videtur praeter ipsam materiam quae in hoc schemate invenitur, aliquid addere (sive in ipso schemate sive in appendice).

Immensae regiones in quibus non multo antea Ecclesia florescere incipiebat nunc dirutae et clausae manent, praesertim Sinae et regiones adiacentes (Vietnam et Corea septemtrionales) in quibus, praesertim in ipsis Sinis, Pastores et sacerdotes qui, Deo iuvante, strenue sunt fideles, in carceribus iacent vel laboribus damnati sunt ita ut paulatim Ecclesia localis evanescat. Missionarii vero et Ordinarii in exilium eiecti ante decem, quindecim annos, unus post alterum e vita defunctus est vel provectioris aetatis factus est. Similes conditiones inveniuntur in aliis regionibus sub dicione communistarum iacentibus, vel simili modo agentibus sicut in Ceylon, Haiti etc., ita ut tandem Ecclesia in multis regionibus in quibus degunt Orientales separati, multi protestantes et praesertim talis massa infidelium quae est maior totius mundi pars, impediatur et suam missionem agere nequeat.

Non sufficit haec omnia considerare et his omnibus deplorare, sed, ut videtur, sine mora futurum tempus, quod totum mysterioso modo Providentiae divinae subiectum est, praeparare, ne Ecclesia, quando libertas veniet, deficientibus operariis iam paratis, ea libertate gaudere nequeat.

Olim Romae condita sunt collegia ad parandos sacerdotes ad inter infideles missionem agendam. Moderno tempore simile quid ad futurum apostolatum inter Russiae orientales. Utrum alicubi similia opera condi possint in quibus operarii ab omnibus regionibus oriundi apostolatui in Sinis et in regionibus adiacentibus se praeparant? [1] Id quod subiicitur de his regionibus, positis ponendis, de aliis regionibus dicendum est in quantum nulla media habent ex ipsis.

---

[1] *N. B.* Il est juste de reconnaître que dans certains endroits quelque chose a été fait dans ce sens (v. g. séminaire chinois à Saigon - Cholon). Dans des pays divisés en deux comme

Sunt quaedam maiora problemata quae in schemate nequeunt locum habere, sed quae uno vel altero modo tractari deberent: v. g. quaestio de Mahumetanis qui in Extremo Oriente degunt, quae non est eadem atque Mahumetani in Africa, Arabia etc., quaestio buddhistica in pluribus nationibus inter se vicinis etc.

Haec ad exemplum enumerantur ut necessitas appareat non manendi in eis solis normis quae pacem, facilitatem, certos populos subaudiunt, sed alias communi consilio quaerere ut in arduis regionibus saltem omnia praevideantur ut quando Deo Providente veniet tempus, sint operarii apti in vinea Domini.

31

Exc.mus P. D. CASIMIRUS IOSEPH KOWALSKI

Episcopus Culmensis

1. Ad cap. II, pag. 12, lin. 40, addantur verba: « ut ubique terrarum de statu parum evoluto deducatur ad statum plenae maturitatis ». *Ratio* est, quia in apostolatu missionali non solum agitur de implantatione Ecclesiae per totam terram sed etiam de evolvendo Corpore mystico Christi de statu infantiae ad statum adultum (P. Charles S.I.).

2. Ad cap. II, pag. 14, lin. 22, post verbum « oportet » addatur: « minime serviens saecularibus potestatibus extraneis nec indulgens crimina civium earum ». *Ratio* est, quia licet fidei praecones hodie omnino secundum spiritum Ecclesiae evangelicum procedant, nihilominus formalis affirmatio huius principii multo faciliorem reddet receptionem missionariorum et laboris eorum ex parte indigenarum et insuper divulgationem erroris contrarii efficaciter repellet.

3. Ad cap. IV, pag. 21, lin. 9, post verbum « tenetur » addatur: « Quae obligatio iam infantes ad orationem et opera misericordiae pro infantibus infidelium invitat ». *Ratio* est, quia infantes baptisati et ferventes oratione et parvulis sacrificiis efficax adiutorium praebere possint laboribus missionariorum (Opus S. Infantiae).

4. Ad cap. IV, pag. 22, lin. 7. Inter par. 22 et 23 inseratur nova paragraphus « De collaboratione clericorum (non sacerdotum) ». *Ratio* est, quia in nonnullis terris missionum et diaconi et, servatis servandis, minorum ordinum clerici, in his ordinibus stabiliter constituti, possint eminens afferre auxilium missionariis sacerdotibus. Haec paragraphus necessaria est videtur ne in illis regionibus gratia harum ordinationum frustra recipiatur sterilisque maneat.

5. Ad cap. IV, pag. 22, lin. 16: addatur specialis mentio de collaboratione sacerdotum cum opere formationis sacerdotum autochthonorum. *Ratio* est, quia sacerdotes Ecclesiarum particularium antiquarum sacramentali charactere sacerdotii praediti efficacissime adiuvare possint Ecclesias novellas in opere impetrandi et educandi clericos, sacerdotes et episcopos autochthonos (Opus S. Petri Apostoli).

---

le Vietnam, on envisage la création d'un séminaire spécial préparant en zone libre des prêtres pour le Nord. Mais ce sont là des efforts trop isolés et limités. Il faudrait établir le principe de la multiplication de ces fondations partout où l'on peut et doit le faire.

32

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS GERARDUS KRAMER

Episcopus Lunganensis

Ad cap. II. Clarum est, « novella Ecclesiae germina » adhuc per decennia adiutorio missionariorum exterorum indigere. Compertum est Ecclesiam praesentibus in adiunctis impetum suum missionalem augere debere. Qui impetus autem ad crisim appropinquare mihi videtur, quae facit timere ne in annis proxime futuris notabiliter debilitetur. Diversi influxus enim generosam missionariorum industriam enervare satagunt. Evolutio nationum contra eorum aditum activitatemque sese vertit. Assumptio Ecclesiarum novellarum in ordinariam Ecclesiae hierarchiam non tantum situationem, in qua laborare debent, notabiliter immutat, sed in obscurum statum iuridicum eos sub variis respectibus relinquit, quo complicationes psychologice difficile ferendae ac incommoda ardue superanda eis non parcuntur. Insimul vaga quaedam tendentia praevalere incipit in actione missionaria, quae populum fidelem convincere conatur, tempus missionariorum quasi esse transactum ac in novellis missionum hierarchiis pro eis vix remanere locum. Haec et illa ansa fieri possunt, quod Instituta missionariorum paulatim subditos suos e territoriis missionum retrahant ac in patria propria retineant, ubi cura animarum vocationibus diminuentibus in dies magis apud ea insistit, vel in regiones antiquarum hierarchiarum eos dirigant, ubi maiore benevolentia recipiantur et sub clariore statuto possint laborare.

Propter has rationes opportunum esse duco, S. Synodum per claram declarationem proclamare desiderium Ecclesiae impetum missionalem integre prosequendi, immo augendi. Ideo sequentia in pag. 11, ante n. 7, inserenda propono: « S. Synodus imprimis clare statuendum esse putat, agmen missionariorum, quod Ecclesia in terras Missionum direxit, eo quod nostris temporibus novellae Ecclesiae in diversis regionibus episcopis nativis concredi ac cum hierarchia propria ditari possint, non tantum non esse retrahendum, verum etiam neque numero diminuendum vel robore attenuandum. Nam transitus gubernii ad clerum indigenam non implicat, quod novellae Ecclesiae propriis viribus, retracto auxilio missionariorum, prospere sese possint evolvere; neque assumptio territorii in ordinariam Ecclesiae hierarchiam significat opus missionale ibi esse perfectum. Sciant igitur missionarii exteri eorumque Instituta, mandatum ab Ecclesia sibi datum, quamquam ob situationis evolutionem sub quodam respectu forsan sit mutatum, tamen minime esse retractum. Sciant, in nova maturitatis structura, ad quam Ecclesiae Missionum crescant, amplum pro se remanere campum laboris. Sciant, Ecclesiam, quae ex sua natura est missionaria, sincere desiderare, quod activitatem missionalem, quam generose semper praestiterint, novis advenientibus temporibus continuent non tantum, sed expandant, eamque enixe a suis filiis petere, ut auctis viribus eandem sustentant ».

Ad pag. 15, n. 12. Conatus assumendi modo magis effectivo et coordinato agmen religiosorum in curam animarum, quem haec S. Synodus fecit in schemate *De cura animarum,* sane protrahendus erit in schemate *de missionibus.* In territoriis missionum enim maior pars cleri ad Instituta religiosa pertinet. Ibi religiosi maiorem et omnino specialem in cura animarum sumere debent partem.

Ut autem conamen hoc prospere succedat — quod toto corde spero — non sufficit religiosos mandare, quod episcopi « solius debent stare in apostolatu mandatis » (pag. 15, lin. 13); non sufficit monere, quod superiores religiosi cum episcopo frequenter conveniant (pag. 15, lin. 15); nec sufficit mere praescribere « arctam operum et actionum coordinationem, pari zelo ac diligentia ab Ordinariis locorum et Superioribus religiosis promovenda » (Schema *de cura animarum,* pag. 21, n. 38), vel solummodo appellare ad « supernaturalem animarum et mentium habitum, qui in caritate radicatur » (*ibid.,* pag. 21, lin. 28).

Opus nunc est, cum hierarchia ordinaria fere ubique ad territoria missionum extenditur, quod imprimis clare et large delineatur, *quemnam religiosi missionarii* in dioecesibus et inter collaboratores dioecesanos *obtineant locum.*

Pius Papa XII, necessitatem talis loci circumscriptionis pro missionibus quasi iam praesentiens, in sua allocutione *Annus Sacer,* d. 8 dec. 1950, dixit: « Deerrat igitur in aestimandis fundamentis, quae Christus constituendae iecit Ecclesiae, qui secum reputat peculiarem saecularis cleri formam, utpote saecularis, a divino Redemptore statutam sancitamque esse, peculiarem autem regularis cleri formam, licet ipsa bona et rata habenda sit, quippe quae ex altera manet, secundariam et auxiliarem esse. Quocirca, ordine a Christo statuto ob oculos habito, neutra peculiaris gemini cleri forma divini iuris praerogativum tenet, cum idem ius neque alteri alterum praeponat neque alterutrum emoveat. ... Neque raro evenit, ut in sacrarum expeditionum territoriis universus qui illic versatur clerus, non excepto Antistite, regularis sit militiae. Neve autumet quispiam id prorsus extra ordinem suetamque normam esse, ita ut censeatur hoc ad tempus tantum contingere et, simulac fieri possit, sacram procurationem saeculari clero esse tradendam ».

Nemo est qui ignorat, hanc doctrinam in praxim Ecclesiae nondum esse deductam, neque in Codicem Iuris Canonici esse assumptam. Immo in territoriis missionum, ubi res magis urget, adhuc sentitur tendentia, quam Pius Pp. XII expressis verbis repudiavit, scil. cum erectione hierarchiarum et vocatione sacerdotum indigenarum ad dignitatem episcopalem « sacrum procurationem saeculari clero esse tradendam » (Alloc. *Annus sacer*).

Etiam si libenter assentio proposito huius schematis (pag. 15, lin. 25), quod S. Synodus dicasterio competenti relinquat novas statuere normas, quibus regulentur relationes inter Ordinarium loci et superiorem regularem, tamen ob rationes indicatas utile mihi esse videtur, locum qui religiosis missionariis competit in hoc schemate iam clare indicari et omnem discriminationem reprobari. Antequam enim normae statuantur, normarum principium est stabiliendum. Hoc ultimum autem a Concilio Oecumenico faciendum esse duco. Ideo emendationis propositum: pag. 15, linn. 8-14 legatur: « Episcopus est rector et centrum unitatis in apostolatu dioecesano. Omnes ergo, sive clerici, sive religiosi utriusque sexus, sive laici, animarum saluti operam navantes, eius debent stare in apostolatu mandatis. Sacerdotes, sive saeculares, sive religiosi, sive exteri, sive autochthoni, absque ulla discriminatione unum clerum loci sub episcopo constituunt. Episcopo est ius ut ex utroque clero pro quolibet officio vel labore illum assumat, quem vere capacem iudicat, nisi iam peculiari muneri ex aliunde sit addictus. Missionarii exteri et sacerdotes autochthoni, saeculares aeque ac regulares, eodem iure possunt ad munera quaecumque in dioecesibus designari; omnes eodem iure possunt ad apostolatum, etiam inter non-catholicos, destinari. Cuncti debent eodem zelo imbuti expansioni Regni Christi collaborare. Ut facilior et efficacior... lin. 14 ».

Ad pag. 14, post lin. 2 verba « ... quotidie in idipsum » inserendum propono: « Quia pro non-christianis scandalum haud parvum provenit e vulneribus, quae unitas Ecclesiae Christi etiam in territoriis missionum manifestat, magnopere interest, quod normae Oecumenismi, ab hac S. Synodo statutae, ibidem stricte observentur ».

Ad pag. 15, lin. 1, post verba « ... elementa localia recipiantur » inserendum propono: « Sedulo attendant, quod haec adaptatio non tantum ad externa culturae elementa sese coarctet, sed praesertim ad pretiosa illa semina religiosa, quae a Deo in cordibus convertendorum iam sunt sparsa, sese extendat, germinationem eorum prosperando ».

Ad pag. 15, linn. 32-38: emendationum propositio: 1. Verba linn. 32-38 « In statutis... maxime vinculativa » in textu mihi videntur potius delenda. *Ratio*: linea hac in re sequenda ab ipsa conferentia episcoporum visis circumstantiis localibus trahatur, observatis normis generalioribus in schemate decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine* statuendis.

2. Ad lin. 32, verba « ... orientationes generales » addatur: « Coetus episcopales speciatim curent, ut in regione incepta communi deliberatione clare et apte concipiantur, rite coordinentur, conatu dynamico ac unanimo exsequantur ac cohaerenter novis inceptis prosequantur. Ad eos praesertim pertinet, Ecclesiam localem ad genium et consuetudines gentium prudenter adaptare ». *Ratio*: sic sanatur defectus, quo fere omnes missiones laborant. Sic Ecclesia catholica cursu aequare poterit evolutionis celerrimae fere in omnibus missionum territoriis progredientis. Sic Ecclesiae locales in sinu Unae Sanctae propriam illam personalitatem paulatim acquirent, in qua populi diversi domi omnes se sentiunt.

33

EXC.MUS P. D. ALOISIUS LA RAVOIRE MORROW
Episcopus Krishnagarensis

[*Cf. Animadversiones em.mi P. D. Valeriani card. Gracias, pp. 679-683. Illas exc.mus P. D. La Ravoire lingua latina exhibuit*].

34

EXC.MUS P. D. PETRUS LUDOVICUS LECLERC
Episcopus Seguensis

Sur la necessité et le devoir d'étendre l'évangélisation à tous les hommes. Certes, ce devoir est rappellé dans le schéma, mais de façon assez dispersée. Dans le *prooemium,* lignes 5 à 10; *Chap. I*, lignes 5 à 7, p. 7; lignes 26 à 29, p. 7; *Chap. II,* lignes 12 à 15, p. 11.

De façon très — trop — générale, aussi. Chaque missionnaire reconnaît ce devoir, mais par manque de personnel et de ressources, il arrive que dans un diocèse, le travail apostolique se limite aux chrétiens et catéchumènes; que des régions et des races entières ne sont pas touchées par l'apostolat.

Le schéma s'étend beaucoup sur les « nouvelles Eglises » constituées hiérar-

chiquement avec clergé et Evêque local. Il n'est que peu ou pas question des « Eglises encore missionnaires » qui sont pourtant le premier stade nécessaire de l'édification de l'Eglise dans un pays donné.

Il me parait nécessaire de rappeller qu'il y a partout *alias oves et illas oportet adducere.* Pour qu'on ne fasse pas trop facilement « la part du feu » en attendant des temps meilleurs, ou des circonstances plus favorables.

Il ne faut pas que les missionnaires envoyés dans des régions où l'apostolat est difficile et ingrat — en pays d'islam par exemple — se découragent.

Il faut qu'ils soient aidés, en personnel et en ressources comme les « nouvelles Eglises », qu'ils éprouvent l'appui de toute la chrétienté.

Il faut qu'ils reçoivent une formation spécifique et poussée pour l'apostolat qu'ils auront à exercer. Des instituts spécialisés existent déjà. Sont-ils en nombre suffisant?

Des échanges d'expériences sont à envisager à leur profit et au profit du travail apostolique.

Une coordination est à établir, à Rome. Actuellement les questions concernant les pays d'Islam, par ex. relèvent ou de la secrétairie d'Etat ou de la Propagande ou de l'Orientale. Il est plus que souhaitable que soit créé un « *Secrétariat pour les religions non chrétiennes* ». A l'instar du « Secrétariat pour l'Unité ». Pour que l'Eglise entière « s'ouvre » à ces questions dans l'esprit du Concile et qu'un dialogue s'instaure. Un Conseil de spécialistes des différentes religions sera facile à rassembler. Ce besoin d'un tel Secrétariat est à insérer dans le schéma.

Les missionnaires adonnés à ce travail apostolique spécial sont profondément reconnaissants à S. S. le Pape Paul VI, pour son allocution « au monde non chrétien » prononcée à Bethléem, le 6 janvier dernier, où Sa Sainteté nous trace un programme d'action: présentation du christianisme et du missionnaire; les sentiments que nous devons avoir à l'égard de ces âmes.

Sur la liberté de conversion et la liberté religieuse. Il faut expliciter et insister plus que c'est fait à la p. 8, § 4 (commendatio Evangelii apud homines) sur le rôle primordial de Dieu et de sa grâce dans la conversion et l'appel à la foi: pour faire comprendre aux Gouvernants non-chrétiens (musulmans, par ex. qui se demandent comment les missionnaires s'y prennent pour convertir des gens) combien la conversion est libre et non forcée ni achetée. Pour qu'ils admettent et respectent la liberté religieuse de leurs sujets et même légifèrent en ce sens; pour fonder et justifier la présence de missionnaires, par ex. dans des pays entièrement ou partiellement musulmans.

Question de terminologie. « Missions ». Ce terme en usage jusqu'ici est à changer: à cause de son emploi généralisé. On parle, sans cesse de « mission économique, commerciale, etc. »; parce qu'il a une résonance étrangère, exactement il donne une résonance étrangère aux nouvelles Eglises; péjoratif, parce qu'il marque un retard dans le développement.

On peut adopter le terme de « nouvelles Eglises » comme dans le schéma. A condition de le bien définir.

Or, *il y a ambigüité* dans le schéma. Cf. p. 12, lignes 28 sq. La « nouvelle Eglise » c'est « constitutio hierarchie *autochthonae* »; « *episcopus e gente propria* ».

C'est le but. Mais la définition est optimiste et pas encore généralisée. Les « fruits des labeurs missionnaires » ne sont pas mûrs partout, même dans des

diocèses ou la hiérarchie (autochtone ou non) a été juridiquement établie, mais où la situation de l'Eglise est encore précaire.

Bien plus, *une discrimination est esquissée,* p. 13, lignes 1 et 2, entre « nouvelles Eglises » et « missions » quant à leurs besoins.

En outre, il y a des pays entiers — pays d'Islam notemment — où l'Eglise est à peine organisée et représentée par un petit nombre de prêtres et de Religieuses qui font ce qu'ils peuvent. On ne peut pas ne pas leur donner le titre de « missionnaires ». Labeur ingrat qu'il ne faut pas décourager. Ils bâtissent l'Eglise, eux aussi, mais n'en sont encore qu'aux fondations. Il ne faut pas les décourager. Ils ont besoin d'être aidés tout autant que les « Eglises nouvelles ».

Il faut donc préciser ce qu'on entend par « Eglises nouvelles ».

« *Sacra Congregatio de Propaganda Fide* ». Ce nom est à changer. On pourrait adopter le nom de Congrégation de la croissance — ou édification — de l'Eglise; de la présence de l'Eglise (au monde); de la diffusion de l'Evangile « Omnis terra », « Salus gentium », « Orbis terrae ».

Seraient à revoir aussi certaines dénominations de Congrégations missionnaires.

35

EXC.MUS P. D. CORNELIUS LUCEY

Episcopus Corcagiensis et Rossensis

Pag. 5, linn. 1 s.: « Pater misericordiarum et Deus totius consolationis (*2 Cor.* 1, 3), « qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire » (*1 Tim.* 2, 4), per « sacramentum voluntatis suae secundum beneplacitum eius... praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum » (*Eph.* 1, 9 ss.) quem in plenitudine temporis misit in mundum (*Gal.* 4, 4) ut esset salvator omnium hominum (*1 Tim.* 4, 10). Christus, sic missus a Patre, et Ipse vicissim misit apostolos suos praedicare hoc evangelium salutis in universo mundo (*Eph.* 1, 13; *Mc.* 16, 15) ut omnes homines haberent hereditatem in regno suo et Dei (*Eph.* 5, 5). Apostoli ergo, Spiritus Sancti etc. *Ratio*: ne Deum Patrem obliviscamur et ne dicantur christiani Christum solum honorare et sequi.

Pag. 5, lin. 5: omittatur « et genuerunt ecclesias ». *Ratio*: ne haec verba ad Ecclesias acatholicas applicarentur.

Pag. 5, lin. 21: sic aptius: Dum haec... *numerus non-christianorum etiam relativus nostris temporibus* ita in dies crescit ut Ecclesia Christi longe longius distare videatur a sua extensione etc. *Ratio*: hodie christiani (etiam mere nominales inclusi) constituunt partem relative minorem totius populi in mundo quam in saec. XVIII-XIX.

Pag. 7, lin. 1: clarius: Ecclesia, *Mysticum* Christi Corpus etc. *Ratio*: adhuc usque saltem verba « Corpus Christi » significant generatim vel S. Species vel Christus ut mortuus.

Pag. 7, lin. 5: sic verius: *Ubicumque ergo* Christus *ut Dominus et Salvator* nondum *nec* fide agnoscitur *nec opere diligitur. Ratio*: ne innuatur « fidem solam » sufficere. Quid valet nominare Christum nisi ut Deum et Dominum?

Pag. 7, lin. 15: melius: Ipse *super omnia* est praedicandus. *Ratio*: christologia non exhaurit totam nostram theologiam et praedicationem.

Pag. 7, linn. 19-21: accuratius: gloriae visibiliter *inter homines degere,* sed

per praesentiam et operationem Ecclesiae suae *maluit apparere,* ut per ipsam etc. *Ratio*: Christus permanet non modo in Ecclesia sed et in SS. Sacramento et in anima iusti per gratiam. Ecclesia nunquam concipitur ut « vultus » Christi, in quantum scio.

Pag. 7, lin. 29: accuratius: ... et mediante fide quae per caritatem *operatur* (*Gal.* 5, 6) viam, quam Christus etc. *Ratio*: ne « fides sola » innuatur.

Pag. 8, lin. 3: accuratius: Sicut natura sua *essentiali* Ecclesia *ad solius Dei gloriam* refertur *per consubstantialem* Filium Suum in terra manifestandum... ita in sua operatione *essentiali* Ecclesia unice etc. *Ratio*: Christus venit facere non suam voluntatem sed voluntatem Patris. Sic et debet Ecclesia! Ecclesia unice tendit, heu non semper et ubique.

Pag. 8, lin. 6: omittatur « et signis ». Substituatur forsitan « bonis operibus », quia adiumenta communia hodie sunt generatim opera in scholis, nosocomiis, etc. *Ratio*: quae *signa* praebet Ecclesia in hodierna praedicatione sua?

Pag. 8, lin. 10: loco « Christi veritatem » dicatur « *Dei* veritatem » etc. *Ratio*: « Sicut docuit me Pater, haec loquor » (*Io.* 8, 28).

Pag. 8, lin. 12: rectius: hic *ad imaginem Dei creatus est* (*Gn.* 1, 27) *et pro cuius exaltatione Deus misit Filium suum in similitudinem carnis peccati* (*Rom.* 8) *qui formam servi accipiens in similitudinem hominum factus est* (*Phil.* 2, 7) *ut sit* ipse primogenitus in multis fratribus. Praedicatio *christiana* etc. *Ratio*: homo non est creatus ad imaginem Christi: e contrario Christus in similitudinem hominum factus est, ut dicit S. Scriptura.

Pag. 9, linn. 6-7: rectius: praeter peccatum assumendi et transformandi ut iam Christi sint sicut Christus Dei (*1 Cor.* 3). *Ratio*: omnia in Christum transformare sapit pantheismum.

Pag. 9, lin. 15: diem in quo manifeste redibit. *Ratio*: quia iam adest invisibiliter secundum lin. 14!

Pag. 9, lin. 20: Corpus Christi Mysticum.

Pag. 9, lin. 1: melius et verius: Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam aeternam (*Io.* 3) Christus vicissim exivit a Patre in similitudinem hominum factus (*Phil.* 2) et habitavit in nobis (*Io.* 1), ut sit ostium per quod homines in vitam intrent, simul et bonus pastor qui animam suam ponit pro ovibus suis, ut omnes in unum ovile adducat (*Io.*). Ut voluntas Christi fiat, caritas pariter urget cuiusvis temporis apostolos etc.

Pag. 12, lin. 3: loco « Cui etc. ». Hoc Evangelii semen si quis corde bono audiens receperit (*Luc.* 8) gratia Dei cooperante ad Personam Christi Dei se convertet etc.

Pag. 12, lin. 10: « et liberi, fraternitate christiana adiuti, per Baptismum... ad novam et actuosam vitam christianam accedere valeant ». *Ratio*: Sacramenta sunt auxilia hominibus, non finis in seipsis.

Pag. 12, lin. 14: inseratur verbum *praesertim* ante « per actuosam ». *Ratio*: quia adest et cultus extra-liturgicus, e. g. Preces in familia, qui magni momenti est.

Pag. 12, lin. 16: omittatur « ad normas const. *de S. Liturgia* ». *Ratio*: quia sunt *alia* praescripta de liturgia praeter hanc const...

Pag. 12, lin. 19: loco « procurandum » ponatur « promovendum ». *Ratio*: scholae sunt unum tantum ex multis mediis ad hanc maturitatem.

Pag. 13, lin. 37: addatur post « christianos »: et maxime inter ipsosmet cleros,

v. g. inter cleros exteros et cleros locales, aut inter cleros saeculares et religiosos. Econtra nihil maiorem... quam unio fraterna inter omnes Christo ahaerentes et inservientes. *Ratio*: dissidia inter missionarios ipsos non sunt, eheu, prorsus ignota seu inaudita.

Pag. 14, lin. 11: cum Christus, *utpote Verbum Dei Patris,* universorum. *Ratio*: Christus non est *absolute* Dominus universorum. Quid de textu: Pater maior me est (*Io.* 14, 28)?

Pag. 14, linn. 13 etc.: melius: instaurantur: qui idcirco Ecclesiae Suae mandatum dedit praedicandi Evangelii omnibus gentibus opportune importune (cf. *Mt.* 28; *2 Tim.* 4, 3) ut, mores purificando et culturas vivificando, omnes homines sanctificaret uti hostiam viventem, Deo placentem (*Rom.* 12, 1). *Ratio*: de facto nondum omnibus praedicatur Evangelium nec omnes mores purificantur.

Pag. 14, lin. 16: simplicius: « Omnibus omnia factus sum ut omnes facerem salvos » (*1 Cor.* 9, 22). *Ratio*: Iudaeus vel non Iudaeus, sub lege vel non, minus hodie important quam « assertio generalis ».

Pag. 15, lin. 6: « peritorum, non modo missionarii sed et laici magis apti ad hoc opus etc. ». *Ratio*: patet.

Pag. 15, lin. 9: addatur: « quantumvis exempti », unum clerum... *Ratio*: ne effugium pateat talibus.

Pag. 18, lin. 12: addatur: instructio. In quantum fieri potest, ii qui in scholis, nosocomiis, etc. laboraturi sunt gradu professionali civiliter comprobato insigniendi sunt. *Ratio*: ratio et utilitas patent.

Pag. 21, linn. 2-4: melius: « Christi, munus et honorem habent divino operi evangelizationis omnium hominum et nov. eccl. formationis pro posse cooperandi. Huius autem etc. ». *Ratio*: ut notio privilegii melius appareat.

Pag. 21, linn. 28-30: sic incipiatur paragraphus: « Semper meminerint omnes sodales Institutorum Religiosorum sive... sive non, se ad perfectionem attingendam teneri... ». *Ratio*: ne bonum personale vel bonum Instituti bono communi anteponatur.

Pag. 22, lin. 2: « pendere; et ideo omnia incepta eorum in patria seu domi posthabenda sunt operationi in ipsis terris missionum ». *Ratio*: ne plures et plura quam stricte necessarii sic disperdantur.

Pag. 22, lin. 8: addatur ut paragraphus specialis: Econtra Instituta perfectionis quae non sunt vere, realiter et substantialiter instituta missionalia, etiamsi quosdam sodales in territoriis sibi commissis habeant, ius quaerendi adspirantes aut stipem tamquam missionarii non habent. Valde iniuriosum esset et in ipsos adspirantes et in opus missionale si quod in adiutorium missionum intenditur re vera opera instituti non-missionalis adiuvaret. *Ratio*: hoc monitum necessarium est quia in terris in quibus spiritus missionalis fortis est, e. g. in Hibernia, religiosi regulares et non-missionarii saepe vocationes, etc. petunt pro missionibus suis ac si nulla alia opera praeter missionalia exercerent!

Pag. 22, lin. 7: addatur: « ... missionale promoveant. Et hoc solemne invitamentum specialiter dirigitur ad illa instituta quae sodales numerosos habent in locis iam plene christianis, quique fere nullam curam pastoralem exercent hisce in locis ». *Ratio*: quia in quibusdam locis religosi multo numerosiores quam sacerdotes dioecesani sunt, qui religiosi tamen pastoraliter non laborant.

Pag. 22, lin. 13: loco « essentialiter » ponatur « eminenter ». *Ratio*: quid de ministerio sacramenti Poenitentiae?

Pag. 22, lin. 38: melius forsitan: « Quapropter, quamvis Ecclesiis tantum localibus immediate praeponantur, responsabiles tamen sunt... ».

Pag. 23, lin. 1: sic aequius: « instanter urgendo omnes ex proprio clero necnon ex clero religioso in dioecesi cura pastorali non oneratos novellis ecclesiis pro aliquo saltem tempore nomina dare, ad significandum... ». *Ratio*: quod expectatur a sacerdotibus nostris magis expectari debet a statui perfectionis adhaerentibus.

Pag. 23, lin. 32: addatur: « ... modos, et quaerendi vocationes et colligendi... ». *Ratio*: ne vocationes missionales perdantur in favorem Institutorum et Ordinum non missionalium.

36

REV.MUS P. D. PETRUS MALEDDU
Praefectus apostolicus Hinganfuensis

I. Ad folium 18, post n. 15 (adiungendum): *a*) In Ordinibus atque Institutis religiosorum qui, quamvis Instituta praecipue missionaria non sunt, attamen laborem in partibus missionariis curant, peroptimum videtur, operibus missionariis apostolatuque pro missionibus excitandis viros praeficere qui experientia de missionibus apprime calleant, et hoc tam pro toto Instituto quam pro singulis eiusdem Instituti provinciis.

b) Meminerint superiores maiores Ordinum Institutorum de quibus in comma *a*) alumnos sui Instituti, qui per plures annos in missionibus adlaboraverint et qui in patriam, perturbatis ordinibus vel quavis iusta causa remigraverint, non semper posse vita extra missiones solitam agere; quare opportunum videtur eorum difficultatibus benigne consulere, illis tribuendo omnia consentanea vitae diutius teritae in opere missionario obeundo, ut sunt docere in athenaeis vel collegiis sui Instituti quae ad missiones spectant (v. Missionologia), ad propagationem rei missionariae apud suos et apud extraneos, necnon capellani munere prope hospitales aegrotorum et similia fungere.

c) Viris missionariis qui diutius missionibus incubuerunt S. C. Prop. Fide impetret privilegia seu facultates audiendi confessiones vel verbi Dei praedicandi in tota propria natione vel in natione ubi habitualiter resident, salva explicita Ordinarii loci prohibitione.

II. Ad folium 15, post 38 lin. (addendum puto): Apud Nuntiaturas vel coetibus episcoporum qui singulis regionibus praesunt ducentibus, instituantur specialia Officia quorum sit consultationes et explicationes dare et recipere de re missionaria universa.

III. Liceat etiam proponere ea quae sequuntur: A ieiunii seu abstinentiae lege dispensare fidelibus in missionibus territoriis et tantum ieiunium vel abstinentiam insinuare adnectendo indulgentias atque spiritualia privilegia pro iis qui talia poenitentiae corporalis opera agunt.

In singulis episcoporum coetibus qui cuique regioni praesunt, aptus inveniatur modus ad festa christiano more componenda quae vulgo pagani concelebrant et quae magni momenti sunt apud populares cuiusque regionis.

IV. Praeterea pro missionariis proponendum puto: *a*) Uti in celebrando divino Sacrificio, vestibus sacris deauratis cum missionarius iter faciat aut visitet

missionum stationes extra sedem primariam missionis vel districtus aut extra suum territorium, in quibuscumque diebus festis totius anni etiam in Missis pro defunctis.

b) Ei licere Missam De Spiritu Sancto (aut aliam aptam) quamdiu missionarius iter faciat ut dictum est in comma *a*) (et hoc ad vitandam molem missalium) vel adiungere in parvo missali tantum nonnullas missas pro festis principalibus.

c) Dispensentur missionarii a lege ieiunii et abstinentiae cum iter faciunt vel cum versantur in locis dissitis a propria residentia.

d) Dispensentur pariter missionarii qui iter faciunt saltem per sex horas in die, mediis in itinere adhibentes loci (non autem mediis nostrae aetatis) a lege ieiunii eucharistici, exceptis potionibus cum alcoolibus, unius horae ante communionem cum iis celebrandum est divinum sacrificium statim aut paulo postquam pervenerint.

e) Pariter missionarii qui iter faciunt per sex horas in die (ut supra) dispensentur a Divini Officii recitatione aut cum fieri potest commutetur recitatione Coronae S. Rosarii B. M. Virginis.

Credo che le Prefetture Apostoliche, come sono oggi, siano da abolire. Piuttosto, pur con territorio separato ben definito, le nuove missioni siano rette da un *ausiliare* del vescovo della missione madre (Ausiliare residente nel nuovo territorio missionario) restando ausiliare sinché la missione non venga eretta in diocesi indipendente. Con l'ausiliare lavorino gli indigeni del luogo e i missionari della Congregazione cui viene affidato detto territorio nuovo o che vanno per aiutare l'ausiliare indigeno. Si eviterebbero così molte incongruenze e se ne ricaverebbero molti benefizi, tra gli altri quello di poter usufruire del seminario della missione madre senza impegnare i propri sacerdoti necessari allo sforzo della propaganda incipiente, e quello di poter usare personale (catechisti ecc.) che si trovano nella missione madre mentre mancano nelle nuove missioni. Naturalmente questo progetto ha bisogno di essere elaborato e precisato da canoni.

37

Exc.mus P. D. LUDOVICUS MATHIAS

Archiepiscopus Madrapolitanus et Meliaporensis

In schemate, prout iacet, nonnullae animadversiones et lacunae patefaciendae mihi esse videntur, iuxta sequentia:

A. Alicubi sermo fieri debet de S. C. de Propaganda Fide, quae ob infinita prope negotia nexum habet cum missionibus.

B. Innuantur in schemate praecipuae consociationes pontificiae ad rem missionalem promovendam, veluti: *a*) Consociatio de Propaganda Fide; *b*) Opus Sanctae Infantiae; *c*) Opus Sancti Petri ad indigenas vocationes sacerdotales requirendas et stimulandas.

C. Cum documenta quaevis de missionibus exarentur, iam necesse est de inceptis socialibus et caritativis (quae omnia fructus electissimi nostrae sanctae religionis sunt), eloqui. In praesentiarum adiunctis enim iam non satis est Evangelium praedicare, sed fructus Evangelii « super candelabrum » ostendere, uti nosocomia, hospitia, brephotrophia ac cetera huiusmodi nec non splendidam socialium opera-

rum seriem, quae facilius humiles ac pauperes de infidelitate ad Fidem allicere queunt.

D. Praestantissimum instrumentum ad Fidem propagandam et religiosam instructionem excitandam est Confraternitas Doctrinae Christianae, quae iuxta Codicem iuris canonici (can. 712, § 2) in singulis paroeciis instituenda est. Nutus vel minimus huius institutionis in schemate habeatur.

E. Quae vero ad catechistas referuntur, nimis brevia et celeria sunt. Nemo est hodie inter episcopos et sacerdotes, qui non videat ac persuasum habeat quanti intersit, quantumque urgens sit ut hodie, ad conservandam propagandamque fidem in missionibus, electae manus et copiosae catechistarum formentur atque erudiantur, et praeeuntibus sacerdotibus missionariis in pagis (ubi nullus extet sacerdos) et paroeciis (ubi numerus vel copia sacerdotum impar sit) pro Regno Dei adlaborent.

In secunda Oecumenici Concilii Vaticani II sessione, ego ipse voce ac dein scripto publice interveni postulans ut, sicuti Patres in Concilio Tridentino seminaria ad clerum efformandum instanter instituenda esse decreverunt, ita Concilium Vaticanum II, centra seu seminaria ad laicos instituendos, qui nempe forent catechistae condere satagat atque quartam institutionem pontificiam fundet quae, sicut tertia, pecunias ac subsidia pro catechistis reperiat. Haec autem institutio pontificia « Opus Sancti Pauli ad gentes » vocari poterit. Centra autem laicorum efformandorum iam a S. C. de Propaganda Fide multis abhinc annis commendata est, prout est videre in Sylloge; ceterum monita ac incitamenta recentiorum Summorum Pontificum nota sunt.

Quo res planius ponderetur, exemplar meae interventionis accludo.

Quae vero in schemate praebentur neque satis clara sunt, neque recte statuta; sint enim mera exhortatoria verba. En verba schematis, pag. 19, lin. 32: « Cum scholae ad formationem catechistarum in ipsis missionibus necessariae hodie evaserint *hortetur* Concilium omnes ad quos spectat ut huiusmodi scholas instituere curent... ». *Hortari* non sufficit, si omnes persuasum habent rem omnino urgere ac necessariam esse. *Ad omnes ad quos spectat* nimis incertum est. Patet autem verba haec ad episcopos dirigi qui in missionibus degunt: atqui omnes norunt episcopos missionarios, ob incredibiles pecuniarias difficultates quas in missionibus experimur, numquam ex sese huiusmodi centra seu scholas pro catechistis erigere posse.

Ad quos spectat: videlicet spectat etiam ad S. C. de Propaganda Fide; nunc quaero: quid interest talia verba facere *ad quos spectat,* nisi fundetur opus seu Institutio S. Pauli ad catechistas sustentandos? Qua non erecta, verba Concilii mere hortatoria e sent ideoque in cassum irent.

Ideo hac in parte clariora ac magis definita verba desiderantur. Si scholae catechistarum omnino necessariae sunt, necessaria quoque erunt subsidia ad has scholas sustinendas.

38

EXC.MUS P. D. PAULUS MAZÉ

Episcopus tit. Ascalonitanus, vic. ap. Insularum Tahiti

J'ai lu avec satisfaction pag. 15, n. 12 et lignes 20 ss.: normae quibus regulantur relationes inter Ordinarium loci et Superiorem religiosum in missionibus, vix adhuc applicari possunt.

Puis ligne 26: Sancta Synodus optat ergo ut competens S. Sedis dicasterium, auditis *episcopis* et superioribus missionariorum, quamprimum novas statuat normas, iisdem novis adiunctis congruentes.

Je l'ai écrit. J'ai lu ces lignes avec grande satisfaction. Oui, dans l'élaboration des nouvelles « normae », il est juste que soit entendu la *voix des évêques.* Cela les intéresse pour le moins autant que les Supérieurs religieux, qui en général, ont peu d'expérience des conditions où travaillent les évêques et les missionnaires.

Il faut à tout prix éviter de donner cette impression que la Missio est régie par une autorité « bicephale », une monstruosité.

Exemple: on envoie à la Mission des sujets munis d'une obédience à l'adresse du Superieur religieux. Mais rien au Vicaire Apostolique contrairement au Canon 295.

D'ailleurs il faut arriver à préciser, et définir clairement la question des honoraires de messe.

Dans son *Breviarium Iuris Missionalis*, Xaverius Paventi (Romae, 1952), dit: page 228: Stipendia missarum sunt bona Instituti uti auctores quasi unanimiter affirmant...

Quod praescriptum non cedit in damnum vel detrimentum missionum cum stipendia id genus, ad missionarios sustentandos adhibeantur.

1. *Ex natura rei.* Stipendium est eleemosina pro manutentione sacerdotis. Hac tantum ratione excusatur a simonia. Quod explicatur a S. Thoma sic: Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis Eucharistiae aut missae decantatae; hoc enim esset simoniacum, sed quasi stipendium suae sustentationis. Hoc autem licite fit, nam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant.

2. Ex statutis institutorum... Que des missionnaires qui sont rétribués par un Gouvernement, ou une autre collectivité, fassent don de leurs honoraires de messe à leur Institut qui leur envoie des missionnaires, cela se conçoit facilement; mais les missionnaires qui n'ont de revenu fixe que ce pauvre honoraire de messe, obtenu par l'Ordinaire, de l'étranger doive le céder à l'Institut cela devient odieux. Qu'on le leur laisse, à cause de leur résistance (facile à concevoir) et qu'on leur rappelle sans cesse que ces honoraires sont bona Instituti cela devient douloureux.

Oui, il faut que le St. Siège trouve une formule conciliante et conciliatrice, qui en reconnaissant le merite des Instituts missionnaires, laisse a l'Ordinaire l'autorité et la liberté répondant à ses responsabilités.

39

EXC.MUS P. D. BERNARDUS MELS
Archiepiscopus Luluaburgensis

Le problème des religieux dans les régions missionnaires ou les nouvelles Eglises est très important du fait que depuis les derniers siècles l'Evangélisation et l'organisation des nouvelles Eglise a été confié par le St. Siège, presque exclusivement à des Ordres ou Congrégations Religieuses ou à des Associations sacerdotales à vie commune.

Même depuis l'instauration de la Hiérarchie en plusieurs régions missionnaires, et la nomination de plus en plus fréquente d'Evêques locaux du clergé séculier, la part prise par les Missionnaires religieux dans les Œuvres diocésaines reste souvent prépondérante et nous pose devant des problèmes qui diffèrent profondément des situations qui se présentent dans les diocèses des anciennes chrétientés.

Il est donc normal et même nécessaire que ces problèmes soient examinés séparément de l'examen qu'on en fait sur le plan général de l'Eglise.

Il nous semble que les questions principales qui se posent sont les suivantes:

Dépendance de la S. C. Prop. Fide: Est-ce que les problèmes qui se posent dans les rapports entre les Evêques et les Religieux dans les nouvelles Eglises doivent être du ressort de la S.C.P.F.? Est-ce que les Congrégations ou Instituts Missionnaires doivent dépendre de la S.C.P.F. aussi pour ce qui regarde la vie religieuse? Est-ce que l'organisation de la vie religieuse en ces régions doit dépendre de la S.C.P.F. ou de la Congr. des Relig.? Comment peut ou doit-on concevoir le *modus vivendi* à établir entre les Instituts missionnaires et les Evêques dans les nouvelles Eglises? Quelles sont les questions les plus délicates à mettre au point? Comment leur donner une solution satisfaisante afin d'éviter des malentendus ou des conflits? Et permettre une collaboration fructueuse?

I. *Le problème de la dépendance des nouvelles Eglises de la S.C.P.F.,* tant sur le plan de l'Apostolat, que sur le plan de la vie religieuse, que des rapports entre Evêques et religieux.

1. *Raisons qui militent* en faveur de la *suppression* de la dépendance de la S.C.P.F. *a*) Certains estiment que du fait de l'érection de la Hiérarchie tous les problèmes ayant trait à ces nouvelles Eglises devraient automatiquement *entrer dans l'organisation générale et ordinaire de l'Eglise* et que leur dépendance d'une Congrégation Romaine spéciale ne se justifie pas.

b) La dépendance de la S.C.P.F. est considérée par certains comme une *discrimination humiliante* d'avec les anciennes Eglises, et tend à démontrer que l'érection de la Hiérarchie n'aurait été qu'un geste diplomatique, et qu'on considère toujours ces Eglises comme mineures, ayant besoin d'une certaine tutelle.

2. *Raisons qui militent* en faveur de *la dépendance* de la S.C.P.F. *a*) Comme nous l'avons signalé au début, les situations dans ces nouvelles Eglises, tant sur le plan du personnel sacerdotal, que sur le plan de l'Apostolat et de l'Evangélisation diffèrent profondément des situations existant dans les anciennes Eglises.

Vouloir faire traîter les problèmes ou questions qui se posent en ces régions par les Congrégrations Romaines respectives risque de voir traîter ces problèmes d'une façon inadéquate.

Même si on envisage auprès de chaque Congrégation un service spécial pour traîter des problèmes des nouvelles Eglises, on risque de ne donner qu'une solution insuffisante.

Bien souvent en effet, une vue d'ensemble des problèmes est nécessaire pour donner une solution adéquate à un problème particulier.

Il serait normal que tous ces services particuliers envisagés auprès des Congrégations Romaines, soient plutôt réunis et dirigés par une autorité spéciale et compétente, qui puisse en connaissance de cause et en tenant compte des différents aspects du problème prendre les décisions les plus favorables, comme cela se fait actuellement par l'entremise de la S.C.P.F.

b) Il faudrait cependant que cette dépendance de la S.C.P.F. n'apparaisse pas comme une autorité supplémentaire ou une tutelle instaurée pour contrôler de plus près ces nouvelles Eglises, mais comme un moyen de rendre des services plus grands et mieux appropriés aux besoins de ces nouvelles Eglises.

c) Pour les mêmes raisons il est normal que les Instituts Missionnaires dépendent d'une Congrégation Romaine spéciale, qui a comme tâche d'étudier les problèmes missionnaires, qui est mieux à même de juger des problèmes des religieux comme ils se posent en pays de mission, et qui doit pouvoir faire appel à ces forces vives dans l'Eglise pour les envoyer aux endroits les plus menacés ou les plus dépourvues en travailleurs apostoliques.

d) Pour les mêmes raisons il semble préférable que l'organisation de la vie religieuse en ces régions reste sous la supervision de la S.C.P.F.

En effet, l'évolution de la vie religieuse dans les nouvelles Eglises, pose des problèmes d'adaptation très complexes. A côté de la vie religieuse introduite par les Ordres ou Congrégations religieuses missionnaires ou autres, qui recrutent des adeptes locaux pour leur Institut, se pose le problème de l'éclosion de la vie religieuse sous forme de Congrégations locales.

Il faudrait que dans l'élaboration des règles ou constitutions on puisse faire des adaptations assez profondes à l'esprit propre de chaque peuple, à ses us et coutumes valables. Actuellement cependant on est lié jusque dans les détails par un Directoire, qui n'est qu'une copie pure et simple des constitutions d'une Congrégation moderne Occidentale. Il faudrait limiter les directives pour la fondation des Congrégations religieuses locales à quelques grandes lignes fondamentales, qui laissent place à une possibilité d'adaptation suffisante.

3. *Si on veut éviter les critiques principales contre la S.C.P.F.* il faudrait: *a*) Envisager une *internationalisation suffisante* de son personnel de façon à avoir une vue plus large et mieux adaptée des problèmes qui se posent dans les différentes régions « missionnaires ».

b) *Un élargissement de son objectif:* en devenant avant tout *un centre d'étude* et de *coordination* de tous les efforts missionnaires, envisagés actuellement, et où une participation effective du clergé séculier s'annonce.

Ces efforts ne devraient pas se faire d'une façon dispersée et improvisée, ni de façon à opposer les missionnaires religieux aux « missionnaires » du clergé séculier.

Un comité centrale d'études et de coordination serait à envisager, où se rencontreraient les Représentants des Episcopats pouvant aider, ou ayant besoin d'aide, ainsi que les représentants des Instituts missionnaires. On y examinerait les états de besoin, les moyens dont on dispose pour y répondre au mieux,

l'information et la propagande à organiser pour augmenter les possibilités d'aide.

Cette réorganisation ferait mieux ressortir l'*aspect de vrai service* à rendre aux nouvelles Eglises moins l'autorité purement juridique de la S.C.P.F.

Sur le plan juridique en effet, la plupart des facultés accordées actuellement, devraient devenir l'apanage des Conférences Episcopales, soit des facultés ordinaires des Evêques.

II. Comment peut ou doit-on concevoir le *modus vivendi* à établir entre les Evêques et le Instituts Religieux Missionnaires?

1. Ce *modus vivendi* pour les régions strictement missionnaires est régi par le Décret de 1929 de la Propagande, qui précise les relations entre l'Evêque missionnaire (ou assimilé) et l'Institut missionnaire auquel est confié l'Evangélisation d'une région déterminée (qui a le *ius commissionis*).

Que comporte le *ius commissionis? a*) La « commissio » comporte le devoir pour l'institut, d'organiser avec son personnel l'Evangélisation et l'édification de l'Eglise dans une région déterminée, confiée à ses soins par le St. Siège.

b) Le « ius » comporte: le droit qu'un des membres de l'Institut soit nommé à la tête de cette circonscription Ecclesiastique; le droit aussi de réserver à l'Institut l'édification de l'Eglise dans cette région. Pour qu'une autre Congrégation puisse y être chargée d'une partie de l'Apostolat ou de certaines œuvres, il faut l'accord de l'Institut Missionnaire qui a le *ius commissionis*.

c) Les relations, quant à la direction de cette Eglise, entre le Supérieur Ecclésiastique et le Supérieur Religieux sont régies par le décrèt de la Propagande de 1929.

Dans ce décrèt de 1929 on précise les prérogatives du Supérieur Ecclésiastique dans la direction de la Circonscription Ecclésiastique, tant sur le plan spirituel, que juridique et materiel.

On précise sur quelles bases doit se concevoir la distinction des biens appartenant soit à la Circonscription Ecclés. et soit à l'Institut Missionnaire.

On précise aussi les relations à établir entre le Chef Ecclés. et le Supérieur Religieux, quant au personnel Missionnaire religieux.

2. Quelles sont les conséquences de l'érection de la Hiérarchie sur le *ius commissionis?*

1) Certains estiment que le *ius commissionis* tomberait lors de l'érection de la Hiérarchie. D'autres estiment que le *ius commissionis* perdure, aussi longtemps que l'Evêque résidentiel appartient encore à l'Institut Missionnaire qui a le *ius commissionis,* à moins que Rome ne stipule explicitement le contraire.

2) D'autres estiment que même si le *ius commissionis* persiste, le décret de 1929 ne serait plus d'application. On ne voit cependant pas pourquoi ce décrèt aurait perdu sa valeur puisqu'il était donné précisément pour régler les rapports entre Evêque et Institut religieux dans le régime du « Ius commissionis ».

En outre l'érection de la Hiérarchie ne supprime pas la dépendance de la Propagande, ni les prescriptions qu'elle a données pour les régions qui dépendent d'elle.

Il serait utile que Rome donne une réponse claire à ces points d'interrogation.

3. Quelles sont les conséquences de la nomination d'un Evêque du clergé séculier à la tête d'une nouvelle Eglise? *a*) Le *ius commissionis* tombe, ainsi que le décrèt de 1929 qui régissait ce *modus vivendi.*

b) C'est le nouvel Evêque qui devient complètement responsable de la direction et de l'organisation de l'Eglise. Cette région ne reste plus « réservée à tel ou tel Institut ». L'Evêque peut faire appel à d'autre personnel auxiliaire sans demander l'accord de la Congrégation qui avait le *ius commissionis* (bien qu'il serait prudent de consulter ou au moins d'aviser à l'avance).

c) L'Institut Missionnaire qui cède le *ius commissionis,* se met avec son personnel à la disposition du nouvel Evêque.

Il n'a cependant plus le même « devoir » de pourvoir à tout le personnel nécessaire, ni de soutenir d'une façon préférentielle cette Eglise constituée, qui n'est plus commise à ses soins (bien qu'il soit souhaitable que l'effort fait jusque là soit continué).

III. Problèmes qui se posent lors de la suppression du *ius commissionis* et de la transmission de la direction d'un territoire Ecclésiastique à un Evêque local.

1. Les Problèmes. Un des points faibles de l'édification de l'Eglise dans les régions dites missionnaires consiste dans le fait qu'elle est basée en très grande partie sur une action et une aide venant de l'étranger, tant pour le personnel que pour l'aide matérielle. L'évolution vers la constitution de la Hiérarchie, et la transmission des pouvoirs à un Evêque et un clergé local, se fait nécessairement dans des conditions très délicates, du fait que ces nouvelles Eglises ne sont pas encore capables de se suffire à elles mêmes et doivent dépendre parfois en grande partie d'une aide venant de l'extérieur.

Cette « dépendance de l'extérieur » des dirigeants de ces jeunes Eglises, entraine des problèmes d'ordre psychologique, moral, juridique et matériel, extrêmement délicats, surtout dans le chef des relations entre l'Organisme missionnaire auquel était confiée précédemment la charge de l'évangélisation, et de l'édification de l'Eglise dans une région déterminée, et la nouvelle autorité qui en prend la charge.

Dans le cas où le clergé local est déjà assez nombreux, de façon à pouvoir assurer une structure de base suffisante, la difficulté est moins grande, du fait qu'on peut assimiler cette situation à celle existante dans la plupart des anciennes Eglises, où le personnel religieux est invité par l'Evêque à prendre la responsabilité de certaines Œuvres spéciales, et suivant des conventions à élaborer de commun accord.

Généralement cependant il n'en est pas ainsi. Bien souvent un Evêque entouré de peu de prêtres locaux doit reprendre une jeune Eglise, et il doit dépendre aussi bien pour le travail d'Apostolat que l'organisation des Œuvres, d'une Congrégation religieuse venant de l'extérieur, et ayant eu jusque là la responsabilité de cet ensemble.

In ne suffit pas de dire, qu'à partir de ce moment on n'a qu'à appliquer le Droit commun, et de règler certains points accessoires par des conventions bilatérales.

En effet, le Droit Commun n'a pas été élaboré en tenant compte de pareilles situations.

En outre s'il a semblé nécessaire de donner des directives bien nettes et claires qui, dans le cadre du *ius commissionis* régissaient les relations entre un Evêque missionnaire et la Congrégation dont il était issu (cf. décrèt de 1929), combien plus nécessaire ne semble pas devoir être un tel directoire pour le cas qui nous

préoccupe et où il s'agit de la transmission du pouvoir et des biens entre une Congrégation religieuse et un Evêque local, et des règles qui doivent régir leurs relations, aussi longtemps que l'Eglise n'aura pas pris une physionomie normale, quant à sa constitution et son activité ordinaire!

Ces relations peuvent difficilement être résolues par des conventions bilatérales, car cela suppose qu'on se trouve dans une situation d'égalité et d'indépendance l'un vis-à-vis de l'autre, ce qui n'est pas le cas dans la supposition actuelle.

Il faudrait donc que les directives données en 1929 pour régler ce *modus vivendi* spécial, soient réétudiées par une commission mixte, sous la supervision de la Propagande, et appliquées au nouvel état de choses créé par l'Erection de la Hiérarchie et la suppression du *ius commissionis.*

2. Points principaux à préciser. 1) Quels doivent être les rapports entre les deux autorités dans l'organisation de l'Apostolat et des Œuvres?

2) Quelles règles à suivre dans la nomination du personnel religieux, dans le transfert du personnel, du retrait du personnel, dans la transmission d'un poste, à des religieux ou au clergé local; pour la vie en communauté ensemble avec le clergé local ou non.

3) Quelles suggestions à donner pour diminuer les occasions de friction ou de malentendus (P. ex. représentation dans le Conseil Diocésain et autres réunions mixtes pour discuter les problèmes).

4) Quels doivent être les critères dans l'acquisition de biens dans la nouvelle situation?

5) Quels doivent être les critères dans la transmission des biens entre les deux autorités?

6) Quels doivent être les critères à suivre pour l'entretien des missionnaires? Des voyages, congés, soins des malades?

7) Quelles garanties d'avenir peut demander la Congrégation pour continuer ses efforts antérieurs?

8) Quid pour les dons reçus par les missionnaires? Quid quant à « l'industria » qui existe dans les postes du Diocèse? Dans ceux de l'Institut Religieux? Quid des traitements subsides etc. des religieux, dans les postes du Diocèse ou ceux de l'Institut.

Il faut bien se rendre compte que les situations qui se créent, sont, si on les voit sur le plan humain parfois très difficiles et délicates, et que même avec un directoire bien clair, il faudra une bonne dose de compréhension et d'esprit surnaturel pour éviter des frictions ou des conflits.

3. Fausses perspectives à éviter. *a*) De même que la Congrégation religieuse, qui avait le *ius commissionis,* ne peut arguer de son travail et de ses services rendus, pour revendiquer des avantages extraordinaires, de même la nouvelle autorité ne peut pas demander à la Congrégation qui a supporté le « pondus diei et aestus », de se mettre dans une situation moins favorable que d'autres congrégations, qui ont accepté certaines œuvres spéciales dans le Diocèse. Il est normal que la Congrégation puisse conserver certaines Œuvres spéciales propres dans les mêmes conditions que d'autres Congrégations de Prêtres, Frères ou Sœurs!

b) La reprise du pouvoir par un Evêque local, ne peut pas être comparée à la reprise du pouvoir par les autorités civiles. En effet même sur le plan humain, l'Eglise est un organisme Hiérarchique où le sacerdoce est la base de structure, et il n'est pas possible d'occuper 30 postes avec 10 prêtres. En outre dans l'Eglise,

bien qu'on doit tenir compte aussi du côté humain, on doit toujours essayer de dépasser le pur « national » ou « racial ». Enfin sur le plan surnaturel, qui prime le reste dans la vie de l'Eglise, l'Eglise et aussi le prêtre ne peut être « ni Juif, ni Grec... », mais tous un dans le Christ.

Pour l'œuvre de l'Eglise, l'Evêque doit, dans la mesure du possible, faire abstraction de considérations trop humaines dans l'emploi de son clergé.

Ceci prouve aussi, que ce serait une fausse optique de vouloir considérer l'aide des religieux ou des missionnaires comme une simple « aide technique », ou d'opposer clergé séculier à clergé régulier dans l'ensemble de l'Apostolat d'un Diocèse. Il suffit de lire à ce propos les directives très claires données par les Papes, surtout Pie XII et Jean XXIII. Cf. Jean XXIII: « Nous nous plaisons de rappeler que notre dessein de vouloir considérer comme un tout les prêtres séculiers et réguliers, lesquels constitueraient ensemble le clergé diocésain, au service des âmes sur le regard paternel de l'Evêque... reste encore une très heureuse réalité... ».

IV. Quelques points, qui méritent une *attention spéciale.*

1. *Rapport* entre l'Evêque et les religieux *en matière d'apostolat* dans les nouvelles Eglises. *a*) Si le clergé local est suffisamment nombreux pour assurer la structure de base on peut appliquer les directives du Droit commun.

b) D'une façon générale cependant la composition du clergé diocésain (au sens large du mot), y diffère profondément de la structure de ce clergé dans les anciennes Eglises.

Bien souvent les religieux constituent la majorité ou la grande majorité du personnel affecté à l'Apostolat et aux Œuvres diocésaines.

Il serait difficile d'appliquer simplement les règles établies par le Droit commun pour les relations entre Evêques et Congrégations Religieuses à ces situations tout à fait spéciales. Les religieux sont dans ces régions le personnel ordinaire et non extraordinaire, dont l'Evêque dispose dans l'organisation de son Diocèse. Il en dépend en quelque sorte totalement.

Ceci nécessite la mise au point d'un *modus vivendi* spécial, pour sauvegarder la liberté et l'autorité de l'Evêque envers son personnel « diocésain ».

Un *modus vivendi* adapté à ces situations spéciales a été mis au point dans le décrèt de 1929 de la S.C.P.F. pour les régions missionnaires confiées à un Institut Missionnaire. Quand un territoire Ecclésiastique est confié à un Evêque et au clergé local ces prescriptions tombent et on conseille de règler les rapports entre le Chef Ecclésiastique et les Supérieurs religieux par des conventions spéciales inspirées par le décrèt de 1929.

Cependant pour ces situations spéciales il serait souhaitable qu'un directoire spécial soit élaboré par une commission mixte et imposée par le St. Siège.

c) C'est surtout dans le cas de ce qu'on appelle les « negotia mixta », ou pour l'organisation de certaines Œuvres spéciales d'Apostolat, d'Enseignement, de charité etc. que des directives d'une autorité Supérieure seraient utiles.

d) Compte tenu de l'importance du conseil Diocésain dans la direction du Diocèse et l'organisation de l'Apostolat il serait normal que si on insiste sur la nécessité de la présence de conseillers issus du clergé séculier, on insiste aussi sur une représentation équitable du clergé diocésain régulier.

e) Le problème des communautés mixtes, clergé séculier et régulier. Là

où le clergé séculier est jeune et peu nombreux les communautés mixtes sont presque nécessaires pour la formation progressive du clergé séculier, qui est appelé aussi à vivre en communauté dans ces régions.

Si le clergé séculier devient plus nombreux on va progressivement vers des communautés séparées. Il faut cependant, moyennant des journées de rencontre et d'études communes éviter une trop grande séparation ou même une certaine opposition entre les deux clergés, surtout sur le plan de l'Apostolat.

2. *Problème* de la *distinction* et de l'*acquisition des biens,* en faveur de la circonscription Ecclésiastique ou de l'Institut Religieux.

Du fait que bien souvent le personnel Diocésain est du personnel religieux se pose nécessairement le problème de l'acquisition et de la distinction des biens pour ceux qui travaillent dans les Œuvres du Diocèse.

De même se pose le problème de la possession d'Œuvres et de biens appartenant en propre à l'Institut Missionnaire.

a) *Distinction des biens*: Tant la circonscription Ecclésiastique que l'Institut Missionnaire peuvent posséder et acquérir des biens.

Bien que le St. Siège ait confié à un Institut Missionnaire la charge d'Evangélisation d'une région déterminée, avec son personnel et aussi par un apport en aide matérielle, l'Institut n'acquiert cependant pas la propriété des biens matériels existant dans les postes ou Œuvres de cette région (cf. Droit commun et Décret de 1929).

En fait c'est à la Circonscription Ecclésiastique qu'appartiennent normalement les biens et les Œuvres de la Mission. Cependant, en accord avec le Supérieur Ecclésiastique, l'Institut Missionnaire peut posséder certains postes ou Œuvres en propre, ou il peut aussi organiser l'une ou l'autre « industria propria », tout comme d'autres Congrégatoins de prêtres, frères ou sœurs peuvent en avoir dans une Circonscription missionnaire ou un Diocèse.

Il est indispensable que cette distinction des biens soit clairement formulée dans une convention bilatérale, qui serait utilement approuvée par Rome.

L'Institut missionnaire ne peut cependant pas abuser de sa situation privilégiée, pour se réserver les postes ou Œuvres les plus intéressantes.

Quand un Evêque local est nommé et que le *ius commissionis* tombe, tous les biens de la Circonscription passent au Diocèse et sont administrés par le nouvel Evêque, tandis que l'Institut conserve ses Œuvres et biens propres.

Si le nouvel Evêque voudrait reprendre certaines Œuvres appartenant à l'Institut missionnaire en faveur du Diocèse ou d'une autre congrégation religieuse, le tout doit être règlé par une convention, et en cas de conflit Rome devrait solutionner le différend.

b) *Acquisition des biens.* Normalement les biens, tant les dons que le fruit d'une « industria propria » vont à celui à qui appartient le poste ou l'œuvre, à moins de conventions spéciales stipulant p. ex. une redistribution spéciale du fruit d'une industria propria entre la Circonscription Ecclésiastique et l'Institut Missionnaire.

Cependant certains bien d'après le Droit Canon, vont d'office à l'Institut Religieux ou à telle personne déterminée, notamment les intentions de messe, les dons faits « intuitu personae », le fruit d'une « industria propria », réalisée en tant que telle personne privée, les salaires personnels, les dons donnés aux Supérieurs religieux pour leurs Œuvres.

Des points d'interrogation se posent cependant: parfois il est difficile de déterminer l'intention du donateur qui jouit du « favor iuris »: qui doit en juger; qui doit en permettre l'emploi?

Comment distinguer un salaire proprement dit d'un subside? Un subside étant destiné plutôt au fonctionnement d'un ensemble qu'à telle personne déterminée.

Quid des salaires reçus dans une Œuvre diocésaine et qui devraient normalement servir à l'entretien et le développement de cette Œuvre etc.

c) *Charges à supporter* par le Supérieur Ecclésiastique et le Supérieur religieux. Si le clergé séculier est assez nombreux pour reprendre en charge la grande partie du Diocèse, l'Institut missionnaire conserverait quelques œuvres en propre dont la charge lui incomberait totalement, tout en jouissant aussi des dons, rapports, salaires etc. dont bénéficie ce poste ou cette œuvre.

Si au contraire les religieux administrent des postes ou Œuvres du Diocèse le Supérieur Ecclésiastique doit pourvoir à l'entretien normal de ce personnel, et leur fournir les moyens pour la bonne marche du poste.

Ce subside est calculé de commun accord avec le Supérieur Religieux.

Peut-on tenir compte des intention de messe que reçoivent ces religieux, à quel taux les calculer?

Est-ce que le subside d'entretien doit être versé au Supérieur religieux ou au personnel du poste?

Parfois le Diocèse est pauvre et peut difficilement trouver le nécessaire pour l'entretien du personnel, alors que les Œuvres propres des Congrégations Religieuses sont très prospères et florissantes. Est-ce que le Supérieur Ecclésiastique peut demander une contribution à ces Œuvres qui n'appartiennent pas à la circonscription Ecclésiastique?

D'autres discussions peuvent surgir quant aux dépenses occasionnées par les voyages pour venir en mission, pour bénéfier d'un congé mérité? Qui doit les supporter?

A qui vont les dons récoltés avant le départ en mission, ou durant le congé, à quoi doivent ou peuvent-ils servir? D'autres divergences de vue se font jour des collectes à faire par les missionnaires, surtout durant les séjours de congé. Ces collectes doivent servir avant tout pour couvrir les frais de voyage et de congé, mais ne peuvent pas exclure d'autres objectifs, qui ont trait aux besoins d'un poste déterminé (église, véhicule etc.). On ne peut pas ignorer non plus, la volonté expresse des donateurs.

Il est évident, que tout cela ne peut pas faire l'objet de décisions qui entrent dans les détails; mais on peut laisser difficilement la mise au point aux soins de conventions bilatérales.

Comme nous l'avons signalé au début, il serait souhaitable qu'une commission mixte soit constituée pour examiner ces relations tout à fait spéciales qui existent entre les Supérieurs Ecclésiastiques et les Supérieurs Religieux dans les régions missionnaires ou les Nouvelles Eglises, et donner des directives assez précises qui président à ces relations.

Cette commission mixte devrait travailler sous la supervision de la S.C.P.F. et comprendre des représentants choisis parmi les Evêques des nouvelles Eglises, tant missionnaires que locaux et des représentants des Instituts missionnaires.

40

Exc.mus P. D. IACOBUS EUGENIUS LUDOVICUS MÉNAGER
Episcopus Meldensis

Page 5, prooemium, lignes 11 à 20: 1) Pourquoi commencer par l'aspect négatif? 2) Pourquoi commencer par la question du nombre des missionnaires et des ressources matérielles comme si le problème le plus profond était là? 3) Le vrai problème me semble être celui de l'attitude missionnaire devant le monde d'aujourd'hui, tel qu'il est, avec sa culture, sa recherche de l'indépendance, son évolution rapide, son appétit de développement technique, etc. Cela impose une réflexion théologique sur l'attitude missionnaire dans le monde d'aujourd'hui, basé sur la nature de la Foi et la nature de l'Eglise.

Linges 21 à 24: sans doute, il y a la question du *nombre* d'hommes à sauver, mais il y a semble-t-il d'abord, la question d'une implantation de l'Eglise en tous lieux afin que le Salut puisse être proposé à tout homme.

On en parle ligne 27, mais on passe d'un aspect à l'autre sans faire saisir nulle part la différence. Bref, l'*état de la question* n'est pas bien bâti. Je préfèrerais un plan plus organique, du genre de celui-ci: 1) Situation actuelle; 2) Dans le cadre historique (passé, présent, avenir) et donc dans le sens d'une *évolution constante* dont on doit tenir compte; 3) Montrer clairement *le problème* qu'on veut traiter: *le but* à atteindre par l'Eglise missionnaire en son aspect *essentiel*; 4) En conséquence, définir les *principes fondamentaux* de la méthode à employer en pays de Mission; 5) Enfin, définir les *moyens* nécessaires pour cela.

Page 7, ligne 3: « Ad omnes homines »: oui, mais d'abord « ad omnes gentes ». Lignes 17 à 20: Je préfèrerais me référer d'abord à l'Incarnation et au Mystère de la *Pauvreté* et de l'*Humilité volontaires* de Bethléem: c'est la méthode missionnaire employée par le Christ.

§ 3, lignes 30 et ss.: c'est assurément par l'Eglise visible que le Christ est officiellement annoncé et donné, mais il faudrait signaler clairement l'autre aspect: l'action intérieure du Saint Esprit qui travaille tout homme à travers tous les évènements de sa vie pour le conduire vers le salut.

Page 8, § 4: ce paragraphe est bien compliqué: il devrait être simplifié dans le style et clarifié.

Page 9, ligne 1: être missionnaire ne consiste pas *seulement* à évangéliser les autres nations. Une Eglise est missionnaire dès lors qu'elle vise à annoncer l'Evangile aux personnes qui ne le connaissent pas, même dans son propre pays. Dès lors, comme il y a des non chrétiens partout, il faut partout l'esprit missionnaire. *L'équivoque* de vocabulaire est ici évidente: il n'y a nulle part dans le schéma de définition de la mission, de l'esprit missionnaire: il faudrait s'intendre sur le sens des mots.

L'Eglise étant maintenant implantée pour l'essentiel en d'innombrables régions du globe, il ne faudrait pas croire que l'œuvre des missions est terminée: quand on considère l'Amérique Latine, on constate que la hiérarchie est en place mais que le travail est immense. Les évêques de France ont dit eux-mêmes que toute l'Eglise devait être missionnaire dans leur pays, etc.

Lignes 5-10: ces principes très importants arrivent là dans un contexte où

on ne les attend pas. Ils arrivent à la fin du paragraphe, comme en passant, alors qu'il s'agit là d'un principe fondamental de l'action missionnaire. Pourquoi ne pas le mettre en valeur clairement?

§ 6: cela paraît une répétition. Voilà plusieurs fois qu'on dit la même chose dans ce chapitre.

Ligne 20: la note 38 paraît beaucoup plus explicite. On souhaiterait comme dans le prooemium qu'on distingue les deux aspects: planter l'Eglise dans toutes les nations non chrétiennes et d'autre part annoncer l'Evangile à tous les hommes.

Chap. II, page 11, ligne 6: il faudrait ajouter le témoignage de la vie tout entière: c'est dit plus loin, lignes 17 à 21, mais il serait bon de le dire dès le début pour montrer que le témoignage de vie doit précéder normalement l'annonce par la parole. C'est la méthode du Christ: « Coepit *facere* et docere ».

On a toujours l'impression dans ce texte *qu'on apporte du « tout fait »* à des gens qui n'ont rien. *L'aspect du « sujet »* qui reçoit l'Evangile et qui répond à Dieu qui l'appelle n'est pas assez mis en valeur. Il s'agit de faire naître en tout homme, à travers sa vie d'homme et ses valeurs humaines, sous l'influx de la grâce, une recherche du Seigneur, puis une écoute de la Parole, enfin une adhésion personnelle et libre. Ceci apparaît très peu dans le Schéma.

On a l'impression qu'on a rajouté les lignes 23 à 30 dans ce sens: elles sont meilleures. On sent trop des « sources » diverses de qualités très inégales dans ce Schéma. La ligne d'ensemble n'a pas été réduite à l'Unité par une réflexion synthétique qui expose la doctrine de manière organique. C'est de la mosaïque. Il faudrait que ce schéma soit mieux bâti pour faire apparaître plus clairement les grandes lignes essentielles.

L'impression dominante, à la lecture du schéma c'est que l'Eglise Institution (l'Eglise hiérarchique et cléricale) *arrive en « bloc »* avec toutes ses Institutions propres et vise à établir *d'abord une structure juridique* complète. On n'insiste pas assez sur la vie de Foi, sur la vie chrétienne réelle à vivre de manière personnelle et communautaire. On prête ainsi le flanc à la critique, souvent entendue, d'une Eglise colonialiste qui veut imposer ses structures de l'extérieur pour encadrer des gens. Le Seigneur Jésus n'a pas agi de la sorte: Il a annoncé le Salut inlassablement pour susciter la Foi, l'Espérance et la Charité dans les âmes. Les structures sont venues ensuite.

Saint Paul a agi de même. On semble avoir oublié tout cela. Notre monde d'aujourd'hui est particulièrement susceptible à ce sujet. C'est pourquoi j'aurais préféré, comme je l'ai dit plus haut dans l'introduction, que le schéma définisse théologiquement une doctrine de la Mission fondée sur la nature de la Foi, et la nature de l'Eglise, afin d'en tirer une réflexion profonde sur les méthodes missionnaires et la hiérarchie des valeurs à respecter dans l'usage des moyens missionnaires.

Cela me paraît capital à l'heure actuelle. Le schéma n'apporte pratiquement rien à ce sujet. C'est très grave.

Page 12, ligne 9: pas seulement « Dignoscere », mais aussi *exercere* la vie chrétienne.

Ligne 14: la foi n'est pas seulement « audire » (il n'y a pas que l'aspect objectif), il faut *vivre selon* la Foi et *vivre de la Foi.*

Ligne 19: c'est un peu court parler de l'Apostolat des Laïcs si c'est de cela

qu'on veut parler. Cela revient plus loin dans le schéma mais il est dommage qu'on en parle en plusieurs fois au lieu de faire clairement un exposé à ce sujet.

Là encore le schéma semble une mosaïque de textes rapportés et ajoutés les uns aux autres sans unité de pensée suffisante.

Page 13, ligne 5: tout ne se fait pas à coups d'Instituts de formation. Les militants se forment surtout dans la vie réelle et dans une réflexion concrète sur l'action apostolique qu'ils essaient d'exercer, à travers laquelle ils peuvent mieux saisir les principes en cause. La formation intellectuelle, pour nécessaire qu'elle soit, n'est pas suffisante en ce domaine. Il faut un apprentissage pratique surtout dans des populations qui n'ont pas de culture intellectuelle de type abstrait.

Ligne 20: aspect trop juridique: observer les Commandements, la discipline de l'Eglise et recevoir les Sacrements. Il y a en plus toute la vie humaine concrète inspirée pratiquement par l'Esprit de Foi, faute de quoi on prépare un christianisme juridique et formaliste (extérieur et pharisien!...).

On a ici encore l'impression qu'on veut fonder toutes les Institutions juridiques (le cadre) avant de songer à la vie chrétienne des personnes. Tout ne vient pas du cadre institutionnel, si utiles que soient les institutions pour favoriser la vie chrétienne des personnes.

Page 15, ligne 26: « Auditis ». C'est trop peu. Je dirais plutôt « cum episcopis ». On le dit équivalemment p. 16, ligne 5. Ces deux textes ne paraissent pas du même esprit: il y a deux sources et deux perspectives différentes. Il faudrait les ramener à l'Unité.

Le chap. III est meilleur. Il y a moins de remarques à faire.

Le Chap. IV sur la coopération missionnaire a de très bons passages. Toutefois, page 23, ligne 6, le texte paraît un peu soupçonneux. Ce qu'il dit est vrai, mais semble trop soupçonner que cela ne se fait pas (integre!).

Page 23, lignes 10-15: c'est vrai qu'il y a deux aspects. Il ne faut négliger ni l'un ni l'autre, mais il faut éviter de les séparer; le progrès spirituel doit être lié intimement au progrès humain. Il ne faudrait pas laisser croire que l'Eglise se contente du progrès spirituel sans se soucier en même temps du progrès humain car l'homme est une unité: son corps et son âme forment un seul être. Si l'on veut s'occuper du spirituel à part, on conduit tout droit au laïcisme qui veut s'occuper du temporel sans référence au spirituel: la distinction n'est pas séparation. Ce paragraphe ne marque pas suffisamment l'unité dans le concret et semble opposer les deux aspects sans montrer leur lien.

Page 23, lignes 21-23: il semblerait que les évêques ne peuvent aider les Missions que par la prestation de service donnée par chaque diocèse à des organismes centraux.

Il semblerait que fournir des hommes et de l'argent soit l'unique fonction des évêques et de leurs diocèses. Dans l'esprit du traité *de Ecclesia,* il semblerait qu'il faudrait chercher le moyen d'associer plus fondamentalement les évêques et le peuple de Dieu à l'action missionnaire de l'Eglise.

41

BEAT.MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Considérations générales: *a*) L'on sent, d'une manière très nette, que ce schéma a plus d'un auteur. Le prooemium et le chap. I sont d'un théologien qui se veut sympathique, peut-être, aux Protestants; le reste est d'un missiologue qui, dans le concret des applications des principes, nous donne simplement les éléments d'une théologie traditionnelle.

b) Ce schéma souffre de quelques imprécisions théologiques, qui seront notées plus bas.

c) L'on voudrait que soit donné plus dogmatiquement le fondement des Missions. Plusieurs principes sont exposés: 1) il faut *planter* l'Eglise; 2) l'Eglise est le Corps *vivant,* et donc *croissant* du Christ; 3) là où le Christ n'est pas connu, là il y a *nécessité* pour l'Eglise de prêcher, etc.

Ces principes se recouvrent. Il y a, pourtant, des nuances. On a beaucoup écrit sur ce sujet, et les avis ne sont pas d'accord (P. Pierre Charles, P. de Lubac, P. Rouquette, P. Daniélou, etc.).

d) Les cc. 2 et 3 ne sont pas composés. Ils sont écrits au fil de la plume.

e) Bon nombre de répétitions des chapitres dogmatiques dans les autres cc. A l'intérieur même des chapitres, nous trouvons des répétitions.

f) L'on a l'impression que tout ce schéma a été fait rapidement.

g) Bien des points développés ici ne correspondent pas à ce qui a été dit dans le chapitre sur *la liberté religieuse.* Ce dernier chapitre est à compléter par certains principes qui se trouvent ici: la nécessité de la Mission, la nécessité de prêcher le Christ à ceux qui l'ignorent, la nécessité pour l'Eglise de croître, etc.

Considérations particulières: 1. *Le prooemium*: *a*) Ce prooemium insiste uniformément sur la *prédication* de l'Evangile, comme principe d'union du Peuple de Dieu. Le Peuple de Dieu ne serait-il uni que par la prédication? Les Protestants, eux aussi, ne requièrent que la prédication de la Parole. Qu'est-ce qui distingue l'Eglise du Christ? Le texte de *Mt.* 28, 19 auquel fait allusion le prooemium parle aussi du baptême, pourquoi ne pas en faire mention ici même? (p. 5, ligne 2).

Je formulerai ainsi ce début: « Christus Iesus, omnium hominum Redemptor, eos in populum Dei coadunare per Evangelii praedicationem *et baptismum* voluit, apostolos *et eos qui credituri erant in verbum eorum et baptismum accepturi erant, quod vitae spiritualis ianua est*: *per ipsum enim membra Christi ac de Corpore efficimur Ecclesiae* » (DENZ. 696), ad conservandas omnes gentes mittens.

b) L'on dit que toutes les *Nations* sont convoquées *in populum Dei* par l'Eglise (p. 5, ligne 3). *Or l'Eglise elle-même est le Peuple de Dieu.* Cf. toutes les discussions sur les images employées pour désigner, dans le schéma *de Ecclesia,* l'Eglise, Corps mystique du Christ.

c) Dans la conclusion du prooemium, l'on sent bien que l'extension de l'Eglise est l'effet de la conscience qu'elle prend des difficultés de la Mission et de la croisance du nombre des non-chrétiens.

d) Cette conclusion n'est pas en rapport avec le premier par. du prooe-

mium: volonté du Christ de réunir en un seul Peuple toutes les Nations, et dynamisme intérieur de la Mission. La conscience que l'Eglise en prendra est une *conséquence* de cet état proprement ontologique en lequel le Christ a placé l'Eglise, son Corps mystique.

Je formulerai ainsi un texte: « Unde Ecclesiae *Christi* interna renovanda iuventus, quae huius S. Concilii in votis est, *et quae ex naturae suaeipsius indole, Missionis Christi participante...* » (p. 5, lignes 25-28).

e) Dire « Ecclesiae Christi » au lieu de « Ecclesiae Dei » (p. 5, ligne 25).

2. *Chap. I*: a) page 7, ligne 3: ajouter: quam Iesus *vita,* morte et resurrectione... (comme nous le trouvons dans les collectes de la Messe latine).

b) Page 8, ligne 7: il a fallu attendre ce texte pour voir apparaître le baptême. On doit en parler dès les premières lignes du prooemium.

c) Page 9, lignes 12-13: on met en relation intime la prédication, le baptême et l'Eucharistie. On fait très bien. On devrait les mettre en rapport avec l'Eschatologie.

d) Page 9, ligne 19: insister sur le fait que les Missions découlent de la nature même de l'Eglise. C'est ce qu'il fallait dire dans la conclusion du prooemium, comme noté plus haut.

e) La note 38 de ce chap. I est insuffisante. L'on n'est aggrégé au Christ et à l'Eglise que par le Baptême, et non par la prédication de la Parole. Nous avons déjà fait, plus haut, une remarque identique. Cette note 38 contredit ce qui est dit, p. 8, ligne 7, et p. 9, lignes 12-13.

f) Les lignes 5-7 de la p. 7 devraient éclairer le chapitre sur le *de libertate religiosa*: le devoir impérieux de l'Eglise d'annoncer le Christ là où le Christ n'est pas connu dans la foi.

3. *Chap. II*: *a*) Le texte p. 11, lignes 1-9 est repris et répété par p. 11, ligne 25.

b) Page 11, ligne 3: dire *missionem* (terme plus ontologique) Salvatoris, au lieu de Salvatoris *sollicitudinem* (terme plus psychologique).

c) Heureusement, on a fini par joindre la prédication au baptême, dans l'apostolat chrétien, p. 11, ligne 6.

d) Page 11, lignes 29-30 répètent p. 11, lignes 23-26. Il faut les y intégrer. Tout ce par. répète le par. précédent p. 11, lignes 17-22, sauf ce qui est dit de la connaissance des peuples chez qui l'on est envoyé.

e) Je préfère mettre le mot *fidei* au lieu de *traditioni*, p. 13, ligne 7. Le texte serait: « elementa culturae propriae fidei Ecclesiae universalis conformare ».

f) On sent que certains développements prolixes ne sont là que pour introduire un texte de l'Ecriture, p. 13, lignes 19-24.

g) Les 2 par. de p. 14, lignes 3-10 sont à mettre à la page 13 après les lignes 19-24.

h) Page 14, lignes 11-15 ont été dits équivalemment dans le même chapitre, p. 11, ligne 32 - p. 12, ligne 16.

i) Le texte p. 14, lignes 22-26 est répété par p. 14, ligne 39 - p. 15, ligne 1.

j) Ajouter après le mot *curam* le mot *spiritualem,* pour éviter toute mauvaise interprétation, p. 15, ligne 9.

4. *Chap. III*: *a*) chapitre mal composé, imparfait, et faible dans son contenu.

b) Ce qui est dit de la formation spirituelle des missionnaires est très

général et vague. On voudrait plus de précisions. Il y a des vertus qui sont exigées des missionnaires. Y a-t-il vraiment une spiritualité missionnaire? Ce qui est dit dans ce texte s'applique à tout chrétien apôtre.

5. *Chap. IV*: *a*) p. 21, ligne 5: *ex proprio statu sacramentali*: expression vague. Elle sera précisée dans p. 21, lignes 7-13. Cette précision devrait remplacer le *ex proprio statu sacramentali*.

b) Tout ce chap. IV doit être résumé. Il est prolixe.

c) Répétition de p. 22, lignes 38-39, par p. 23, lignes 21-22.

Conclusion: d'excellentes choses dans ce schéma, mais disparates et enveloppées dans un texte trop prolixe, et manquant de vigueur. Il serait souhaitable qu'un seul *expert* le reprenne pour: *a*) l'unifier, *b*) le réduire, *c*) supprimer les répétitions inutiles, *d*) le parfaire, en lui donnant un contenu plus adapté au problème étudié, *e*) dégager, d'une manière plus claire, les principes doctrinaux, fondements de l'activité missionnaire.

42

EXC.MUS P. D. VEDASTUS MOJAISKY-PERRELLI

Archiepiscopus-episcopus Nuscanus

1. Schema est sat longum; 2. Proinde magis sapit sermonem vel conferentiam quam decisionem conciliarem; 3. Ipsa abundantia facit quod necessaria remaneant veluti diluta inter alia et minus clara.

Propono quod: 1. Schema reducatur; 2. Efficiatur synthesis principiorum de quibus Patres disceptent et votent; 3. Primum principium in clarum ponat quod: *a*) primarium opus Ecclesiae est annuntiatio Evangelii ad Nationes; *b*) essentia activitatis missionalis est « implantatio Ecclesiae ».

43

EXC.MUS P. D. IOSEPH MOJOLI

Archiepiscopus tit. Larissensis in Thessalia

Optarem ut in schemate *de missionibus*, ab ista commissione conciliari parato, aliqua verba inserantur, quibus Supremi Rectores Nationum mundi universi exhortentur ad libenter admittendos missionarios et opera missionalia, breviter enucleando maxima bona spiritualia, moralia, civilia, oeconomica... in omnes populos promanantia ex operibus missionalibus cuiuscumque generis.

Historia testante, etiam recentiori, missionarii et opera missionalia valde contulerunt ad evolutionem populorum versus independentiam civilem, quia quidquid boni, iusti, aequi inventum est apud singulos populos, religio christiana ubique et semper servavit et fideles universos ad oboedientiam et fidelitatem erga potestatem civilem adegit.

Insuper missionarii, instructiones Sanctae Sedis sedulo servantes, tamquam novam suam patriam considerant Nationem in qua laborant, linguam, mores etc. addiscendo, et valores nationales promovendo.

Notum est enim in aliquibus Nationibus auctoritates civiles non admittere missionarios et opera missionalia, vel plurimas difficultates eis opponere, ita ut sit quam maxime optanda invocatio omnium Patrum Concilii Oecumenici Vaticani II.

44

EXC.MUS P. D. SIMON HOA NGUYEN-VAN HIEN

Episcopus Dalatensis

Permulta bona in variis capitibus huius schematis inveni tam de doctrinae fundamentis quam de pastoralibus directivis.

Laudanda quoque est sollicitudo de doctrina potius haurienda ex Sacra Scriptura quam ex litteris encyclicis de re missionali.

Optandus est fontium Patristicorum frequentior usus, ex quibus illustratur Ecclesiae primitivae praxis exsequendi praecepti Dominici: « Euntes docete ».

1. Notio « missionis » hodierno die multiplicem sensum induit, qui confusionem in mentibus gignere possit, cum de missione agatur. Proinde iam ab initio prooemii huius schematis, feliciter declaretur sensus huius vocis in hoc textu accipiendus.

Missionis finis a Christo assignatus est: « Veni ut vitam habeant et abundantius habeant ». Aliis verbis exprimi potest: « Non veni vocare iustos sed peccatores » eo fine ut, omnes peccatores sine exceptione, filii Dei in Filio nominentur et sint, in Dei populum adunentur, ut membra Christo incorporentur, Regnum Dei constituantur et quidem in uberiore magis ac magis in diem perfectiori gradu, ad laudem gloriae Patris. In hoc munere, duplex distingui potest phasis: 1) « Ut vitam habeant »: obiectum necessarium necessitate medii; 2) « ut abundantius habeant »: quod tendit ad « maiorem » Dei gloriam et hominum utilitatem.

Ecclesia Dei, missionem Christi continuans, hoc duplex munus sibi assumere debet; propterea essentialiter missionaria dicenda est.

Attamen cum prius munus sit urgentius, tanquam finis primordialis suae missionis, Ecclesia toto decursu temporum, sese totaliter dedit ut Evangelium in mundo universo per praecones missionarios annuntietur.

Porro de facto, cum plurimae gentes hanc adoptionem filiorum nondum obtinuerunt, ad eas evangelizandas, Ecclesia vires suas maximas dirigit per peculiare organum fidei propagandae praepositum, ad quod spectat speciale munus fidem in eis regionibus promovendi atque stabiliendi, quin negligatur officium convertendi incolas regionum iamdiu ad Christum conversarum, sive in paganismo adhuc remanentes, sive a Christo alienatos atque ad atheismum revertentes.

2. Optarem ut in cap. I doctrinalis expositio sit minus abstracta ac magis practica. Etenim ibi, expositio fere exclusive fundatur in « textibus » Novi Testamenti, praetermisso prospectu concreto — in hac re tam significativo — *Dispensationis historicae* Veteris Testamenti relate ad Christum eiusque Ecclesiam: quod S. Paulo familiare erat singulariterque illustrat paedagogiam divinam circa gentilium religiones in relatione ad Novam Oeconomiam. Consequenter, ecclesiologicum fundamentum, unde varia corollaria evolvuntur, fere exclusive reponitur in doctrina Paulina de « Corpore mystico ». Haec quidem doctrina

debite exploranda est; aliis tamen N. T. prospectibus non negligendis — eo magis quod ex his nonnulli haud dubio traditionibus et mentalitati multo maioris partis pagani mundi hodierni melius correspondent; nec carent uberrimis elementis quoad rem in schemate considerandam: cogita doctrinam de Ecclesia, divina filiorum Dei in Christo Familia, tam alte diffusa cum in Synopticis, tum apud Sanctum Ioannem, necnon suo modo apud Paulum; quaeque tantopere sensibilis est ingentium Orientis ac Africae populorum ingenio; qua aliunde tota quaestio de missionibus introducitur sub prospectu simul a) *divino* (mysterium SS. Trinitatis, Christi Redemptionis, divinae adoptionis; b) ac praeclare *humano* (mysterium humanae filiationis in Adamo, in eodem labefactae ac dispersae): « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret », qui « filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum », ut rursus « per Ipsum (habeamus)... accessum in uno Spiritu ad Patrem » (*Io.* 3, 16; 11, 52; *Eph.* 2, 18).

3. Crederem latinam redactionem haud parum deficientem. Non tantum desideratur aliqua elegantia, saltem styli facilitas; sed etiam aliqua expressionis claritas aut simplex correctio.

V. g. pag. 11, lin. 32, « Christ*um*... Salvator*em* »; pag. 19, lin. 27, « autochthonorum »;; caritas in eadem pagina, eadem calligraphia non scribitur (charitas), v. g. pag. 11, linn. 1, 4, 25, 30; Novellae Ecclesiae, nonnunquam cum minuscula littera « novella », ut pag. 13, linn. 1, 4, 8, 39, et 19, 25.

Ratio textus Scripturae citandi negligentiis scatet nec potest admitti in documento technico multo minus conciliari: fere tertia pars citationum sunt sive inexactae in suo tenore, sive incurate relatae, v. g.: introducuntur intra parentheses verba non scripturistica; omittuntur verba aliqua textus quin omissio signis (...) indicetur; verba scripturistica in alia plus minusve similia convertuntur.

Praesto sint aliqua exempla: pag. 7, lin. 9 referentia inexacta: v. 9, non 8, transpositio textus: « Christo in *vobis* (fidelibus)» , non « Christo in *eis* (gentibus) »; lin. 13, textus inter parentheses mutatus; pariter in lin. 25 et verba omissa; lin. 30, citatio inexacta: *Hebr.* 11, 6, non 16. Item pag. 8, lin. 8: *Eph.* 4, 15, non 12; pag. 12, linn. 26, 27: *Mt.* 20, non 22, 12; pag. 9, lin. 22: textus mutatus; pariter pag. 13, linn. 23, 24; pag. 14, lin. 12: in textu « in quo », non « in quem »; pag. 8, lin. 5: textus mutatus; item linn. 13, 28; lin. 23: « expectatio » in textu, non « desiderium »; lin. 20, textus inter par. sine citatione referentiae.

4. Variae suggestiones: pag. 5, linn. 1, 2, S. Ioannis textus ad quem apposite quidem referentia datur, iure appellasset « in unam Dei Familiam » potius quam « in populum Dei ». Textus enim sic se habet: « Iesus moriturus erat... ut *filios Dei,* qui erant dispersi, congregaret in unum... ». Lin. 11, post verbum « promovendum », addantur: « hic et illic, impulsus renovatus religionum traditionalium, nationalismus in excessum impulsus, materialismi... ». Bene notanda sunt motiva proprie missionalia. Lin. 15, post verbum « favent » addi possunt: « Spiritus missionarius in Ecclesia florescens, itinerum... ». Motiva supernaturalia non sunt spernenda.

Pag. 7, lin. 31, post « habeant », addantur: « Non enim est distinctio Iudaei et Graeci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant Illum ». (18) *Io.* 10, 10; *Rom.* 10, 12. Lin. 16, post « Dei » adiiciantur: « ac Dei filii in Filio efficiantur » (*Eph.* 3, 19; *1 Io.* 2, 24).

Pag. 8, lin. 5, addatur: « eo tendit ut Christus *ubique annuntietur,* et in

omnibus primatum teneat... ». Linn. 8, 9, addatur: « et conformes facti imagini Filii, Dei filii nominentur et sint » (23) (*Rom.* 8, 29; *1 Io.* 3, 1). Lin. 12 scribatur potius: « hominis *dignitatem* » iuxta S. Leonem I, in Nativitatem D. N. Lin. 39, post verba: « augent vires », addatur: « ac tandem aliquando circa se aliis fidem communicant ». Linn. 26-28 non multum iuvarent in re missionali imagines allegatae; forse melius corrigatur: suam pristinam unitatem ac dignitatem recuperant: « Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum... Per Ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem » (35) (*Eph.* 2, 14. 18; cf. *Io.* 11, 52).

Et consequenter in lin. 29, n. 5, ponatur: « Hoc opus repristinationis missionale », loco: Quae aedificatio...

Pag. 8, lin. 32, loco « implantandi » quod innueret aliquid ab externo importatum!, ponatur: « suscitandi ».

Pag. 9, lin. 5, ponatur « Cum autem Ecclesia, Christi ad instar, fratribus in omnibus similati, vim et capacitatem... ». Lin. 9 scribatur « laedat » potius quam « offendat »...

Pag. 21, cap. IV, lin. 11, post verba « ad Ecclesiae aedificationem », addantur haec vel alia de Eucharistia, sacramento caritatis et unitatis: « Eucharistico nutrimento saginatus et Christi caritate imbutus, ad Regni Dei extensionem ubique terrarum, cum Ecclesia adlaborare debet ut omnes ad Christi ovile redeant ».

45

EXC.MUS P. D. ADOLFUS ALEXANDER NOSER

Episcopus tit. Hierpinianensis, vic. ap. Portus Alexii

The Schema on *The Missions* has only now been received, so earlier comment was not possible. It says much that is good, but all this has already been said beautifully and forcefully in the Encyclicals. It is frighteningly and alarmingly disappointing in what it does not say. It seems to fear to come to grips with the practical problems, for the banal generalities and pious exhortations will achieve little or nothing of real worth. What are needed are practical, down-to-earth rules and regulations that will provide the missions with the staff and funds needed for the propagation of the Faith. The chapter " De Cooperatione Missionaria " fails completely in this: general exhortations will accomplish little; there should be definite clear-cut obligations on practical lines, if necessary even detailed, for each of the groups listed. Without this the document will be nothing more than a sanctioning of the present status quo. It is hard to believe that such a document could have come in its present form from a Commission composed of men truly experienced in missionary work and problems, or that it really represent the free and full thinking of the members.

The document makes reference to the faithful, priests, etc. but no mention is made of the chief organ of missionary activity, viz. the S. Congr. de Prop. Fide, its various national and local offices and their part in the great work, their methods, means, etc.

Institutes of perfection (22) should be told explicitly that when they accept a territory as their mission, they assume a *grave* obligation of developing

and establishing the Church as their *primary* duty in the area and that the promotion of their own projects—seminaries, schools, etc.—belonging to the Institutes take second place only both as regards furnishing of staff and of funds, and also as regards the ruling of the area. Not infrequently it happens that a bishop, though he is also a member of the Institute, is dependent on the local maior superior of the Institute in the appointing, transfer, etc. of missionaries. The highest superiors should look upon their bishop as their representative in all that concerns the ecclesiastical development and should work through him directly in this field. He should also be given proper financial support for the development of the Church, even prior to giving funds to the religious superior for development of projects properly belonging to the Institute. To act otherwise is to invert the proper order and to subject the bonum commune of the Church to the bonum particulare of the Institute. All this should be much more clearly stated than is done in the Instructio of Dec. 8, 1929 and it should be clearly stated in the schema itself.

Since the final commission given to the Church by her Founder was to teach all nations, mission work or the spreading of the message of salvation, is the *chief* work of the Church. De facto, it is not even a step-child: it is an orphan and a beggar. It gets the crumbs that are left over, if there are any. This is a total inversion of the proper order and the schema does nothing of a practical nature about it: it makes no precise and concrete proposals, gives no laws or regulations, lays down no obligations. Though mission work should have the *highest* priority from the final commission of Christ, only a *tiny* fraction of staff and funds are devoted to this work and usually this must come grudgingly to the missionaries because of their begging and appeals. Must things continue so? The answer seems "Yes".

46

EXC.MUS P. D. ALFREDUS OBVIAR Y ARANDA

Episcopus tit. Linoensis, adm. ap. Lucenensis

Cap. IV. Observationes: nihil dicendum est de primis tribus capitulis, cum de rebus locorum ipsorum missionalium tractantur. De collaboratione autem omnium fidelium, optandum est ut iuvenes, praesertim alumni scholarum catholicarum et seminariorum incitentur ad opera missionalia promovenda per illae sic dictae « Mission Crusades ». Habeant a principio formationem apostolicam.

Optandum est etiam ut episcopis Ordinariis facile dentur facultates ad instituta missionalia erigenda.

47

EXC.MUS P. D. FERDINANDUS PASINI

Episcopus Saniuenensis

A) *In cap. I.* Praeter mandatum Domini (cf. *Mc.* 16, 15), quod derivare videtur e necessitatibus moralibus paganorum, qui in tenebris et in umbra mortis sedent (cf. *Lc.* 1, 79), necesse est ut finis immediatus missionum amplius notetur, nam « extra Ecclesiam nulla salus ».

Etsi pagani et infideles « negativi » a theologis dicti, qui secundum legem naturalem, vel secundum legem quam a Deo revelatam falso putant, vivunt, ad animam Ecclesiae pertineant et salventur, re vera tamen non facile apparet quomodo veritates divinae necessario credendae ipsis affulgeant.

Sunt quidem theologi qui in eis fidem in voto vel per aliquam privatam revelationem admittunt, sed medium ordinarium et commune, a Domino ipso statutum (cf. *Mt.* 28, 19-20), est semper praedicatio, nam « fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi » (*Rom.* 10, 17).

Nec praetereundum est singulos homines peccato originali cum omnibus luctuosissimis consectariis infectos esse, quamvis idcirco pagani et infideles « negativi » salvari possint, tamen sine mediis supernaturalibus, quae in religione catholica eisdem exhibentur, maximas — ne dicam moraliter insuperabiles — experiuntur difficultates totam legem naturalem, per totam vitam, observandi, ex quo consequitur ut praedicatio Evangelii, in praesentibus conditionis humanae adiunctis, pro maiore paganorum et infidelium numero salutis aut mortis aeternae quaestio sit; Deum caritatis, bonitatis, misericordiae, potentiae infinitae non deficiunt utique innumeri alii modi, ut homines ad se attrahat et salvet, hoc firmissime credimus, nam « omnes homines vult salvos fieri » (*1 Tim.* 2, 4), sed sunt modi insoliti, de quibus ex divina revelatione nihil certo innotescit.

Clarius profluunt, ex his, sive necessitas praedicationis evangelicae sive necessitas « missionis » (ac proinde necessitas missionum Ecclesiae catholicae); Gentium Apostolus pronuntiat: « Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? » (*Rom.* 10, 13-15).

Ex effato vero S. Pauli: « Vae mihi est, si non evangelizavero » (*1 Cor.* 10, 16) deduci etiam potest, ut opinor, officium seu obligatio vocationem missionariam sequendi ab iis, qui eandem vocationem a Domino acceperunt, et exinde officium in superioribus concedendi licentiam subditis, necessariis qualitatibus praeterea praeditis, ut ad apostolatum exercendum in territoria missionum pergant.

Nonne utile est, quid de hoc Ecclesia sentiat, in schemate, adnotare?

B) *In cap. III.* Ad n. 15: magis insistendum est, ut superiores illos tantum missionarios exteros mittant, qui necessariis qualitatibus praediti sunt: qualitatibus imprimis naturalibus (v. g. indole pacifica et firma, actuositate), intellectualibus (ingenio versatili, congrua instructione), maxime vero moralibus et spiritualibus (fide, caritate, vita interiori, zelo).

Ad n. 17: in formatione cleri autochthoni pressius instandum est de latitudine zeli missionalis, ne eveniat, post susceptum sacerdotium, ut coarctetur ad solam curam et formationem catholicorum, sine assidua et operosa sollicitudine de ingenti forsan numero infidelium qui circumstant.

C) In relatione ad totum schema: melius curandae sunt, mihi videtur, et forma linguae et praecipue claritas idearum, quisnam enim sit revera locutionis sensus non semper, saltem mihi, perspicue apparet.

48

EXC.MUS P. D. MAURITIUS PERRIN

Archiepiscopus Carthaginensis

Le schéma des Missions me paraît présenter une base de travail acceptable pour les discussions suivantes; mais il souffre d'une grave lacune: il ne souligne pas assez le rôle primordial et unique du Pontife Romain dans les missions catholiques. Il semble nécessaire que ce rôle soit souligné avec vigueur, même s'il doit ne l'être que brièvement, au chap. IV de la coopération missionnaire.

Voici les observations que je me permets de faire sur les différents chapitres du schéma.

Prooemium. Je souhaiterais que le prooemium soit très abrégé. Après la mention, ligne 10, des jeunes églises qui sont gouvernées par des évêques autochtones, on pourrait affirmer que le Christ est presque entièrement ignoré par de nombreux groupes humains appartenant à de grandes religions ou philosophies non-chrétiennes et aussi dans des classes sociales et dans des régions autrefois chrétiennes, mais qui sont gagnées actuellement par le matérialisme et l'athéisme. On indiquerait ainsi, dès le début, les trois champs importants dans lesquels doit s'exercer l'action missionnaire de l'Eglise.

Il faudrait conclure, en une ou deux lignes, que l'Eglise, pressée par la charité du Christ et la volonté du bien des hommes, doit présenter l'Evangile à tous.

Le prooemium se trouverait ainsi réduit à une quinzaine de lignes.

Raison. Les idées avancées après la ligne 10 pourraient être exprimées dans les chapitres suivants: de plus si les raisons qui gênent l'évangélisation sont bien exprimées dans les lignes 11 à 14, les causes favorables, marquées aux lignes 14 à 20, peuvent aussi être considérées comme défavorables, v. g. le progrès des sciences facilite l'instruction et la culture, mais il risque de combattre la foi des âmes simples.

Cap. I. Hoc caput in genere placet. *N. 1.* On pourrait souligner que la mission a pour but la gloire de Dieu.

N. 3. Je souhaiterais que le texte de *Mt.* 28, 17-20 qui est un des principaux pour marquer l'ordre donné par le Christ à son Eglise, soit exploité plus complètement alors qu'il n'est cité qu'incidemment.

N. 4. Il faudrait mettre davantage en valeur que les richesses humaines ou culturelles d'un peuple qui sont assumées par le Christ dans son Corps mystique, constituent une nouvelle et magnifique richesse pour l'Eglise Universelle et pour la culture du pays évangélisé.

N. 5. Il serait désidérable de montrer que l'Eglise travaille au salut des hommes, même lorsqu'ils ne sont pas chrétiens, par l'enseignement des vérités d'ordre naturel, moral et religieux qui lui ont été confiées par le Christ, et qu'elle aide à la justification des infidèles en les faisant vivre en charité.

N. 6. Ce numéro, tel qu'il se presente dans le schéma, reprend un certain nombre d'idées du n. 3. On pourrait l'arrêter p. 9, ligne 16, puisque le but final de la mission a été indiqué.

Cap. II. N. 7. Nous avons demandé de raccourcir le prooemium en pensant que les idées qu'il contenait, pouvaient être mieux exposées dans le cours du schéma.

Au n. 7 on pourrait souligner la nécessité et l'urgence de l'évangélisation, en analysant en plus du cas *a*) des jeunes églises, *b*) l'existence d'immenses zones où règnent les grandes religions non-chrétiennes, dans lesquelles, après des siècles d'évangélisation, on ne rencontre que 1 à 2% de chrétiens autochtones, *c*) les territoires et les classes sociales déchristianisées des pays dits chrétiens, qu'il faudrait travailler si on ne veut pas voir l'athéisme conquérir des âmes naturellement chrétiennes.

P. 11, lignes 17-22, exemplum potius quam verba: Il ne faudrait pas minimiser l'importance de la parole dans l'action missionnaire (fides ex auditu), tout en tenant compte des règles de la sagesse surnaturelle.

Le dernier paragraphe du n. 7, p. 11, lignes 23-31, pourrait être reporté au n. 8, car il s'agit déjà du labor missionalis.

N. 8. On pourrait signaler dans le n. 8 que si l'évangélisation doit porter sur tous, il y a une priorité pour les pauvres, et là où les esprits sont le plus ouverts, par exemple dans les pays où se sont développées les jeunes églises.

N. 9. P. 12, ligne 29. L'appartenance de l'évêque au peuple du pays, ne constitue pas une condition sine qua non de l'existence des jeunes églises: il suffit que le chef du diocèse soit l'évêque propre du nouveau diocèse. Ce qui caractérise une jeune église, est qu'elle se développe plus par sa propre vitalité intérieure que par l'aide de l'Eglise universelle, bien qu'elle ait besoin de cette aide fraternelle.

P. 12, ligne 34. La nouvelle église est beaucoup plus qu'un « Germen divinum », elle est déjà « majeure ».

N. 10. Le titre devrait être plutôt « approfondissement de la vie chrétienne dans les fidèles ».

N. 11. Ce numéro reprend un très grand nombre de choses qui ont été dites ailleurs: p. 14, lignes 11-15 a déjà été dit aux nn. 4 et 5; p. 14, lignes 16-20 a été dit au n. 7 p. 11, lignes 23-31; p. 14, lignes 21-26 a été dit au n. 5 etc.; ces passages pourraient être supprimés; p. 15, lignes 4-7: nous proposons de développer cette idée au chap. IV. Par contre au n. 11, il serait bon de parler de l'œcuménisme dans les missions. Les différentes confessions ne devraient pas chercher à s'arracher mutuellement des fidèles, mais avoir pour but principal de prêcher le Christ aux non-chrétiens.

N. 12. On affirme p. 15, ligne 23, « ius commune plene introduci nequit ». Il faudrait au contraire que le droit commun puisse être appliqué aux jeunes églises, et rédiger dans cette perspective le chapitre correspondant du *de cura animarum.* Ce serait un mauvais service à rendre aux nouvelles chrétientés que de les établir au départ dans un droit différent de celui de l'Eglise universelle qu'elles devront recevoir dans la suite.

Cap. III. Il serait utile de montrer dès le début que les ouvriers évangéliques ne sont pas assez nombreux et demander un effort extraordinaire et vigoureux pour recruter des missionnaires étrangers et des prêtres autochtones.

N. 13. Signaler que la formation des missionnaires est orientée par la fin de la Mission, qui est d'annoncer l'Evangile et d'agréger les hommes au corps

mystique du Christ. Insister sur une formation pastorale sérieuse catéchétique et liturgique dès le grand séminaire. Les prêtres dits « fidei donum » doivent aussi recevoir une préparation à leur rôle dans les missions.

N. 15. Il faudrait montrer l'importance des vocations des frères missionnaires qui peuvent travailler en plus grande union et conformité avec les laïcs à la consécration du monde au Christ. Ils collaboreront aussi à l'établissement de conditions sociales et économiques rendant plus facile l'évangélisation et la vie chrétienne.

N. 16. Les laïcs qui viennent comme missionnaires dans les jeunes églises, doivent être spécialement formés; mais tous les laïcs doivent collaborer au bien commun du pays et à la construction d'un monde plus heureux et plus religieux.

N. 19. Former les laïcs à collaborer avec les habitants non-chrétiens du pays pour créer des traditions et des institutions préparant la consécration du monde à Dieu.

N. 20. Il faut veiller à la formation pastorale des catéchistes.

Cap. IV. Au début de ce chapitre, il serait nécessaire de montrer le rôle unique du Pontife Romain, qui est le principal et ultime responsable de la Mission, le Chef et l'animateur suprême de l'action de l'Eglise dans le monde. Le collège épiscopal est associé aux responsabilités du successeur de Pierre.

Je souhaite vivement que Sa Sainteté daigne créer à Rome un conseil universel des Missions dont feraient partie, en plus des responsables de la S.C.P.F., des évêques missionnaires pris dans le monde entier et des représentants des différentes congrégations missionnaires. Ce conseil étudierait les problèmes missionnaires et déterminerait les grandes lignes de l'action apostolique. Il devrait susciter des commissions ou des centres d'études qui rechercheraient la stratégie et les méthodes à appliquer dans les différentes zones missionnaires, celles des jeunes églises, des grandes religions non-chrétiennes et de l'athéisme moderne. Ce conseil universel devrait avoir pour rôle de réfléchir sur les problèmes d'apostolat et de choisir les grandes orientations et les décisions à prendre.

N. 21. P. 21, ligne 10, in sacramento confirmationis dona Spiritus Sancti *recipit,* il ne reçoit pas ces dons mais un accroissement de ces dons.

N. 22. Je désirerais voir signaler que si tout fidèle de par son baptême et sa confirmation, est missionnaire, c'est à fortiori plus vrai de ceux qui ont émis les vœux de perfection.

Il faut aussi parler de la collaboration des Instituts eux-mêmes avec les évêques, en particulier de la Congrégation religieuse qui a fondé la mission, avec le chef de la jeune église.

N. 24. Il faudrait signaler que l'évêque résidentiel est chargé de façon toute particulière des non-chrétiens qui habitent dans son diocèse.

P. 22, ligne 35, l'expression « participes fiant potestatum eiusdem capitis » me paraît trop forte, les évêques ne participent pas à tous les pouvoirs du Christ, mais seulement à ceux que le Christ leur a confiés.

P. 23, ligne 2, ad *significandam participationem.* Les évêques ne doivent pas seulement donner un signe de la participation de leur église à l'œuvre missionnaire, ils doivent y collaborer totalement.

N. 25. P. 23, ligne 26, au lieu de fovendum habere possunt, il faudrait mettre fovendum habere *debent.* L'article devrait signaler, à mon humble avis,

l'importance très grande des conférences épiscopales nationales ou régionales dans l'action missionnaire. Par suite de l'évolution du monde, une action féconde ne peut plus se conduire à la petite échelle du diocèse. Les conférences épiscopales devraient, en union avec les responsables des congrégations missionnaires, prendre une grande part à l'action missionnaire dans leur propre territoire, et rechercher en particulier les méthodes missionnaires et les points où doit porter particulièrement cette action.

Elles ont aussi à favoriser et à organiser l'aide missionnaire à apporter aux autres régions: formation et envoi des prêtres « fidei donum » et des laïcs, culture de l'esprit missionnaire, récolte des aumônes, etc.

49

EXC.MUS P. D. ANTONIUS IEREMIAS PESCE
Episcopus Dodomaensis

1. Ut efficacior evadat apostolicus labor, multum confert episcopos, missionarios et clerum autochthonum pauperes esse et pauperes apparere. Ipsi enim inter pauperes vivunt et praedicant.

2. Cum unitas apostolatus necessaria sit, maxime commendatur docilitas episcoporum et missionariorum instructionibus S.C.P.F. cuius opera utitur Summus Pontifex ad apostolatum evangelizationis in Ecclesiae missionibus coordinandum.

3. Adaptatio missionalis. Optime quidem, sed cum cautela! Vide verba apostoli: Salvos nos fecit per lavacrum Regenerationis et renovationis (*Tit.* 3, 5). Induentes novum hominem (*Col.* 3, 10). Renovamini spiritu mentis vestrae (*Eph.* 4, 26).

4. Vide pag. 14, lin. 14. *Omnes* mores purificat. Non videtur verum esse!

50

EXC.MUS P. D. IOSEPH PINTADO
Episcopus tit. Phobenus, vic. ap. Mendezensis

1. Que fuere suprimida la doble Autoridad que hay en los Vicariatos y Prefecturas Apostolicas encomendados a Religiosos que partenecen a una misma Orden o Congregación.

Seria suficiente con que el Vicario o Prefecto, junto con su Pro-vicario y los visitadores Extraordinarios que los Superiores Mayores enviaran, se responsabilizaran tambien de la vida religiosa que conocen perfectamente.

No es suficiente en la práctica, el buen deseo de inteligencia, como se dice en la *Instrucción* de la S. C. de Propaganda del 8 de diciembre de 1929.

De modo especial esta supresión de la doble autoridad es necesaria allí donde el Superior Religioso es al mismo tiempo Superior de otras Casas que están fuera del Territorio de Misión. Casi siempre, además de otros notables inconvenientes, es la Misión quien sale perjudicada en los ajustes y distribución de Personal.

2. Para remediar la escasez de personal en los territorios de Misión se debería limitar en Europa, sobre todo, el número de Sacerdotes dedicados a la Enseñanza, casi exclusivamente.

Dejando a elementos capacitados seglares la enseñanza de materias poco formativas (Ciencias, Matematicas, Geografía, Clases de Adorno, etc.) podria obtenerse una valiosa y numerosa ayuda para la Evangelización de estos vastos territorios de América, Asia, Africa...

3. Muy de desear es el establecimiento de Procuras diocesanas o Procuras de las Congregaciones Religiosas montadas en Europa y América del Norte. A través de ellas se ejercería una caridad más efficiente y cristiana entre todos los hijos de Dios.

51

Exc.mus P. D. ALEXANDER PONCET

Episcopus tit. Basilinopolitanus

Schema *de missionibus,* in quo optima inveniuntur, non tamen mihi videtur satis in lucem proferre praecipuum totius Ecclesiae, et imprimis episcopatus, officii omnium infidelium conversionem strenuis conatibus constanter et ubique procurandi.

Inter alia S. Oecumenicum Concilium fortiter haec *novissima Christi verba* in omnium memoriam revocare deberet, quibus tria Synoptica Evangelia absolvuntur, ubi clare apparet quod Dominus a suis Apostolis et eorum successoribus praecipue expectat, ut scilicet Evangelium omnibus gentibus et omni creaturae usque ad ultimum terrae praedicent et eas per baptismum in sua Ecclesia aggregent, ut omnes salvi fiant (*Mt.* 28, 20; *Mc.* 16, 14-20; *Lc.* 24, 46-48; *Act.* 1, 8).

In memoriam etiam breviter revocandum esset quomodo hoc opus praedicandi Evangelium omni creaturae de facto ipsi apostoli strenue aggressi sunt, ut ex Evangelio S. Marci, Actibus Apostolorum, S. Pauli epistolis et universa christianismi incipientis historia patet.

Sed et peculiariter oporteret omnibus christianis manifestum facere hoc opus Fidei Propagandae, quod Ecclesia usque ad hodiernam diem semper persolvit, *nunc cum maxime urgere* cum mundus ad extraordinarium historiae spatium modo perventum est; in quo, mirae scientiarum progressus causa, hominum numerus in toto orbe terrarum velociter crescit, *praecipue infidelium,* iam multo plurium christianis; novis etiam et variis mediis celerrimae communicationis inter omnes orbis regiones ad propagandas errores, tam antiquas quam recentes, multi infeliciter utuntur.

Unde S. Oecumenicum Concilium, ni fallor, cor omnium fidelium movere deberet, eorum oculos inflectendo ad *hanc ingentem hominum multitudinem* qui in hoc mundo vivunt et, ut videtur, etiam moriuntur ignorantes unicum Salvatorem omnium, D. N. Iesum Christum, et plerique eorum etiam verum Deum, suum Creatorem et Patrem: qui proinde sine miraculo ad aeternae vitae beatitudinem pervenire nequeunt.

Deberet etiam omnes fideles monere de urgenti necessitate huius Evangelii praedicationes quam Ipse Christus Ecclesiae mandavit, nunc *ingenti modo ampli-*

ficandae, modo quidem his excultis temporibus adaptato, adiuvantibus etiam miris novis communicationis mediis, et sic sciant nunc horam esse pro Ecclesia apparendi ut *plene missionaria,* ita ut omnes toto corde et totis viribus se dedent ad Opus Fidei apud infideles propagandae: quod est primarius et a longe praecipuus missionum finis.

Ad hoc obtinendum solemnis a S. Oecumenico Concilio pronuntiatio ad clerum et omnibus orbis fidelibus ut omnes ad Opus propagationis Fidei et infidelium conversionem operam dent ex toto corde, felicem exitum habere posset.

Insuper si ipsum Oecumenicum Concilium hoc omnino renovatum Fidei propagandae Opus incipiebat aliquo solemni etiam *Pronuntiatione ad omnes non-christianos homines,* eos supplicantes ut ad Christum et eius Ecclesiam, quae Christi legatione fungitur, aspicere vellent, ut per ipsam Ecclesiam perfecte sciant quid sentiendum de Christi religione, quem praedicat ut omnium hominum Salvatorem nonne talis solemnis pronuntiatio felices haberet repercursus? Et sic perfecte impleretur ut videtur, officium collegii episcoporum praedicandi Evangelium omnibus hominibus. Haec mira praedicatio, simul ab omnibus episcopis, simul etiam ad omnes homines, de qua nuper vanum fuisset cogitare, nunc fieri potest: num prudens esset hanc occasionem amittere?

Eodem collegiali modo omnes episcopi eiusdem regionis seu nationis degentium, ubi innumeri sunt infideles, possent actione communi, ad modum Oecumenismi dilatati, praesertim in regionibus Mahometanorum, tentare ut de re religiosa colloquia incipiant cum iis qui alicui non-christianae religioni, aut etiam, si casus fert, civitati praesunt. Sic studium ab eis et eorum subditis religionis christianae eorum religioni comparatae gradatim ad veritatem multos verisimiliter adduceret.

Hinc *cap. I* schematis — sic opinor — *novo modo conscribendum esset,* ita ut non lente, sed fervido animo missionum operis momentum, et *imprimis infidelium conversionis,* clero et omnibus fidelibus penitus inculcetur, iuxta supra exposita.

In hoc enim primo capite in plenam lucem poni deberet *prior locus,* tam in terris missionum quam ubique in mente fidelium, evangelizationis illorum qui nuntium evangelicum nondum receperunt, de quo in cap. II schematis, pag. 15, linn. 39-42. Quod aliunde utilissimum esset rursus in hoc cap. I revocare in memoriam episcoporum et conferentiarum episcopalium in terris missionum, non paucis tantum lenioribus verbis, sed fortiter et cum necessariis huius artis explicationibus, v. g. ut in his regionibus ubi innumeri degent infideles (ut in Asia et Africa) quidam non pauciores missionarii, a catechistis et aliis fidelibus autochthonis adiuti, ad hoc particulare et primum opus addicti sint; ut etiam libri de christiana religione et catholicae ephemerides in tota regione valde diffundantur, huic adaptati et in lingua vel linguis huius regionis aut saltem a multis illic cognitis.

Ut autem tales libri habeantur, a doctis scriptoribus catholicis praesertim in Europa et America, postulent episcopi missionum et etiam S. Oecumenicum Concilium ut tales libri edant, tam pro doctis quam pro minus doctis apud infideles, in varias linguas terrarum missionum vertendas, ita ut illi omnes infideles sufficienter habere possint cognitionem D. N. Iesu Christi, eius Vitae in terris et doctrinae.

Et sic supra-dicti catholici scriptores suam propriam et magnam, ut par est,

partem haberent in opere missionum et praesertim infidelium evangelizatione et conversione.

N. B. Quaedam de quibus supra revera prooemium schematis intuitum est, quaedam autem cap. II, ni fallor, omnia de urgentiori necessitate infidelium evangelizatione, sic dispersa, in unum colligere necesse est, sive, ut dixi, in cap. I, sive in novo capite, quod melius esset primum.

52

EXC.MUS P. D. IOANNES B. PRZYKLENK
Episcopus Ianuariensis

1. *In genere.* Schema, inspectis modo loquendi atque tenore generali, ratione res exponendi, stylo generali, haud displicet. Aliquando, nisi fallor, idiotismi (non vero latini) qui dicuntur, apparent et idearum serena evolutio iis laborat. Vide inter alia, quaeso, haec incisa: pag. 15, linn. 29-35; pag. 18, linn. 1-5; linn. 34-37. Suntne gallicanismi?

Aliquando Sacrarum Paginarum textus, confirmationis seu corollarii instar, citantur, uti professor dogmaticae theologiae facere solet, quod tamen Concilium minus decet, licet biblicum videatur: pag. 13, lin. 38; pag. 14, lin. 2; lin. 4.

Schema a Concilii intentionibus generalibus, nempe pastoralibus et christocentricis quae vocantur, non recedit.

Quod sane laudandum est. Attamen, qui Summorum Pontificum encyclicas litteras inde a Benedicto XV attente perlegit, qui missiologiae tractatus (mirum est quod pag. 10, not. 38, unus Ohm O.S.B. citatur, licet optime meritus de re doctrinaque missionali) cognoscit, quaestione pulsatur, cur schema (de cuius natura, utrum sit decretum an constitutio, textus silet) Concilio discutiendum et probandum proponatur, cum vix aliud faciat ac doctrinam circa missiones pontificiam et auctorum modernorum systemate compendiet.

Ad hoc Concilium necessarium non est, sed competentis Curiae dicasterii auctoritas sufficere videtur.

2. Semel ac iterum dictum est Concilium Vaticanum II esse Concilium *peritorum,* quatenus ii doctrinas sententiasque quibus adstipulantur, magna cum habilitate per Concilii Patres conciliares efficere satagant et reapse efficiant.

Quod ad me attinet, malo omittere totum huiusmodi schema. Notum quidem mihi est lucubrationem de missione expeti a pluribus. Nonne vero sufficiunt quae in schemate *de Ecclesia* leguntur? Satis, praesertim cum termini « Missionis », « Ecclesiae missionariae » etc. alio in loco alio sensu sumi videantur, non autem eas omnes prae oculis habeat res quibus Congregatio de Propaganda Fide praesit (pag. 9, n. 6 - pag. 16, linn. 3 ss.).

3. Schematis reverentiam erga nationes « evangelicas », prudentia Oecumenismi imperante, intellego. Quod vero factum e medio non tollit, quod Congregatio de Propaganda Fide labores « missionarios » inter has nationes, puta Norvegiam, regit ordinatque, et nihilominus ea quae in n. 6, pag. 9 leguntur, huic in Norvegia « missioni » applicari nequeunt. Vel terminus « Missionis » latiore sensu sumitur, ita ut quaelibet « operatio qua Ecclesia Corpus Christi visibiliter extendit » (pag. 9, lin. 20) significetur. Quid speciale tunc exprimitur? Schema

ergo quod de missionibus inscribitur, defectu fundamentali seu basi laborat quatenus id quod voce « Missionis » significandum sit, non pateat sufficienter.

4. Immo terminorum confusio in toto schematis percursu talis esse videtur, qualis ab eodem Thoma Ohm, *Ex contemplatione loqui* (Münster 1961, p. 7) describitur. Nec desunt expressiones ut apostolatus missionarius seu missionalis (pag. 5, lin. 30; pag. 7, lin. 26; pag. 11, tit. cap. II; pag. 16, linn. 7-8) de quo recte iudicavit L.-M. DEWAILLY O. P., *Envoyé du Père, Mission et Apostolicité* (Editions de l'Orante), Paris 1960, p. 28: « ... l'expression " apostolat missionnaire ", si courante qu'elle soit, est irrémédiablement tautologique ».

5. Nonne ipsius Ecclesiae documenta, ex officio data, confusioni terminorum et proinde activitatum afferunt pabulum? Ex quo de « Missione Galliae » ex officio sermo est, aequivocatio et idearum confusio quodammodo lege sancitae apparent (cf. *A.A.S.,* 46 [1954], pp. 567 ss.; praesertim idearum connexio notatu digna est quae p. 569 prostat: Defectus classium operariorum... « At incaute aberrantes hae oves ad unum Christi ovile cito adducantur oportet. Tanta in re praecipuus versabitur labor sacrorum administrorum, qui ad huiusmodi *quasi missionale* ministerium parati sint et idonei... ». E quasi missionali ministerio factum est missionale, et ita porro, vulnere nitidae missionis expressioni illato, quod appellatione ad « missionem internam », ut cum « protestantibus » nostrates dicere solent, non sanatur).

6. E notis unam tantum alteramve permansuras esse scimus. Utinam nota 38, capitis I maneat (absque relatione ad Ohm)! Qua permanente, sensus Concilii, ex officio, clarus seu clarior reddetur. Cur autem haec maior claritas in textu non magis appetitur?

7. Inter emendationes ad schema *de Oecumenismo* observatio quaedam invenitur mihi tributa (pag. 6) relate ad stylum et orthographiam, quatenus in modo scribendi quosdam terminos technicos unitatem et constantiam desideravi. At perperam ita res proposita est, perinde ac si solum modum scribendi carpsissem sine relatione ad res expressas. Sic desideravi, ut verbum « Ecclesiae » littera maiuscula inciperet, quoties Ecclesiam catholicam, apostolicam, romanam significaret, minuscula autem, quoties ceteras ecclesiales formas, etc. etc.

In schemate nostro res haud adeo urget, sed quis, de recto scribendi usu modoque sollicitus, haud vehementer lamentatur de confusione quasi immensa schematis quod ad terminos technicos attinet rite scribendos? Placentne exempla? En:

verbum « Episcopi »: pag. 8, lin. 30 contra lin. 35 s.; pag. 15, linn. 15, 19, 29, 33 contra linn. 9, 27; pag. 23, linn. 13-21 contra lin. 18; tandem pag. 16, lin. 6 contra pag. 9, lin. 10; pag. 12, lin. 31; pag. 21, lin. 22; pag. 22, lin. 29;

verbum « Hierarchiae »: pag. 12, lin. 24 contra lin. 28; tandem pag. 13, lin. 14; pag. 17, lin. 21 contra pag. 15, lin. 18;

verbum « Evangelii »: pag. 11, linn. 7, 18, 24, 28 contra lin. 14; tandem pag. 5, lin. 2; pag. 7, lin. 6, 7, 29; pag. 8, linn. 6, 18, 31; pag. 9, lin. 22; pag. 12, linn. 3, 21; pag. 21, lin. 26; pag. 22 lin. 33 contra pag. 14, lin. 13; pag. 15, lin. 3; pag. 17, lin. 24;

verbum « Corporis »: pag. 22, linn. 15, 37 contra linn. 27, 36; tandem pag. 12, lin. 39 contra pag. 7, lin. 1; pag. 9, lin. 20; pag. 11, lin. 10; pag. 17, lin. 14; pag. 21, linn. 1, 8;

verbum « Apostoli »: pag. 7, lin. 32; pag. 8, lin. 17; pag. 12, lin. 29

contra pag. 5, lin. 2; pag. 22, lin. 32; (insuper alius sensus invenitur pag. 11, linn. 2, 4; pag. 16, lin. 8);

verbum « Ecclesiae universalis »: pag. 8, lin. 39 contra pag. 22, lin. 39;

verbum « Ecclesiae »: pag. 5, lin. 5; pag. 21, lin. 2; pag. 22, lin. 38; pag. 23, lin. 2; pag. 23, lin. 34 contra pag. 8, lin. 32; pag. 9, lin. 5; pag. 19, lin. 2;

verbum « Novellae Ecclesiae »: pag. 12, lin. 37 contra linn. 20, 24, 28; item pag. 13, linn. 1, 4, 8-9, 39 contra linn. 13, 19, 25; insuper pag. 14, lin. 39; pag. 19, lin. 14; pag. 21, lin. 2; pag. 23, lin. 1 contra pag. 5, linn. 8, 14; pag. 8, linn. 31, 37;

verbum « Baptismi »: pag. 21, lin. 8 contra pag. 12, lin. 11;

verbum « Confirmationis »: pag. 21, lin. 10 contra pag. 12, lin. 11;

verbum « Missionis »: pag. 13, lin. 13 contra linn. 25, 31; item pag. 15, linn. 30, 32, 39 contra lin. 22; deinde pag. 16, lin. 4 contra lin. 6; praeterea pag. 5, lin. 32 contra pag. 9, lin. 19; pag. 17, lin. 26 etc.;

verbum « Instituti »: pag. 13, lin. 26 contra lin. 27; item pag. 18, linn. 4, 6 contra lin. 36; insuper pag. 15, lin. 4; pag. 16, lin. 8; pag. 22, lin. 4; pag. 23, linn. 4, 31 contra pag. 13, lin. 4; pag. 19, lin. 9;

verbum « Superioris »: pag. 15, lin. 22 contra lin. 27;

verbum « Conferentia episcoporum (seu episcopalium) »: pag. 15, lin. 6 contra lin. 39 et pag. 23, lin. 30; tandem pag. 23, linn. 24-25;

verbum « suum »: pag. 7, lin. 3 contra lin. 10; cf. « ab Eo » pag. 7, lin. 28 et pag. 8, lin. 24; « Eique » pag. 8, lin. 16; cur ita?

8. Utinam omnia Concilii schemata normam sequantur quam sibimetipsi Rituum Congregatio in novis libris liturgicis edendis proposuit! Siquidem exempla supra allata quasi in infinitum augeri possunt (attendas, quaeso, verbis « praeconis », « praepositi », « nuntii », « salutis » etc. etc.), quod sane Concilio decori non est diebus nostris.

9. *In specie.* Schema *de episcopis et de regimine dioecesium* discutiens, enixe rogavi (quemadmodum postea omnes fere Brasiliae episcopi), ut epiteton « Sacra » in denominandis Curiae Romanae dicasteriis vitetur. Mirum quidem non est, quod huiusmodi votum in conficiendo schemate nostro nullam protulit lucem. At mirum est, quod alia vota maioris ponderis et acrioris discussionis absque influxu non fuerunt (cf. pag. 8, n. 5; pag. 22, n. 24). Num nostro textu, nempe pag. 16, lin. 3, voto Brasiliensi praeiudicium fit? Absit. Unde, quamdiu res sub marte sit, locutio pag. 15, lin. 26 adhibita praeferatur.

10. Schema, Concilii Arausicani II textu alligato, cautelam quandam in nota 25, pag. 10 pandit, in medium afferens Concilii Vaticani I citationem, perinde ac si Arausicani textus maiore auctoritate induatur Vaticani I citatione quam Bonifatii II approbatione de qua Denz.-Schön. nn. 398-400. Quod mihi non placet.

11. Pag. 8, linn. 30 s. asseritur Romanum Pontificem et episcopos munus a Domino recepisse Evangelium praedicandi *et novas Ecclesias ubique implantandi.* Quod ad me attinet, duplici asserto non contradico. Sed quemadmodum in schemate *de episcopis et de regimine dioecesium* iterum iterumque vera fuerunt supposita quae nondum ab omnibus uti vera habentur, ita etiam nunc facta est suppositio veri nondum undequaque probati. E. g. sunt theologi qui potestatem condendi Ecclesias qua praeter Petrum etiam ceteri apostoli condecorati inveniuntur, privilegiis extraordinariis intransmissibilibus adnumerant. Haud unus

Summus Pontifex simili, ne dicam eidem indulsisse sententiae videtur (cf. W. DE VRIES, *Rom und die Patriarchate des Ostens,* Freiburg-München 1963, pp. 248 ss.). Ergo quaestio nostra ab illa pendet in schemate de episcopis definitive tractanda.

12. Pag. 18, n. 17: circa formationem cleri autochthoni dubium quoddam oritur. Nonne totum incisum ex ea procedit suppositione, quod omnes clerici autochthoni vocatione missionali gaudent? Memor sum eorum quae scite hac de re scripsit superior generalis Societatis Missionum Exterarum Lutetiae Parisiorum: « Mais si tous les prêtres, ni même la majorité, n'ont point la vocation missionnaire, pourquoi s'étonner que les prêtres autochtones ne l'aient pas tous et qu'une minorité seulement en soit dotée. Dans les pays d'ancienne chrétienté, comme la France, seule une minorité possède cette grâce apostolique. Le fait est que les membres des Sociétés missionnaires, qu'il s'agisse de mission intérieure ou de mission extérieure, constituent une sélection dans l'ensemble du clergé. De même, dans les pays lointains... Aussi ne faut-il pas s'attendre à la rencontrer chez tous ou la plus grande partie des prêtres autochtones, même en région de mission » (M. QUÉGUINER, *Actualité des missions étrangères,* in: *Spiritus, Cahiers de spiritualité missionnaire,* n. 12, 1962, pp. 240 s.). Schema ipsum, pag. 17, lin. 16, de vocatione missionali in « exteris » loquitur. Ergo...

13. Nonne totius cap. III bipartitio (A-B) sensus quosdam indispositionis spiritus ingerit vel saltem ingerere apta nata est? Utique, claritati favet, sed unitatem vix promovet, haud paucis aegre laturis quod primo loco de missionariis exteris, deinde vero de localibus sit sermo.

14. Unde proponere audeo: pag. 17, lin. 2 supprimantur verba « sive sint exteri, sive sint locales, sive sint sacerdotes sive religiosi sive laici ». Non sunt necessaria et sic sine sensu demetur petra scandali « sive sint exteri sive sint locales ». Tandem propono, ut ipsum verbum « missionarios » (pag. 17, linn. 1-2) tollatur. Siquidem in huius capitis nn. 16 et 19, praesertim § 1, de formatione ad opus missionale seu apostolica *omnium* fidelium est sermo. Licet optima ista a Concilio inculcata formatione omnes ubique catholici excellant, eo ipso missionarii nomine condecorari non merentur. Ut autem textus introductorius id totum amplectatur quod in corpore ipso exponitur, propono textum sequentem:

15. Quia ad operis missionalis fecunditatem assicurandam summopere interest omnes Christi fideles, pro suo quosque quod ad missiones attinet, munere, apte instructos ac praeparatos esse, de formatione missionali Concilium Oecumenicum ea quae sequuntur decernit.

16. Illico, absque titulo, sequatur n. 17: Cleri autochthoni formatio eo spectare debet... (usque ad lin. 33).

Praeterea alumni aptiores e territoriis missionalibus libenter destinentur studiis academicis apud universitates aliave instituta scientifica perficiendis, ut solida donentur formatione peculiari quae apostolatui in propria regione exercendo utilitati erit.

17. Deinde n. 18. At pag. 19, lin. 6 deleatur verbum « vero », quod nisi fallor, sensu caret, sensum vero haberet, si incisum istud post alterum (linn. 9-11) constitueretur. Quod malo, ut supra. Unde dicatur: 18. In Ecclesiis noviter conditis... sub diversis formis praeb*ent.*

Instituta perfectionis localia, indoli ac condicioni gentium in terris missionum accommodata, proprios sodales ita forment ut apostolatui Ecclesiae prosint.

N. B. Nescio, utrum textum pag. 19, linn. 10-11, bene intellegam. Apostolatus verbum in lin. 11 connotare videtur sensum activitatis apostolicae ad extra, quod saltem in casu non erit absque periculo, perinde ac si instituta localia vitae contemplativae magis vel unice dedita minoris aestimentur. Qua de causa verbum « etiam » omisi.

Instituta (pergit textus) perfectionis extera vero quae sodales autochthones habent iisdem etiam illam formationem impertiri satagant qua operibus ab ipsis praestandis aptiores fiant.

N. B. A natura instituti pendet formatio impertienda. Haec autem eadem desideratur in autochthonis ac in exteris.

18. Sequitur n. 19, § 1, ut iacet. In § 2 displicet terminus (lin. 21) « conscientia collectiva ». In documento conciliari huic verbo ne sit locus. Conscientia collectiva, culpa collectiva etc. etc. notiones sunt haud maturae ut documento conciliari adhibeantur. Dicatur ergo: § 2. Oportet ... et in efformanda concivium ceterorum suae nationis conscientia praevalidi sint ... consentanea sit. N. 20, ut iacet.

19. Deinceps, absque titulo, n. 13, pag. 17: Qui, magno animarum zelo praediti, patria relicta, vitam apostolicam in missionibus amplecti cupiunt et ad legationem Christi fungendam (cf. Ciceronem, Tacitum, Nepotem, etc.) sese parant, congrua spiritualis formatio impertiatur, ita ut tamquam boni milites Christi Iesu (cf. 2 *Tim.* 2, 3) ... (usque ad lin. 20) ... apte adducat, quin colere neglegant animi aptitudinem et mentis promptitudinem, socio nexu, cum confratribus, sub auctoritate hierarchiae, concordes et humiles, collaborandi. Nn. 14, 15, 16, ut iacent.

20. Pag. 21, linn. 9-10 dicatur: Illa autem ordinatio sacramento Confirmationis quo dona Spiritus Sancti abunde effunduntur, augetur... Huiusmodi lectio praefertur has ob rationes: *a*) novo textu mutatio subiecti minus elegans vitatur; etenim subiectum illius « augetur » ordinatio est, at subiectum illius « recepit » fidelis baptizatus de quo praepositio proxime praecedens sermocinatur; *b*) novo textu quaestio vitatur inter dogmaticos ventilata, utrum dona Spiritus Sancti primum Confirmatione an Baptismo conferantur, licet iuxta omnes, Confirmatione dona abundantia quadam tribuantur; *c*) « abunde effunduntur » dicitur, prae oculis habito textu *Tit.* 3, 6.

53

Exc.mus P. D. ALBERTUS GAUDENTIUS RAMOS

Archiepiscopus Belemensis de Pará

Emendationes proponuntur humaniter non tantum nomine proprio, sed etiam Ordinariorum 37 Praelaturarum nullius hic extantium, quibuscum in fraterno conventu eiusdem allati documenti lineae praecipuae praeconcordatae sunt.

Schema in genere placet. Attamen nihil vel non satis clare dicitur de quibusdam quaestionibus quae videntur maximi momenti in ipsarum Missionum incrementum.

I. *De notione territorii missionalis.* Nihil habetur in Schemate.

a) Mirum est quod unice et saepissime sermo est de *novellis Ecclesiis* velut

si in missionibus nihil aliud habeatur nisi novellae Ecclesiae, quod minime concedi potest.

b) Dicitur etiam quod novellae Ecclesiae efflorescunt ex laboribus missionariorum exterorum qui « pondus diei et aestus » in missionibus diu portaverunt (cap. I, n. 9, pag. 12, linn. 26 ss.) sed *cur in toto schemate ne verbum quidem dicitur de territorio missionalium* ex quo, tempore opportuno, novella Ecclesia prodire solet?

c) Aliquod discrimen videtur poni vel potius *supponi* inter *novellas Ecclesias* et *Missiones in genere* (cap. 1, n. 9, pag. 13, linn. 1-2). Sed non apparet quo pacto concedi possit tale discrimen ponendum esse quasi *in nova specie indigentiae.* Maxime si indicem respicis Institutionum et activitatum novellarum Ecclesiarum, quis — *sine gravissima iniuria* contra normas saepissime a Sancta Sede prolatas et contra generosos nisus missionariorum exterorum in huiusmodi normis fideliter applicandis — auderet dicere quod omnes illae Institutiones et activitates, *nulla dempta,* non essent curandae *in ipsis missionibus in genere?* Attamen, quid est *missio in genere?* Et quid est *Ecclesia novella?*

d) Utique dicitur in n. 10 (pag. 13, lin. 14) quod aedificatio novellae Ecclesiae in terris missionum *non per solam hierarchiae autochthonae institutionem perficitur.*

Num igitur dicendum erit *hierarchiam autochthonam esse elementum necessarium,* scilicet *conditionem sine qua non,* ad novellam Ecclesiam discernendam?

Absit! Ni velimus incidere in aliquod racismum ecclesiasticum (italice: « razzismo »). Nonnulli perturbationem passi sunt ob illam locutionem, quae tamen bene intelligi posset, si explicaretur quid sit « Missio catholica » (*Missio in genere* nobis videtur *inepta locutio*) et quid « novella Ecclesia », uti indicare conabimur in definitione quam in fine huius enucleationis proponimus.

Parcant vero sequenti prolixiori analyticae investigationi lectores qui evidentiam et opportunitatem conclusionis (pag. 5) iam persentiunt: utilitas tamen adaequatae inquisitionis innotuit ex diutinis disceptationibus iam habitis: obiectionibus enim positivis solum positivis allegationibus satisfit.

A. *De necessitate definitionis vocis « Missionis » in schemate de Missionibus.*

1. Hoc patet ex ipsa natura rei, quia vocabulum *missio* diversissimas acceptiones sortitur, prout consideratur: *a*) in Dogmate: missio Spiritus Sancti; *b*) in Evangelio: missio ipsius Salvatoris aut Praecursoris aut apostolorum; *c*) in usu civili: missio politica, scientifica, commercialis, etc.; *d*) in Codice Iuris Canonici autem vocabulum Missionis aliam vim habet quando agitur de praedicatione extraordinaria, scil. de Sacris Missionibus (cann. 1349-1351), vel de activitate pastorali, scil. paroeciali (cann. 293-311), vel de territoriis missionum (can. 252).

2. Ex dictis eruitur quod in Schemate de Missionibus solummodo agi debet de *Territoriis Missionum* (can. 252). Quaenam sunt autem haec *Territoria Missionum?*

a) In ipso can. 252, ex quinque paragraphis constante, non evolvitur exhaustive quaestio de territoriis Missionum et omnes hodie concedunt opinionem in Codice nisa, quae identificat simpliciter *Missiones* cum *territoriis sub iurisdictione S. C. de Propaganda Fide* valde peccare sive per excessum sive per defectum.

b) Communis enim sensus christianorum pro missionario habet sacerdotem vel religiosum vel laicum qui, patria relicta, regionem longinquam petit ad Evangelium nuntiandum vel ad opus apostolicum patrandum.

Aliqua territoria adhuc subiecta S.C.P.F., quae tamen nec unum Missionarium exigunt nec de facto retinent certe a communi sensu pro territoriis missionum non habentur.

Contra, territoria exstant, uti v. g. in amplissima et arctissima regione amazonica in Brasilia, quae — etsi non subiecta S.C.P.F. — communiter merito habentur tamquam difficiliora territoria missionum.

c) Accedit praxis ipsius Sanctae Sedis quae pluries locuta est de missionibus non subiectis S.C.P.F. Sufficiat hic memorare documentum parum notum, sed maximi momenti, scil. litteras die 12 augusti anni 1958, a S. C. de Negotiis Extraordinariis (prot. 6656/58) ad em.mum Praefectum de Propaganda Fide (prot. 3520/58) missas significantes quod iussu Summi Pontificis, Papae Pii XII, advocandi erant in Supremum Consilium, seu Comitatum Supremum, Pontificiis Missionalibus Operibus et Unioni Cleri Regendis etiam repraesentantes quarundam Sacrarum Congregationum (nempe S. C. Consistorialis, S. C. pro Ecclesia Orientali et S. C. de Negotiis Extraordinariis) *in commodum territoriorum ipsi subiectorum quae de facto pro territoriis vere missionariis habenda sunt.*

Quaenam autem sunt *de facto* haec territoria missionaria? Hinc rursus apparet necessitas aliquam definitionem dandi nec videtur excusabilis omissio tanti momenti.

B. *Difficultates ad territoria missionaria definienda.*

1. Non est qui ignoret magnam esse contentionem inter theologos, canonistas et missiologos ubi agitur de definitione scientifica missionis.

2. Quidquid autem sit de talibus opinionibus circa definitionem *scientificam* de missione, ad finem pastoralem Concilii tantummodo interest definitio *practica,* scil. definitio talis quae conveniat cum *praxi* S.C.P.F., necnon cum normis a Sancta Sede prolatis et cum modo sentiendi Populi Dei, qui magis magisque incitatur ad opus missionale actuose promovendum.

C. *De methodo simplici et expedita in statistica innixa ad solutionem inveniendam.* Censemus quod ipsa praxis S.C.P.F. *bene perspecta* iam sufficiat per se ad optimam definitionem apparandam. Cum autem de praxi Curiae agatur, nihil opportunius quam Statisticam interrogare.[1]

Ex *Annuario Pontificio 1964* novimus omnia territoria subiecta S.C.P.F. esse 763 ita discriminata: *a*) Missiones « sui iuris, 3; *b*) Praefecturae Apostolicae, 88; *c*) Vicariatus Apostolici, 115; *d*) Abbatiae Nullius, 6; *e*) Sedes Residentiales (archidioec. et dioeceses), 551.

In nostra investigatione duo inspicere debemus: 1) an in catologo superius descripto omnia territoria sint reapse missionalia; 2) *quaenam sit nota propria regionum reapse missionalium.* Diligenter igitur rem per partes inspiciamus.

1. *De missionibus « sui iuris », de praefecturis apostolicis* et *de vicariatibus apostolicis.*

Nullum exstat dubium quin sint territoria missionalia. *Nota communis* omni-

[1] Etsi prae manibus unice habeamus *Annuario Pontificio* 1964 et *Le Missioni Cattoliche,* Roma 1950, ideoque, ob carentiam documentorum perfectiorum in aliquem errorem incidere possimus, principia manebunt ita ut fortuiti lapsus tempore opportuno facile emendari poterunt absque substantiali mutatione conclusionum.

bus illis territoriis immediate liquet: *omne territorium, nullo excepto, concreditum est alicui Instituto Missionario extero.*

2. *De Abbatiis Nullius.* Posthabita Abbatia Orosch in Albania (quae ad clerum saecularem nativum pertinet et in statu precario reperitur ob persecutionem religiosam) Abbatiae Nullius subiectae S.C.P.F., concreditae sunt omnes *alicui familiae Ordinis Benedictini pro Missionibus Exteris*: Nota igitur communis (etiam relate ad peculiarem classem abbatiarum, quae missionariae dicuntur) est commissio alicui sodalitio extero.

3. *De Sedibus Residentialibus.* 551 Sedes Residentiales numerantur in *Annuario Pontificio* 1964 subiectae S.C.P.F.; in tres classes dividi possunt: *1ae classis*: 358 sedes residentiales — archidioeceses et dioeceses — concreditae sunt alicui sodalitio Missionario Extero: agitur, ut patet, *de territoriis missionariis sensu stricto* et semper invenitur eadem nota communis ac in superioribus ubi de missionibus et praefecturis apostolicis, necnon de abbatiis in territoriis missionum; *2ae classis*: 164 sedes residentiales numerantur nullo sodalitio missionario concreditae, quia, clero autochthono sufficienter instructae, absoluta autonomia utuntur de iure et de facto: merito in schemate vocantur « novellae Ecclesiae » (cap. II, n. 9).

Notae propriae autem novellae Ecclesiae prout e statistica colligere possumus hae sunt:

a) Omnis novella Ecclesia ibi plantatur ubi missionarii exteri « pondus diei et aestus » diu portaverunt (convenit cum schemate, pag. 12, linn. 26-27).

b) Novella Ecclesia, ut iam diximus, sui iuris est (concordat cum schemate) et *est magnum discrimen relate ad missiones exteras,* quae omnes committuntur alicui sodalitio missionario (quod discrimen e schemate non clare eruitur).

c) Novella Ecclesia valde indiget auxiliis Ecclesiae Universalis ad progressum perficiendum (convenit cum schemate n. 9).

Ex dictis patet novellas Ecclesias non esse *territoria missionalia sensu stricto* (sicut missiones concreditae alicui sodalitio extero) sed esse missiones sensu lato.

Scholion. Quod hierarchia autochthona sit uti nota specifica seu propria novellae Ecclesiae habenda (cf. schema pag. 12, lin. 28; pag. 13, lin. 14) non videtur posse admitti. Conceditur utique novellae Ecclesiae hierarchiam de facto fere semper esse autochthonam, non autem iure exclusivo.

Ceterum in ipso *Annuario Pontificio* casus inveniuntur in quibus episcopus residentialis non autochthonus indiscriminate in Ecclesiis missionariis et non missionariis sive antiquioribus, sive recentioribus.

Hoc harmonice componitur cum ipsis Pii XII litt. Encycl. *Evangelii Praecones* ubi sermo fit (*A.A.S.,* 43 [1951], p. 507) de hierarchia autochthona tanquam de « *extrema meta ut Ecclesia firmiter constabiliatur* » quodque non solum non excludit *metam nondum extremam,* quando scilicet *Ecclesia nondum firmiter constabilita est,* sed terminum solum practice assignat, non iuridice et exclusive, siquidem Summi Pontificis nequeat limitari ius.

3ae classis: 29 sedes residentiales numerantur in Annuario, quae minime pro Ecclesiis missionariis haberi possunt: non enim clero missionario, neque opibus indigent: immo tam florentes se praebent ut ipsae missionibus catholicis liberaliter subveniant. Tales sunt: 1 Dioecesis Gibraltar, in Europa; 4 Archidioeceses et dioeceses in Nova Zelandia; 24 ex 25 sedibus residentialibus Australiae (quarum vix una, scil. Dioecesis Darwin, Instituto Missionario concredita est).

Conclusio. Proponimus ergo ut in schemate recte explicentur notiones missionis et novellae Ecclesiae. Quod fieri posset per hanc definitionem descriptivam (innixam in statistica ab *Annuario Pontificio* ex quo ideoque apparet praxis Sanctae Sedis) inserendam in n. 5, pag. 8, lin. 32 post verba « ubique implantandi »: 1) Missio dicitur ecclesiastica circumscriptio a S. Sede sodalitio extero concredita ad Evangelium nuntiandum et Ecclesiam implantandam. 2) Novella Ecclesia est circumscriptio ex missione orta, propria hierarchia et clero autochthono primo instructa, auxiliis Ecclesiae Universalis adhuc indigens ad maturitatem attingendam.

II. *De eis quae novellas Ecclesias respiciunt recognoscendis.* Ad veritatem et claritatem rerum, enixe quaeritur ut diligenti recognitioni subiciantur ea quae de novellis Ecclesiis asseruntur in cap. I et II, iis eliminatis quae — ut supra indicavimus — plus aequo aut minus apte dicuntur.

III. *De aequo momento missionibus tribuendo sicut novellis Ecclesiis.* Demum quaeritur ut in schemate, praesertim in iisdem cap. I et II debita tractationis pars tribuatur missionibus in genere, quae aptius — nostro humili iudicio — *missiones catholicae* simpliciter nominandae essent. Ipsae enim missiones — ut schema clare, etsi obiter, edicit — sunt semen, via ac laboriosa praeparatio novellae Ecclesiae, quae recte habetur ut veluti totius missionis terminus.

Missionibus huiusmodi, a hierarchiis non autochthonis administratis, quaeque ter numerosiores sunt quam Ecclesiae novellae, saltem *idem momentum et eadem propositionum amplitudo iure merito videntur vindicanda in ipso schemate.*

IV. *De oecumenico ac pastorali sollicitudine totius operis vere missionalis attingendi ac promovendi.* In schemate quasi ignorari videntur ac proin e missionis conceptu excludi omnes regiones Americae Centralis et Meridionalis, quae christianae imo catholicae vocari solent, etsi omnes — et Sancta Sedes imprimis — multipliciter noverint earum necessitates missionales ob carentiam operariorum et opum ad Ecclesiam constabiliendam.

Eadem exclusio expresse consignata invenitur in nota sub n. 32, pag. 16, ex qua utique erui posset missionis quaedam definitio, sed solum insufficiens imo graviter deficiens; dicitur enim in nota praedicta quod missio, seu *actio missionalis Ecclesiae* solummodo potest haberi *inter gentes non christianas* (*acatholicas*).

1. Haec autem assertio penitus adversatur ipsi praxi Curiae, ex quo numerantur 64 territorio missionaria, in 18 nationibus seu regionibus distributa, subiecta S.C.P.F., quorum incolae plerumque nomen catholicum retinent vel catholici censentur.

2. Inde patet nullam rationem revera haberi ut excludantur ab indice missionum reliquae regiones Americae Latinae, quae, etsi non subiectae S.C.P.F., consimiles omnino sunt regionibus de quibus supra in n. 1.

3. Ad catholicitatem, quam dicunt, earundem regionum, expedit sequentia declarare de regione amazonica: *a*) Regio amazonica, complectens dimidiam partem totius Brasilicae reipublicae, est magis quam 4.000.000 Kmq., usque ad initium huius saeculi paene deserta, silvis imperviis referta et fluminibus rigata vado insuperabilibus, a tribubus Indorum habitabatur, qui adhuc sunt in locis solitariis et maxima ex parte non sunt christiani, sed ethnici et quasi barbari.

b) Ab initio huius saeculi migratio fit ruricolarum, qui pauperrimi et analfabetae sunt, maxima parte bigeneres, orti scilicet ab Indis paganis et a Nigritis

animistis in Brasiliam ab Africa olim coactis: generatim indebite baptizati, suarum traditionum ethnicarum studiosi et ad spiritismum proclives, saepe saepius Christum ignorant et verbum salutis fere nunquam audierunt. Quo iure christiani dicuntur?

c) Praelaturae Nullius igitur quae in hac regione eriguntur in nullo differunt a regionibus quae arcuatim Amazoniam Brasilianam cingunt (nempe Guiana Britannica, Venetiola, Colombia, Peruvia, Bolivia et Paraguaia, Guiana Gallica, Guiana Hollandensis) quaeque replentur praefecturis apostolicis, vicariatibus apostolicis et dioecesibus subiectis S.C.P.F.

Conclusio: Ut ergo melius respondeatur: *a*) praxi ipsius S.C.P.F. (quae territoria missionalia agnoscit in praedictis regionis « catholicis »); *b*) bono animarum; *c*) utilitati missionum; humilis accipiatur petitio substituendi notae sub n. 38 alteram quae definitionem aptiorem referat, quae scilicet illi aequivaleat quae hic, in I, exhibetur.

V. *De auxiliis aequandis indigentiis cuiusque missionis.* Schema (n. 9, pag. 13, linn. 1-2) asserit indigentiam in novellis Ecclesiis non esse eandem quae in missionibus in genere.

Etsi verum non in gradu indigentiae nitatur discrimen inter missionem catholicam et Ecclesiam novellam, verum est quod magna diversitas haberi potest quoad necessitates uniuscuiusque missionis.

Ut aeque consuli possit praedictis necessitatibus, Motu Proprio *Romanorum Pontificum* Pius XI f. m. (e Gallia Romam advocans Consilium Superius Generale Pont. Op. Prop. Fidei, anno 1922) normas claras et certas edidit in Statutibus Generalibus Motui Proprio adiectis.

Dolendum sane si variis causis, huiusmodi sapientes normae, magna ex parte, non impleantur: ex quo fit ut missiones in magna egestate interdum minus auxilientur quam aliae in relativa abundantia degentes.

Ideo nescitur cur iam decem praeterierunt anni in quibus — Statutum Generalium explicita norma non obstante — iam publici iuris non fit subsidiorum mensura quae singulis missionibus quotannis tribuitur.

Cum fidelis exsecutio Statutorum Generalium a Pio XI multum iuvabit progressui missionali, optandum est ut in cap. IV addatur in fine aliud art. quod erit n. 26, ita e. g. redigendum: 26 (De subsidiis materialibus aeque distribuendis). Optat haec Sancta Synodus ut, abrogatis omnibus privilegiis, in decursu temporis, concessis et restauratis sapientibus normis Statutorum Generalium ex Motu Proprio *Romanorum Pontificum* emanantium:

1. Una eademque ratio servetur in subsidiis inter Missiones distribuendis (*St. Gen.*, IX, 2);

2. Omnes Missiones, nulla excepta, pecunia a fidelibus oblata iuventur ita ut, necessitatum ratione habita, omnibus aequaliter distribuatur (*St. Gen.*, XI);

3. De acceptis atque distributis stipibus quotannis publica reddatur ratio (*St. Gen.*, XI).

VI. *De S.C.P.F. officiis noviter ordinandis.* Dicitur in schemate expedire in laboribus Curiae perficiendis ut in illis « partem habeant, et quasi repraesententur, omnes qui in opere missionis collaborant: episcopi tum ex missionibus, tum ex communitatibus antiquitus christianis, necnon Instituta Missionaria quibus apostolatus missionarius et praeparatio apostolorum commissa est » (Schema, n. 12, pag. 16, linn. 3 ss.).

Hoc certe perutile erit. Exoptata verum renovatio non tantum ponenda videtur in aptiori coadunatione virorum ex variis coetibus qui pro sua quisque parte progressum missionum merito prosequuntur, sed maxime in efficaciori « dynamismo » qui a centro sapienti et constanti fluxu in omne territorium salutariter perveniat.

Quin enim oblivioni detur multiplex illa ac pretiosa adsistentia — iuridica, administrativa necnon oeconomica — per saecula a romanis dicasteriis praestita ad spiritum missionarium et apostolicum totius Ecclesiae actionem citius renovanda sine dubio requiritur *Institutum Centrale* in quo examini subiciantur omnia problemata ac Missionum necessitates totius orbis et a quo actiones, methodi ac media constanter dirigantur, perficiantur ac sustineantur.

Quod enim hucusque ob communicationum inopiam impossibile aut difficillimum erat, nunc provide, facile et impraeteribile est, Episcopalibus coetibus et Institutis Missionariis iugiter et harmonice cooperantibus.

Optandum est igitur ut in fine cap. IV alius art. addatur qui (si petitio recipiatur, de qua in V)... erit n. 27, ita e. g. redigendum: 27 (De S.C.P.F. officiis noviter ordinandis). Ad spiritum missionarium et apostolicum totius Ecclesiae actionem citius renovanda requiritur Institutum Centrale in quo examini subiciantur omnia problemata ac Missionum necessitates totius orbis et a quo actiones, methodi ac media constanter dirigantur, perficiantur ac sustineantur.

VII. *De collaboratione episcoporum.* N. 24, pag. 22, lin. 39, post « ecclesiae universalis » proponitur haec emendatio: « Quam sollicitudinem manifestabunt quosdam ex clero suo sacerdotes — licet proprio populo perutiles — ad normam *Fidei Donum* ad missiones, etsi ad tempus, alternatim deputando, ut omnis Ecclesia localis ad catholicitatis incrementum apostolice partem det ».

VII. *De coordinatione actionis missionalis in dioecesibus.* Nihil dicitur in schemate. Proponitur post n. 24 alius articulus qui (si recipiantur duae petitiones superiores) erit n. 28, ita v. g. redigendus: 28 (de coordinatione actionis missionalis in dioecesibus). Videtur maximi habenda nulla oppositio sed fraterna cooperatio inter actionem missionalem coetuum missionariorum religiosorum et actionem ipsius dioecesis et cleri saecularis, tum quoad vocationes vere missionales seligendas, tum quoad media oeconomica ad innumeras Missionum necessitates colligenda.

54

Exc.mus P. D. ALTINUS RIBEIRO DE SANTANA

Episcopus Sadabandeiropolitanus

Ut efficacior reddatur apostolatus missionarius et cooperatio pro Missionibus melius fovere possit — quod ut schematis finis in prooemio declaratur — mihi, ex experientia, haec videntur humiliter statuenda et proponenda:

Circumscriptiones missionariae aliae ex hoc aliae ex illo dicasterio Curiae Romana pendent. Sic, v. g., dioecesis haec, quae eminenter missionaria est, S. C. de Negotiis Extraordinariis subiicitur. Et, dum mirabilem sollicitudinem Dicasterii illius confiteri non minus gratum quam iucundum mihi est, non pauca inconvenientia in tali situatione video.

Congregationes religiosae necnon et variae organizationes quae ad missiones promovendas et adiuvandas in Ecclesia exstant naturaliter de hac et aliis dioecesibus, a S. C. de Propaganda Fide non pendentibus, parum cogitant et sic « numerus missionariorum sicut et copia subsidiorum valde insufficiens ad evangelizationis opus sustinendum et promovendum » (cf. Prooemium) inveniuntur.

Aliunde — et hoc non minus grave est — conspectus generalis Ecclesiae missionariae in mundo valde deficiens, si non falsus, praesentatur, cum in rationibus statisticis, in descriptione variorum incoeptuum missionalium, in iure missionario condendo, et aliis multis similibus, quae generatim a S. C. de Propaganda Fide fiunt, ratio non habetur dioecesium quae sub eadem Congregatione non sunt.

Et ita, ut in casu huius dioecesis, « multae evangelizandi opportunitates quae nunc sunt et praevidentur brevi annorum spatio non amplius exstiturae » (cf. Prooemium) amittuntur.

Unde mihi fas sit proponere: Concilium hoc, expressio maxima Ecclesiae « quae, utpote corpus mysticum Christi, ad suum incrementum totas vires colligit et ordinat » (vide schema, pag. 12) decernat quod universa Ecclesiae activitas de missionibus sub uno tantum dicasterio Sanctae Sedis regatur ac dirigatur.

Propterea, in schemate, forse in n. 12, pag. 15, post lin. 28, haec vel similia inserantur: « Dicasterium hoc, nomine apto designandum, unum tantum esse debet pro universo orbe, sublata diversitate dependentiae pro quibusdam dioecesibus quae nunc viget ».

Logice et cohaerenter, etiam in pag. 16, in eodem numero et lin. 3, diceretur: « In Dicasterio competenti, cuius opera utitur Summus Pontifex, etc. ».

Sic facies Ecclesiae missionariae melius fulgeretur et visio authentica totius Corporis Christi Mystici, duce Concilio Oecumenico, robur novum acciperet.

55

Exc.mus P. D. VITUS M. RIOBÉ

Episcopus Aurelianensis

Animadversiones generales. 1. Universalis Ecclesia, qua talis (in toto considerata), stat ut signum coram gentibus. Quod principalis aspectus eius missionis in hodiernis adiunctis locum maioris ac maioris momenti tenet. Schema quod proponitur gravissimo defectu in hoc laborat.

2. In diebus nostris, Ecclesiae in quaqua orbis regione occurrunt magnae religiones non-christianae, materialismus atheisticus, ideologiae non-christianae variae. In his contradictionibus stat responsabilitas missionaria strictissimo sensu. Attamen schema nihil de Ecclesiae positione in isto universali discertamine dicit.

3. Merito quidem schema firme proponit implantationem Ecclesiae ut finem missionis. Propterea *primum* de novellis Ecclesiis tractandum esset, et *deinde* de adiutorio a missionariis extraneis ad illarum plantationem et incrementum praestando. Talis ordo magis videtur ad mentem recentiorum Encyclicarum Litterarum de missionibus tractantium; immo per illum manifestius apparerent ordinatio et scopus schematis.

4. Oportet schema fortiter reprobare sententiam his temporibus in die magis diffusam, qua sustinetur missionem apud non-christianos ad ordinem charismaticum pertinere atque ut aliquid proprium vocationis in Institutis missionariis

stare, dum vocatio cleri dioecesani, etiam autochthoni, ad ordinem pastoralem tantum pertineret. Quae sententia falsa et in praxi perniciosa ad hoc tantum posset adducere ut Ecclesiae formarentur quae tantum de se ipsis curam ad intra haberent et in quibus nullus animus missionarius vigeret.

E contrario, oportet illas novellas Ecclesias, ad instar universalis Ecclesiae natura missionarias esse, et hoc ab ipsis primordiis. (Cf. schema p. 17, linn. 24-25). Non sufficit illas paulatim missionarias fieri, ut schema ipsum erronee dicere videtur (p. 9, lin. 1: « ut et ipsae paulatim missionariae evadant »).

5. Quamquam in aliquibus partibus schema optimum sit, attamen unitate deficit: nimis apparet illud constitutum diversis partibus quae a diversis auctoribus separatim elaboratae sunt. In genere, propter superabundantiam textuum allegatorum, caret claritate et vigore, ita ut scopus principalis intueri non possit.

Prooemium. Huius prooemii textus omni afflatu carens mihi videtur et ab exordio totius schematis effectum enervans.

Intendere debet Prooemium ad missionem in Ecclesiae « aggiornamento » recte ponendam. Ecclesiae iuventutis renovationem referunt linn. 25-30 sed solummodo ad « cooperationem pro missionibus » fovendam. Debet prooemium docere missionem verum esse signum vitalitatis Ecclesiae; S. S. Pius XII et quotidiana experientia docent « operam a christiano populo datam pro infidelium salute procuranda in optimos reviviscentis fidei fructus efflorescere; atque auctis sacrarum expeditionum studiis auctum pariter pietatis incrementum respondere » (*Evangelii Praecones*: *A.A.S.,* 1951, p. 526).

Post explanationem huius praecipui propositi, resumantur linn. 1 ad 10, salvis tamen duabus emendationibus:

1. ad linn. 7-8: in initio schematis, prima praesentatio novellarum Ecclesiarum sub verbis « quamquam ultimis hisce temporibus » retineri non potest; non agitur vero de aliqua causa parvi momenti sed de ipsa fine totius apostolatus missionarii. Ergo mentio novellarum Ecclesiarum in praecedente sententia facta sit.

2. linn. 9-10: « labor missionarius in non paucis adhuc regionibus... vix inchoatur »: tamquam hodiernum argumentum in favorem actionis missionariae haec sententia sane recta est sed incompleta; praesit argumentum de auxiliis externis quibus indigent multae novellae Ecclesiae ad plenam responsabilitatem exercendam.

His duabus emendationibus positis, sequentem textum proponimus pro linn. 7-10: « Eodem Spiritu impulsa etiam Ecclesia omni saeculorum decursu nuntios misit salutis in mundum universum, quibus Regnum Dei ad omnes populos extenderetur et, Deo iuvante, ultimis hisce temporibus multas novellas Ecclesias autochthonis pastoribus concredere potuit. Saepe tamen, ad plenam erga totum proprium populum missionem adimplendam, novellae Ecclesiae auxilio externo adhuc indigent; insuper in non paucis adhuc regionibus labor missionarius propter varii generis obstacula vix inchoatur ».

In linn. 11-24 dantur aliqua hodierna argumenta minoris ponderis; si placet, in fine prooemii ponantur, sed melius esset ista hic supprimere; si haec argumenta necessaria iudicantur, in parte minus conspicua schematis transferantur.

I. *De principiis doctrinalibus.* Nn. 1, 2, 3, 4: nimis multorum textuum allegatorum compilatio, haec pars valde complecti debet, mihi videtur.

Nn. 5 et 6: optimae sententiae, salva tamen emendatione linn. 1 et 2, pag. 9, ad mentem animadversionis meae generalis sub. 4.

Damnosum est huius capitis silentium de praeparatione ad Evangelium recipiendum a divina Provindentia peracta, mediantibus prae-christianis religionibus et humanarum societatum historia, sicut exponitur in Litteris Encyclicis praesertim *Evangelii Praecones*, in *Princeps Pastorum* reassumpta: « Catholica Ecclesia ethnicorum doctrinas neque despexit neque respuit, sed eas potius a quovis errore et a quavis impuritate liberatas, christiana sapientia consummavit atque perfecit... etc » (*A.A.S.*, 1959, p. 844). Ad hanc doctrinam schema pluries spectat (II, 7 e. g.); attamen oporteret illam in hoc doctrinali capite breviter sed expresse proponi.

II. *Rationes generales apostolatus missionalis*. N. 7: bona sunt haec verba de spiritu evangelico. Merito ostenditur apostolus tamquam « conscius se gratiae Dei instrumentum esse » (lin. 7) et Christum Ipsum fuisse « mitis et humilis » (lin. 17). Ex illis sententiis expresse colligatur *humilitatis* necessitas, non tantum in apostoli persona, sed in tota Evangelii praedicatione.

Simili modo, caritatis opera erga indigentes notare (lin. 30) nullo modo sufficit. Docendum est *spiritum paupertatis* in Evangelio praecellere et testimonio claro et aperto indigere, etiam et praesertim apud pauperiores populos, non tantum per virtutem personarum sed imprimis per modum agendi in apostolatu.

Deinde, *iustitiae socialis cura* firmiter proponatur.

N. 9: linn. 26-33 transferentur ad cap. 1, n. 5, cuius doctrina sic complebitur. Linn. 34-40 magni momenti sunt: in his lineis iacet fundamentum notae « auxiliarii » quae missionario extraneo proprium est et exprimitur spiritus eius formationis, de quo agitur in cap. III. His linn. 34-40 id quod novellis Ecclesiis *dare* debet Ecclesia universalis dicentibus, adiungere oportet aliam sententiam id quod a novellis Ecclesiis *recipere potest* Ecclesia universalis, scil. caritatis et sanctitatis incrementum, catholicitatis confirmatio et amplificatio.

Haud parvi momenti psychologici esset hic addere quoddam de optata novellarum ecclesiarum collaboratione in officiis centralibus Ecclesiae, v. g. in Curia romana, in servitiis diplomaticis, in scholis universitariis, etc.

III. *De formatione missionali*. Caput istud e rebus tantum generalibus constat et valde inferius est recentibus encyclicis, *Princeps Pastorum* praecipue.

Tam pro localibus quam pro extraneis missionariis haec ibi dicta « circa patrimonium religiosum et culturale et linguas et mores populorum » (n. 14, lin. 27 et n. 17, lin. 29) omnino deficit, eo quo de hac quaestione schema tacet in cap. I, ut iam supra notavimus.

Ordo A et B contrario ordine ponatur: missionarii locales ordinarium enim Ecclesiae ministerium exhibent; itaque ex eorum officiis necessitatibusque clare et correcte exprimi potest auxilium extraneum quod in cap. II, n. 9, linn. 34-40 fundamentum habet.

N. 13: ordine A et B permutato, possibile erit in meliorem lucem ponere consequentias sententiae S. S. Pii XII in *Evangelii Praecones*: « Sicut enim in ceteris omnibus catholici orbis dioecesibus plerumque religiosi sodales Ordinario locorum antistiti adiumento sunt, ita pariter iidem in missionum regionibus, etsi ex alia orti sunt gente, veluti auxiliares copiae sanctum certare certamen non desinent » (*A.A.S.*, 1951, p. 510). Hic clare iterandum est immoderatum proprii Instituti amorem vero sensui Ecclesiae aliquoties oppositum esse. Opus est etiam ante oculos ponere necessitatem spiritus collaborationis (lin. 20) cum *omnibus* confratribus, saecularibus vel regularibus, localibus vel extraneis.

N. 13, lin. 27 « et linguas »: instandum est ut vernacula lingua bene cognoscatur et etiam ab iis qui ea in proprio officio non indigent; sine linguae regionis scientia enim extranei manebunt et eorum apostolica efficientia valde minor semper manebit.

N. 16, linn. 13-17: optimum hoc est, sed pertinet ad cap. IV; in hoc loco, ubi agitur de aliqua specifica formatione, haec verba de laicis in genere sequentis sententiae de missionariis laicis vim infeliciter enervant.

N. 17, linn. 24-25: magni ponderis sententia, quae in initio capitis valde convenit (cf. Animadversiones generales sub 4).

N. 18: in connexione cum hoc textu, quaestio ponatur de sacerdotibus et religiosis utriusque sexus qui longo tempore in Europa egerunt et a proprii populi moribus quasi alienati sunt.

N. 18: tamquam complementum rebus his dictis, schema opportune iniiceret consilium congregandi noviciatus et domos educationis diversarum congregationum ut facilius et melius obtineatur congrua formatio membrorum; non raro enim aliqua parva congregatio magistris competentibus caret.

N. 19: par. 1: cf. animadversionem ad n. 16, linn. 13-17. De zelo apostolico omnium fidelium loquentes, ad cap. IV (ubi textus similis in n. 21 invenitur) hi textus referantur. Adhuc melius si adessent in tractatu *de Ecclesia,* vel in initio huius *de missionibus* schematis, tamquam recordatio vocationis missionariae generalis, ex qua omnia in hoc schemate dicta oriuntur.

IV. *De cooperatione missionaria.* Apertissimo et firmissimo modo reiicienda sint omnia quae filialem reverentiam erga Sanctam Sedem non servarent. Sed defectus in hoc schemate alicuius sententiae de Sancta Sede vel potius de centrali missionum coordinatione desideranda mirabilisque videtur.

N. 21, linn. 22 ss.: ut vitetur aliqua ambiguitas qua « temporalia officia » eodem titulo quam « servitium operis missionarii » sub auctoritate episcopali ponerentur, verba « sub ductu episcopi » transferri debent et sententia eo modo emendetur: « ... ibi artes suas in servitium operis missionalis sub ductu episcopi exercent, vel in spiritu evangelico temporalia officia persolvunt ».

Additiones ad animadversiones generales. 1. Schema non agit de extensione essentiali Missionis, sc. de extensione oecumenica. Non nisi minus apte innuit: *lugenda christianorum divisio* (p. 5, lin. 13). Mentionem non facit magni prospectus ioannei: « Ut omnes unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti » (*Io.* 17, 21), qui solus praeberet definitionem relationum Missionum catholicarum, orthodoxarum, protestantium, quae sunt tanti momenti in situatione hodierna. Oecumenismus protestantium, re vera, natus est ex Missione et in ipso Missionis territorio Ecclesiae catholicae ponit quaestiones suas gravissimas: est vera provocatio pro Missione catholica ratione conceptus sui absolute mundialis Missionis, quae caret « omni sensu christiano arcto » et quae per realitatem « communionis » offertur Novis Ecclesiis in sinu « Consilii Oecumenici Ecclesiarum ».

2. Schema videtur nescire extensionem vere eschatologicam Missionis. Haec penetrat permanenter et producit progrediens realizationem Mysterii Christi in Ecclesiis Localibus. Schema ignorat relationem directam, quae secundum Verbum Dei, unit evangelizationem mundi et adventum definitivum Regni. Missio respectu paganorum est conditio necessaria Parusiae.

56

EXC.MUS P. D. IOSEPH CALASANCTIUS ROSENHAMMER
Episcopus tit. Amporensis, vic. ap. Chiquitosensis

Uber die Notmassnahmen zur Linderung der Folgen der Priesternot in den Missionen.

Das Wort des Heilandes « messis quidem multa operarii autem pauci » findet besonders in den Missionsländern ihre traurige Auswirkung, wo in weitausgedehnten Gebieten die Gläubigen oft nur von einem einzigen Priester betreut sind. Der Glaube der Christen kommt dadurch in grösster Gefahr, weil heute die gottlose, materialistische Propaganda durch Radio, Presse und Propagandisten bis in die entferntesten Siedlungen der Missionen dringt. Da die Christen, die nur selten den Priester sehen und priesterliche Betreuung geniessen, doch ständig den feindlichen Einflüssen ausgesetzt sind, kommt ihr Glaube leicht in Gefahr.

Die Besserung dieses Zustandes kommt von einem Mehreinsatz von Priestern, der durch Gewinnung von Priesterberufen erzielt werden soll. Das ist aber, bis dieser vermehrte Einsatz möglich ist, ein weiter Weg, denn bis jetzt wiegen die Erfolge in der Vermehrung der Priesterberufe kaum die Notwendigkeit auf, die sich durch den Bevölkerungszuwachs ergibt. Selbst der Einsatz von Diakonen kann nicht die unmittelbare Hilfe und Linderung bringen, weil die Wirksamkeit erst erprobt werden muss und mit Rückschlägen zu rechnen ist. Die Erfahrung lehrt auch, dass auch die Laienapostel zu ihrer wirksamen Tätigkeit einer ständigen Führung durch kirchliche Vertreter bedürfen.

Die unmittelbare Linderung der gefährdeten Lage der Christen in den Missionen könnte von dem Einsatz von Missionsschwestern kommen. Es ist ein Aufblühen von Schwesternberufen in den Missionsländern vorhanden. Die Bildung der Schwestern benötigt weniger Zeit. So bestünde die Möglichkeit, die geistlichen Schwestern in kleineren Gruppen in Orte zu senden, die vom Priester nur ein oder zweimal im Monat kurz besucht werden können, um dort die Hl. Messe zu feiern und die Gläubigen im Wesentlichen zu betreuen. Diese Schwestern könnten sich der Kranken annehmen, den Sterbenden beistehen, den Katechismus lehren und in der Kirche bei der Gestaltung des Kultes ohne Anwesenheit des Priesters mithelfen. Diese Schwestern würden die lebendige Verbindung der Glaübigen mit der Kirche und dem kirchlichen Leben aufrecht erhalten, die Gefahren von Seiten der Feinde kontrollieren und paralisieren und dadurch wesentlich dazu beitragen, dass der Einfluss der feindlichen Kräfte weniger fühlbar und weniger verderblich wäre.

Diesem Einsatz steht bis heute die grosse Schwierigkeit entgegen, dass Schwestern, die in solchen Orten leben praktisch der Eucharistie beraubt sind, was auf die Dauer eine unmögliche Situation darstellt. Gerade die Ordensfrau benötigt für ihr apostolisches Leben die Nähe und die Verbindung mit der Eucharistie, in der täglichen Kommunion. Es sollte daher diesen Schwestern erlaubt sein, dass sie auch in Abwesenheit des Priesters täglich kommunizieren. Der ein- oder zweimalige Priesterbesuch im Monat wurde sie ohne Schwierigkeit in ihrem Glaubens- und Gnadenleben aufrecht erhalten. Es ist nicht auszudenken welcher Gnaden- und Segensfülle unsre verwaisten Pfarreien dadurch teilhaftig wür-

den. Und es ist dies nicht eine Neuerung — es würde nur die Verwirklichung darstellen, was in den ersten Jahrhunderten gepflegt wurde, wo die Glaubigen sich in ähnlichen Lagen befanden.

Die Priesternot hat in den Missionsländern auch zur Folge, dass der lebendigen Teilnahme am eucharistischen Opfer durch die Kommunion der Gläubigen sehr enge Grenzen gesetzt sind. Ein einziger Priester, der tausende von Gläubigen zu betreuen und nicht die Moglichkeit einer Aushilfe durch andre Priester hat, kann unmöglich zahlreiche Personen in der herkommlichen Art das Bussakrament spenden.

Es wäre im Interesse des lebendigen eucharistischen Lebens und der wahren Belebung der Eucharistiefeier, wenn dem Missionar bei grossem Andrang von Beichtleuten, die er gemeinsam vorbereitet, die Möglichkeit gegeben würde, die Beichtkinder zu absolvieren mit der Formel ohne jegliche andre Beigabe: « Ego te absolvo a censuris et peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen ». In dieser Weise könnten in der gleichen Zeit eine weitaus grössere Zahl von Gläubigen die Lossprechung empfangen.

Es sollte auch an der Front des Gottesreiches von dem Privilegium Gebrauch gemacht werden können, das an den Kriegsfronten gegeben war, dass nämlich in ganz besondern Fällen die Glaubigen in Kollektiv-Absolution von ihren Sünden losgesprochen werden. Auch damit käme man auf frühere Beichtpraxis zurück.

Angesicht der oben Ausführungen — erlaube ich mir vorzuschlagen, dass im Schema de Missionibus im zweiten Kapitel ein neuer, der 13. Paragraph angefügt werde mit dem Titel: *Notmassnahmen, um in den Missionen die Folgen des Priestermangels zu mildern.* Weil die Priesternot in den weitausgedehnten Missionsgebieten so erschreckend ist und der Ansturm der Gottesfeinde so stark — ist eine Soforthilfe nötig, um den Verfall des Glaubens zu verhindern. Um dies zu erreichen soll dem Missionsbischof die Möglichkeit gegeben werden, Schwesterngruppen in entlegene priesterlose Pfarreien und Orte zu entsenden, die nur ein oder zweimal im Monat von einem Priester besucht werden können. Damit aber diese Schwestern in ihrer schweren Aufgabe der Betreuung der Kranken und Sterbenden, Unterricht des Katechismus und Gestaltung des Kultes tapfer aushalten, soll dem Missionsbischof die Fakultät erteilt werden diesen Schwestern die tägliche Kommunion auch in Abwesenheit des Priesters zu gestatten.

Um auch in den Missionsländern die lebendige Anteilnahme an der liturgischen Feier durch die Hl. Kommunion der Glaubigen zu ermöglichen, soll den Missionaren bei grossem Andrang von Pönitenten gestattet werden nur mit der Formel « Ego te absolvo a censuris et peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen » — zu absolvieren.

In ganz ausserordentlichen Fällen sollte es dem Missionsbischof auch gestattet sein, die kollektive Absolution der Glaubigen seinen Priestern zu gestatten aus denselben oben angefuhrten Gründen, die sich besonders häufig in der Karwoche, bei bester innerer Disposition der Gläubigen ergeben können.

57

EXC.MUS P. D. INNOCENTIUS ALFREDUS RUSSO
Episcopus tit. Pegaeus

In genere lo schema mi piace, perché è pensato e condotto alla luce dei più alti e sicuri principi di nostra santa Fede. Il proemio è una pagina particolarmente felice e commovente, quasi drammatica in certi punti.

Farò, come è possibile alla mia pochezza, alcune osservazioni qua e là, e suggerirò qualche emendamento.

Ad n. 2. del proemio, dopo la parola *Apostolos,* toglierei *primum,* per evitare una distinzione troppo essenziale tra *Apostolos ... et Ecclesiam.* Quindi, per uguale ragione, redigerei i due periodi seguenti così: « Apostoli, Spiritus Sancti plenitudine moti ac roborati, euntes praedicaverunt ubique et genuerunt ecclesias; et eodem Spiritu impulsa, Ecclesia omni saeculorum decursu nuntios misit salutis in mundum universum, quibus Regnum Dei ad omnes populos extenderetur ».

Non sarebbe opportuno, trattandosi di S. Concilio, enumerare esplicitamente (linn. 21-24) le « multae evangelizandi opportunitates quae nunc sunt » e che « praevidentur brevi annorum spatio non amplius extiturae »? Dico esplicitamente, e aggiungo, almeno in qualche nota?

Il n. 1 del cap. I è molto bello, perché è un'opportuna sintesi di verità rivelate sull'argomento e cioè sui « Principi Dottrinali ».

Ad n. 5, lin. 32, non si potrebbe sostituire la parola *implantandi* (non nuova certamente in alcune prose ecclesiastiche) con un vocabolo migliore? Difatti, poco appresso si dice « In hanc Ecclesiarum fundationem etc. ». Mi verrebbero in punta di penna i verbi: *condere, instituere, constituere.*

Del resto, il n. 5 è veramente ispirato ad una luce di carità tutta operosa, ardente, ricca di sapienti slanci di apostolico urgente zelo. La visione delle chiese novelle, che a loro volta si fanno promotrici di aiuto missionario alle chiese che stanno per nascere; la realtà della Chiesa di Cristo, che, « praeter peccatum », sa assumere e trasfigurare « quaecumque sunt vera, quaecumque sancta, quaecumque amabilia »; la visione che in essa « unitas nunquam offendit diversitatem et diversitas semper fulget in unitate ». mentre « Corporis episcoporum varietas in Primatus soliditate confirmatur et unitur », rendono evidente il costante, rinnovantesi prodigio.

Al n. 6, dove si parla dell'opera divina di Cristo nella vita della Chiesa, e si dice che ciò è in atto e continua; tutto è dottrinalmente chiaro. Ma poi si aggiunge: « usque ad illum diem in quo redibit ad implendam expectationem suae Ecclesiae et ad novum mundum constituendum ». Qui si sarebbe desiderato un richiamo scritturistico o di autorità, per precisare il significato di quelle parole « ad novum mundum constituendum ».

Nel cap. II, non saprei abbastanza compiacermi nel brano che va dalla lin. 17 alla lin. 31. Sull'esempio del Divino Maestro che « propter nos egenus factus, mitis et humilis cum peccatoribus est conversatus », il Missionario deve predicare il Vangelo con l'esempio della vita santa e con l'opera molteplice della carità, e parimenti disporre le genti all'evangelizzazione con l'avvicinamento alle

stesse, in tutte le forme e circostanze che favoriscano l'apostolato: « Gentes evangelizandae patrimonium religiosum et culturale, linguam et mores intimius callere studebunt et in eorum magna varietate providentiam Dei quae vias ad Evangelium praeparat agnoscent; vitam etiam suam eisdem moribus, sincero et amanti corde, quantum fas sit, confirmare satagent ».

Quanto sopra viene più avanti, con maggiore ampiezza di affermazioni e di riferimenti storici, confermato, specie in tutto l'importantissimo num. 11, dove si sviluppa il tema indicato dal titolo (provvisorio) *Adaptatio missionalis.*

Sempre nel cap. II, al n. 8, lin. 7 della pag. 12, noto con interesse la esortazione su i *Neoconversi,* che intendono premunire il Missionario dalle urgenze dell'apostolato contro il prudente « festina lente », che poi garantisce in futuro un profitto più certo e più stabile. Perciò vi è detto che i *Neoconversi,* ammessi al catecumenato, « profundiorem cognitionem Christi in Ecclesia haurire debebunt et consequentias pro sua vita intellectuali, morali et sociali clare dignoscere, ut pene conscii et liberi, communitate christiana adiuti, ad Baptismum, Confirmationem et Eucharistiam accedere valeant ».

Opportune e tanto rispondenti allo spirito della Chiesa, le esortazioni alle *Chiese novelle,* alle quali si traccia una linea della propria crescita e del successivo espandersi in nuove comunità ecclesiali (n. 9); così pure quelle raccomandazioni che riguardano la fondazione e la installazione, nelle nuove Chiese, degli Istituti dello stato di perfezione (n. 10).

Al n. 12, dove si parla (*De coordinatione apostolatus*), vorrei alquanto chiarita e, con qualche clausola, circoscritta, l'affermazione che riguarda l'autorità del Vescovo: « Omnes ... eius solius debet stare in apostolatu mandatis ». È vero che il potere è su coloro che fanno attività missionaria, « animarum saluti operam navantes »; è vero che, più avanti, si consigliano frequenti conferenze tra i Superiori religiosi e il Vescovo; ma non sarebbe già opportuno, fin da adesso, nel testo autorevole del Concilio, mitigare quella affermazione, quel principio giuridico assai forte: « eius solius debent stare in apostolatu mandatis »?

Ad n. 12, trovo eccellenti le disposizioni segnate dalla lin. 26 alla lin. 38, con particolare compiacimento per la *limitazione* segnata alla precedente e incoraggiante libertà pastorale: « in illis quae ad rem politicam relationem dicunt ». In questo caso, è affermato giustamente: « decreta debent esse maxime vinculativa ».

Nel cap. III, è da segnalare una serie di raccomandazioni sulla *Formazione Missionaria.*

Sottolineo, come importantissime, al n. 14, le prescrizioni, per i candidati alle Missioni, sullo studio, « praesertim circa principia theologica et historiam missionum etc. » e « circa usum instrumentorum communicationis socialis ».

Così, rilevo con compiacimento e vivo assenso, ciò che si prescrive nel n. 15, quando si esortano i Superiori degli Istituti di perfezione addetti all'apostolato missionario « ut sodales ad magnum illud opus mittant non solum numero sufficientes sed etiam diligenter selectos et praeparatos ». Ciò può significare non tanto un avviso agli stessi Superiori, quanto, per loro stessi, una difesa di richieste indesiderate.

Al n. 20, dove si parla della necessità e della formazione dei Catechisti autoctoni nelle missioni, avrei desiderato una nota riferentesi agli accennati elogi, fatti dai Sommi Pontefici a questo ufficio, quale eccellente esempio dell'aposto-

lato dei laici « tamquam praestantissimum apostolatus laicorum exemplum ».

Che dire del cap. IV? Si potrebbe definire come un proclama, il manifesto del S. Concilio a tutto il mondo sulle Missioni, ovvero, più profondamente, e pastoralmente, sull'*obbligo missionario!*

È questa una voce che dal Concilio risuonerà ben forte e — lo spero — ben efficace, per far capire a tutti che « Missionalis actio omnium catholicorum est munus et honor» (pag. 21, linn. 4 e 5).

Al n. 21, parlando dell'obbligo di ciascun fedele ad aiutare l'opera missionaria, è ricco di profonda efficacia spirituale, qui, in questo testo autorevole, il far convinti solennemente, che « quilibet fidelis » « Christo in Ecclesia unitus », può giovare alle missioni, offrendo — in prevalenza di valori — soprattutto « orationes, tribulationes et sacrificia »! E poi, solo poi, si aggiunge che può aiutare *anche* con i mezzi materiali: « et etiam, pro viribus, materialia auxilia offerendo »! (Passim).

Nel n. 22, pag. 22, linn. 3-7, è importante la esortazione agli Istituti di perfezione di assumere in maggior numero, o con maggior numero di specifici impegni, la collaborazione alla espansione e all'affermazione dell'opera missionaria. Le indicazioni (esemplari) qui date, sono degne ormai dell'ora apostolica!

Trovo poi molto opportuno l'avviso nel n. 24 (a pag. 23, linn. 8 ss.) che cioè il generoso movimento di aiutare le popolazioni perché progrediscano economicamente e socialmente, bisogna pur farlo; questa assistenza, anzi, « a fidelibus nunquam negligenda est »; ma in questa, non si esaurisce la loro carità missionaria: « sed in ea ne sistant »!

E, cioè, per l'impegno di aiuto economico-sociale ai popoli in via di sviluppo, « nunquam obliviscantur auxilii tum materialis tum spiritualis quo missiones sive nascentes sive crescentes indesinenter egent ».

Buono anche, e pratico, il n. 25. Notevole l'esortazione di fondare, ove occorra, nuovi Istituti missionari; così pure quella che riguarda, da parte delle *Conferenze Episcopali,* il modo di raccogliere gli aiuti; i consigli per la loro assegnazione, e per il così detto « gemellaggio ».

Negli ultimi due righi del n. 25, testè esaminato, è detto, a proposito dell'opera missionaria, che, lavorando così, « tota Ecclesia cooperante », « sub ductu Romani Pontificis, quam primum omnia in Christo instaurentur ». In questi versi c'è tutta la fede e la speranza della Chiesa, tutta la luce consolante del Regno di Dio.

58

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS SATOSHI NAGAE

Episcopus Urawaensis

1. In schemate iure declaratur Ecclesiam esse signum seu Sacramentum Christum manifestans; recte docetur missionarios se praebere debere vivam repraesentationem Redemptoris coram mundo.

Attamen schema omnino silet *quomodo* haec omnia in concreto fieri possint et debeant in hodiernis circumstantiis. Deficit enim examen utrum et quaenam sint « conditiones concretae operis » Ecclesiae (pag. 9, lin. 25), quae reapse et vere Christum populis non-christianis manifestare possunt. Deficiunt etiam ana-

lysis et classificationes circa *conditiones concretas in societatibus evangelizandis* hodie communiter existentes (uti e. g. paupertas; difficultates vitae quoad victum, habitationem, conditionem laboris), ad quas dictae conditiones concretae operis Ecclesiae aptari seu respondere debent ut ipsa revera et efficaciter Evangelium annuntiare et testificari possit.

Deficiente tali expositione circa has duplices conditiones concretas sive scil. ex parte Ecclesiae sive ex parte mundi, « principia » (cap. I) et « Rationes generales (cap. II) apostolatus missionalis, etsi optima habeant de natura Ecclesiae missionaria et de dispositione subiectiva missionariorum, quodammodo *in ordine abstracto* manent.

2. In schemate *plantatio* ecclesiarum non clare distinguitur a *transplantatione* institutionis ecclesiasticae. Desideratur insuper fusior et clarior expositio de aptatione.

Formae *traditionales* et *alibi validae* vitae christianae, institutorum, structurae, activitatum, subordinari et aptari debent ad *supremam exigentiam missionalem* quae est annuntiatio et testificatio Evangelii.

Fundatio ecclesiarum non confundenda est cum quadam *imitatione* superficiali structurae et apparentiae Ecclesiarum alibi per saecula existentium. Transplantatio materialis stylus vitae et institutorum alibi fundatorum quandoque tendit ad formandas communitates clausas et alienas a contextu sociali. Cavendum est etiam periculum *triumphalismi.*

Aptatio missionalis non tantum significat acceptionem elementorum localium, sed praeprimis exigit *purificationem* et mortificationem spiritus, ut, depositis elementis accidentalibus quae ad exigentiam missionalem non respondent, ad elementum spirituale et essentiale revertantur. Aptatio insuper, regulante auctoritate competenti, appellat ad libertatem et spiritum initiativum.

De his omnibus maxime desideratur coordinatio et cooperatio inter varios coetus et instituta sub auctoritate episcopi et conferentiae episcopalis ordinante.

3. Schema recte animadvertit de necessitate normas condendi circa relationes inter Ordinarium loci et superiores religiosos. Deficiunt tamen in schemate indicationes directivae quas competens consilium post-conciliare in normis condendis sequi possit.

4. Schema silet de difficultatibus psychologicis missionariorum sive exterorum sive autochthonorum, quos non raro torquentur sensus *inefficacitatis,* apparentis *inanitatis* laboris sui, *solitudinis, alienationis* a societate. De his Concilium loqui debet ut missionariis cum verbis consolatoriis viam mediaque concreta indicare possit.

5. Si excipiatur quaedam vaga allusio circa unionem christianorum fovendam (pag. 13, linn. 32-39), et dum in schemate quaedam mentio habeatur de liturgia restauranda et de apostolatu laicorum fovendo, nihil tamen dicitur de oecumenismo, de relatione cum aliis religionibus et de praesentia Ecclesiae in mundo aedificando. Saltem momentum magnum harum rerum in missionibus indicandum est.

6. Tandem, in schemate deficit *visio* missionaria Ecclesiae hodiernae, capax infundendi enthusiasmum et excitandi novas ideas novasque activitates, qua indicentur *orientationes generales conditionesque concretae* laboris missionalis ho-

dierni, quibus ductis et adhibitis, Ecclesia se reapse et efficaciter manifestare possit *signum Christi* annuntians et testificans Evangelium eius in conditionibus concretis mundi hodierni.

His dictis concludere liceat quod schema funditus revisendum est ad mentem hisce expositam.

59

EXC.MUS P. D. ADOLFUS GREGORIUS SCHMITT
Episcopus Bulauaiensis

De titulo...; prooemium, pag. 5, lin. 7...; *cap. I,* pag. 8, n. 5...; pag. 10, nota 38...; *cap. II,* pag. 12, linn. 24..., 29-32...; pag. 13, linn. 12, 32 ss. ...; pag. 14, linn. 30 ss. ..., 35-38...; pag. 15, lin. 19...; pag. 16, lin. 8...; *cap. III,* pag. 17, linn. 16 s. ...; pag. 19, lin. 21...

Cf. supra, pp. 750 s.

60

EXC.MUS P. D. PAULUS LEO SEITZ
Episcopus Kontumensis

Remarques préliminaires. a) Il n'est pas dit s'il s'agit d'un Décret, d'une Constitution, ou d'une section à introduire dans une Constitution plus générale.

b) Le Concile présent ne serait-il pas le premier à traiter des Missions (voire de la Mission de l'Eglise)? Si cela était, il conviendrait de chercher la cause du silence antérieur et d'établir la nécessité d'une élaboration actuelle; de plus le fait mériterait d'être signalé au début de la rédaction.

Remarques générales. Si l'on se place dans la perspective de ses rédacteurs, ce schéma est acceptable comme base de discussion conciliaire; il contient de très bons principes (susceptible d'un meilleur parti), des intuitions justes (dont on pourrait tirer davantage). Mais justement on peut se demander si ce point de vue est celui qu'il convient d'avoir aujourd'hui... La question reviendra fréquemment au cours de la critique de détail et sera réenvisagée en conclusion. On peut déjà attirer l'attention sur les points suivants: *a*) On reste dans l'incertain quant au vocable *missio.* Que recouvre-t-il?

b) La composition du schema manque d'unité,[1] comme si, à côté de la main du maître rédigeant en style théologique dense, une maine moins habile avait développé des généralités vagues.

c) S'agit-il seulement des Missions au sens actuellement courant du mot, comme réalisations d'une vocation particulière dans l'Eglise?

d) Même s'il ne devait s'agir que de cela, le schéma fait-il vraiment avancer la question? Que renouvelle-t-il en ce domaine?

---

[1] Ce qui en rend très difficile l'examen critique; on croit avoir pénétré la pensée présidant à la rédaction et à la page suivante le texte reflète une autre conception (ainsi, au Cap. I, au § 1 la Mission consiste en « annonce », aux §§ 3 et 4 elle est présentée plus théologiquement et organiquement comme manifestation et communication du Christ Verbe de Vie.

e) A-t-on suffisamment pensé aux réactions possibles de la Hiérarchie des « Jeunes Eglises »?

f) Ecarte-t-on a priori la question de la Mission dans les régions où la christianisation a commencé dès les premiers siècles de l'Eglise? Cela semblerait contradictoire avec la restauration du Catéchuménat dans ces pays.

g) Qui ne souhaiterait que le *de Missionibus* se rattache effectivement et visiblement au *de Ecclesia?* Ce n'est le cas ni pour la forme ni pour le fond.

Remarques détaillées. P. 5, ligne 1: addatur: Christus Iesus « missus a Patre », ... Ligne 2: addatur: praedicationem voluit; « ille, qui emisit Spiritum », apostolos primum... Ligne 5: addatur: Eodem Spiritu impulsa « et missa »... Ligne 10: addatur: inchoatur, « et in omnibus locis nondum perficitur ». Lignes 11 ss: numerus missionariorum et copia subsidiorum non sunt aequiparandi.

Le problème d'ailleurs n'est pas là et il est regrettable qu'on tombe si vite dans des considérations si terre-à-terre.

Ligne 15: « favent » elementa ista ambigua sunt, et materialismo favere possunt.

Lignes 21-24: ce texte reflète une fausse perspective en faisant abstraction de la dimension essentielle: celle du Mystère.

Novus textus proponitur: « Mundi incrementum et motus in discrimen adducunt universalem in Christo instaurationem; ideo stimulare debent actionem Ecclesiae missae ita ut Corpus Christi ad cosmicam eius mensuram perveniet, virtute Eucharistiae ubique celebratae et omnibus communicatae ».

Lignes 25-27: voici justement l'occasion de *renouveler* l'optique missionnaire en lui restituant sa dimension réelle: ubique terrarum. La suite du schéma semble limiter ce « ubique terrarum » aux « pays de mission ». C'est un exemple de texte très bon, dont il suffit de tirer les conséquences.

Ligne 30: verba « apostolatus » et « missio » idem exprimunt (tautologie): cette forme incorrecte et indigne d'un texte conciliaire est à éliminer radicalement. Dire que l'Eglise est apostolique équivaut à dire qu'elle *est* missionnaire.

P. 7, ligne 1: « Mysterium Christi annuntiandum »: Ecclesia missa est non solum ad Christum annuntiandum (vel proclamandum) sed etiam ad Christum communicandum [2] ita ut efformetur unum Corpus in plenitudine Christi per Eucharistiam vivificantis.

On constate que, ici, la Mission est limitée à l'*annonce.* Mais la question se pose: cette limitation est-elle correcte? Le *Mystère* n'est pas seulement une bonne nouvelle à entendre, mais une Vie à participer par incorporation transfigurante. Le terme de la Mission alors ne serait pas la perception d'une parole par un sujet récepteur, mais l'insertion de ce sujet dans la communion du Christ.

Le § 1 devrait être corrigé en ce sens; qu'au moins il n'exclue pas une conception plus dynamique et plus organique de la Mission. A cette occasion il conviendrait de rattacher ce début au § 10 du *de mysterio Ecclesiae.*

Lignes 5-12: novus textus proponitur: « Aedificata super fundamentum Apostolorum, nuntiat Ecclesia mysterium Christi in seipsa operans. Illud mysterium operatur et significatur in omni loco ubi munda oblatio offertur, donec Christus veniat ».

---

[2] Cf. p. 8, ligne 4.

Lignes 12-15: ita modificentur: « Ideo Ecclesia a Deo missa nullum aliud fundamentum ponit nisi Christum, cum " non sit in alio aliquo salus, nec aliud nomen sub caelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri ". Ipsius mysterium est praedicandum et celebrandum ut omnes homines confitentes Dominum communionem cum Patre in Christo habeant et impleantur in omnem plenitudinem Dei ».

Ligne 20: loco « sub vultu Ecclesiae suae » dicatur: « in corpore suo quod est Ecclesia » (*Eph.* 1, 23). Loco « quasi signum et instrumentum seu sacramentum » dicatur: « quasi sacramentum ».

Lignes 20-22: ita modificentur: « permanere in corpore suo quod est Ecclesia, ut per ipsam, quasi sacramentum, mysterium filiationis omnibus hominibus revelaret ac celebraret, eosque filios in Filio faceret, coadunaret et assumeret ».

Lignes 26-29: sic modificentur: « Natura sua, Ecclesia est Apostolica, i. e. super Apostolos fundata et ad omnes gentes missa; mandato eius servando, amorem Sponsi manifestat cum Evangelium praedicat et Corpus Eucharisticum ubique offert ac auget » (*Eph.* 4, 16) ut omnes...

P. 8, lignes 29-30: textus modificetur: « quae aedificatio Templi spiritualis ab Eucharistia efficitur, a tota Ecclesia promovetur, per ministerium episcoporum in unitate Petri (una cum Petro) » qui munus...

Ligne 38: tollatur « et nova pro ipsis incipit aetas ». C'est l'Eucharistie, par le ministère de l'évêque, qui fait l'Eglise; que celui-ci soit « propre » ou non n'y change rien. On le verrait mieux si, dans ce par. intitulé *Aedificatio Ecclesiae,* le rôle essentiel de l'Eucharistie était mis en valeur.

P. 9, ligne 1: loco « paulatim missionariae evadant » dicatur: « qui a prima conversione ad missionem vocatae fuerunt, plene missionariae evadant ». La vocation à l'apostolat est contemporaine de la conversion; l'appel de Dieu à se convertir contient, pour chaque homme, la mission auprès de ses frères encore païens; pas de réponse positive à cet appel à la conversion sans effort positif de collaboration au salut des autres (l'exemple de Paul, à ce sujet, est typique).

Ligne 8: « Christo integrentur »: prendre de préférence une expression paulinienne, v. g. « in aedificationem corporis Christi occurrant ».

Ligne 12: « per Verbum, Baptismum et Eucharistiam »: la formule est confuse; il ne convient pas de mettre sur le même plan le Verbe et ses signes.

Lignes 15-16: « redibit... ad novum mundum constituendum »: ce nouveau monde est commencé; le Seigneur reviendra, non pour l'édifier, mais pour le rendre, achevé, au Père.

Ligne 20: « visibiliter extendit »: la Mission peut avoir pour effet d'étendre invisiblement le Corps du Christ; par l'œuvre obscure de missionnaires, apparemment sans résultat, des hommes pourront être finalement incorporés au Christ.

Ligne 25: « in gentibus »: id est? Encore une fois ne limiterait-on pas la Mission de l'Eglise à certains pays païens?

Tout le par. est à reprendre; d'ailleurs il manifeste un manque d'unité dans la composition, comme si on avait voulu rajouter quelque chose dit autrement par un autre: d'une part il fait double emploi avec le § 2 (trop bref); d'autre part ce serait le lieu ici, en § 6, de donner au chap. la dimension eschatologique qui lui manque.

Nova redactio sic fiat (pro § 2): « Christus Dominus adest et operatur in

Ecclesia quae, missa ad omnes gentes, signum est Verbi a Patre missi. Missio illi Verbi significatur et adimpletur per aedificationem Ecclesiae in hominibus (per aedificationem hominum in una Ecclesia). Eucharistia aedificat Ecclesiam illam (quae est Corpus Christi) cum homines, a baptismo renatos, incorporat. Ecclesia, tota missionaria, est ministra Christi Iesu in gentibus, sanctificans Evangelium Dei ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu Sancto (*Rom.* 15, 16) ». (Pro § 6): (sub titulo « de Missione peracta »): « Ecclesia missa est, usque ad ultimum terrae et ad consummationem saeculi, ut sit sacramentum mysterii Christi donec veniat. Missio non est peracta antequam " occurramus omnes in unitatem fidei... in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi " (*Eph.* 4, 13), " tunc et ipse Filius subiectus erit ei qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus " (*1 Cor.* 15, 28) ».

P. 11, ligne 6: « in tota sua vita spirituali »: tollatur « spirituali ». Le Verbe incarné ne s'est pas fait à nous par son « spirituel » seulement; d'ailleurs, en dehors de l'occident gréco-latin, distinguer chez l'homme une vie spirituelle d'une vie qui ne le serait pas n'a aucun sens.

Ligne 13: « in terris missionum »: on sait bien l'extension limitée que le langage commun donne à ces termes, mais sont-ils adéquats aux dimensions du Mystère du salut? et si, pour la commodité, il convient d'établir des distinctions, encore faudrait-il avoir un critère précis.

Ce par. contient de bonnes choses (notamment lignes 26-31)[3] mais n'y aurait-il pas lieu de signaler ici: *a*) le missionnaire a le respect des consciences; *b*) l'œuvre du missionnaire doit être et apparaître désintéressée; *c*) elle vise d'abord à occasionner une recherche de la Vérité de la part de tout homme.

P. 12: le § 8 est bon, soulignant justement: le primat du Christ Jésus, la place du système sacramentaire, la formation humaine à donner.

P. 12, lignes 26-27: « exteri »: extérieur à quoi? étranger à quoi? Comment situe-t-on le prêtre indigène de la ville qui va évangéliser les tribus primitives de son pays? On ne fait pas avancer le problème des missions en répétant des lieux communs sans mettre en question leur opportunité présente. « ... pondus diei et aestus » (*Mt.* 20, 12 - la référence donnée est inexacte) il ne convient pas de citer l'Ecriture au sens accommodatice dans un texte conciliaire; le missionnaire est ici assimilé à l'ouvrier prétentieux et murmurant, ce n'est pas flatteur: tollantur verba ista.

Ligne 28: dans ces conditions, qu'en est-il du missionnaire arrivant dans un pays où la Hiérarchie a été instituée? Sa mission n'a-t-elle plus de raison d'être, plus de fruit à porter? Il semble difficile de garder à la fois le sens des réalités et une conception de la mission que tout concourt à montrer surannée. D'où le trouble actuel de quantité de missionnaires doutant de leur vocation et des Modérateurs d'Instituts missionnaires inquiets de l'avenir. Le Concile est l'occasion providentielle de resituer la Mission dans l'Economie du salut; ce schéma y a-t-il visé?

Lignes 34-35: « germen »: non dicitur de Ecclesia sed de Verbo Dei. L'Eglise, Mère, sein, est un *milieu* de croissance pour ce Germe qu'est la Parole.

Ne partageant pas cette conception, statiquement découpée, de la réalité

---

[3] Ligne 22: addatur: « et dicere possint, ut Apostolus: facti sumus parvuli in medio vestrum tamquam si nutrix foveat filios suos » (*1 Thess.* 2, 7).

missionnaire, il m'est difficile de proposer un texte de rechange pour la rédaction de tout ce paragraphe qui ne semble pas susceptible d'une acception plus large. « Novella Ecclesia » est opposé à « Ecclesia universalis »: la distinction manque de clarté et peut être déroutante: il faudrait préciser d'abord le rapport entre Eglises locales et Eglise universelle.

« Semper indigens »: certes! mais si « semper » a un sens: *a*) l'« indigence » n'est pas un critère de la nouveauté d'une Eglise locale; *b*) toute Eglise locale a besoin de toutes les autres; *c*) l'« aide » ne peut être qu'une entr'aide réciproque (cf. Paul et Jérusalem).

« Auxilia novellis Ecclesiis praestare »: et réciproquement.

D'après tout cela on ne voit pas ce qui distinguerait un « pays de mission » d'un pays non-de-mission (?).

P. 13, lignes 1, 2: ici on oppose « nouvelles Eglises » et « missions in genere »; on ne voit pas du tout le critère de distinction, quelle réalité concrète recouvre-t-elle? S'agit-il de missions « en général » (?) ou du début de l'œuvre missionnaire en une région non encore évangélisée?

Lignes 3 ss.: « curent praepositi... institutionem... »: mais tout ce qui est signalé là et conseillé était déjà institué avant l'établissement de la Hiérarchie. Catéchuménat, apostolat des laïcs, écoles et séminaires sont les premières œuvres de nos missions... On se demande si la rédaction proposée tient compte de la réalité missionnaire; aucun missionnaire ne pourra y souscrire. En théologie de la mission un travail constructif s'impose, mais il doit partir d'une vue objective de la réalité et se centrer sur le Mystère du salut.

Par contre ce paragraphe doit insister sur l'union avec l'Eglise Universelle; les lignes 5-12 sont bonnes et pourraient être développées.

Lignes 15-16: « adaptationem »: voilà le cliché à tout faire en missiologie; le christianisme doit se traduire (afin d'être pensable par tout homme) et non s'adapter, c'est l'homme qui doit s'adapter à la Grâce par la conversion.

« sed etiam »: tollatur « etiam ». Melius dicatur: « Aedificatio Ecclesiae, ubique terrarum, non per solam hierarchiae institutionem, sed in primis per Eucharistiam celebratam perficitur; ita Verbum Eucharisticum christifideles recreat et transformat, sanctorum communionem construit, Christum totum in omnibus efformat, missionem suam adimplet ad gloriam Dei Patris ».

Lignes 19-24: le fait que le contenu de ces lignes est valable partout prouve, une fois de plus, que la Mission de l'Eglise n'est pas limitée à certaines régions.

Ligne 28: « etiam vita contemplativa », tollatur « etiam ». Melius dicatur: « Opus missionis opus Dei est, ideo efflorescet in primis vita contemplativa, quae... respondet, in institutis... valet, ut illius operis peracti signum et praefiguratio » (et ainsi on rejoint l'idée exprimée à l'alinéa sq.).

P. 14, § 11, ligne 29: « in *consuetudine vitae* gentis suae vivere *debent* ». Il faut vraiment ignorer ce qu'est une société païenne, aux structures païennes, au genre de vie incompatible avec le christianisme, pour écrire une pareille chose; peut-être a-t-on voulu dire qu'on restait de son peuple en devenant chrétien, mais la formule est gravement équivoque.

La coutume, tout en contenant des éléments christianisables, peut: *a*) informant une vie païenne, être obstacle à la conversion à l'Evangile, *b*) par son étroitesse, être obstacle à la communauté humaine qui doit dépasser toute distinction raciale ou nationale.

Faute de convertir la coutume, de réinstaurer in Christo les structures profondes d'un peuple, d'une civilisation, on voue la Mission à la stérilité: on affiche un certain nombre de chrétiens, mais ceux-ci continuent à vivre en païens, parce qu'ils pensent en païens, dans une société aux structures encore païennes. Ce point crucial suffirait à montrer que l'œuvre de la Mission n'est achevée nulle part.

P. 14, lignes 35-38: plutôt que de s'en tenir à l'énoncé d'une généralité, il importait ici d'y apporter des precisions complémentaires, encore aurait-il fallu garder les termes de la Constitution promulguée *de Liturgia*: « a Sancta Sede *statuenda* de adaptatione »: ce n'est pas du tout ce que dit le texte de la Constitution: « erit competentis auctoritatis ecclesiasticae *territorialis* aptationes *definire* » (§ 39).

Ideo textum emendare valde oportet. Loco « vel deinceps... » dicatur: « et a competenti auctoritate ecclesiastica territoriali aptationes definientur ».

P. 15, lignes 2-3: « fermentum Evangelii immittere valeant »: ceci est mal dit. Dicatur: « in eam vias ad Evangelium praeparantes agnoscant, fermentum a Verbo Creante immissum manifestent et augeant ».

En effet: il y a déjà un ferment dans tout ce qui, de la culture, est valable, capable de perfectionnement et d'achèvement, impulsion vivante et source de développement. Ce ferment n'a pas à être déposé par qui que ce soit: il est une parole de Dieu déposée en tout ce qui vit par la Mission créatrice du Verbe. La conception qui semble sous-jacente au texte visé (et à tout ce par. ambigu sur l'« adaptation ») risque d'engendrer des contre-sens, des fausses notes, une fausse adaptation, alors qu'il s'agit en vérité d'une *conversion* qui doit s'opérer (conversion est plus scripturaire qu'adaptation).

§ 12: en tout ce schéma, notamment ce par. et ses lignes 24-28, on semble n'avoir en vue que l'Eglise latine; cette perspective n'est pas pour favoriser le développement missionnaire des Eglises orientales, qui est pourtant vivement souhaitable; mais il n'en est pas question ici...

Ligne 11: loco « rector » dicatur: « Pastor »: gardons le vocabulaire du *de Ecclesia,* plus biblique.

Ligne 22: certes l'Instruction du 8-12-29 n'est plus à la page, mais faut-il chercher un nouveau modus vivendi provisoire, valable seulement dans certaines circonstances?

Ligne 23: textus ita mutetur: « ius commune recognoscetur secundum veras praesentes Ecclesiae Universalis conditiones ita ut introduci possit ubicumque terrarum ».

Quand on aura constaté objectivement que toute l'Eglise est en situation missionnaire, que sa Mission est partout et jusqu'à la fin des temps, on fera en sorte que le Droit commun soit missionnaire et applicable partout (combien d'évêques de France notamment ont demandé les mêmes facultés qu'on avait accordées à des Ordinaires missionnaires!).

Ligne 24: tient-on pour nulle l'impulsion nouvelle donnée par le Concile aux structures de l'Eglise, notamment en matière de décentralisation; *condere ubique terrarum* n'est pas l'œuvre de l'unique Siège de Pierre. On espérait n'avoir pas à revenir là-dessus.

Lignes 26-27: loco « auditis episcopis » dicatur « ex episcopis constatum ».

Ligne 30: on ne voit pas bien que des Conférences épiscopales puissent être plus utiles dans les *Missions* que dans l'*Eglise universelle*; celle-ci ne comprend-

elle pas celles-là? Les problèmes essentiels que ces Conférences affrontent sont les mêmes partout.

Ligne 37: « libertas »: on peut se demander si la Hiérarchie des Jeunes Eglises est *capable* de plus de liberté que les autres. Plus que jamais les évêques du monde entier sentent le poids de leurs responsabilités accrues, redoutent l'initiative individuelle et travailleront dans l'interdépendance.

Lignes 37-38: les imprudences en matière politique ne sont pas à redouter seulement de la part de Hiérarchies récentes; celles-ci pourraient à bon droit protester.

Très bonnes lignes 39, 40 ss. à condition que par « terris missionum » on n'exclue aucune région de la terre où se trouvent des païens.

P. 16, ligne 5: tollantur verba « etiam », « quasi ». Si on se réforme loyalement, il n'est pas besoin de le cacher par des circonlocutions.

Ligne 8: « apostolatus missionarius »: unum et idem: tollatur unum vocabulum.

Cap. III. Que ce chapitre traite des *altiora principia* et que les solutions de détail soient confiées à des Directoires.

Ligne 2: « exteri », « locales »: cette distinction d'une part ne correspond plus à la réalité (le Missionnaire n'est pas nécessairement un étranger se rendant à l'étranger), d'autre part est contraire à une vue théologale des choses: l'Eglise est étrangère et chez elle partout, tout chrétien est missionnaire de par les sacrements de l'Initiation. Ne perdons pas l'occasion providentielle que nous offre le Concile de revoir des conceptions routinières et de rectifier la terminologie en conséquence; la situation missionnaire de toute l'Eglise le réclame. Le clergé autochtone désire recevoir la même formation que le clergé dit missionnaire (voire plus poussée) et le schema souligne très justement (p. 18, ligne 24) qu'il importe de donner une formation missionnaire à celui-là; alors entendons-nous sur le vocabulaire.

On pourrait parler d'un « clergé diocésain ordinaire » et d'un « clergé extraordinaire » (clergé d'appoint ou pionnier selon les situations) envoyé par un Episcopat régional et formé dans des Instituts d'orientation (ainsi on remet en selle les Instituts Missionnaires, on les resitue — avec sens historique — par rapport à l'Episcopat, on évite l'application anarchique de Fidei Donum en préparant ces prêtres et en les situant entre un Episcopat envoyant et un Episcopat recevant).

De même pour le laïcat, tout entier missionnaire: d'une part peuple fidèle ordinaire du diocèse, d'autre part équipes extraordinaires de laïcs, spécialement formés dans des Instituts et envoyés par un Episcopat à un autre Episcopat. Cela découle de la structure même de l'Eglise. Il faut de l'audace pour reprendre une saine tradition. Toute la structure de ce chapitre se trouve ainsi mise en question.

§ 13: relève de la formation du clergé, fait double emploi avec le Décret des Séminaires, tout prêtre devant évidemment recevoir une formation missionnaire. Redisons ici ce qui est dit plus haut du « Droit commun »: que la formation dans tous les séminaires donne le souci des masses païennes partout présentes et la connaissance de leur mentalité.

Lignes 12-13: « apostolica et missionalis »: qu'est-ce que l'un ajoute à

l'autre? Ce sont deux traductions différentes d'un unique vocable scripturaire: tollatur « missionalis » vel « apostolica ».

§ 14: hors les mots « principia theologica » ce par. ne réalise pas son titre: formation *doctrinale.*

Lignes 26-27: inapplicable en raison de la diversité des peuples et situations auxquels les membres des Instituts missionnaires sont envoyés. Il convient par contre de donner à ces membres — qui doivent être des hommes *cultivés* — une formation générale en ethnologie, linguistique, etc. L'idée d'un Institut missionnaire scientifique (p. 18, ligne 4) est intéressante, mais il serait déjà bien que les missionnaires reçoivent cette formation scientifique dans les Universités existantes, voire les Facultés d'Etat.

Par contre, une fois sur place (au pays auquel ils ont été envoyés) les missionnaires, de toutes provenances, recevraient la formation concrète adéquate.

§ 16: le sujet est envisagé mais non traité (cf. ligne 29: « aliqua formatione »!).

La dispersion du sujet dans les §§ 16, 19 et 20 ne doit pas en faire perdre de vue l'unité. Il serait peut-être plus théologiquement juste et capable d'applications concrètes pratiques de procéder ainsi:

a) tout homme est appelé à devenir chrétien, donc assimilé au Christ dans sa Mission;

b) tout catéchumène a commencé sa conversion en répondant à sa vocation divine (Dieu l'appelle à venir à Lui en passant par ses frères); il ne se « tourne vers » Dieu qu'en se tournant vers ses frères pour les éclairer et les conduire au même salut. Il importe donc, dès le catéchuménat, de souligner le devoir missionnaire concret de tout chrétien et d'exiger des actes positifs en ce sens;

c) de par les sacrements de son initiation chrétienne, tout fidèle rené est assimilé au Christ dont toute l'existence est Mission, procédant du Père. Le chrétien ne peut faire deux parts dans sa vie: tout doit y être missionnaire; il est un envoyé;

d) de même que tout chrétien est appelé à mener une vie évangélique et que certains la réalisent absolument par la consécration religieuse de leur existence (qui a ainsi valeur de témoignage et d'exemple), de même certains réalisent, de façon absolue, leur vocation missionnaire en consecrant leur existence à la Mission de l'Eglise, ils se mettent en état (en situation) missionnaire concret, ce qui n'exclut pas d'exercer quelque fonction dans la société.

C'est de ce groupe-ci qu'il doit s'agir particulièrement dans ce schéma, l'apostolat ordinaire de tous relevant du *de apostolatu laicorum.* C'est à ce groupe que se rattachent les Instituts missionnaires laïcs, ainsi que les Catéchistes.

N. B. Les Catéchistes, autochtones ou venus d'ailleurs, peuvent accomplir leur service missionnaire soit en pays anciennement christianisé, soit en pays nouvellement évangélisé (où ils peuvent se trouver les premiers à évangéliser), soit auprès de païens, soit en milieu déjà chrétien — *en ce cas* [4] s'ils sont amenés, en raison de la déficience du clergé, à accomplir *habituellement* une suppléance ministérielle (une fonction de clerc), il convient qu'ils soient admis à l'étape

[4] Le cas peut se présenter en certaines régions, v. g. Amérique du Sud.

correspondante du sacrement de l'Ordre (toute fonction ministérielle habituelle découlant d'un Sacrement) — il n'en est pas question dans le § 20.

Ainsi ce chapitre gagnerait à être allégé de tout ce qui est vocation missionnaire commune et précisé quant à la formation, l'organisation et l'activité de ceux qui se consacrent à l'Œuvre missionnaire de l'Eglise (par vœux, promesse, ou toute autre expression concrète).

Cap. IV. Traiter de la formation missionnaire, puis de la Coopération missionnaire, est une division défendable; mais en fait on ne voit pas que la matière soit nettement répartie entre ces deux chapitres (ainsi au ch. IV on parle de l'esprit que doivent avoir les Instituts: p. 21, ligne 28; de la formation dans les séminaires: p. 22, ligne 17).

On peut se demander, de plus, si l'ordre des paragraphes convient: comment parler de l'œuvre missionnaire des prêtres (§ 23) avant de parler de la charge de toutes les Eglises qu'a le collège apostolique des évêques (§ 24)? Permutentur §§ 23 et 24 (24 et 25 restant liés).

P. 21, lignes 1-6: tollatur ista redactio, inutilis est. L'œuvre missionnaire est une nécessité vitale, une exigence de la vie chrétienne, c'est l'existence chrétienne elle-même, decoulant de l'insertion par les sacrements dans le Christ, Verbe vivant et envoyé — comme il est signalé plus bas (lignes 7 ss.) —; c'est bien autre chose qu'une question de « droit » ou de « devoir »!

Ligne 26: « viam faciliorem »: il ne s'agit pas tant de faciliter la conversion que de la rendre authentique, et c'est là que le rôle des sciences humaines est de premier plan, indispensable à la conversion authentique et profonde des structures mentales.

Lignes 26-27: ita mutentur: « Evangelii praeconibus viam penetrandi in mentem gentium faciliorem reddunt, ita ut non christiani ad lucem adire, veritatem recognoscere et ad Deum revelantem scienter se convertere possint ».

P. 22, ligne 3: « facilius » on peut trouver une raison plus impérieuse du maintien de la coopération des Instituts missionnaires. Dicerem potius: « Ut vitae missioni dicatae exemplum semper clarescat et latae eorum experientiae alii fructum capiant, Instituta missionalia valde necessaria sunt ad partem assumendam in opere missionario, quibus... ».

Ligne 10: « fovendam » est trop faible; melius dicatur: « ad missionem totae Ecclesiae ordinantur ». Vel (lignes 8-10): « Sacerdotes, cooperatores ordinis episcopalis, ministerium Christi, a Patre missi, participant et tota eorum vita ad missionem universalem ordinatur ».

Lignes 13-16: excellentes; on pourrait même appuyer (ligne 14): in Eucharistia, qui Ecclesiam construit, ... Cette solide théologie devrait être à la base de tout le schéma; mais, dès l'alinéa suivant, on semble l'oublier, rattachant la nécessité de l'évangélisation à la situation du monde et non à cette plénitude du Corps du Christ que réclame la Tête — ce qui était pourtant si net plus haut. La Mission c'est celle du Christ; le Christ doit être le Centre de toutes nos préoccupations. Toute la faiblesse du schéma vient de ce qu'Il n'en est pas manifestement le Centre.

Ligne 30: tollantur verba: « et sub eius auctoritate »; « una cum » est suffisant.

Ligne 38: voici un heureux et fructueux renouvellement, par l'abolition du Canon 1350, n'attribuant qu'au seul Pontife Romain la cure des missions ubique

terrarum, imposant donc de fait rite et langue latins partout et ignorant toute activité missionnaire des Eglises séparées de Pierre.

Lignes 39 ss.: textus ita mutetur: « Quam sollicitudinem (concrete ac historice) manifestare debent, necessitates suas designando, copias proprias communicando, sacerdotes ad regiones egentes deputando, iuvenes et clericos Institutis missionariis libenter dando, ita ecclesiae localis participationem in servitium missionis clare ac efficaciter significant » (cf. Mgr. Riobé, 66° Congreg. gen. 13-11-63).

Cette sollicitude s'est manifestée récemment par l'envoi de prêtres au titre de *Fidei Donum* (appel de circonstance pour parer à une urgence), mais un sens d'organisation doublé de sens historique, ferait reconnaître l'existence de ces Instituts missionnaires, issus de l'Episcopat (cf. formation originelle des MEP), capables, par leur expérience, de donner la formation indispensable aux « partants », et qui, loin d'avoir fini leur temps, doivent être fournis en vocations par les soins des diocèses. Ces Instituts, coordonnés par le Dicastère compétent, sont la marque la plus concrète de la sollicitude des Eglises, lien vivant entre l'Episcopat dont ils sont issus et l'Episcopat auquel ils envoient leurs membres; ainsi, plus au courant de la situation réelle de la Mission universelle, c'est à eux d'orienter leurs membres vers telle ou telle région, voire d'inaugurer de nouvelles missions, sous la conduite du Dicastère et selon les indications fournies par les Episcopats intéressés. Le Dicastère en question doit être formé principalement d'une représentation des Evêques intéressés et des Supérieurs de ces Instituts.

Pag. 23, ligne 7: addatur: « et paganos suae propriae dioecesis non obnubilare ».

Ligne 8: expansio, vel incrementum, motus est, non finis. La Mission consiste en un mouvement (expansion, croissance) et s'achève en la constitution d'un Plérome du Christ que Celui-ci remet au Père. Il n'est question qu'ici, ut mihi videor, de la Fin de la Mission, et encore comme arrière-plan aux réalisations économico-sociales. Certes ce sujet est à traiter (et les lignes 15-16 sont bonnes), mais la Fin de la Mission mérite d'être envisagée dans un par. différent.

Saltem dicatur in principio: « Cum Missio expansionem Regni Dei manifestet donec Christus veniat, et Corpus Christi paulatim aedificet usque ad finem quae est recapitulatio omnium in unum Christum, omnia in omnibus » (*1 Cor.* 11, 26; *Ep.* 4, 12; 1, 10; *Col.* 3, 11), non confundendus est...

Lignes 21-23: textus ita emendetur: « His et aliis modis episcopi efficaciter universalem sollicitudinem Ecclesiae participant, una cum Petri vicario (una cum Petro); in illo collegio apostolico unusquisque est necessarius collaborator in opere evangelizationis ad Corpus Christi coaedificandum ».

La « sollicitude universelle » n'est pas celle du Pontife Romain à laquelle participeraient les évêques, mais bien celle de toute l'Eglise apostolique — c'est à dire missionnaire — et premièrement de son fondement: les Apôtres et leurs successeurs, les évêques, dans l'unité de Pierre. Il semble qu'on veuille reprendre ici l'esprit du canon 1350, contrairement à ce qui avait été reconnu plus haut (p. 22, ligne 38). La force de la routine tend à causer des retours en arrière; on ne saurait être trop précis sur des sujets si importants pour la vie de l'Eglise.

Après ces quatre chapitres au sujet des Missions, on reste sur sa faim. Tant de questions, brûlantes pour des pasteurs, ne sont pas envisagées, même pas sommairement. Je ne parle pas du problème du Salut des Infidèles (ef-

fleuré p. 7, ligne 29) par rapport auquel il aurait été précieux de situer la Mission, mais de choses très simples à l'égard desquelles on aimerait que le Concile se prononce, ainsi:

a) La diversité des rites, les missions des Eglises Orientales, une nouvelle répartition de l'œuvre missionnaire qui tienne compte des possibilités de toutes les Eglises;

b) la situation des missions des Eglises séparées par rapport aux missions catholiques, les relations entre missionnaires sur ce terrain, les interférences de la Mission et de l'Œcuménisme (le souci œcuménique des Réformés est né en contexte missionnaire; il ne suffit pas de le signaler — ce serait déjà un pas — mais il y a une valeur vitale à faire surgir de là); sur ce point le schéma ne contient qu'une allusion: lugenda christianorum divisio (p. 5, ligne 13); les missionnaires n'en ont que trop souffert (et ont fait souffrir aussi), il est temps de cesser de pleurer pour bâtir;

c) si l'on tient au vocable « missions extérieures », il ne faut pas oublier la réalité de « missions intérieures » (v. g. Mission de France) auprès de déchristianisés et même d'authentiques païens. Il n'y a pas qu'une analogie de termes; ici et là l'œuvre nécessite les mêmes études et les mêmes efforts, l'œuvre est fondamentalement la même car il n'y a qu'une Mission de l'Eglise pour l'unique et suffisante raison qu'il n'y a qu'un Christ, Fils envoyé du Père.

Et c'est là que se situe l'insuffisance radicale — à mes yeux — de la conception développée en ce schéma: après avoir presqu'atteint le cœur du problème dans les Principes Doctrinaux, tout se passe comme si on oubliait ce qu'ils contenaient (je n'oserais pas dire qu'on a oublié le Christ) au moment de passer à des positions concrètes, malgré de rares rappels à l'essentiel comme p. 22, lignes 13 ss. et p. 12, ligne 5). Il reste maintenant à étudier la Mission davantage du dedans (ce « dedans » ne désigne pas l'« intérieur » dont il était question quelquels lignes plus haut, mais le Christ et le Mystère de la Mission). Car, à mon sens, il y a plus grave que les omissions signalées plus haut, c'est le silence sur les données suivantes:

1) la *Nature* de la Mission, sacrement de la Mission du Verbe, manifestation du *Mystère* (au sens paulinien), signe efficace de la re-création de tout *in Christo* (emitte Spiritum tuum et creabuntur);

2) les *Termes* de la Mission, issue du Père et devant faire retour au Père — terminus a quo: le Père proférant; terminus ad quem: l'image réceptrice en tous les hommes à constituer en Plérome à remettre au Père;

3) le *Mouvement* de la Mission entre ces deux termes: signe de la Grâce prévenante qui va au devant des hommes (Dieu nous a aimés le premier, et appelés avant que nous l'invoquions); le phénomène de la Conversion (et notamment les conditions d'authenticité de la réponse de l'homme à l'attraction de Dieu — développant ce qui est dit p. 8, ligne 15);

4) la *dimension eschatologique* de la Mission (et notamment le jour nouveau qu'elle donne aux situations concrètes).

Somme toute, le schéma analyse la situation missionnaire comme une tranche *spatiale* (figuré en clair par la division « chrétienté » - « terres de mission ») à laquelle manquent la dimension temporelle (il n'est pas question du principe premier, peu du développement, pas d'eschatologie) et la dimension d'intériorité du Mystère à accomplir en nous.

61

REV.MUS P. D. AUGUSTINUS SÉPINSKI
Minister generalis O.F.M.

Riguardo al Superiore Regolare nelle Missioni. Nel mese di aprile c.a., tra alcuni Superiori Generali è sorto un certo senso di timore a causa d'una voce sparsa, che accenna al desiderio manifestato da alcuni Vescovi o Vicari Apostolici, tra i quali anche europei, di voler proporre per i loro territori di missione la soppressione del Superiore Regolare. Ciò porterebbe naturalmente tutti i Missionari sotto l'assoluta dipendenza del Vescovo.

Qualora la cosa prendesse corpo, non si dovranno ignorare tre gravi pericoli cui andrebbero incontro tutte le Missioni, senza distinzione:

1) Verrebbe quasi necessariamente a diminuire o scomparire la vita regolare: il Superiore Regolare infatti ha l'ufficio particolare di tutelare gli interessi della vita religiosa, compatibili con il lavoro apostolico;

2) Le Missioni diverrebbero troppo facilmente il rifugio dei malcontenti della vita di comunità, con le conseguenze prevedibili;

3) Si verrebbe praticamente a sopprimere le Missioni, perché e Superiori Generali e Superiori Provinciali non avrebbero interesse ad inviare nuovi missionari nei campi di missione.

Queste apprensioni furono formulate nell'ultima assemblea generale dei Superiori Generali (15 aprile 1964), che pregarono unanimemente la Presidenza d'intervenire presso le Autorità del Concilio e delle Sacre Congregazioni Romane.

Ecco il voto unanime dell'Unione Romana dei Superiori Generali: « I Superiori Generali supplicano umilmente le Autorità del Concilio e delle Sacre Congregazioni Romane che nulla venga innovato allo statu quo dei diritti e doveri del Superiore Regolare nei campi di missione ».

62

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS SIMONS
Episcopus Indorensis

Ad Prooemium, pag. 5, par. 3, linn. 21-24: haec paragraphus deleatur. *Ratio*: favet opinioni pessimisticae eorum qui opinantur opportunitates evangelizationis absolute minores futuras esse, quod minime probari potest. Quaedam opportunitates, eae praesertim quae in paupertate et ignorantia vel « primitivitate » nonchristianorum consistunt, diminuent — nec de hoc dolere debemus —, sed alia elementa quae favent evangelizationi crescere possunt et multi maioris momenti esse poterunt pro successu apostolatus. Haec elementa faventia praesertim operabuntur in terris islamiticis et in terris altioris culturae Indiae, Chinae, Iaponiae, alibi.

Ad cap. I, pag. 9, linn. 10-11: haec sententia vel omittenda vel complenda est. Nam non solummodo « in Primatus soliditate » sed etiam in fide et caritate in Christum et in collegialitate « varietas corporis episcoporum » « confirmatur et unitur ».

Cap. II, n. 7, pag. 11, linn. 21 et 23-34: loco « per eorum exemplum *potius quam* verba » ponatur « per eorum exemplum et verba »; et omittatur clausula « antequam adhuc Evangelii nuntium incipiant ». *Ratio*: est periculum quod habetur vel omittendi vel nimis postponendi ipsam praedicationem in favorem « exempli ». Ab initio exemplum et verba simul adhiberi debent, ubicumque opportunitas praebetur. Fides est « ex auditu » et « per praedicationem verbi ». In terris altioris culturae vita christianorum raro tam evidenter superat vitam non-christianorum ut haec sola sufficere possit.

Ibidem, n. 8, pag. 11, lin. 33: omittatur « culturam et ». *Ratio*: per iuxtapositionem, immo antepositionem, verbi « culturae » ante verba « spirituales exigentias » culturae humanae valor nimius tribuitur quasi sit una ex rationibus praecipuis propter quam Christus Salvator apparuit.

Ibidem, n. 8, pag. 12, linn. 24-25: addatur post verbum « Ecclesiae » « per episcopos e gente propria electos », vel melius ponatur « eadem novella Ecclesia quamprimum per pastores proprios pascatur ». *Ratio*: novella Ecclesia etiam per episcopum extraneum iam in hierarchiam universalis Ecclesiae inserta est.

Cap. II, n. 9, pag. 13, linn. 1-2: loco « Indigentia illa in novellis Ecclesiis eadem non est ac in missionibus in genere », ponatur vel « ... partim alia est ac... » vel « ... non omnino eadem est ac... ». *Ratio*: 1) quia etiam in territoriis novellarum Ecclesiarum magnae partes remanent evangelizandae in quibus christiani pauci habentur, vel saltem plures inhabitantes remanent non-christiani; 2) ut experientia docet, periculum imminens est ut in Ecclesiis novellis omnis labor adhibeatur ad pascendos neo-conversos, evangelizatione non-christianorum neglecta. V. g. in India per plura saecula « novellae » Ecclesiae simul coexistebant — sicut etiam nunc coexistunt — cum numero multo maiori non-christianorum quin ullus conatus factus sit ad evangelizandum eos; 3) iam in hoc ipso schematis cap. II, quod agere dicitur « de rationibus generalibus apostolatus missionalis », multa plura habentur de modis provehendi christianos neo-conversos quam de evangelizatione non-christianorum de qua paucissima tantum dicuntur.

Ideo necessarium esse videtur ut saltem inseratur paragraphus in qua insistatur verbis seriis ut quidquid sit de numero sacerdotum et mediorum in comparatione ad numerum catholicorum, pars (« proportio ») vere magna tum sacerdotum tum mediorum semper seponatur ad opus evangelizationis non-christianorum directe provehendum. Si talis regula a Concilio non statuatur, timendum est ne, sicut in praeterito sic in futuro, multae dioeceses et novellae Ecclesiae nihil vel perpauca faciant ad prosequendum apostolatum missionalem.

Cap. II, n. 11, pag. 14, lin. 37: loco « a Sancta Sede » ponatur « a Sancta Sede vel Conferentiis Regionalibus »...

Cap. IV, n. 24, pag. 22, lin. 38: loco « ut Ecclesiis localibus praepositi », ponatur « quamvis Ecclesiis localibus praepositi ».

Ibidem, pag. 22, lin. 39 ad pag. 23, lin. 2: haec sententia « Quam sollicitudinem... » addatur paragrapho sequenti. *Ratio*: hic modus cooperandi non est praecipuus nec valde efficax; sacerdotes qui ad aliquos tantum annos in terras missionum pergunt, pauci erunt nec faciliter ad opus tam difficile et ad linguam extraneam sese accommodare possunt; periculum etiam est ut dioeceses, quae

eos in missiones emittunt, eos paucos praecipue ut suos intelligant et foveant, iis numerosioribus neglectis qui per totam suam vitam in terris missionum adlaborant.

Ibidem, n. 25, pag. 23, lin. 26: loco « possunt » ponatur « debent ». *Ratio*: opus evangelizationis mundi est opus praecipuum collegii episcopalis, successoris collegii apostolici, ita ut intime pertineat etiam ad Conferentias Regionales et ad unumquemque episcopum.

63

EXC.MUS P. D. HERMANNUS SPIESS

Episcopus tit. Cemerinianensis, abb. n. Peramihoensis

De titulo: cum « missiones » non sint quid extrinsecum Ecclesiae vel aliquid quod ad naturam Ecclesiae accedit, titulus non placet. Forse melius diceretur: « De activitate missionaria Ecclesiae ».

Prooemium. Pag. 5, lin. 7: magis placeret versio biblica « Regnum Dei populis annuntiaretur » loco « extenderetur ». Linn. 7-24: haec pars et in re et in modo loquendi magis libellis popularibus de necessitatibus apostolatus aequiparanda videtur quam sollemni Concilii Oecumenici declarationi. Lin. 30 (et in titulo cap. II): terminus « apostolatus missionalis » tautologice sonat, quia apostolatus christianus ipso facto est missionalis. Deinde « apostolatus » originarie est verbum graecum et maxime termino « Missio » identificatur.

Cap. I. In genere: caput istud non sufficienter respicit quod in schemate *de Ecclesia* et *de Liturgia* iam de missionibus est dictum, forse immo melius dictum. Quare art. 6 huius capitis in se iam sufficeret.

Pag. 7: titulus « De principiis doctrinalibus » non placet, quia mere theoretice intelligitur; in re autem principia apostolatus essentiae Ecclesiae sunt attribuenda.

Pag. 7, art. 1: ratio dividendi orbem terrarum quoad partes evangelizatas et non-evangelizatas realitati theologicae et pastorali contradicit. Nemo est qui nesciat internam necessitatem et obligationem Christi ad praedicandum semper et *ubique* restare. Kerygma Christi et partibus « christianis » et « non-christianis » aequaliter annuntiandum est. Ecclesia enim non est res statica quae possit simpliciter a partibus paganis separari. De facto omnia membra Ecclesiae sine intermissione ad audiendum et credendum et convertendum tenentur.

Pag. 8, linn. 18 s.: verba « Media erga quibus Ecclesia Christi verbum Christi proponit *non sunt*... caro et sanguis » caute adhibenda videntur propter facta historica.

Pag. 9, lin. 1: magis placeret: « ut et ipsae paulatim *in ministerium activum* evadant ».

Pag. 9, lin. 6: attestatio quae dicit: « Ecclesia vim et capacitatem habeat omne quod humanum est... assumendi », quoad verba « praeter peccatum » limites necessarios Christum inter et Ecclesiam analogiae transgredi videtur et factis revelatis « De Ecclesia peccatorum » contradicit.

Cap. II. In genere: materia de qua in hoc capite tractatur saepe saepius in Encyclicis et exhortationibus pastoralibus est promulgata.

Art. 7: est tractatus asceticus; art. 8: est brevis instructio pastoralis; art. 10: materia huiusmodi in libris asceticis abundanter evolvitur; art. 11: de adaptatione

missionali: hic repetitur quod in schema de Liturgia iam dictum est, immo mentem eius quodammodo restringit; art. 12: commissioni Iuris Canonici transmittendus videtur.

Pag. 12, lin. 24: « Novellae Ecclesiae » etiam per episcopum exterum in hierarchiam Ecclesiae universalis inseruntur.

Pag. 12, lin. 29: non intelligitur quomodo effatum S. Cypriani pertinet ad quaestionem allatam.

Pag. 12, lin. 35: non intelligitur cur indigentia opum et auxiliorum novellae Ecclesiae non sit « defectus ».

Pag. 13, linn. 1 s.: ad quid tale discrimen inter novellas Ecclesias et missiones in genere?

Pag. 16, lin. 8: saepius tractatur de « apostolis » in terram missionum, sed melius esset dicere de « Evangelii praeconibus » vel « nuntiis Evangelii ».

Cap. III. In genere: fere nihil novi in hoc capite addicitur quod non diversis in instructionibus ad efformandum clerum in seminariis et Institutis religiosorum iam saepius dictum est.

Pag. 18, art. 16: hic apponantur quae in art. 21, linn. 21-27 dicuntur.

Pag. 19, lin. 21: loco « Conscientiae collectivae » melius dicatur « Conscientia publica ».

Cap. IV. in genere: hoc caput repetit quod diversis in Encyclicis de missionibus saepius est dictum. Quaeri potest utrum per repetitionem numericam oboedientia populi Deo re vera nutriatur.

Pag. 23, lin. 8: loco « expansio regni Dei » quod verbum valde politice sonat, melius dicatur « annuntiatio Regni Dei ».

64

Exc.mus P. D. DAVID MARYANAYAGAM SWAMIDOSS PILLAI
Episcopus Vellorensis

The schema is a bit long and little vague as it should be and it is very well prepared and fit for discussion in Aula. The vagueness has to be defined and made compact by incorporation of the needs and requirements of the Missions as evolved from discussions in Aula.

The tendency to define "Mission" as the Church itself because of its divine mission to preach the Gospel, is to difeat the very purpose of the schema. Such general aspects should be included in the preambles of *de Ecclesia* and *de Missionibus* should cover only the particular needs and requirements and remedial measures for conditions prevailing in areas where the Gospel is preached and the Church is still in the process of establishment: like India, Africa, Latin America and other similar regions. The practical difficulties and problems to preach the Gospel and enforce christian morality should be specially studied and general guiding principles for important problems should be enacted. The most relevant source to know these needs would be the resolutions on the subject by the Regional Bishop's Conferences of the areas and the special privileges and faculties the Bishops of the different Mission areas have asked from the holy See from time to time.

In the Mission lands, there are great clashes of interests between different religions of the world and the different denominations of Christianity. Though as members of the only true Church we know that we are the divinely instituted heralds of salvation, we cannot ignore the fact there are other christian denominations, individual protestant missionaries, and even pagan fanatics who may be equally fully convinced of their divine mission. Clashes will benefit none and much real harm may be done to the true cause and prestige of the church. So, guiding principles of tolerance without compromise in principles should be laid down.

All religions have certain amount of good either as principles or practices and observances, many of these based on social, tribal and hygienic principles. These should be closely studied with an open mind and those which are not against truth or christian morals should be respected and wherever possible absorbed into christian practices.

With other christian denominations, we should practice great tolerence and respect. Though they have no divine mission, they are equally convinced missionaries as ourselves, as far as conviction and sincerity goes. Among the teaming millions of pagans. they have also place enough to preach the name of Christ. Our Christian charity should embrace them, though theirs does not include us often but at the same time that the " greatest scandal on earth is the division of christians, in the name of the One Universal Saviour of mankind", must be placed on record.

Much has been spoken of about the adaptation of seminary-studies to the mission-conditions. Actually there is not much in christian philosophy and theology that can be changed according to places. This should consist chiefly in a thorough comparative study of the religions of the country in relation to christianity—evolving clear pictures of what principles, practices and customs of the religions of the place can be acceptable and how and how far they can be absorbed and adopted in christianity, and what are the fallacies, dangers and moral deficiencies about which we have to be careful and how to counteract and refute them when time and circumstances require it.

A delicate question has been touched upon, namely the formation of the indigenous clergy and their relationship with foreign missionaries. Actually there is no room for any serious problem about it. Indigenous vocations should be fostered and encouraged in every way possible, but about nature of the work and spirit of the vocation of the indigenous and foreign priests there cannot be any difference at all and all clergy, whatever their place of origin should cultivate the most cordial fraternal charity and mutual affection and no room should be given for the development of any inferiority or superiority complex.

On the whole the schema is very well prepared and the scope of discussions and enactments are really vast but form the most pressing and vital matters for the growth of the Church.

65

REV.MUS P. D. IOSEPH VAN KERCKHOVEN
Superior generalis M.S.C.

Adnotatio generalis: desideratur fusior tractatio de missionariis exteris, i. e. de Congregationibus et Institutis missionariis.

Schema parum omnino loquitur de Congregationibus et Institutis Missionariis, quae non solum tempore praeterito « pondus diei et aestus in missionibus portaverunt », uti dicitur in n. 9 schematis, sed quorum operositas, ne minus dicam, adhuc per saecula necessaria erit. Insuper, paucas omnino *normas,* quas tamen, mutatis adiunctis quibus opus missionale aptandum est, omnes missionarii a constitutione conciliari iure exspectant, statuit. Et, re quidem vera:

A) Opus missionale nondum absolutum est, sed e contra, hodiernis diebus maiore studio ac impensiore labore urgendum est, et adhuc per saecula, imo usque ad finem temporum continuandum atque peragendum erit.

B) Operarii ad hoc opus perficiendum, sunt *imprimis* et peculiari modo membra Congregationum et Institutorum missionariorum, quae velut exercitum constituunt in manu Supremi Pastoris, a quo missionem suam accipiunt in bonum Universalis Ecclesiae. Et explico:

A) Opus missionale nondum absolutum. Incrementum multitudinis hominum hisce temporibus tale est in mundo, ut recte vocabulo gallico « explosion » vocatur. Quod praesertim in pauperrimis nationibus non christianis observari potest. Inde numerus catholicorum, etsi absolute consideratus crescit, tamen relative ad numerum habitantium huius mundi seu proportionaliter minuit et decrescit. Dum haec ita se habent, Ecclesia saeculo post Redemptorem natum vicesimo maeste animadvertit, quam longe a veri nominis *universalitate* distet, cum pluribus nationibus Evangelium vix illuxerit. Deinde, non sufficit dioeceses erigere, et orbem terrarum in dioeceses dividere, ut eo ipso status « missionalis » harum regionum cesset. Novellae Ecclesiae eo quod ipsis praeficitur episcopus residentialis non statim transeunt e statu missionali ad statum Ecclesiae undequaque formatum et ab auxiliis exteris independentem. Recte proinde dicitur in schemate, nn. 5 et 9, quod adhuc indigent auxiliis Ecclesiae Universalis, et addi posset: « imprimis missionariorum exterorum ». Minus recte sonare videtur, quod dicitur in n. 5: « Locales Ecclesiae novellae iam exstant, et nova pro ipsis incipit aetas »; nam verba ista intellegi possent quasi aetas missionaria iam absoluta esset, nec concordant cum factis, i. e. cum evolutione illa lenta et cohaerenti, qua paulatim crescant. Insuper verba illa: « nova pro ipsis incipit aetas » minus bene sonant pro missionariis exteris, qui pondus diei et aestus portaverunt, et opus suum in illis regionibus continuare debent. Patet enim novellas Ecclesias solum paulatim e statu adolescentiae ad statum perfectae aetatis transire. Ut exemplum adducamus ex dioecesi cum episcopo residentiali Societati nostrae concredita, i. e. ex Dioecesi Purwokertensi (Indonesia): catholicos numerat 12.000, paganos vero 8.000.000. Talis autem proportio inter catholicos et populum non-christianum in multis locis Indonesiae et praesertim in fere tota Asia invenitur.

Tandem addendum est, plures dari magnas nationes et magnos hominum

coetus exstare (pluries centena millia), qui ferme omnes vel Mahumeti, vel Buddhae, vel alius sectae asseclae sunt.

Nonne concludendum, opus missionale, si unquam, hodie tamen magis quam temporibus transactis, necessarium esse?

B) Operarii huius operis *imprimis* sunt membra Congregationum et Institutorum Missionalium.

Si tota Ecclesia, clerus, religiosi, laici ad hoc magnum Missionum opus cooperari debent, quis non videt, imprimis opus esse sacerdotibus et religiosis, ad hoc munus specialiter institutis, paratis et instructis, qui totam suam vitam gentibus evangelizandis dedicare intendant? Perutile sane est adiutorium cleri dioecesani seu sacerdotum a *Fidei donum* qui vocantur, et valde optatum auxilium afferunt, praesertim quoad determinata opera, uti sunt seminaria, apostolatus paroecialis specializatus, etc.

Sed prae ceteris, requiruntur operarii apostolici, a prima adulescentia divina gratia ad hoc opus peragendum vocati, per tot annos peculiari modo instructi atque aptis mediis praeparati, qui apostolatui huic, ceteroquin speciali coordinatione atque organizatione indigenti, totis viribus se dedicant, non ad tempus tantum, sed pro tota vita, nam vincula quibus genti suae nativae ligabantur, rumpere non dubitant, ut novam patriam eligant. « Ii quidem minime vocandi sunt extranei » (Enc. *Princeps Pastorum*).

In detrimentum Ecclesiae et missionum cederet, si a clero saeculari substitueruntur Congregationes et Instituta missionaria, nam pleraeque dioeceses iam penuria sacerdotum laborant, unde clerus ille sufficere non potest, nec insuper, generatim sufficienter praeparatus est, cum ad aliud genus apostolatus vocatus sit.

Tandem opus missionum longe lateque excedit ambitum dioecesanum, et superiorem ac altiorem requirit coordinationem ac organizationem quam Summus Pontifex ope S. C. de Propaganda Fide ei impertit. Instrumentum ad hoc opus perficiendum sunt illae Congregationes et Instituta, nullo territorio dioecesano ligata, de quibus Summus Pontifex, a quo missionem suam accipiunt, plene et libere disponere potest ad Evangelium ubique terrarum diffundendum.

Optatur ergo ut in schemate *de Missionibus* Congregationibus ac Institutis Missionariis amplior locus tribuatur; utque hortationes, normae et instructiones ipsis impertiantur, quibus laborem suum, prout haec nostra ac proxime futura tempora requirunt, fructuosius semper peragere possint.

Cap. II, n. 9: proponuntur emendationes sequentes:

1. Verba « e gente propria electus » melius expungantur. Nam asseritur quod solus episcopus autochthonus successionem apostolorum ita suscipere potest, ut mysterium Christi quod est Ecclesia, in illo loco *totum* manifestetur. Quod est contra praxim Ecclesiae. Quot episcopi ex aliis dioecesibus oriundi hodie adhuc ad alias dioeceses destinantur! V. g. arch. Mediolanensis ex Helvetia oriundus vel ex Sicilia, ipsa sua praesentia impediret quominus mysterium Christi, quod est Ecclesia, in loco Mediolanensium totum manifestaretur! Quod est absonum! Sequeretur quoque episcopos, etiam residentiales, e numero missionariorum exterorum electos, non posse inserere gregem sibi affidatum « vitali communioni Ecclesiae universalis »! Ut transitus fiat ab « initiali statu evangelizationis » ad « Novellam Ecclesiam » constitutam, utique requiri videtur, ut illa Ecclesia propriis viribus vivere, subsistere et se evolvere quodammodo saltem queat; quod

supponit clerum autochthonum partim saltem adesse. Uti dicit Pius Pp. XI (Enc. *Rerum Ecclesiae, A.A.S.,* 1926, p. 74), ut Ecclesia in determinato loco stabiliatur, certa requiruntur elementa, nempe suus cuiusque regionis et populus et clerus et religiosi viri ac feminae. Sed nullo modo intelligitur, mysterium Christi, quod est Ecclesia, in illa regione minus adesse vel minus manifestari, si ipse episcopus, qui clero praeest, sit ex gente aliena, finitima vel longinqua. Hoc pendet ab Apostolica Sede, cuius est episcopum nominare. Textus e contra praesupponere videtur quod unio naturalis inter homines, quae originem ducit ex eodem sanguine, ex eadem stirpe, aptior esset ad manifestandum mysterium Christi, quod est Ecclesia.

Immerito quoque in textu praeclarum illud effatum S. Cypriani ad solos episcopos autochthonos restringitur. Quando scribit: « plebs episcopo adunata », tractatne de unione stirpis et sanguinis?

2. Initio paragraphi 2 huius numeri, quaedam verba addi possent, quibus impressio minus blanda huius numeri noni pro missionariis exteris corrigeretur. Textus poni posset, ut sequitur: « Germen divinum est novella Ecclesia, continuo crescens, sed auxiliis Ecclesiae universalis, *imprimis missionariorum exterorum fraterne cum clero autochthono collaborantium, ad progressum perficiendum* semper indigens ».

3. « Quae indigentia minime est defectus, sed potius signum propriae vitalitatis ad progressum perficiendum »: Haec verba melius expunguntur, nam nimis litteraturam, et non satis realitatem sapiunt. En mirum modum procedendi: Nonne textus praecise demonstrare intendit, novellas Ecclesias adhuc adiutorio et auxiliis Universalis Ecclesiae indigere?

4. Paragrapho 3, initio: « Indigentia autem illa in novellis Ecclesiis eadem non est ac in Missionibus in genere ». Verba ista melius expungantur, nam imprimis, expressio illa: « missiones in genere » est nimis scholastica; ac deinde, textus non sufficienter considerat harmoniosam ac cohaerentem evolutionem missionis e statu suo initiali usque ad statum perfectum. De facto, opera quae priore loco numerantur ut ab episcopo autochthono instituenda, ad quemcumque apostolatum missionalem pertinent, et plerumque iam exstant ante erectionem missionis in dioecesim, ita v. g. institutio seminariorum, scholarum, etc. Unde venit clerus autochthonus? Ipsi episcopi in seminariis a missionariis exteris fundatis provecti sunt.

5. Nonne sermo habendus esset etiam de zelo vere « missionali » apud clerum autochthonum fovendo; necnon de mutua consuetudine clerum indigenam inter et exterum, ut alter alterum plurimi faciat, et ambo magna caritate collaborent ad Regnum Christi in illa regione dilatandum? Timendum quoque est ne latens oppositio inter opus a missionariis exteris peractum, de quo plerumque tacetur in textu, et novellam Ecclesiam, illos missionarios offendat; ne modus loquendi iis qui pondus diei et aestus portaverunt, animum minuat, nedum addat.

Humiliter proponimus huius paragraphi tertiae textum sequentem: « Talibus institutionibus indigent novellae Ecclesiae, quae suum incrementum et maturitatem operentur. Opus a Missionariis exteris incoeptum omni navitate prosequantur Praepositi novellarum Ecclesiarum, seminaria, scholas, instituta catechistarum et formationis laicorum ad apostolatum, quae iam exsistunt, sedula cura excolendo, quae nondum exsistunt, erigendo. Curent insuper communitatem... » etc.

Cap. II, n. 12: Optime dicitur in schemate: « Hodie vero cum hierarchia ecclesiastica fere ubique iam est instituta, et quam plurimae dioeceses sunt episcopis, sive autochthonis sive missionariis, commissae, qui unici sunt ordinatores totius actuositatis pastoralis in sua dioecesi, normae quibus regulantur relationes inter Ordinarium loci et superiorem religiosum in missionibus, vix adhuc applicari possunt »;

Humiliter proponimus ut textus dein prosequatur: « introducatur proinde ius commune, conventione quoque inita superiorem ecclesiasticum inter et Institutum missionale, sive quoad integrum opus huic commissum, sive quoad opera particularia, ipsi concredita ». Et textus deinde prosequi posset hoc modo: « Quodsi S. C. de Propaganda Fide iudicaverit in quibusdam regionibus ius commune applicari non posse, novas condat normas, ad ius commune quam proxime accedentes, quae hodiernae evolutionis operis missionalis rationem habeant, quaeque pro rerum adiunctis peculiaribus conventionibus ulterius determinari possint ». *Ratio* est:

1. Episcopi autochthoni generatim aegre ferunt discrimen quoad regimen inter suam dioecesim et alias in quibus viget ius commune.

2. Uti patet ex schemate *de cura animarum,* quotiescumque religiosi aliquod apostolatus opus in dioecesi suscipiunt, conventio ineunda est inter episcopum et superiorem religiosum. In missionibus tali conventione provideri posset paucis forte rebus vel capitibus, quibus ius commune nondum plene applicari potest. Evolutio enim missionum talis est, atque tale est discrimen inter varias missiones, ut modo uniformi vix regi possint. Quare ut regula generalis statuatur ius commune, cui addatur conventio diversa pro diversa evolutione variarum missionum. S. C. de Propaganda Fide breve schema generale edere posset, quo istae conventiones accommodandae essent.

3. Textus prosequitur: « Quodsi... determinari possint ». Textus per se clarus, explicatione non indiget. Unum autem exoptandum est, scil. ut nova instructione melius provideatur vitae religiosae sodalium Congregationum Missionalium, quam instructione nunc vigenti.

Cap. IV: Exoptandum esset ut in hoc capite schematis clarius affirmaretur fundamentum iuridicum Congregationum et Institutorum Missionalium iuris *pontificii* ad vocationes pro suo instituto quaerendas et ad stipem colligendam, qua opera sua sustentarentur.

Instituta ista officium habent praeparandi ac mittendi missionarios in territoria missionum, sibi ab Apostolica Sede concredita. Sed non invenitur fundamentum sat solidum, quo ipsa Sancta Sedes illis ius conferat vocationes quaerendi et subsidia sibi procurandi, quae necessaria sunt ad opera praeparandis missionariis destinata sustentanda. Quod fundamentum eo urgentius desideratur, quod ista opera maximis solummodo expensis sustineri possint, quae pro paupertate Institutorum, fere unice ex collectis et oblatis fidelium provenire oporteat. Ex computationibus factis elucet, Instituta pro singulis missionariis sacerdotibus plus minusve sex milia dollariorum expendisse, antequam in missionem mitterentur missionarii. Imo, iam accidit in una alterave dioecesi, quae tres vel quattuor sacerdotes saeculares *Fidei Donum* in missionem miserunt, quod parochi omnes vocationes missionales in seminarium dioecesanum dirigunt, et membris Institutorum missionalium prohibent, ne stipes colligant, dicendo: « Dioecesis nostra

propriam suam missionem habet! » timendum ne in futuro isti casus multiplicentur in damnum operis missionarii Ecclesiae.

Nonne potius dicendum, quod membra Institutorum Missionalium in missionibus laborantes, ex determinata dioecesi vel natione oriundi, veram ac pulcherrimam huius dioeceseos vel nationis constituunt contributionem ad munus evangelizandi Universalis Ecclesiae.

Ius stipem colligendi solemniter agnoscitur et exercetur pro Operibus Pontificiis, sed alia Instituta, aeque necessaria ad propagandam Fidem in mundo, hoc iure, saltem expresse et rite promulgato, carent. Quare non mirandum est, in multis partibus ab auctoritatibus ecclesiasticis localibus ista Instituta prohiberi, ne stipes pro missionibus colligant vel folia ac periodica de missionibus tractantia inter fideles diffundant, futiliter allegando sola Opera Pontificia legitima auctoritate missionibus adlaborare. Quare in exhortationibus Ordinariorum fideles fere numquam vel raro invitantur, ut Institutis Missionalibus cooperentur.

Quare humiliter petimus ut Instituta missionalia, aeque ac Pontificia Opera ad propagandam fidem uti legitima ac necessaria Opera ecclesiastica agnoscantur a Sancta Sede, cum omnibus iuribus, quae talibus operibus conveniant.

Si nobis liceat humilem quandam propositionem exponere, forsitan sic procedere possit:

In C.I.C. can. 497 inseratur sequens paragraphus 5, quae sic fere sonat: « Omnia Instituta missionalia, quibus Sancta Sedes territorium missionum concredidit inter infideles, vel quae missionariis ad terras missionum mittendis incumbunt, ius habent opera sua verbo et scripto promovendi inter fideles, necnon honeste procurandi subsidia ad opera sua missionalia rite sustentanda ».

66

Exc.mus P. D. CAROLUS IOSEPH VAN MELCKEBEKE

Episcopus Nimsciianus

Pag. 12, lin. 6: post verba: « ... via, veritas et vita », addatur: Ad hunc exitum assequendum necesse est hierarchiam momenti operum apostolatus ita observare, ut activitati quae ad conversionem infidelium directe dirigitur, primus locus tribuatur.

Praeterea, cum « messis quidem multa, operarii autem pauci » (*Mt.* 9, 37) sint, omnino oportet maximum numerum sacerdotum, fratrum ac religiosarum operi evangelisationis proprie dicto addictos esse, atque curas et munera profana seu temporalia idoneis laicis relinquere, etiamsi, pro hoc casu, constitutiones Congregationum et missionum consuetudines opportune mutandae sint.

Quo fiet ut, ex una parte, laici veri cooperatores et socii actionis missionalis constituantur, et, ex alia parte, deficiente quam maxime in multis regionibus laboris occasione, missionarii operariis laborem iuste et honeste remuneratum praebeant, nedum operariorum competitores efficiantur.

Pag. 12, lin. 19: post verba: « ... communitatis procurandam », addatur: Etsi, incipiente in aliqua regione apostolatu, scholae, sola sua existentia, et absente quoque in eis activitate apostolica, valde aptae sunt ad relationes opportunas cum populo instituendas, oportet tamen quam citius ulterius ita progredi ut scholae

fiant vera, efficacia et fecunda instrumenta, quibus conversio alumnorum adhuc paganorum promoveatur.

Recordentur quoque Religiosi ac Religiosae, institutioni iuventutis addicti, suos Fundatores praesertim pauperes egentesque prae oculis habuisse.

Pag. 12, lin. 24: loco: « ... et eadem novella Ecclesia... inseratur », proponitur: et eadem novella Ecclesia, ubi primum ad maturitatem religiosam, administrativam et oeconomicam pervenerit, sine cunctatione in hierarchiam universalis Ecclesiae inseratur.

Pag. 12, lin. 37: post verba: « ... Ecclesia universalis ergo auxilia necessaria », addatur: praesertim vero auxilium spirituale, ope Institutorum missionariorum, tam religiosorum quam laicalium, praestare debet...

Pag. 13, lin. 26: loco: « Instituta status perfectionis acquirendae », proponitur: Congregationes religiosas clericales vel laicales, necnon Instituta saecularia...

Pag. 14, lin. 10: post verba: « ... et ad rectum socialem ordinem colendum », addatur: Atque ad libertatem et iura Ecclesiae audacter, etiam per scientiam politicam propugnanda, adiuvare possunt ac debent.

Pag. 16, lin. 3: post verba: « In S.C.P.F. », addatur: organismo maxime necessario ad totius activitatis missionariae, tam in Asia quam in Africa et America Latina, consilia (*plans*) concipienda et efformanda, atque ad eam coordinandam...

Pag. 17, lin. 28: post verba: « ... et mores populorum ad quos mittentur », addatur: studio notionum tantum generalium; quae enim singularia et localia sunt, missionarii in decursu apostolatus varietatum, exercitio ministerii addiscent.

Pag. 18, lin. 12: post verba: « ... congrua praebeatur instructio », addatur: et instantissime in memoriam revocetur finem missionariorum scholarum, nosocomiorum aliorumque operum caritatis, esse infidelium conversionem.

Pag. 18, lin. 25: post verba: « ... ut imprimis zelo missionali », addatur: i. e., studio conversionis infidelium ad veritatem Evangelii.

Pag. 18, lin. 37: post verba: « ... aliisve institutis scientificis », addatur: sive in patria sive in regionibus exteris, perficienda.

Pag. 19, lin. 10: post verba: « ... in terris missionum accommodata », addatur: quin vernaliter adaequent instituta extranea, proprios...

Animadversio generalis: *cap. I*: quamvis praeclarissimum, pertinere videtur ad schema: *de Ecclesia.*

Quoad *cap. IV*: forsan sufficeret summam conclusionum proponere.

67

EXC.MUS P. D. IOANNES B. VELASCO
Episcopus Sciiamenensis

A) *Observationes generales*: 1) Schema nostrum uti iacet spem nostram sat fefellit ob eius brevitatem necnon ob absentiam in eo rerum et materiarum ad nostrum tempus pertinentium. Fere omnia quae in schemate habentur iam sufficienter inveniuntur in Monitis, Encyclicis et Litteris Summorum Pontificum necnon in manualibus missionologiae iam ab annis datis.

2) Ad novitates quod attinet utique in schemate inveniuntur *duae* maioris quidem momenti: *a*) Pervadit schema timor — servilis? — fratres sic dictos

separatos laedendi dum, saltem implicite, opus missionale non ad nationes et populos « ubi Christus Dominus "iam" nominatur » sed tantum ad illos « ubi Christus Dominus *nondum* nominatur nec fide agnoscitur » (cf. schema, cap. I, art. 1, lin. 5) se extendere debet affirmatur. Nonne fratres separati iam « intraverunt per ostium » (*Io.* 10, 1)? Nonne verum adhuc est quod « qui non est Mecum contra Me est » (*Mt.,* 12, 30)? Nonne adhuc necesse est laborare totis viribus etiam opere missionario ut « fiat *unum* ovile et *unus* Pastor » (*Io.,* 10, 16) ubique terrarum? Fratres separati nondum ad *ovile* pertinent.

Quid sibi vult uti et abuti falso isto irenismo, euphemismo et... quasi machiavelismo quod nemini, nec nobis nec illis fratribus separatis, decipere potest? Verbum Christi « Veritas liberabit vos » (*Io.,* 8, 32) manebit in aeternum. Veritas, nempe, lucida, clara, plana, (non confusa, obscurata vel dissimulata) est eritque semper nostra salus, nostra spes nostrumque solatium! Ita de cetero me docuit semper Fides, Ecclesia, catechismum et etiam mater piissima mea!

b) Altera novitas in schemate est doctrina circa episcoporum collegialitate, uti evidenter apparet in cap. IV, art. 24. Et haec novitas extra chorum cantare nobis videtur. Doctrina de episcoporum collegialitate nondum definita est ideoque illam non licet quasi « a priori » acceptare multoque minus prudens videtur illa, tamquam si iam rite definita, uti, in nostro schemate. Patientiam habeamus.

3) Cum opus missionale in tota sua extensione opus sit ab ipsa Ecclesiae natura et divina institutione omnino inseparabile quae in nostro hoc novo schemate continentur forsan propriorem aptioremque locum haberent in schemate *de Ecclesia.*

Saltem concedendum existimo integrum cap. IV istius schematis non ad schema *de missionibus* sed potius ad illud *de Ecclesia* pertinere.

4) Ad melius inculcandam necessitatem et obligationem totius Ecclesiae et suorum universorum membrorum seu fidelium in opus missionarium ubique terrarum promovendum, in cap. I huius schematis aliquid addendum esset « de requisito quod adest naturali et spontaneo in corpore vivo et mystico Christi quod est Ecclesia ad incrementum, expansionem et perfectionem, non solum in qualitate sed etiam in numero membrorum ».

Ista *intrinseca* Ecclesiae *necessitas* et urgens *obligatio* ad opus missionale totis viribus perficiendum non tam lucide et plane apparet in nostro schemate, etsi passim tangatur (cf. cap. I, n. 3).

B) *Observationes particulares. Ad prooemium*: Pag. 5, lin. 5: « Ecclesia », melius dicere « sacrosancta Mater Ecclesia ». *Ratio*: ut clarius appareat hic agi de « Ecclesia catholica ».

Linn. 6-7: « ... quibus Regnum Dei ad omnes populos extenderetur et *ad unitatem Ecclesiae Christi omnes pervenirent* ». *Ratio*: ut iam in hoc Prooemio absque ullo possibili aequivoco appareat missio divina Ecclesiae nempe ut *omnes gentes ad unitatem Ecclesiae Christi sub unico etiam visibili Pastore perveniant et salvae fiant.*

In hoc prooemio opportunum et utile esset addere notulas circa praesentem populationem mundi eiusque, geometrica progressione, incrementum, et circa numerum christianorum eorumque per annum augmentum in mundo. Ex omnibus illis apertissime apparebit urgentissima immo et tragica necessitas viribus unitis in opere missionali adlaborandi.

Ad cap. I, pag. 7, linn. 1 et 2: « ... Christi Corpus vivens, crescens *et* a Spiritu

Sancto animatum », comma post « crescens » suppressa. *Ratio*: ita postulat regimen grammaticale.

Lin. 3: « quam Iesus *vita,* morte et resurrectione etc. ». *Ratio*: fructus Redemptionis et salutis non tantum ex Christi morte et resurrectione sed etiam ex Eius in terris sanctissima « *vita* » originem ducunt (cf. D. Thom.).

Linn. 5 et 6: « ubi Christus Dominus nondum nominatur nec fide agnoscitur ibi Ecclesia necessitate tenetur Evangelium nuntiandi ». Haec sententia si non omnino erronea saltem nimis ambigua videtur. Opus missionarium etiam ad fratres sic dictos separatos se extendere debet et omnino licet. Melius ergo dicere: « Ubi Evangelium Christi nondum agnoscitur nec fide tenetur etc... » « ibi Ecclesia necessitate tenetur *illud* annuntiandi... ».

Lin. 15: « Ipse *suumque Evangelium salutis* sunt praedicanda... ». *Ratio*: etsi absolute loquendo verum sit « Christum solum esse praedicandum » verumtamen in nostro contextu necnon in ambitu totius nostri schematis illud affirmare in sensu *protestantico* interpretari posset.

Pag. 8, linn. 10-18: salva reverentia candide fateor quod quae in illis octo lineis dicuntur et difficili intellectu et parvae practicae utilitatis nobis videntur. Peius esset illa interpretare ac si « immanentismum religiosum » propugnassent! Ergo supprimantur.

Lin. 30: « sub ductu Romani Pontificis » suppressis verbis « et episcoporum qui munus etc. » usque ad « implantandi » inclusive. *Ratio*: Doctrina de episcoporum collegialitate *nondum* fuit bene et sufficienter elucidata et multo minus definita. Ergo nec anticipanda vel praesumenda.

Loco illorum verborum addantur sequentia: « Opus ergo missionarium munus cum sit totius Ecclesiae, tam ex mandato Christi (*Mt.,* 28, 19) quam ex intima natura Mystici Christi Corporis viventis semperque crescentis, in illam Ecclesiarum fundationem cooperari debent omnes Ecclesiae vires » (vide supra, n. 4).

Pag. 9, linn. 10-11: « Corporis episcoporum varietas in Primatus soliditate confirmatur et unitur », sententia haec deleatur. *Ratio*: ad rem non pertinet et est ambigua.

Lin. 12: « In *illa* Ecclesia ». Verbum « illa » deleatur ac loco eius dicatur « In sancta Matre Ecclesia ». *Ratio*: verbum « illa » aequivoco laborare potest.

Linn. 24 et 25: deleantur. *Ratio*: non tam bene sonare videntur et de cetero quod evidens ex se iam est simpliciter repetit.

Pag. 12, lin. 7: « Neoconversi ad catechumenatum etc. » loco « neoconversi » dicatur *candidati ad baptismum. Ratio*: neoconversi non amplius catechumeni sed neophyti vocantur.

Lin. 27: « ... in missionibus diu portaverunt, fructus *pleniores* suorum laborum etc. ». *Ratio*: Missionarii enim exteri fructus suorum laborum iam colligunt non solum quando post multos annos « Hierarchiae autochthonae constituuntur in novellis Ecclesiis » sed et quando ac quoties ad baptismum catechumenos admittunt, multo magis quando territorium ubi laborant in independentem ditionem ecclesiasticam seu dioecesem, duce episcopo etiam extero, erigitur.

Nota bene: In tota hac paragrapho n. 9 obscuritates non paucae inveniuntur: *a*) non palam constat quid per « Ecclesias novellas » significare intenditur. Vocandae hoc verbo sunt missiones concreditae episcopo et sacerdotibus exteris? Ex textu schematis videtur quod non, et tamen illae certissime sunt Ecclesiae novellae.

b) Quid per verba « missiones in genere » intelligitur? An ubi nondum habetur hierarchia plene autochthona (cum episcopo e gente propria electo) « missio in genere » vocatur? Sed et ibi seminaria, scholas etc. quam cito institui debent et in utroque casu de eis est semper vera indigentia (cf. Schema, cap. II, art. 9, pag. 13, linn. 1 ss.).

Pag. 12, lin. 35: « Quae indigentia minime est defectus etc. ». Melius dicatur: « Quae indigentia *potius quam defectus* signum propriae vitalitatis ad progressum perficiendum *revera est* ». *Ratio*: *a*) Indigentia, si existit, *certe* non est virtus seu qualitas positiva; *b*) « Excusatio (et negatio) non *petita* accusatio (et affirmatio) manifesta ». Ergo melius tacere! *c*) Vocabulum illud « *minime* » aliquam saltem insinceritatem prae se ferre videtur.

Pag. 14, art. 11: quae sub hoc articulo seu numero dicuntur bona et optima sunt etsi nihil novum nobis edoceant. Saepissime tam in missionologiae manualibus quam in monitis, Instructionibus et Litteris Encyclicis Romanorum Pontificum et a Sancta Sede ad nos missionarios missis de iisdem rebus mentio fit: « Missionarii exteri *debent* ita et ita facere; missionarii exteri *debent* hoc et illud *vitare; Non licet* missionariis exteris se ita gerere etc. ».

E contra vero fere numquam quid dicitur de *obligationibus cleri localis* seu indigenae erga fratres suos in apostolatu *exteros missionarios,* erga speciales conditiones in quibus labor sacerdotalis se habet in missionibus mixti cleri nativi et exteri.

Tempus iam advenit quando vera inter utrumque clerum aequalitas regnare debet: Aequalitas in omnibus, sive iuribus sive etiam obligationibus, coram Ecclesia et eius legibus, coram Deo et omnibus et in omnibus.

Si « opus iustitiae pax », ubi aequitas et iustitia ibi et pax etiam effulget.

Quod *paternalismum* sapit implicite saltem superioritatem et indicat — supra illos in quibus ille paternalismum exercetur. Et paternalismum sapit elenchus ille *unilateralis* obligationum missionariorum exterorum. Est illud D. Pauli de « lacte et esca » (*1 Cor.* 3, 1-2) vel quid valde simile.

Ad cap. III, art. 13: quae hic de formatione spirituali missionariorum quia nimis generalia et de cetero etiam applicanda ad omnes candidatos ad sacerdotium non video quare sint retinenda. Omnes praeterea sacerdotes paratos spiritualiter esse debent ad opus missionale aggrediendum. Ergo praemissis duobus verbis de maxima atque gravissima necessitate formationis spiritualis et vere sacerdotalis ad formationem culturalem, doctrinalem, tecnicam missionariorum transeatur. De istis tamen nimis pauca dicuntur in art. 14.

Ad cap. IV: totum hoc caput non ad schema *de missionibus* sed potius ad illud *de Ecclesia* pertinere nobis humiliter videtur. Iam diximus quod totum schema esset iungendum schemati *de Ecclesia,* cum opus missionale in toto opus sit essentiale ipsius Ecclesiae.

Nobis nec multum placet sacerdotes in duas classes quasi dividere: missionarios et non missionarios. Omnes sacerdotes debent habere spiritum missionarium etsi ad territoria missionum numquam processuri. Tota Ecclesia missionaria esse debet uti iam multi etiam episcopi voce significarunt pluries.

Res si bene perpendatur profundissima significatione et momento suo non caret! Silentio praetereo de cetero factum tristissimum nempe quod in Europa et America numerus « paganorum de die in diem augetur! ».

Quanto melius si diceretur loco « missiones Africae », vel « missiones catho-

licae in Asia », « in Sinis » etc. simpliciter diceretur « Ecclesia in Asia », vel « Ecclesia catholica in Africa », « in Sinis » etc., etc.!

Nomen ipsum « missiones », « In terris Missionum » et huiusmodi, sensum nationalismi, novarum praesertim nationum, saepe laedit.

Cap. IV, art. 24: doctrina de collegialitate episcoporum ex iure divino *nondum* definita fuit a nostro Concilio. Ergo quae hic dicuntur « Episcopi totius mundi, ex eorum cooptatione in collegium episcoporum, etc. » et in lin. 35: « Insuper cum per consecrationem » etc. usque ad verba « etiam ad eos pertinet », erunt finali textui incorporanda si doctrina illa de collegialitate definitur a Concilio, aliter certe erunt delenda.

68

Exc.mus P. D. PETRUS WILLEKENS
Episcopus tit. Zoravenus

Ad n. 8: additio ad finem numeri: Sedulo autem notetur oportet: dici nequit Ecclesia esse plantata in aliqua gente, si non in tota gente radices agere coepit, sed tantum in aliqua vel aliquibus gentis illius personarum classibus vel « castis », aut tribubus. Evangelium Christi necesse est ut arripiat unamquamque gentem iuxta propriam eius compositionem socialem totalem.

Quare sibi persuadeant missionarii, ut inde ab initio sui ministerii gentis totius constitutionem socialem atque ethnicam bene considerent et ad totalitatem hanc Christo conquirendam tendant; nec totas vires suas abripi sinant desiderio immediatos fructus carpendi, qui se offerunt in unica vel paucis personarum classibus vel tribubus.

Imitari et aemulare conentur primaevam Ecclesiam, quae membra sua numerabat inter servorum turbam, tum inter familias liberas immo et patricias, tum ad aulam imperialem.

Ad n. 10: additio ad finem numeri: Inter bona opera, quae a christianis perficienda desiderantur, eminent ea, de quibus a Christo ratio exigetur in iudicio, sicut late exponit S. Matthaeus 25, 31-45. Edoceantur ergo christiani verbo et exemplo opera caritatis exercere, tamquam fidei christianae testimonium maxime genuinum.

Exemplo autem praecedant oportet Instituta perfectionis activa. Quod exemplum actuose sequantur coetus christianorum paroeciales atque associationes speciales.

Ad totam hanc activitatem caritatis christianae addatur, ut praeter vocationes ad sacerdotium, constanter quoque excitentur vocationes tum iuvenum tum puellarum ad Instituta illa perfectionis activa.

Ad n. 11: additio post lin. 38: Monendum hic est, ne missionarii externi putent adaptationem architecturae, musicae aliarumque artium sibimetipsis primarie incumbere, sibique licere ut suas imponant adinventiones. Hoc enim aequiparetur colonialismo artistico! Artistica haec adaptatio potius habeatur tamquam evolutio, quae quasi necessitate naturali efflorescet e cleri populique christiani cultura eorumque crescente sensu intime christiano.

Ad n. 12: inter linn. 25 et 29 mutatio et additio: Sacra Synodus optat ergo ut S. Sedis dicasterium quamprimum novas statuat normas, iisdem novis adiunctis

congruentes. Quum autem inter Patres conciliares tam magno numero adsint praesules e terris missionum, qui longa experientia de aequa iustaque relatione inter superiorem ecclesiasticum et superiorem religiosum edocti sint, ne omittant oportet dicasterium romanum edocere, quae normae fundamentales praevalere debeant in qualibet nova legislatione de hac re ferenda. Similiter quoque praevie audiantur superiores missionariorum.

Id. ad n. 12, pag. 16: alineae ultimae mutatio: In S.C.P.F., cuius opera utitur Summus Pontifex ad suam in Ecclesiae Missiones exercendam auctoritatem, necesse est ut etiam partem habeant et quasi repraesententur illi qui in opere missionis « pondus diei et aestus (*Mt.* 20, 12) » portant: Episcopi tum in missionibus, tum ex communitatibus antiquitus christianis, necnon Instituta missionaria quibus apostolatus missionarius et praeparatio apostolorum commissa est.

Praeterea videtur addenda norma, quae declaret per quantum tempus Ecclesiae novellae sint remansurae sub S.C.P.F. dicasterio. E. g. sic: S.C. de P.F., quam bene de S. Ecclesia meruerit et quanto auxilio per totum orbem fuerit operi missionario, sive per subsidia pecuniaria, sive per mediationem Romana dicasteria inter et superiores missionum, sive per informationes, consilia, insuper et per regulas, instructiones, edicta, ceteraque praestita, dicere superfluum est, quippe quod per experientiam cotidianam 3½ saeculorum comprobatum est. Ecclesiae autem novellae, quantumvis hierarchice constitutae, quamdiu supradictis S. Congregationis auxiliis indigent, omnino iustum et rerum naturae consentaneum est, ut Sacrae illius Congregationis ductui addictae et intime iunctae remaneant.

Quamprimum autem eatenus sese evolverint, ut antiquis dioecesibus magis magisque aequiparatae, subsidiis illis et auxiliis iam non indigeant, iustum est ut etiam quoad totam suam ad supremum Ecclesiae Gubernium relationem ceteraque cuncta, antiquis dioecesibus aequiparentur et a subiectione S.C. de P.F. educantur.

Immo dicendum videtur: tum novellae Ecclesiae istae, tum S. Congregatio eniti debent ut Ecclesiae sibimetipsis tum in re pecuniaria, tum in ceteris quibuslibet, quo citius fieri potest, sufficiant, eo fine ut subsidia omnia, quae S. Congregationi praesto sunt, destinari possint missionibus illis, quae ob nativam suam indigentiam illis carere nequeunt.

Ad n. 21: additio ad finem numeri: Immo specialis valoris est cultus scientiae huius missiologicae. Sed necesse est, ut magis magisque non in terris missionalis activitatis tantum, sed in ipsis quoque missionum regionibus colatur, atque optandum est, ut inter utrosque hos coetus intima fiat cooperatio atque mutuum auxilium.

69

Exc.mus P. D. ANDREAS WRONKA

Episcopus tit. Vatarbensis, aux. Gnesnensis

I. Schema placet, excepto prooemio. 1) Prooemii scribendi genus emendandum est, ad modum boni generis scribendi cap. IV; 2) Deest numeratio; 3) Consecutio idearum earumque iuxtapositio in scribendi genere non satisfaciunt (e. g. in linn. 11-20).

II. *Emendationes*. A. *Ad cap. I.*

Cap. I inscribatur: De principiis doctrinalibus apostolatus missionarii.

Pag. 7, linn. 9-11: loco propositionis « Ipse enim... in gloria » propono: « Ipse enim in carne "manifestatus" semetipsum exinanivit, nunc a Deo exaltatus " in gloria est Dei Patris " ac " servus Domini " electus, ut sit... ». *Ratio*: textus propositus videtur genere scribendi clarior.

Lin. 18-19: deleantur verba: Dominus gloriae. *Ratio*: sufficit et clarior remanet sensus per unicum subiectum « exaltatus in gloria ».

Lin. 22: loco « attraheret » dicatur simpliciter « traheret ». *Ratio*: sic sonat textus *Io.* 12, 32.

Pag. 8, lin. 25: ante verbum « nationes addatur « in quo ».

Lin. 39: loco verbi « quapropter » propono: « nihilominus ».

Pag. 9, lin. 4: loco « reducitur » dicatur « deducitur ».

Lin. 10: ante verbum « Corporis » addatur « sicut ». *Ratio*: haec propositio non debet esse autonoma, sed servire principali ideae articuli.

Linn. 24-25: omittantur.

B. *Ad cap. II.* Pag. 15, lin. 30: omittatur coniunctio « si ». *Ratio*: non est propositio condicionalis.

C. *Ad cap. III.* Pag. 17, lin. 11: loco « animas proprias » dicatur « animam propriam ».

Pag. 19, linn. 1-5: textus est difficilis intellectu. Desunt commata.

70

Exc.mus P. D. PAULUS YOSHIGORO TAGUCHI

Episcopus Osakensis

I - *Animadversio generalis.* Schema *de missionibus* videtur imminuere potius quam perficere documenta mirabilia quae Summi Pontifices de missionibus ediderunt: *Maximum illud* (Benedictus XV), *Rerum Ecclesiae* (Pius XI), *Evangelii Praecones* et *Fidei donum* (Pius XII), *Princeps Pastorum* (Ioannes XXIII). In hoc schemate vix inveniuntur perspicuitas et vis quae in Litteris Encyclicis nos commovent quoad omnes doctrinales et practicas missionum quaestiones, e. g.

Quoad grave munus episcoporum singulorum erga mundum universum, maxime erga infideles (*Rerum Ecclesiae, Fidei donum*).

Quoad gravem obligationem omnium fidelium erga omnes infideles (*Maximum illud, Rerum Ecclesiae, Evangelii Praecones, Fidei donum*).

Quoad urgentiam et libertatem vocationum missionalium licet in Seminariis dioecesanis oriantur et dioeceses ipsae sacerdotum exiguitate laborent (*Maximum illud, Rerum Ecclesiae, Fidei donum*).

Quoad rationem urgentiamque adaptationis christianae religionis, quantum potest, cultui et humanitati singularum nationum (*Summi Pontificatus, Evangelii praecones*).

Quoad necessitatem sollicitudinis ob spiritualem assistentiam iuvenum qui studiorum ratione ex infidelium regionibus in catholicas regiones conveniunt (*Fidei donum, Princeps Pastorum*).

Quoad magnam utilitatem sacerdotes ipsos dioecesanos, in aliqua re peritos, ad tempus praestandi ut operam dent in missionibus (*Fidei donum*).

Quoad utillimum servitium quod ipsi laici ex christianis regionibus praestare possunt in missionibus (*Fidei donum*).

Quoad urgentiam eligendi et specialiter instruendi inter novas communitates christianas laicos qui valde adiuvent missionarios et eos suppleant in multis rebus (ex omnibus Encyclicis, de hoc problemate specialiter tractant *Fidei donum* et *Princeps Pastorum*).

Quoad peculiaria problemata scholas instituendi, seminaria sustentandi, caritatis opera diffundendi. De his problematibus omnes Encyclicae tam eloquenter disserunt ut miremur eandem suadendi virtutem deesse in hoc schemate *de missionibus*.

Quoad plurimos labores et persecutiones quibus libenter missionarii et missionariae subierunt, maxime hoc saeculo, ut christianam religionem diffunderent usque ad extremum terrae. De his incomparabilibus pro Iesu Christo aerumnis nulla mentio fit in schemate.

II - *Animadversiones particulares.* A) *Quoad argumenta tractata.*

1. *De cooperatione missionaria.* In pag. 23, linn. 3-7, dicitur: « Episcoporum est ergo opus missionale in sua dioecesi suscitare, fovere ac ducere; fideles circa eorum officium erga missionem docere; Instituta missionalia et opera missionalia adiuvare; subsidia materialia colligere et ea, iuxta offerentium voluntatem, integre in favorem missionis destinare ». Maiores perspicuitas et vis optantur in determinandis proportione, conscientiae onere et fine cooperationis missionalis.

a) *Quoad proportionem.* Non sufficit collatio quae quotannis in tertia die dominica mensis octobris statuitur. Nam multae missiones novae ortae sunt, quotannis missionarii augentur et opera multiplicantur in numero, dimensionibus et exigentiis. Non sufficit hortari episcopos vel conferentias episcopales ut opera missionalia adiuvent, sed optandum est ut incrementa omnium operum missionalium in tuto ponantur per certam obligationem dioecesium non missionalium offerendi aequam partem reddituum pro operibus missionalibus.

b) *Quoad conscientiae onus.* Ex Litteris Encyclicis quae de missionibus tractant clare deducitur singulos fideles suae fidei vere consentientes non esse et caritatem offendere in maximo discrimine, quod est omnium animarum aeterna salus, nisi sollicitudinem habeant infidelium conversionis ad Christum. In schemate autem gravitas et urgentia obligationis imminutae videntur.

c) *Quoad finem.* Parum dicitur de Institutis missionalibus sufficienter iuvandis cum sint pars necessaria finis cooperationis missionariae. Instituta missionaria, aliter ac omnia cetera Instituta vitae activae quae, dum sacro ministerio incumbunt, de eodem vivere possunt, in regionibus infidelium laborare debent, ubi petenda non sunt subsidia sed ferenda. Cum ergo non clare et definitive statuitur modus sustentandi Instituta missionalia in patria ubi multis missionariis, quorum opera multo melius exoptetur in Missionibus, exclusive incumbendum est alumnorum sustentationi? In plurimis casibus episcopi se convenienter Instituta missionalia iuvare putant quia quotannis, per specialem praedicationem missionariam in praestitutis paroeciis, pecuniae collationem permittunt. Sed, ubi habetur episcopi permissio, quae quandoque negatur, opus semper est ut missionarii veram pactionem faciant cum singulis parochis qui plerumque praedicationem et collationem permittunt ea condicione ut missionarii per aliquot dies, nonnumquam per multos dies, sacro ministerio incumbant in ipsorum paroeciis.

2. *De studentibus ex terris missionum confluentibus.* In pag. 23, linn. 18-20, dicitur: « Neque obliviscantur episcopi illorum studentium curam gerere qui, ex terris missionum, in nationes traditionis christianae studiorum causa se conferunt ». Quod dicitur neque explicat maximum momentum quaestionis neque convenienter urget solutiones necessarias. Quotannis plurima millia iuvenum studiorum ratione ex Asia et Africa confluunt in Europam et Americam. Aliquo modo affirmare licet quaestionem de efformandis in morem christianam iis qui suas nationes gubernaturi sint, quae procul dubio est urgentissima quaestio, transferri a terris missionum in christianas dioeceses in quarum finibus universitates praeferuntur ab iuvenibus Asiae et Africae. Quo magis exterae universitates exoptantur ad efformandos eos qui dirigant novas nationes, eo magis sollicitandae sunt institutiones catholicae quae tempestive tales iuvenes dirigant ad universitates catholicas vel saltem eos hospitio accipiant in domibus catholicis ubi fraternitatem christianam experiri atque fidem convenienter colere vel invenire possint. Si singulis episcopis, sacerdotibus et fidelibus conscientia missionaria colenda est, in tanto discrimine praecipue ostendenda est, quia maximi ponderis problema missionarium directe solvi potest in eorum dioecesibus quo ratione studiorum plurimi iuvenes ex terris missionum confluunt.

3. *De regula distribuendi subsidia.* Regula distribuendi subsidia S. C. « de Propaganda Fide » definienda est servatis diversis rationibus. Pecuniae eadem nominalis summa differt quoad utilitatem realem. Nam eiusdem nominalis summae alia est utilitas in evolvenda natione, alia est utilitas in evoluta natione, ut Iaponia, quae, si sub specie religionis est natio missionaria, sub specie humani cultus aemulatur excultissimas nationes. Cum, v. g., subsidia destinantur ad novas scholas instituendas, diligenter consideretur quoddam exemplar scholae, si optimum sit in evolvenda regione, ne tolerari quidem in evoluta regione, ubi scholis catholicis dignitas et efficientia assequendae sunt non inferiores scholis publicis. Idem dicendum est de ecclesiis et aliis religiosis institutionibus quae in Iaponia humiliores esse nequeunt. Christiani iaponenses nec tam divites nec tam multi sunt qui sustinere possint, si non in minima parte, religiosas institutiones, praesertim scholas, quae maximi ponderis sunt in diffundenda christiana religione.

4. *De libertate vocationum missionalium.* Nihil dicitur de vocationibus missionalibus quae oriri possunt inter sacrorum alumnos seminarii dioecesani vel inter sacerdotes ipsos dioecesanos. Litterae Encyclicae *Maximum illud, Rerum Ecclesiae* et *Fidei donum* perspicue statuunt, quamvis dioeceses ipsae sacerdotum exiguitate laborent, iuvenes, clericos et sacerdotes nullo modo impediendos esse quin suam vocationem missionariam adsequantur. Nonne Pius XII in Encyclica *Fidei donum* affirmat communitatem christianam quae filios et filias Ecclesiae donat mori non posse, et nationis catholicum vigorem aequari sacrificiis quae sustineantur ob causam missionariam?

5. *De praxi gemellationis.* Quoad n. 25, linn. 33-34, praxis gemellationis ut vere « in bonum omnium ecclesiarum cedat » sic instituenda est ut non una dioecesis tantum quandam dioecesim missionariam iuvandi officium subeat, sed, si fieri potest, dioeceses eiusdem nationis officium subeant iuvandi globaliter omnes dioeceses cuiusdam nationis missionariae, ut, v. g. si dioeceses Germaniae adiuvent omnes dioeceses Iaponiae sine exceptione. In iuvandis missionibus, praesertim praxi gemellationis, distinguendae sunt necessitates urgentiores et minus urgentes. Si singulis Episcopis competit sollicitudo omnium Ecclesiarum et non suae tantum,

quemadmodum singulis fidelibus spectat sollicitudo omnium animarum et non suae tantum, oportet missionum problemata anteponi exigentiis localibus quae non urgeant eadem gravitate.

B) *Quoad modum tractandi argumenta.* Pag. 5, linn. 1-5. Nova conscriptio optatur ubi clarius appareat cohaerentia doctrinae quae hic innuitur mera iuxtapositione verborum « Populum Dei — Ecclesia — Regnum Dei — Novellas Ecclesias ». Item, post citationem « praedicaverunt ubique », non sine aliqua admiratione docemur in non paucis regionibus adhuc vix inchoari laborem missionarium.

Pag. 5, linn. 10-25. Ad maiorem cohaerentiam adsequendam sequens proponitur conscriptio: « Ad opus enim evangelizationis sustinendum et promovendum, operarii sunt pauci et subsidia exigua. Praeterea, inter alia obstacula, graviter adversantur et materialismi lata diffusio et Christianorum lugenda divisio. Unde numerus non christianorum ita in dies crescit ut Ecclesia Christi longius distare videatur a sua extensione universali attingenda. Alia vera ex parte plura elementa operi favent evangelizationis: universale augendae culturae et unitatis desiderium, socialis communicationis instrumentorum stupenda vis potentiaque, itinerum celeritas et ipse scientiarum progressus qui hominum ut, ad universalem pacem adsequendam atque firmandam, rerum spiritualium momentum magis attendere velint. Quas opportunitates ad salvandas animas negligere non licet ».

Pag. 7, a lin. 17 ad pag. 8, lin. 18. Nova et clarior conscriptio optatur, magis cohaerens: nam aliqua dicuntur sub n. 3 quae pertinere videntur ad n. 2. Quare hanc conscriptionem propono: « Christus Dominus qui, etsi vi unionis hypostaticae universalem potestatem habebat, formam servi accipiens, visibilis apparuit in terris et habitavit in nobis, post ascensionis gloriam adsecutam, humilius praesentiam suam inter homines velare voluit, scilicet sub speciebus eucharisticis et sub vultu Ecclesiae. Ecclesiae vero mittens Spiritum Sanctum, eam adhibet ut signum praesentiae suae et instrumentum actionis suae salvificae. Et ideo Ecclesia, quae alia ratione dicitur Sponsa Christi, fit eius ministra ad salvandas animas. Quod ministerium Ecclesia adimplet praedicando... baptizando... confirmando... reficiendo homines ut omnes conformes fiant imagini Filii Dei ».

Pag. 8, linn. 1-9. Deleantur cum supra inserendae sint.

Pag. 8, linn. 10 ss. Ad maiorem claritatem, verbis « genuinam hominis veritatem » addatur « et dignitatem ». Praeterea pressius Sacra Scriptura referatur: « Homo creatus est enim ad imaginem Dei, et Deus praedestinavit homines conformes fieri imaginis Filii sui ».

Pag. 8, linn. 14-18. Addendum esse videtur breve commentarium ut statim intelligatur quid sit « attingere intimam conscientiam » et quid significent verba S. Pauli « commendantes nosmetipsos ». Proponitur v. g.: « Praedicatio, in veritate innixa, ad audiendum innatum veritatis sensum appellat, seu ad eorum intimam conscientiam attingit, quae... ».

Pag. 8, linn. 30 ss. Optatur ut, quamvis breviter, in memoriam revocare templum spirituale nihil aliud esse nisi Ecclesiam ipsam quae seipsam ad suam propriam aedificationem adlaborat, et locales novellas Ecclesias nihil aliud esse nisi novas partes ipsius universalis Ecclesiae, quare, eas adiuvando, Ecclesia sua ipsius membra diligat et iuvet.

Pag. 11, lin. 7. Addendum videtur: « Conscius tamen se nihil esse nisi gratiae instrumentum et... ».

Pag. 11, linn. 26 ss. Quomodo linguarum varietas vias paret ad Evangelium

non intelligo. Experientia enim docet nimiam varietatem idiomatum obstaculum potius esse. Si vero intelligitur ad maiorem Dei gloriam pertinere ut multifariam multisque modis laudetur variis linguis, clarius est dicendum.

Pag. 11, a lin. 32 ad pag. 12 lin. 25. Cohaerentior optatur conscriptio. Quaedam enim elementa videntur esse pictura idealis novae Ecclesiae, alia autem elementa videntur esse exhortationes ad fideles vel ad missionarios vel etiam... ad Sanctam Sedem (lin. 25: « in hierarchiam... quam primum inseratur »).

Pag. 12, lin. 33. Corrigendum videtur: nam quae pertinent ad novam « communitatem » scil. pastor et oves, iam antea « vitali communioni Ecclesiae universalis » inserti erant.

Pag. 13, lin. 1. Quid innuitur per verba « eadem non est ac in missionibus in genere »? Seminaria, scholae et aliae institutiones nonne necessaria sunt, statim ac condi possunt, etiam in missionibus nondum ad maturitatem deductis?

Pag. 14, linn. 11 ss. « Omnes mores purificat, cunctas culturas... ». Utinam! Distinctio hic videtur introducenda inter picturam idealem, cuius effectus speratur, et rem. Pressius dicatur: « Evangelium Christi vim habet ut vivificet omnes culturas populorum dummodo non sint intrinsece malae ».

71

CONFERENTIA EPISCOPORUM RWANDAE ET BURUNDI

I. *Remarques générales.* Le schéma offre une base valable pour les discussions conciliaires. Toutefois, nous formulons les remarques suivantes d'ordre général.

A) Le schéma n'est pas assez spécifiquement missionnaire. Il faut concentrer les efforts sur les problèmes qui sont strictement missionnaires, à l'exclusion de généralités valables pour l'Eglise entière. Par exemple: chap. I, art. 1 et 2, page 7, lignes 5-25; chap. II, art. 10, page 13, lignes 13-24, page 14, lignes 1-10.

B) Le schéma manque de clarté et ne fait pas ressortir suffisamment certaines distinctions qui s'imposent. Par exemple: entre missions et jeunes églises; préévangélisation et évangélisation. De même les idées dans le chapitre premier ne s'enchaînent pas d'une façon assez logique.

C) Le schéma manque d'actualité, il n'est pas suffisamment adapté à la conjoncture missionnaire actuelle. Il ne fait pas état des nombreuses situations nouvelles. A titre d'exemple nous citons les suivantes.

1. L'incidence de la décolonisation sur l'œuvre missionnaire.

2. Le manque de protection des pays décolonisés contre les multiples influences néfastes, venant de l'extérieur.

3. La tendance vers une cohésion plus poussée entre les pays, entraîne des courants d'idées communs et nécessite une plus vaste coordination et une collaboration plus ouverte dans le travail apostolique.

4. La désaffection des pays occidentaux vis-à-vis des pays décolonisés, sous prétexte que ceux-ci se suffisent maintenant.

5. La nécessité d'un désintéressement plus intégral de la part des pays de vieille chrétienté par rapport aux jeunes états.

6. Les difficultés économiques des pays décolonisés nécessitent une intervention efficace de la part des organismes et des particuliers catholiques qui empêcheront ainsi ces pays d'avoir recours aux pays à tendance matérialiste.

7. Le désir plus intense d'instruction par suite des besoins de cadres formés.

8. L'avance inquiétante de l'Islam et du Protestantisme en Afrique.

9. La tendance laïcisante des jeunes états, désireux de se libérer de l'emprise de l'Eglise.

10. La socialisation: tendance vers la main-mise des Etats sur toutes les manifestations de la vie publique, tout en respectant la personnalité humaine. Menaces pour les activités sociales, scolaires et caritatives de l'Eglise. De là nécessité de rechercher des formules nouvelles, permettant l'harmonisation des droits de l'Etat et de l'Eglise. Il faut affirmer la nécessité des organes intermédiaires entre l'état et les individus, tels que les syndicats.

11. La nécessité de « décléricalisation » par suite de la prise en charge par les états de leurs tâches propres.

12. Le nationalisme très prononcé que l'Eglise doit canaliser dans le sens d'un patriotisme éclairé. Il faut lutter contre un faux nationalisme qui se referme sur lui-même et qui affirme que la religion est un article d'importation étrangère à rejeter.

13. L'inertie du monde catholique: il faut un changement de mentalité. L'aide est insuffisante. Dans cette aide il faut éviter le néocolonialisme économique, le protectionnisme.

D) Le schéma ne fait pas suffisamment ressortir l'urgence du problème missionnaire. Il manque de souffle, de vigueur. Il ne provoquera pas une réaction, une action missionnaire. Il ne pénètre pas assez au cœur du problème. Ainsi par exemple les art. 24 et 25.

Il importe d'adapter le système aux situations nouvelles.

II. *Appréciations des diverses parties du schéma.*

Prooemium. Le prooemium doit mettre en pleine lumière la nouveauté du problème missionnaire ainsi que son urgence, conformément aux remarques formulées ci-dessus et déduire de là la nécessité du schéma *de missionibus.* La nouveauté et l'urgence du problème doivent être considérées dans toute leur envergure.

La conjoncture actuelle du monde est caractérisée par le fait que les deux tiers de l'humanité ne connaissent pas encore le Christ.

1. De vastes espaces humains sont constitués par les grandes religions nonchrétiennes, fortement intégrées culturellement et pas encore en état d'ouverture et d'accueil au message chrétien. Les statistiques accusent seulement 4% de catholiques dans les pays de religions chinoises; 1,8% pour ceux de religion bouddhiste; 0,3% pour les religions japonaises; 1,3% pour la religion hindoue; 1,03% pour les pays musulmans (cf. *Informations Catholiques internationales,* 1 sept. 1963).

Cette situation est tragique, parce que l'évolution démographique accuse d'année en année l'état de minorité des chrétiens dans le monde.

2. Il y a aussi d'immenses zones de déchristianisation dans les pays de vieille chrétienté (par exempla l'Amérique latine).

3. Il ne faut pas oublier les grandes aires sous obédience communiste et matérialiste.

C'est en tenant compte principalement de ce phénomène tragique que le schéma *de missionibus* devrait être envisagé avant tout. Car là est le problème.

C'est de cet univers humain que l'Episcopat mondial réuni en Concile est responsable devant Dieu.

Cap. I. Art. 1 et 2: le texte devrait être plus concis. Après les quatre premières lignes il convient d'insister sur l'aspect théocentrique, par exemple en citant *Eph.* 3, 14. Le reste des art. 1 et 2 pourrait être supprimé.

Après l'art. 5: Il faudrait insérer un paragraphe sur la mission de l'Eglise et ses incidences temporelles: développement humain, soulagement des misères. Il faudrait également insister sur le fondement théologique de cette action.

En connexion avec ce paragraphe, il convient de montrer que l'action missionnaire de l'Eglise doit aboutir concomitamment à la consecratio mundi ou la conformité de la société avec la loi du Christ, c'est-à-dire l'instauration du Royaume de Dieu sur terre dans toute son amplitude.

Cette perspective est importante pour les jeunes nations dans le stade de l'édification d'une nouvelle société.

Il n'y a pas assez de cohésion nous semble-t-il entre les différentes idées de ce chapitre.

Cap. II. Art. 7. Le premier et le deuxième alinéas peuvent être résumés. Il suffit de montrer le Christ comme exemple. On peut ensuite passer directement à l'apostolat missionnaire, parce que ces remarques valent pour tous les ouvriers apostoliques où qu'ils soient.

Les étapes de cet apostolat doivent être mieux marquées.

Première phase: la préévangélisation.

Deuxième phase: le précatéchuménat, jusqu'à la conversion.

Art. 8, page 11, lignes 32-33 et page 12, lignes 1-6: il faut insister sur les exigences morales du christianisme. Une véritable conversion est nécessaire avant l'entrée au catéchuménat.

Troisième phase: le catéchuménat proprement dit suppose la conversion accomplie. Il ne faut pas admettre au catéchuménat par exemple ceux qui adhèrent à des sectes païennes ou qui pratiquent la polygamie. Le catéchuménat comporte une formation chrétienne complète et de ce fait exige un temps prolongé. Nous suggérons qu'un temps minimum soit fixé, par exemple deux ans. Les nouveaux convertis sont considérés comme participant à la vie de l'Eglise. Il font partie de la communauté chrétienne. Il faut insister sur la soumission à la Hiérarchie, les obligations auxquelles ils doivent obtempérer, comme par exemple la sanctification du dimanche et d'autres pratiques chrétiennes.

Les chrétiens. Il y a lieu de consacrer un soin particulier aux nouveaux baptisés pendant la période d'initiation à la vie chrétienne et surtout sacramentelle. A la ligne 13 il conviendrait de remplacer « ne cessent » par « ut crescant ».

Après l'art. 8 il faudrait insérer un paragraphe sur l'évangélisation et la liberté de conscience.

Ce problème est d'autant plus d'actualité que certains états sont portés à interdire à l'Eglise d'exercer sa fonction évangélisatrice à l'intérieur de leurs frontières. S'il est clairement établi que l'Eglise respecte la pleine liberté de conscience, qu'elle agit conformément aux droits de l'homme, même en évangélisant, bien des griefs tomberont.

Il faudrait ensuite un paragraphe sur l'évangélisation et l'œcuménisme afin de signaler les abus de la concurrence et d'insister sur la liberté de l'acte de foi, sur la charité, et sur la poursuite du plus grand bien. Il faudrait également préconiser la bienveillance, la cordialité, la collaboration notamment dans les services sociaux.

Art. 9. Le statut juridique des jeunes Eglises doit être revu à la lumière des décisions qui seront prises par le Concile au sujet des schémas *de Ecclesia, de episcopis, de regimine* et à la lumière des situations actuelles.

Nous préconisons la création d'un organisme d'information, grâce auquel les évêques pourraient considérer les problèmes particuliers de leurs diocèses dans toute leur complexité. Nous préconisons également la fondation d'un organisme de répartition des forces de l'Eglise: prêtres, religieux, religieuses, aides laïques, même ressources matérielles.

Alinéa 1. Nous estimons qu'il est inexact d'affirmer que l'Eglise est totalement manifestée lorsqu'un évêque autochtone assume la succession apostolique. Le mystère de l'Eglise est totalement réalisé quand un évêque résidentiel, quel qu'il soit, est à la tête d'une Eglise locale.

Alinéa 2. Il est affirmé que la jeune Eglise est un germen divinum. En tant que notion théologique d'Eglise locale, cette expression semble inexacte, bien que la novella Ecclesia soit « continuo crescens sed et auxiliis Ecclesiae universalis semper indigens ».

Alinéa 3. Il faut souligner que les besoins des Jeunes Eglises ne se limitent pas à ceux énumérés dans cet alinéa. Les œuvres fondamentales doivent se développer: ainsi par exemple les paroisses, les écoles, les catéchuménats, etc. Il y a lieu de noter les responsabilités des Jeunes Eglies par rapport à l'Eglise universelle.

Art. 12, lignes 17-27. Nous demandons que le nouveau droit commun envisage toutes les situations y comprises celles des missions et des nouvelles églises, de façon à ne pas les faire entrer dans une catégorie à part.

Lignes 35-38. Nous demandons que le Concile définisse clairement le statut des Conférences épiscopales et que ce statut soit universellement appliqué.

Cap. III. Introduction. Dans la perspective de l'urgence du problème missionnaire, le Concile devrait lancer un appel percutant en faveur des vocations missionnaires. Cet appel concernerait les missionnaires, prêtres, frères, sœurs et laïcs qui consacrent toute leur vie aux missions. Le Concile exprimerait en même temps son encouragement pour les missionnaires, qui se mettent à la disposition des missions ad tempus.

Art. 13. Il y a lieu d'insister sur la nécessité de la formation aux vertus spécifiquement missionnaires: les missionnaires quittent tout définitivement; ils doivent s'intégrer dans un nouveau pays et un nouveau peuple, d'où nécessité d'un dépouillement total qui leur permettra l'adaptation à leur nouvelle situation. Les missionnaires doivent faire preuve d'une disponibilité entière, qui leur permettra d'être un instrument docile dans les mains de la Hiérarchie.

Les missionnaires, qui consacrent seulement quelques années de leur vie aux missions, doivent pratiquer les mêmes vertus.

Art. 15. Il faut préciser le sens de cet article et exprimer clairement de qui il s'agit.

Art. 17. Il serait bon de remarquer en passant que le prêtre diocésain doit être cooperator ordinis episcopi et qu'à cet effet on doit lui inculquer dès le

séminaire un grand amour et attachement à son évêque. Il faut signaler que le recrutement et la formation du clergé doivent être considérés comme l'œuvre primordiale de l'action missionnaire.

Art. 19. Il faudrait insérer entre le premier et le deuxième paragraphe un texte sur le rôle des familles et des écoles catholiques dans la formation apostolique des fidèles.

Art. 20. Nous demandons que le Concile décide la création d'une œuvre pontificale en faveur des catéchistes en activité ou en période de formation. Cette œuvre pourrait s'appeler Opus Pontificale Sancti Pauli Apostoli pro Catechistis. Elle remplirait par rapport aux catéchistes la tâche assumée par l'Œuvre St. Pierre Apôtre par rapport aux séminaires.

Nous demandons que soient élaborés plus largement le statut et le rôle des catéchistes dans l'Eglise. Il faudrait fournir des précisions relatives à la sainteté et au zèle requis ainsi que leurs rapports avec la Hiérarchie et les fidèles.

La Conférence souhaite la publication d'une encyclique concernant les catéchistes.

Cap. IV. La Conférence suggère que l'ordre du chapitre soit inverti et que l'on commence par parler en premier lieu des Evêques. Ceux-ci en effet sont les premiers responsables et de leur action missionnaire doivent découler toutes les autres activités missionnaires.

Art. 21, ligne 22. Il faudrait remplacer « regiones non christianas » par « regiones missionales ».

Art. 22, page 22, ligne 5: « committi »: à préciser dans le cadre des nouvelles dispositions prises par le Concile.

Art. 23. Il faudrait insister sur le fait que les prêtres des pays de vieille chrétienté doivent s'offrir spontanément à leur évêque pour se mettre à la disposition des missions, et s'empresser de répondre aux appels de leurs évêques dans ce sens.

Art. 24, page 22, ligne 34. Supprimer « etiam ». Ligne 39: remplacer « possunt » par « debent ». Page 23, lignes 1-2: supprimer « ad significandam participationem Ecclesiae localis ».

Art. 25. Cet article pourrait faire corps avec l'art. 24.

Ligne 25: remplacer « possunt » par « debent ». Il faudrait insister sur l'urgence de l'aide à apporter aux missions. Nous demandons qu'un article spécial soit ajouté sur l'importance de l'information missionnaire afin que tous, fidèles, prêtres et évêques, soient éclairés sur le problème missionnaire et son évolution. Ainsi tous seront encouragés à collaborer à l'œuvre missionnaire.

72

CONFERENTIA EPISCOPORUM NIGERIAE

Cap. I. Pag. 9, linn. 19, 20: suadendum est ut ad sententiam in linn. 19-20 allatam sequens addatur: (Ecclesia) visibiliter se extendit apud gentes pro quibus signum salvationis hactenus non est manifestum in forma Ecclesiae firmiter fundatae et bene aedificatae sub ductu hierarchiae autochthonae et pro quibus etiam copia sacrorum ministrorum autochthonorum nondum suppetat (vide: *A.A.S.,* 1951, p. 507).

Cap. II. Pag. 11: in sectione 8 non alienum esset animadvertere ad verba Benedicti XV in Litteris Encyclicis *Rerum Ecclesiae* ubi missionarios admonet ne in cura animarum iam in grege collectarum acquiescant; sed e contra ut contendant veritatem christianum afferre intra ambitum omnium in territorio degentium (vide: *A.A.S.,* 1919, p. 443).

Pag. 12, linn. 34-35: « Germen divinum est haec novella Ecclesia, continuo crescens, sed et auxiliis Ecclesiae universalis semper indigens ». Loco vocabuli « semper » suppone « adhuc » quia quando novella Ecclesia consequitur maturitatem perfectam non indiget auxiliis Ecclesiae universalis nisi in sensu omnino lato.

Pag. 13, linn. 1-2: « Indigentia autem illa in novellis Ecclesiis non est eadem ac in missionibus in genere »: Haud clarum est quomodo necessitates Ecclesiarum novellarum differant a necessitatibus missionum in genere. Melius videtur hanc sententiam omittere.

Pag. 13, lin. 10: « mutuo quodam virium effluvio »: adde: « etiam in opere missionum ».

Pag. 12, n. 9: quaedam addenda sunt ad n. 9 de vocationibus missionariis ad nationes exteras fovendis inter adulescentes istarum novellarum Ecclesiarum in quibus vocationes missionariae et sacerdotales magis abundant. Accidere potest ut nonnulli missionarii de quibusdam territoriis excludantur sed in eisdem territoriis alii missionarii autochthoni ex locis vicinis intrare forte permittantur.

Pag. 15, n. 12: ad hanc sectionem addenda videntur quaedam de necessitate cooperationis amicalis et amabilis inter missionarios locales et missionarios externos, secundum exhortationem illatam in Litteris Encyclicis *Princeps Pastorum.* Missionarii externi non debent appellari alienigenae. Omnis sacerdos catholicus quamdiu in vinea Domini fideliter laborat, considerari debet ut concivis in patria sua ubicumque Regnum Dei floret vel radices capit. Laborent ergo, vinculo caritatis fraternalis iuncti, quae fructus est illius caritatis ardentis quam habere debent erga Redemptorem divinum et Ecclesiam.

Neque esset inane exhortari missionarios tam locales quam exteros ut pro veris commodis nationalibus gregis eorum secundum praecepta evangelica laborent; pacem, unitatem et amorem patriae inter eos sedulo nutriant dum ab eis pericula nationalismi immoderati arceant.

Cap. III. Si caput de formatione missionali inspexerimus patet quasdam distinctiones invidiosas fieri missionarios externos inter et missionarios locales: e. g. « *aliqui* saltem ex missionariis candidatis peculiari modo praeparentur apud Institutum Missionale Scientificum » (pag. 18, lin. 3); « *Aptiores* alumni e territoriis missionalibus libenter destinentur ad studia academica » (pag. 18, lin. 35).

Prae oculis etiam habendum est instructionem intellectualem quae in seminariis maioribus impertitur aequi immo superioris valoris debere esse illa alibi collata (*Rerum Ecclesiae*: *A.A.S.,* 1919, p. 445).

Illis quaedam libertas in agendo dare debent ita ut facile celeriterque eo perveniant quo maioribus Ecclesiae ministeriis ipsi fungi possint et plena concordia cum missionariis externis laborent (*Princeps Pastorum*, 1959).

In seminariis maioribus tum Institutorum missionalium tum Ecclesiarum novellarum, anthropologia et sociologia inter disciplinas regulares inveniantur.

Missionarii futuri congruam notitiam etiam acquirere debent de historia nationum ad quas mittentur.

Quaedam ambiguitas vigere videtur in usu vocis « missionarius »: Exempla quaedam proferamus: pag. 17, lin. 7: de missionariis externis; pag. 18, lin. 23: de missionariis localibus. Sed e contra: pag. 17, lin. 23: formatio doctrinalis missionariorum; pag. 15, lin. 24: formatio cleri autochthoni; et pag. 15, lin. 19: « ... episcopis, sive autochthonis sive missionariis »; pag. 19, lin. 20: omitte voces « etiam exculti » ne offensio detur; pag. 19, lin. 32: ubi scholarum catholicarum systema integrum habetur ibi scholae ad catechistarum formationem tam urgentes non videntur. Loco « cum » pone « ubi ».

Cap. IV. Pag. 21, lin. 32: « Orationes suas et sacrificia illo augeant spiritu missionali qui nedum omnem activitatem propriam penetret, consodalibus etiam communicatur »: loco « consodalibus » pone: « illis eorum curae commissis ».

Pag. 22-23: exhortationes in n. 24 (de collaboratione episcoporum) minus urgent, minorem animum addunt quam illa Litterarum Encyclicarum *Fidei donum* quando de iisdem rebus tractant. Maiore vi loquendum est de episcoporum obligationibus ita de tota Ecclesia curare ut clericos suos dioecesesque nullo modo sinant refugium in solitudine egoistica quaerere. Nihil ab Iesu Christi Ecclesia tam alienum est quam divisio; nihil eius vitae tam obest, quam si eius membra vel in segregem solitudinem difugiant, vel in se ipsi plus aequo convertantur, vel denique quomodocumque privatas proprii coetus utilitates unice curent (*A.A.S.,* 1957, p. 237).

Episcopis admonendum est ut tam in litteris pastoralibus quam in homiliis sacerdotes populumque hortantur qui preces Deo pro missionibus indesinenter offerant et suis precibus eleemosynas in quantum possunt adiungant. Pontificiae Societates missionariae fortiter fovendae sunt. Videant episcopi ne impediant illis qui in suis dioecesibus vocationes missionarias inquirunt neve suis sacerdotibus iunioribus obstent quin aliquos annos in labore missionario degant: « In memoriam etiam reducimus moderatores illorum institutorum, optime de re meritorum, quos Apostolica Sedes appellare non destitit, ut sacrarum expeditionum instantibus necessitatibus prospiciant, quique nequeunt Evangelii praeconum numerum adaugere, nisi Ordinarii locorum eorum industriam benevolenti animo sustineant. Operam date, ut mutua consensione veri nominis utilitates, quae intento animo perpendae sunt, concilientur. Hae si in praesentia trahi in diversum interdum videantur, quidni omnia satis valida fidei alacritate iterum considerentur, supernaturali unitatis et catholicitatis Ecclesiae causa ob mentis oculos proposita » (*A.A.S.,* 1957, p. 245).

De cura quam episcopi alumnorum e partibus missionum provenientium gerere debent urgentior fieri debet quaestio, exemplar sumendo Litteras Encyclicas *Fidei donum* et *Princeps Pastorum.* Incumbant episcopi « ut Africae et Asiae iuvenibus, qui prosequendorum studiorum causa ad tempus in vestris dioecesibus degunt, spiritualis cura impertiatur. Iidem, a necessitudinibus socialibus patriae suae avulsi, saepe multas ob causas apud gentes quae eos excipiunt, haud satis catholicorum frequentant... Quapropter missionalium episcoporum sollicitudinibus permoti, nonnullos idoneos piosque sacerdotes huic apostolatus formae addicere ne dubitetis » (*A.A.S.,* 1937, p. 245).

Conferentiae episcoporum Ecclesiarum veterum aliquando invitare debent

ordinarios ex regionibus missionalibus ut ab eis discant de progressu laborum et de necessitatibus eorum. Aliqui episcopi ex istis conferentiis et ipsi visitare debent regiones missionum ut ab hierarchia harum regionum invitati, et sic propriis oculis circumstantiis difficultatesque ibi existentes videre.

Quod ad praxim « gemellationis » dioecesium attinet, sententia hierarchiae Nigeriae haec est: « sub directione et ordinatione S. C. Propagandae Fidei fiat ».

73

CONFERENTIA EPISCOPORUM RHODESIAE SEPTEMTRIONALIS

Animadversiones generales. 1. Favemus huic schemati prout repetit ea quae continentur in Encyclicis Litteris missionalibus, sed praeoccupati sumus quod ad earum executionem effectivam et organizativam attinet.

2. Speciali modo recommendamus par. 24.

3. Recommendamus conceptum « Missionis » qualis praebetur in *Evangelii Praecones* (*A.A.S.*, 1951, p. 507) et in *Rerum Ecclesiae* (*A.A.S.*, 1926, pp. 74-75).

Proponimus ut hic conceptus secundum textum quem infra adiungemus aut introducatur loco actualis prooemii aut in alio loco opportuno schematis, et quidem si fieri potest, in nn. 5-6.

Animadversiones speciales.

Ad prooemium: abbreviandum est. Pag. 5, lin. 13: post verbum « diffusio » addatur: « nationalismus exaggeratus, communismus et islamismi propagatio ».

Pag. 5, lin. 16: deleatur verbum « etiam ». *Ratio*: usus huius verbi « etiam » implicat sensum peiorativum pro ipsis instrumentis socialis communicationis.

In hoc prooemio inveniatur loco opportuno referentia explicita ad Litt. Enc. *Fidei Donum.*

Ad cap. I. Paragraphus 1 est abbrevianda. Pag. 7, lin. 7: textus *Mc.* 16, 15 auferatur et in eius locum substituatur textus *Mt.* 28, 19. *Ratio*: textus Matthaei clarius exprimit finem missionarium Ecclesiae.

Paragraphus 2 abbrevietur. Pag. 7, lin. 20: deleantur verba « sub vultu » et potius dicatur: « per Ecclesiam suam ». Lin. 21: dicitur: « instrumentum *seu* sacramentum » tamen instrumentum non est idem ac sacramentum. Inadaequata proinde est illa aequiparatio expressa ope verbuli « seu ».

Pag. 8, linn. 10-28: tota haec paragraphus omittatur, excepta una propositione circa libertatem conscientiae. Linn. 5-11: hae lineae omittantur quippe quae iam sufficienter continentur in eiusdem paragraphi pag. 8, linn. 32-34.

Par. 5 et 6 in unam paragraphum contrahantur. Par. 6 in nova forma proponatur secundum schema quod in calce huius documenti adiungimus.

Pag. 10, *notae*: omittatur nota 38.

Ad cap. II. Pag. 11, linn. 1-22: omittantur. Linn. 23-31 aut etiam omittantur aut transferantur ad cap. III. Si praefatae lineae omittentur, par. 8 indiget brevi propositione introductiva.

Lin. 33: dicitur « culturam et spirituales exigentias » e contra dicatur, invertendo ordinem verborum: « spirituales exigentias et culturam ».

Pag. 12, lin. 14: omittatur verbum « liturgice » quippe quod in contextu concreto est nimium restrictivum.

Pag. 13, linn. 1-5: loco actualis propositionis dicatur: « Indigentia autem illa in novellis Ecclesiis diversa est in diversis territoriis. Quaedam enim adhuc talibus institutionibus indigent quae eorum incrementum et maturitatem operentur. Curam particularem habeant praepositi novellarum Ecclesiarum circa seminaria. Familias religiosas, scholas, instituta catechismi... ».

Pag. 6, lin. 9: dicatur « ut et ipsae sicut iam dictum est paulatim missionariae evadant ». Omittantur verba « activam et personalem. Christi ».

Pag. 13, lin. 17: post verbum « habeatur » addantur sequentia verba: « et praesertim vita familiae verae christianae promoveatur ».

Linn. 19-24 omittantur, quia ea quae hic dicuntur iam continentur in lin. 16.

Linn. 25-30 omittantur. Ea quae hic dicuntur iam continentur in nova formula pag. 13, linn. 1 ss., quam supra proposuimus (cf. cap. II, 6).

Pag. 14, linn. 16-20 omittantur, quia haec omnia iam alibi dicta sunt.

Lin. 29 sic legatur: « minibus sunt distincti. Ideoque in consuetudine et evolutione vitae gentis suae vivere debent in quantum illae cum principiis christianis concordant, et ubi contrariae sunt, in quantum fieri potest purificentur ».

Linn. 30-31 omittantur.

Linn. 32-34 omittantur. Ea quae hic enuntiantur iam dicta fuerunt in pag. 11, linn. 26-28.

Pag. 15, lin. 1: addatur verbum « omnino » ante verbum « recipiantur ». Lin. 4, loco verbi « cultura », dicatur « conditiones ». Lin. 7, omittantur verba « missionarii ad ». Lin. 7, loco verbi « possint », dicatur « possit ». Lin. 13, post verbum « navantes » addatur: « ad normam iuris iurisdictioni et coordinationi episcopi subsunt ». Linn. 13-14, omittantur verba: « eius solius debent stare in apostolatu mandatis ». Dum Instituta religiosa certam quandam independentiam habeant oportet in conformitate ad varias eorundum Constitutiones, fortiter urgemus, ut novae condantur normae circa relationes existentes inter Instituta et Ordinarios. Simul autem urgemus ut in illis territoriis missionum, quae modo praedominante dependent a servitio religiosorum, hae normae eaedem non sint ac illae quae vigent in territoriis non-missionalibus.

Pag. 16, lin. 3: post verbum « opera » addatur « benemerita ». Lin. 4, deleatur verbum « necesse est » et loco horum verborum dicatur « convenit ». Lin. 5, deleatur verbum « quasi ». Linn. 6-7, dicatur: « Episcopi tum ex communitatibus antiquis christianis tum praesertim ex missionibus, necnon Instituta... ».

N. B. Si nomen S.C.P.F. mutaretur, nobis praeplaceret nomen quod magis exprimit finem missionarium Ecclesiae qualis in variis Encyclicis missionalibus describitur. Nomen « Propaganda » evitandum esset.

Ad cap. III. Pag. 17, linn. 13-14: « ... afflatu catholicitatis ipsius Corporis Christi imbuta ». Haec expressio latina est horribilis! Lin. 17, omittantur verba: « totum regimen seminaristicum » et dicatur potius: « formatio spiritualis », ita ut applicatio fieri possit etiam ad laicos.

Pag. 18, lin. 28: quidnam significant verba: « sermo docendi »?

Pag. 19, ad totam par. 20: consentimus omnibus quae hic dicuntur, sed impossibile est ea in praxim reducere ob defectum pecuniae. Adaequata instructio catechistarum in se sola sumpta non sufficit, sed etiam procurentur oportet adae-

quata subsidia pecuniaria unde catechistis convenientia stipendia solvere possimus. Huiusmodi autem fundi localiter colligi nequeunt.

Ad cap. IV. Pag. 21, lin. 9: omittantur verba: « Illa autem ordinatio, cum » et in eorundem loco dicatur: « In sacramento Confirmationis dona Spiritus Sancti recipiuntur ad augendam non tantum propriam sed etiam Ecclesiae aedificationem ».

Pag. 21, lin. 13: post verbum « caritatis » addatur: « secundum spiritum sacrae Liturgiae ». Et addatur nota referens ad *Fidei Donum,* par. 69.

Pag. 22, lin. 16: addatur sequens propositio: « Instituta autem quae iam operibus missionalibus incumbunt augeant et perficiant navitatem suam in missionum favorem ».

Sub hoc capite sequentia etiam addenda esse censemus: 1) Instituta religiosa non possident titulum exclusivum in illa territoria missionum quae ipsis commissa sunt. Parata ergo esse debent ad libenter suscipiendos operarios ex aliis Institutis provenientes qui manum adiutricem ipsis porrigunt. Insuper Instituta religiosa parata esse debent ad alia territoria missionum pergendi, si eorum labores iam eo pervenerunt ut Ecclesia in aliquo territorio iam firmiter constituta sit (cf. *Rerum Ecclesiae,* par. 39 et *Evangelii Praecones,* par. 35).

2) Ut plena penetratio spiritus missionarii in omnes quemlibet aspectum vitae et organizationis illorum Institutorum efficacius obtineatur, quae missionibus dedicantur, urgemus ut superiores maiores horum Institutorum seligantur ex missionariis magna experientia missionali gaudentibus.

Pag. 22, lin. 14: qualis est sensus verborum « communicent » et « communicare »? Lin. 20, post verbum « inflammetur » addantur verba: « ita ut prompti sint ad seipsos offerendos ad labores in missionibus perficiendos ».

Pag. 23, lin. 8: post verba « Regnum Dei » addatur: « apud gentes ubi Ecclesia nondum apparuit vel non sufficienter consolidata est et singulorum ».

Pag. 23, nota 2: addatur referentia ad *Maximum illud,* par. 1.

Proponitur schema novae versionis cap. I, par. 6:

1. Activitatis missionariae obiectum primarium in eo est ut lumen Evangelii communicetur cum « gentibus »,[1] hoc est cum novis populis, et ut christiani novi efformentur.

Qui finis ut obtineatur, missionarii conari debent ut Ecclesia firmiter in gentibus plantetur et ut ipsae habeant propriam hierarchiam autochthonam.[2]

Activitas missionaria proinde in quodam populo completur,[3] si novella Ecclesia firmiter radicata est sub proprio episcopo autochthono; si clerus indigena satis numerosus est ad muneris pastoralis evolutionem sustentandam haud exclusis institutionibus illis quae ad fidelium utilitatem de more eriguntur; si Ecclesia novella satis autonoma est in rebus oeconomicis; et si ipsa, sua vice, capax est ad illa sacrificia in personis et subsidiis financiariis facienda, quibus Ecclesia ad alias gentes extendi poterit, quae Christum adhuc ignorant.

2. Haec est essentialis et necessaria activitas quae profluit ex intima Ecclesiae natura,[4] qua ipsa est Lumen Gentium et electos ex omni tribu, lingua et populo congregat ad efformandum novum Israel quod est signum pro universo mundo,[5] revelans ea, quae Christus semel pro semper perfecit; communicans salvationem omnibus qui eius adventum expectant;[6] adimplens naturam suam catholicam divitiis culturalibus illarum nationum quae ipsi adveniunt;[7] recon-

cilians omnia in Christo qui est Novus Adam,[8] et augens catholicam suam vitalitatem et sanctitatem quae ambae dependent a sacrificiis pro hac opera susceptis.[9]

3. Activitas missionaria est proinde maximum et sanctissimum totius Ecclesiae munus et responsabilitas Summi Pontificis absolute prima, quae ab episcopis totius Ecclesiae participatur et quae, quamvis ab eorum officiis pastoralibus clare distincta sit, tamen haud minoris momenti est quam illa.[10]

NOTAE

1 *Rom.* 1, 4; *Eph.* 3, 8; *Mt.* 24, 14; 28, 19; *Mc.* 13, 10.

2 *Evangelii Praecones*: *A.A.S.*, 1951, p. 507. *Rerum Ecclesiae*: *A.A.S.*, 1926, pp. 74-75.

3 *Rom.* 15, 15-21; *Act.* 14, 25-27; *Maximum illud*, par. 35; *Evangelii Praecones*: *A.A.S.*, 1951, p. 508.

4 *Rerum Ecclesiae*: *A.A.S.*, 1926, p. 64; *Fidei Donum*: *A.A.S.*, 1957, pp. 237-238.

5 *Is.* 11, 10-13; 42, 4-7; 49, 8; 52, 15; 55, 5; 66, 18-21; *Ps.* 71, 17; 97, 2-3; *Rom.* 11, 5-8; *Act.* 2, 39; 13, 46-47; *Lc.* 2, 29-35; *2 Tim.* 4, 17; *Apoc.* 5, 9; 7, 9 et multa alia loca.

6 *2 Tim.* 4, 8-17; *Is.* 40, 3-5; 42, 1-8; *Mc.* 13, 10; *Mt.* 24, 14.

7 *Is.* 60, 4 ss.; Pius XII, *Nuntius in Nativitate Domini,* 1945.

8 *2 Cor.* 5, 18-19; *Rom.* 5, 14.

9 *Evangelii Praecones*: *A.A.S.*, 1951, p. 526; *Fidei donum,* p. 243.

10 *Rerum Ecclesiae*: *A.A.S.*, 1926, p. 69; *Maximum illud,* par. 1; *Fidei donum*: *A.A.S.*, 1957, pp. 243-244; *2 Cor.*, 8, 13.

[*Subscripserunt*] A. Kozlowiecki, arch. Lusaka; F. Mazzieri, ep. Ndola; M. Daubechies, ep. Kasama; T. O'Shea, ep. Livingstone; F. Courtemanche, ep. Fort Jameson; J. Fady, ep. Lilongwe; A. Fürstenberg, ep. Abercorn; R. Pailloux, ep. Fort Rosebery; J. Corboy, ep. Monze; D. Durning, ep. Arusha; N. Agnozzi, ep. aux. Ndola; C. Chabukasanshya, ep. aux. Fort Rosebery; R. Hillerich, praef. ap. Solwezi.

74

CONFERENTIA EPISCOPORUM KENYAE

Episcopi Conferentiae Kenyae in earum sessione plenaria habita in civitate Nairobi die 17 aprilis 1964 unanimiter postulant ut schema de Missionibus tamquam schema « separatum » discussioni Patrum in aula conciliari proponatur, quia maxime interest ut principia doctrinalia et orientativa huius materiae necnon responsabilitas collectiva totius Ecclesiae pro missionibus ad non-christianos stabiliantur ab episcopatu universali in Concilio adunato.

I. *In genere schema placet.* Proponitur tamen quod schema introducatur cum clara definitione de conceptu missionis, in qua includatur declaratio obiecti missionis Ecclesiae, ut missio ad gentes non-christianas ita ut evitentur controversiae cum acatholicis. Haec definitio referenda est ad fundamenta biblica, ecclesiologica et theologica huius materiae ubicumque tractanda erit in hoc schemate.

Pro casu substantialis mutationis huius schematis, episcopi Kenyae proponunt ut cap. I includatur in constitutione *de Ecclesia* et quod materia huius capitis consulte a perito enucleetur.

Fortasse ordo materiae in capite primo magis logicus evaderet si incipitur a missione Christi ad apostolos (praesens par. 2 ponatur in par. 1), deinde Ecclesiae obligatio huius officii fungendi recte exponitur (praesens par. 3 ponatur

in par. 2), quod munus perficiendum est per praedicationem Mysterii Christi (praesens par. 1 ponatur in par. 3) et ultimo explicatur aedificatio Ecclesiae (par. 4 loco par. 5). Praesens par. 5 omitti potest.

Materia capp. II, III, IV substantialiter retinenda erit etiamsi schema contrahatur, ita ut practice normae et instructiones tradantur ab Ecclesia in Consilio in momento historico missionum in discrimine versante.

II. *In specie*: 1. *De prooemio*. Nomine missionis intelligitur actio fundationis Ecclesiae qua convertuntur gentes ad Christum. Etenim missio est operatio qua per praedicationem Evangelii ad omnes gentes, Ecclesia sicut medium universale salutis implantatur, novi fideles efformantur et hierarchia autochthona instituitur. Hoc est enim obiectum primarium actionis Ecclesiae missionariae.

Activitas missionis in respectu alicuius gentis completa consideranda est:

a) quando missio statum novellae Ecclesiae adipiscitur sub ductu episcopi autochthoni;

b) quando Ecclesia novella habet numerum sacerdotum autochthonorum sufficientem ad ordinarium incrementum laboris pastoralis, includendo institutiones quae necessariae sunt ad curam pastoralem fidelium consulendam;

c) quando novella Ecclesia pro normali functione operis pastoralis et institutionum Ecclesiae in servitium fidelium mediis materialibus sufficientibus disponit;

d) quando novella Ecclesia capax est adiuvare pecunia et missionariis apostolatum Ecclesiae apud gentes ubi Christus nondum annuntiatus est.

2. *Cap. I,* pp. 7-10: *a*) Pag. 7, par. 1, lin. 7, « Mysterium Christi », loco texti *Mc.* 16, 15: « Praedicate Evangelium omni creaturae », proponitur textum *Mt.* 28, 19: « Euntes ergo docete omnes gentes », quia verba Matthaei continent formulationem magis praecisam finis missionis.

b) Pag. 7, par. 3, linn. 26 ss. « necessitas apostolatus missionalis ». Fortiter haec necessitas enuncietur. Gravitas enim huius necessitatis apparet si consideretur permagna disproportio quae existit inter media impensa in operibus Ecclesiae non-missionariae et Ecclesiae missionariae (missionarii et media materialia pro missionibus impensa vix quintam partem pro centum exprimunt Ecclesiae universalis in ipsius apostolatus opere).

c) Pag. 8, par. 5, linn. 29-30, ita emendetur « Quae aedificatio templi spiritualis a tota Ecclesia promovetur, cui sub ductu Romani Pontificis et episcoporum, munus a Domino concreditum est Evangelium praedicandi... ». Etenim tota Ecclesia est missionaria.

d) Pag. 9, par. 6, lin. 21; nota 38 omittenda videtur quia ad definitionem formulandam Concilium Oecumenicum auctoritate alicuius scriptoris non indiget.

3. *Cap. II,* pp. 11-16: a) Pag. 11, par. 7: « spiritus evangelicus ». Prima et tertia sectiones omitti possunt: sed in textu specialis mentio facienda videtur de spiritu paupertatis in opere missionali et de periculo quod hodie apostolatui missionario imminet in ordine sociali, nempe: i) periculum suffocandi ministerium verbi per aedificationes materiales, per meram assistentiam in ordine temporali, per obligationem multorum missionariorum attendendi ad meram administrationem scholarum, nosocomiorum, etc.; ii) periculum etiam « Ecclesiae divitis » in regionibus persaepe pauperrimis, quo fit ut « Evangelium pauperibus annuntiandum » minus credibile appareat.

b) Pag. 11-12, par. 8: « Labor missionalis »: Videtur quod paragraphus ista melius incipi possit sermonem faciendo « de evangelizatione » et quod sectio (c) par. 7 hic transferenda sit.

c) Pag. 12, par. 8, linn. 7-10: Perutile videtur quod constitutio definitionem claram de statu catechumenati in missione det. Etenim catechumeni locum peculiarem in Ecclesia tenent. Fortasse quaedam caeremoniae nuperrime institutae melius aptari possent ut diversi gradus catechumenati, in praeparatione administrationis Sacramenti Baptismi.

d) In par. 8 quaedam de apostolatu sociali addenda desiderantur.

e) Pag. 12-13; par. 9: « Novellae Ecclesiae ». Terminologia de « novellis Ecclesiis » omnino retinenda esse videtur, quia exprimit tum aspectum dynamicum et finem proximum primumque fructus operis missionalis, tum eius aspectum inchoativum, quo nempe hae novellae Ecclesiae adhuc auxiliis indigent Ecclesiae universalis. Minus tamen recte dicitur « indigentiam in novellis Ecclesiis eamdem non esse ac in missionibus in genere » (par. 9, pag. 13, linn. 1-2). Ipsae enim novellae Ecclesiae formaliter et specifice remanent missionariae usquedum, simul cum cura progredientis vitae pastoralis « ordinariae » concreditos sibi non-baptizatos in propria ditione habent.

Valde conveniret mentionem facere quod operae pretium est ut novellae Ecclesiae nullam partem territorii missionarii sui negligant vel relinquant pro evangelizatione futura. Hoc fieri potest etiam si sacerdotes pauci sint, instituendo fundamenta modesta Ecclesiae per parva sacella et per catechistas in pagis ubi sacerdos aliquoties in anno se conferre potest.

f) Pag. 12, par. 9, lin. 35, sententia « auxiliis Ecclesiae universalis semper indigens » corrigatur; « auxiliis Ecclesiae universalis indigens *donec maturitas consequatur* ».

g) Pag. 13, lin. 9 post verba: « ita propriam maturitatem perficient » omittatur, et haec alia substituantur: « ut et ipsae magis ac magis missionariae evadant ».

h) Pag. 13, par. 10, lin. 18: post verba « vita supernaturalis abundantius habeatur », addatur: « et vita familiae verae christianae promoveatur ».

i) Pag. 14, par. 11, linn. 29-30: post verba « ideoque in consuetudine vitae gentis suae vivere debent », addatur: « ... in quantum illae cum principiis christianis concordant, et ubi contrariae sunt, in quantum fieri potest corrigantur ».

j) Pag. 15, par. 12, lin. 19: ubi sermo fit de episcopis, loco verborum « sive autochthonis sive missionariis » dicatur: « sive autochthonis sive exteris ».

k) Pag. 15, par. 12: « De coordinatione apostolatus ». In par. 24 huius schematis statuitur quod ipsi apostoli a Domino mandatum acceperunt totum mundum evangelizandi. Successoribus eorum tum obligatio tum potestas incumbit hanc evangelizationem promovendi et moderandi; firmiter tamen statuendum est hanc potestatem ad coetus episcoporum et Summum Pontificem, sed non ad singulos episcopos pertinere, nisi in quantum agatur de opere missionali in uniuscuiusque propria dioecesi.

Haec summa potestas primum et fundamentale principium omnis coordinationis apostolatus esse videtur.

Ad exercitium tamen huius potestatis opportunum videtur ut S. C. de P. F. firmetur hoc modo:

1) In hac Congregatione, seu dicasterio ecclesiastico, partem habeant omnes illi qui in opere missionis collaborant, i. e. episcopi et Instituta missionalia quibus apostolatus missionalis et praeparatio missionariorum commissa est.

2) Ex his omnibus speciale « Consilium » constituatur quod statutis temporibus (saltem semel in anno) conveniat de hodierna conditione operis missionalis deliberaturum et proposita in futuro peragenda clare elaboret. Ista proposita autem a Summo Pontifice rite approbata, ab ipsa Congregatione Fidei Propaganda executioni sollicite mandentur.

Huic vero Consilio Secretariatus addatur cui, auxilio virorum peritorum, erit:

i) Parare novam Instructionem ad ordinandas relationes inter Ordinarios locorum in missionibus et superiores Institutorum religiosorum novis adiunctis nostrorum temporum aptatam — locum Instructionis S.C.F.P. diei 8 decembris 1929 tenentem.

ii) Parare Directorium Missionum.

iii) Colligere et ordinare normas et leges peculiares missionum pro revisione C.I.C. et illas praesentibus necessitatibus locorum et temporum in missionibus aptare.

iv) Condere, colligere et promulgare opportunas informationes et studia circa condiciones locales variarum regionum, modum cogitandi diversorum coetuum hominum, magnas religiones non-christianas, methodum missionalem adhibendam et praesertim quaestiones pastorales quae elucidationem indigent.

v) Periodica seu Collectiones documentorum edere, ad similitudinem *A.A.S.* pro rebus missionalibus solummodo.

l) Pag. 15, par. 12, linn. 21-24: « De Instructione S. C. de P. F. diei 8 decembris 1929 » valde necessarium videtur quod nova Instructio paretur a secretariatu supradicti « Consilii » aptatum hodiernis circumstantiis et necessitatibus missionum et quod haec nova Instructio in appendice constitutionis *de missionibus* includatur.

m) Nomen S. C. de Propaganda Fide mutare in « S. C. de missionibus » opportunum videtur.

n) Pag. 16, par. 12, linn. 3-5, post verba: « ad apostolatum evangelizationis in Ecclesiae missionibus coordinandum necesse est ut... » addantur haec alia verba: « praeter viros in re missionali apprime peritos et regionum quas respective curant cognitores etiam partem habeant ».

4. *Cap. III*: *a*) Pag. 19, par. 20: « Catechistarum necessitas et formatio: linn. 26 ss. ». Necessitas efformandi catechistas universaliter agnoscitur in missionibus. Difficultas tamen reperitur in invenienda pecunia pro stipendiis catechistarum necessaria.

Valde necessarium erit aliquod Pontificium Opus « Pro Catechistis » constituere, ad similitudinem Operis Sancti Petri Apostoli pro Clero Indigena. Hoc opus convenienter appellari poterit « Pontificium Opus Sancti Pauli pro Catechistis in Missionibus ».

5. *Cap. IV*: *a*) Videtur quod ordo huius capitis paulum invertere iuvet primum tractando de obligatione universali totius populi Dei cooperandi in opere

missionali; deinde de cooperatione praestanda ab episcopis, postea a clero et Institutis religiosis et ultimo ab omnibus fidelibus sub auctoritate Romani Pontificis.

b) Pag. 21, par. 21, linn. 7-11. Loco: « Illa autem ordinatio, cum in Sacramento confirmationis dona Spiritus Sancti recipit » mutare in sententia sequenti: « In Sacramento Confirmationis dona Spiritus Sancti recipiuntur ad augendam non tantum propriam sed etiam Ecclesiae aedificationem ».

c) Pag. 21-22, par. 22: « De collaboratione membrorum Institutorum perfectionis ». Sequentes animadversiones videntur addendae:

1) Instituti Religiosi nullum titulum exclusivum habent super particulare territorium vel opus missionale cuius curam gerunt (*Rerum Ecclesiae,* n. 39). Ergo ipsi parati esse debent alios operarios invitare ex aliis Institutis ad eos adiuvandos in opere missionali, sicut et parati esse debent ad alias missiones se conferre quando una Ecclesia iam firmiter fundata et bene aedificata est.

2) Similiter utile videtur mentionem facere quod religiosi qui obtinent subsidia (vel salaria) ab auctoritate civili propter opera medica vel educativa praestita in locis missionibus, haec omnia subsidia impendenda esse tantum ad illa sibi comparanda quae necessaria sunt, secundum eorum normam vivendi et ad implenda opera missionaria et nihil aliud. Etenim quaelibet activitas in locis missionum considerari non licet ut fons auxiliorum pro quocumque Instituto. Pecunia vel subsidia ab istis Institutis Missionariis acquisita pro activitate missionaria impendenda sunt unice et totaliter pro causa missionali.

d) Pag. 22, par. 24, lin. 39: loco « quam sollicitudinem manifestare possunt », dicitur: « quam sollicitudinem laudabiliter manifestant ».

e) Pag. 23, par. 24, lin. 8: Post verba « Regnum Dei » addatur: « apud gentes ubi Ecclesia nondum apparuit vel non sufficienter consolidata est et singulorum... ».

f) Pag. 22-23, par. 23-25: « De distributione missionariorum et subsidiorum ».

Dolendum est quod tot missionarii immo et episcopi ianuas pulsare et laboriose mendicare cogantur ut persequi possint opus quod ad totam Ecclesiam pertinet. Sic in mendicando nimium tempus teritur quod ad evangelizationem et aedificationem Ecclesiae conferri oporteret. Multis missionariis videtur quod Congregatio de P. F. specialem Commissionem constituat ad investigandam et moderandam totam materiam subsidiorum et missionariorum in locis missionum.

g) Pag. 22, par. 24: « De collaboratione episcoporum » mentionem faciendam esse videtur quod episcopi autochthoni in terris missionum obligatione tenentur opem ferre pro eorum posse missionibus indigentioribus, praesertim finitimis eorum.

[*Subscripserunt*] Ioannes J. McCarthy, arch. Nairobensis, Metropolita; Laurentius Bessone, ep. Meruensis; Eugenius Butler, ep. Mombasaensis et Zanzibarensis; Carolus M. Cavallera, ep. Nyeriensis; Willelmus Dunne, ep. Kituiensis; Ioseph B. Houlihan, ep. Eldorensis; Mauritius Otunga, ep. Kisiensis; Ioannes de Reeper, ep. Kisumuensis; Caesar M. Gatimo, ep. Abilensis.

75

CONFERENTIA EPISCOPORUM VOLTAE SUPERIORIS

Prooemium. Ne cerne pas suffisamment la situation actuelle des Missions. C'est pourquoi: *supprimer* les lignes 7-24, c'est-à-dire la fin du 1er alinéa et les alinéas 2 et 3; *remplacer* par ce nouveau texte: « Mais aujourd'hui plus que jamais l'Eglise prend conscience de l'immensité de sa tâche. D'une part en effet, l'évangélisation du Monde n'a jamais paru aussi urgente. D'immenses espaces humains ne sont pas encore effectivement dans une attitude de réceptivité à l'égard du Message chrétien. L'accroissement démographique augmente d'une manière inouïe, chaque année, la multitude des hommes qui sont en dehors de l'Eglise. Elle n'a jamais paru aussi tragique du fait qu'elle se pose de plus en plus dans les milieux jadis chrétiens qui constituent des aires de déchristianisation ou de catholicisme purement sociologique. Elle exige la mise à jour de ses méthodes, car elle apparaît davantage affrontée à des problèmes humains: sa tâche consiste surtout dans sa pénétration et son rayonnement dans les espaces humains constitués par chaque grande région non-chrétienne, par l'athéisme, l'indifférence religieuse. Elle doit tenir compte de facteurs d'actualité: l'œcuménisme, et un respect accru pour les valeurs positives des grandes religions non chrétiennes.

D'autre part, les efforts d'évangélisation des siècles précédents ont donné naissance à une réalité nouvelle: les Jeunes Eglises, dotées d'une Hiérarchie résidentielle. Elles sont à la recherche d'une expression religieuse conforme à leur individualité culturelle, à la recherche d'une maturité qui ne peut résulter que de l'assimilation profonde de la tradition et l'efflorescence de la vie de l'Eglise dans toutes ses dimensions.

Enfin, notre époque est caractérisée par la prise de conscience du devoir de venir en aide aux pays en voie de développement. Ces pays sont en général ceux des Missions, et des jeunes Eglises. D'où, adaptation des services sociaux de l'Eglise, devant tenir compte des profondes mutations sociales et politiques de ces pays, tout en conservant le caractère spirituel de la Mission de l'Eglise ».

Conserver les 2 derniers alinéas.

Cap. I.

Ajouter en tête de l'art. 1: « La bienheureuse *Trinité,* source, modèle et fin de l'homme, veut réaliser " à la louange de sa gloire " l'unité de tous les hommes dans son Amour éternel qui se répand dans le monde par l'Incarnation du Fils: " Dieu a tant aimé le monde, qu'il lui a donné son Fils unique pour que le monde soit sauvé par lui " et par la diffusion de l'Esprit au jour de la Pentecôte: " Je vous enverrai d'auprès du Père, l'Esprit de vérité, qui procède du Père. Il rendra témoignage à mon endroit et vous-mêmes vous serez mes témoins " (*Io.,* 15, 26) ».

Ajouter à la fin de l'art. 4, ligne 28, un mot sur la « Préparation évangélique »: « De même que Dieu, qui veut que tous les hommes soient sauvés et parviennent à la connaissance de la vérité, a préparé des peuples en marge d'Israël à une ouverture à sa révélation, de même de nos jours, il a préparé l'annonce de son Fils dans les religions, les cultures, et le cœur des hommes " ce que vous adorez

sans le connaître, je viens moi, vous l'annoncer " (*Act.* 17, 23), dans les dispositions les plus modestes de la création matérielle " Dieu n'a pas manqué pour autant de se rendre témoignage par ses bienfaits " (*Act.* 14, 17), dans les détresses de l'histoire universelle ou privée, vécues dans l'humilité et dans l'adhésion obscure mais inébranlable, au Dieu " rémunérateur de ceux qui le cherchent " (*Hebr.* 11, 6), qui constituent ces atteintes " à tâtons " de Dieu (*Act.* 17, 27) ».

Supprimer à l'art. 5, ligne 1, « ut et ipsae paulatim missionariae evadant ».

Ajouter un nouvel article entre 5 et 6 pour donner une justification théologique des *services sociaux*: « Le Christ Jésus est venu sauver tout l'homme et récapituler tout en lui. Sa charité s'est portée sur les corps, comme sur les intelligences et sur les cœurs: " J'ai pitié de cette foule ". L'Eglise de par sa mission même doit être le témoin de la charité du Christ à tous les échelons. La conversion demande une ouverture à un salut. La charité de l'Eglise sera le point de départ de la foi pour les âmes qui seront ainsi disposées à croire que Jésus est l'envoyé du Père. D'autre part son action au plan des institutions temporelles surtout éducatives, en perfectionnant l'homme, le rendra plus capable d'évangélisation. Dans ses services sociaux, l'Eglise accomplit sa mission véritable et authentique, car prêcher le Christ, c'est aussi opérer la " consecratio mundi ". En effet, par sa doctrine et par les efforts des siens, elle anime les structures humaines techniques, culturelles et sociales. Et cette volonté de consacrer au Christ les réalités sociales doit créer un climat dans lequel rien ne s'oppose à sa mission. Mais les moyens employés seront des moyens pauvres, surtout dans les pays pauvres ».

Ajouter à l'art. 6, ligne 21, après extendit: « et prépare la voie avec ardeur au second avènement du Seigneur " à la louange de la gloire de sa grâce " ».

Cap. II.

Art. 7. *Correction* ligne 21: au lieu de: per eorum exemplum *potiusquam* verba, mettre: per eorum exemplum *et* verba.

Ajouter ligne 18 (milieu): « C'est pourquoi la présentation du mystère chrétien devra se faire « mite et humile ».

Ajouter ligne 31: « Dans tout ce qu'il entreprend, l'Apôtre du Christ doit se souvenir que l'esprit de pauvreté est essentiel à l'Evangile et que la Mission doit en porter témoignage surtout dans les pays pauvres, par le choix des moyens d'action tout autant que par la vertu des personnes ».

Remplacer les 3 premières lignes du 2 alinéa par: « L'Apôtre d'aujourd'hui doit prendre conscience que d'immenses espaces humains, constitués par les grandes religions non-chrétiennes, fortement intégrées culturellement, ne sont pas encore en état d'ouverture et d'accueil pour le Message chrétien, que l'évangélisation devient d'une urgence exceptionnelle, à cause des phénomènes de mutations sociales et de planétarisation, en pays de mission, et qu'elle s'impose aussi dans les zônes déchristianisées ou de catholicisme purement sociologique ».

Art. 8. *Ajouter* un 1er alinéa ou mettre au début du 1er alinéa du schéma: « Un effort plus éclairé et plus concerté est nécessaire pour la pré-évangélisation et pour l'évangélisation, afin de créer dans ces espaces humains des dispositions d'accueil à l'Evangile. Cela grâce au secours des sciences de l'homme, pour dépis-

ter les pierres d'attentes, les failles qui permettront de susciter une inquiétude religieuse, par où tel aspect du Message pourra s'insinuer. Aussi, pour chaque grande aire culturelle ou religieuse, un nouvel effort de recherche doit contribuer à mettre mieux au point les méthodes de pénétration intérieure et de présentation du kérygme, en rapport avec le fond humain et religieux propre à chaque culture.

Remplacer les 3 premières lignes du 2 alinéa de façon à faire ressortir le statut propre du catéchumène dans l'Eglise, par: « Les néoconvertis, admis au catéchuménat par des cérémonies liturgiques appartiennent déjà à l'Eglise par la Foi. Ils sont en effet justifiés et appartiennent au Corps Mystique en son aspect spirituel et invisible par suite du désir explicite de leur appartenance à l'Eglise société de salut, par le caractère du Baptême. Durant le catéchuménat, les néoconvertis doivent éprouver leur foi par rapport à Jésus, leurs mœurs et leur fidélité en unifiant leur vie, leur appartenance au peuple de l'Alliance en décourrant l'Eglise comme mystère, de sorte que...

3 alinéa à garder tel quel.

Ajouter un 4 alinéa: *les destinataires de l'évangélisation*: « L'action missionnaire de l'Eglise doit s'étendre au monde entier. " Allez, enseignez toutes les nations ". Mais le Christ Jésus et les Apôtres nous donnent un ordre préférentiel pour l'évangélisation. Il a été envoyé porter la Bonne Nouvelle aux pauvres. Il n'est pas venu appeler les justes mais les pécheurs. Priorité à ceux qui n'ont pas encore entendu la Parole. " Aux autres villes, aussi, je dois annoncer la bonne nouvelle du Royaume de Dieu ". L'Eglise doit chercher les lieux où l'Esprit Saint travaille plus intensément: " car une porte toute grande est ouverte à son activité " ou bien où il y a une indication providentielle: " Passe en Macédonie, viens à notre secours " ou bien selon la tactique de St. Paul: aux endroits clefs, d'où le rayonnement est facilité par les échanges sociaux ou commerciaux. Mais, par contre, le Christ et les Apôtres demandent de laisser à leurs propres responsabilités ceux qui refusent d'accueillir le message et d'aller le porter à ceux qui sont de bonne volonté. Si l'on considère la mission de l'Eglise sous son angle universel, ce sont précisément les Jeunes Eglises qui constituent le terrain préférentiel où doit porter l'effort d'évangélisation ».

Ajouter un 5 alinéa « *Evangélisation et liberté de conscience* »: « L'accueil au message ne s'impose pas par la réthorique: " Ma parole et mon message n'avaient rien des discours persuasifs de la sagesse " mais par la force de l'Esprit: " L'Evangile est une force de Dieu pour le salut de tout croyant ". Il y a sous-jacent à l'œuvre de l'évangélisation tout le mystère de l'élection divine. Il réside pour ce qui concerne Dieu dans une faveur divine: " Personne ne vient à moi, s'il n'est attiré par le Père " et doit se manifester pour ce qui concerne le missionnaire dans le respect des consciences. En effet, dans l'Evangile, un accent nouveau est mis sur les pensées, les sentiments intérieurs. " On doit se soumettre non seulement per crainte, mais par motif de conscience ". St. Paul va plus loin, il prescrit de tenir grand compte de la conscience des autres, de la respecter, même si elle est dans l'erreur ».

Ajouter un 6 alinéa: « *Evangélisation et Œcuménisme* »: « Au niveau de l'évangélisation, la liberté de l'acte de foi interdit tout faux prosélytisme. D'autre part la charité devrait imprégner les jugements et les attitudes des catéchumènes

et des néophytes des catholiques, vis-à-vis des Frères séparés, et des Eglises qui ne sont pas en pleine communion avec Rome, tout en prémunissant contre le relativisme religieux. Enfin, la poursuite du plus grand bien demande que les efforts d'évangélisation portent avant tout sur les non-chrétiens. Une grande circonspection est nécessaire, afin de ne pas désunir des foyers qu'une foi chrétienne, même imparfaite, anime spirituellement. Au niveau des relations humaines et des Services Sociaux, les prêtres catholiques s'efforceront de se trouver ensemble avec les Frères séparés dans des prières communes, dans les efforts pour donner une inspiration chrétienne dans le temporel, pour le rechaussement du niveau de vie humain et spirituel ».

Ajouter un 7 alinéa: « *L'évangélisation et les valeurs humaines et religieuses qui se trouvent en dehors du Christianisme* ». « L'Eglise reconnaît les véritables valeurs religieuses propres aux diverses religions non-chrétiennes, mais la doctrine de son Fondateur les dépasse... Elle reconnaît aussi les valeurs humaines propres à chaque peuple. Elle veut et doit les assumer dans l'amour. Car elle est supranationale, comme son fondateur, le Christ Sauveur, l'a voulu. Chaque peuple doit apporter sa pierre vivante pour l'édification de l'Eglise ».

Ajouter un 8 alinéa: « *Secrétariat d'Etudes* ». « Compte tenu de tout cela, la création d'un Secrétariat d'études auprès de la S. C. de la Propagande, pour les problèmes de la pré-évangélisation et de l'évangélisation serait souhaitable. Bureau composé de spécialistes et de missionnaires spécialisés du monde entier, en relation avec les Conférences Episcopales intéressées et les Instituts missionnaires qui devraient en recevoir une plus grande spécialisation ».

Art. 9. *Supprimer* à la ligne 28 le mot « autochthone », car ce n'est pas ce qui constitue la Jeune Eglise. *Supprimer* à la ligne 29 les mots « e gente propria electus ». *Supprimer* au 2 alinéa, ligne 34, « germen divinum ». *Remplacer* par les mots « maior et missionaria ».

Ajouter à la ligne 35: « En effet, bien que majeure, elle n'a pas la maturité que seule confère l'assimilation profonde de la Tradition authentique, s'exprimant dans des « traditions » locales, faisant corps avec le génie de cette Eglise ».

Ajouter à la fin du 2 alinéa, ligne 40: « Par contre, les jeunes Eglises communiqueront aux Eglises de vieille chrétienté un souffle nouveau pour l'apostolat, une réflexion théologique particulière qui enrichit la pensée chrétienne, des situations qui forcent à mieux cerner l'essentiel du Christianisme, de la législation canonique. Elles sont appelées à prendre place un jour dans les organes centraux de l'Eglise ».

Art. 10. *Garder* le 1 alinéa. *Supprimer* le 2 alinéa qui n'ajoute rien. *Garder* le 3, 4, 5 alinéas. *Ajouter* un 6 alinéa. Ligne 8 après « christiani »: « conscients de leur sacerdoce royal et prophétique ». Ligne 9 après « activitates suas »: « soit dans l'Action Catholique, ou l'action sociale ou syndicale ».

Ajouter un 7 alinéa: « *Les services sociaux des Jeunes Eglises* »: « Une révolution sociale très profonde a transformé les conjonctures dans la plupart des pays de Mission. La promotion du bien commun exige une planification d'autant plus impérieuse et exigeante que les ressources sont limitées et l'équipement réduit. De plus, la socialisation devient, plus vite qu'ailleurs dans le monde, une

méthode inspirée de l'idéologie selon laquelle l'Etat s'édifie, car non seulement elle apparaît indispensable pour le développement, mais elle répond aux requêtes de la culture ambiante. L'Eglise cherche donc par ses Services sociaux un modus vivendi qui harmoniserait la liberté nécessaire à la mission et les impératifs du bien commun. Cette extension dans le temporel de la mission de l'Eglise se fait par l'action de ses membres, qui ne doivent pas oublier qu'ils sont indissociablement, citoyen d'une Patrie terrestre et citoyen du Royaume des Cieux. Les Services sociaux chrétiens en plus de la spécification propre déterminée par leur but immédiat, revêtent donc une dimension purement spirituelle. La Hiérarchie peut avoir à remplir un rôle de suppléance dans ces Services sociaux en attendant que les laïcs soient en mesure de les assumer complètement. Dans l'un et l'autre cas, ce qui l'anime uniquement c'est un esprit de service vis-à-vis du bien commun, et au service de sa mission spirituelle. Voulant être au service du Bien Commun, les Services sociaux de l'Eglise s'intègrent normalement dans les plannings fixés par les gouvernements, ils s'exercent en pleine collaboration avec eux, dans le respect de leurs directives légitimes. Ils sont au service de tous, sans discrimination, ne sont pas des instruments de prosélytisme, mais respectant la liberté de conscience. Les droits de l'Etat concernant le caractère national de l'éducation sont tout spécialement respectés. Enfin, dans les mêmes conditions, les Services Sociaux de l'Eglise collaborent avec les Institutions Internationales ».

Art. 11. Rien à changer.

Art. 12. *Supprimer* les lignes 23-28. *Remplacer* par: « Désormais ces relations doivent être réglées par le Droit Commun et des contrats passés entre les Evêques résidentiels et les Congrégations Missionnaires ».

« Le ius commissionis ne devrait-il pas être remplacé par un " debitum adiuvandi ". L'institut missionnaire qui avait le " ius commissionis " a le devoir d'aider les Jeunes Eglises, en leur fournissant suivant leurs moyens et conformément à un contrat un supplément de personnel apostolique mis à la disposition de la Hiérarchie ».

Supprimer au 3 alinéa les lignes 32-35: « In statutis... Attamen ». Rien n'est défini au sujet des pouvoirs des Conférences Episcopales.

Ajouter au 3 alinéa ligne 38: « La croissance des Jeunes Eglises selon leur genre propre demande la structuration des Conférences Episcopales selon les grands ensembles culturels, sous peine d'émiettement et parce qu'en général elles sont affrontées aux mêmes problèmes pastoraux, et parce que chaque conférence ne peut créer des organismes d'études et d'action ».

Cap. III.

Art. 17. *Mettre en tête* l'art. 17 « formatio cleri autochthoni ». *Ajouter* au 1 alinéa ligne 25: « Une immense responsabilité repose sur le clergé local, celle de l'adaptation de l'Eglise. Car, issu lui-même de ce milieu culturel il est davantage capable d'en vivre les composantes, de les juger au regard de la Foi, de les christianiser et d'en faire des éléments dynamiques pour l'efflorescence de la vie chrétienne ».

Ajouter un 2 alinéa: « Le nombre des prêtres autochtones ne progresse pas en fonction de l'augmentation du nombre de chrétiens. Un immense effort a été déployé pour augmenter le nombre des Séminaires. Mais l'attention n'a pas

été portée au même degré sur le problème de l'éveil des vocations et de leur culture, sur la pastorale familiale et paroissiale que cela comporte, sur les sélections à l'entrée dans les Petits Séminaires et les facteurs qui facilitent la persévérance au cours des années de formation. Les Conférences Episcopales doivent étudier ce problème, et mettre en commun leurs conclusions, et recourir aux spécialistes en cette matière ».

Ajouter au 2 alinéa du schéma ligne 28: « Plus que sur le système scientifique dont la synthèse rationnelle satisfait un type d'esprit culturellement défini, il faut axer la formation dans les Séminaires sur la transmission de l'Evangile, par une exploration vivante du Mystère Chrétien, assimilé dans la prière, vécu dans la liturgie vivante, imprégnant la vie morale, rayonné dans la vie de relation et l'apostolat, confronté aux valeurs religieuses, morales et humaines véhiculées dans la culture ambiante ».

Art. 13. *Ajouter* un 1 alinéa sur la *vocation missionnaire*: « Actuellement les vocations de Prêtres, Frères, Religieuses, spécifiquement missionnaires, sont en diminution, alors que, à cause du développement des chrétientés, les tâches sont de plus en plus grandes et urgentes. Le Concile veut jeter un cri d'alarme en faveur de ces vocations, car il y va de la vie ou de la mort de l'Eglise en pays de mission. Les Missionnaires sont en effet les premiers auxiliaires du Clergé autochtone. Leur consécration à vie au service des Jeunes Eglises les rends mieux préparés à l'évangélisation des pays où ils sont envoyés, ainsi qu'à la fondation de l'Eglise là où elle n'est pas encore implantée ».

Ajouter aux lignes 20-21 de l'art. 13: « Il ne faut pas qu'un amour exagéré de l'Institut s'oppose au sens vrai de l'Eglise. L'esprit de collaboration avec tous les confrères, séculiers, réguliers, locaux ou étrangers est de toute première importance pour l'apostolat, ce qui pourra souvent nécessiter une sorte de reconversion et une plus profonde adaptation. Des communautés ouvertes seront le premier témoignage de vraie charité: " afin qu'ils croient que tu m'as envoyé " ».

Art. 14. *Ajouter* ligne 25 ou bien à la fin du 1 alinéa: « Vu le but de l'évangélisation, exiger le caractère kérygmatique de la formation doctrinale, ainsi qu'une formation pastorale sérieuse en catéchétique, liturgie et action catholique ».

Art. 15. Rien à changer.

Art. 16. *Supprimer* le 1 alinéa. *Remplacer* par la 1 phrase du 4 alinéa de l'art. 21.

Art. 18. *Ajouter* un 3 alinéa: « Il serait souhaitable que la Congrégation des Religieux soit dotée d'un Office spécial pour l'étude de ce problème, en relation avec les Congrégations Religieuses et les Services des Conférences Episcopales ».

Art. 19. Rien à changer.

Art. 20. *Ajouter* à la fin du 2 alinéa: « Il faut leur donner une formation pastorale, et intensifier leur formation humaine ». *Ajouter* un 3 alinéa: « Le manque de ressources freine considérablement la formation et la multiplication du nombre des catéchistes, véritables « vicaires laïcs ». C'est pourquoi le Concile demande la création d'une Œuvre de St. Paul Apôtre, en faveur des catéchistes, similaire à celle de St. Pierre Apôtre, en faveur du Clergé ».

Cap. IV.

Introduction. *Ajouter* à la fin de l'introduction: « Le Souverain Pontife est le premier responsable de l'évangélisation dans le monde. Son rôle est donc d'animer, susciter, orienter, diriger les efforts de l'évangélisation et de la Coopération Missionnaire. Il est aussi le premier responsable vis-à-vis de la croissance des Jeunes Eglises. De même, le Collège Episcopal, en tant que successeur du Collège des Apôtres est responsable de la mission évangélisatrice universelle de l'Eglise. Les Evêques sont en effet par excellence les " envoyés ": " Comme mon Père m'a envoyé, je vous envoie ". En eux réside la plénitude de la dignité de l'apostolat ».

Art. 21. *Ajouter* à la fin du 2 alinéa: « En vue d'une efficacité plus grande des prières en faveur des missions, et d'une plus grande information des fidèles sur les problèmes de l'évangélisation, dans le contexte œcuménique, le Concile souhaite que soit instituée une Octave de prières, avec chaque jour une intention spéciale développée par la prédication ».

Commencer le 4 alinéa à la ligne 24. *Ajouter* à la fin du 4 alinéa: « Les pays de mission sont, en général, en voie de développement. Il importe que les plans et les méthodes de développement soient inspirées de l'esprit chrétien. Dans ce but, il est urgent que soient fondés des Instituts Supérieurs pour la formation de techniciens de plans de développement dans des perspectives chrétiennes ».

Ajouter un 5 alinéa: « Le devoir missionnaire des chrétiens ne consiste pas uniquement à aider les missions, mais à être missionnaire dans son milieu, c'est-à-dire avoir le souci de la christianisation des personnes et des institutions ».

Art. 22. *Ajouter* à la fin du 1 alinéa: « Il y a obligation pour eux de répandre l'esprit missionnaire parmi les fidèles ». *Supprimer* les 2 et 3 alinéas qui viennent mieux au chap. III.

Ajouter un 2 alinéa: « Etant au service de la mission universelle de l'Eglise, les Religieux devraient être plus équitablement répartis dans le monde, en tenant compte de l'urgence et de la hiérarchie des nécessités pastorales ».

Art. 23. *Libeller* ainsi le 1 alinéa: « Etant donné que la mission des prêtres s'origine au fait qu'ils sont ordonnés " cooperatores ordinis episcopalis ", ils doivent partager la responsabilité de l'Evêque et son souci d'évangélisation, tant pour ce qui regarde l'Eglise universelle, que pour ce qui concerne le Diocèse auquel ils sont inscrits, où ils ont à réaliser un travail propre d'évangélisation et non pas seulement avoir soin du bercail ».

Ajouter au 3 alinéa: « Si des vocations de dessinent, que les Directeurs les orientent là où elles pourront vraiment s'épanouir et se réaliser ».

Ajouter au 4 alinéa: « art. 16, lignes 13-17 au sujet du catéchisme... »: « les vocations missionnaires doivent être orientées vers les organismes missionnaires ».

Ajouter un 5 alinéa: « Que les Prêtres qui en sont capables s'offrent à consacrer quelques années de leur vie sacerdotale au service des Missions. Il y va de l'avenir des Jeunes Eglises. D'autre part, pour une plus juste répartition du clergé, il faudrait doter la Collégialité, à l'échelon le plus élevé, d'un véritable pouvoir qui obligerait en cascade les échelons inférieurs ».

Art. 24. *Libeller* ainsi le 3 alinéa: « Le souci premier de l'Evêque étant la

" sollicitude de toutes les Eglises ", il doit les prendre en charge par l'envoi de certains de ses prêtres diocésains qualifiés, aux Jeunes Eglises ».

Libeller ainsi le 6 alinéa: « Les Evêques n'oublieront pas de veiller à ce que les étudiants venus poursuivre leurs études dans les nations de tradition chrétienne, ainsi que les travailleurs originaires de pays de Mission, soient bien accueillis, soutenus, intégrés dans la communauté chrétienne ».

Ajouter un 8 alinéa: « Les Evêques doivent porter le Christ dans les différents secteurs de la non-croyance de leur Diocèse; faire appel aux Instituts spécialisés dans cette tâche, et au besoin en instituer; éveiller le souci de l'évangélisation chez les fidèles afin qu'il portent le Christ à leur entourage ».

Art. 25. *Remplacer* au 1 alinéa ligne 26, possunt par debent. *Libeller* ainsi le 2 alinéa: « Les Conférences Episcopales doivent créer un *Office pour l'évangélisation,* qui sous son aspect universel, intégrerait les directions nationales des Œuvres Pontificales, animerait la prise en charge du devoir d'éveiller les vocations missionnaires, susciterait des prières publiques, informerait l'opinion sur les problèmes mondiaux de l'évangélisation. Sous son aspect local, il ferait en sorte que, dans la Région de la Conférence, les problèmes d'évangélisation soient traités avec la même importance que les problèmes de pastoration. Les problèmes d'évangélisation dépassant souvent l'ambitus de la Conférence, il serait nécessaire pour les résoudre dans une pastorale d'ensemble, qu'elle soit en rapport avec un organisme plus central.

Les Conférences Episcopales doivent créer un *Office pour l'aide aux Jeunes Eglises.* Ce sont elles, en effet, qui dans le monde actuel sont aptes à établir des relations valables et efficaces ».

Bibliographie: R. P. Seumois, *Réflexions et suggestions sur le « de Missionibus »*; R. P. Martelet, *Etudes et Documents*: *Le schéma « de Missionibus »*; Mgr. Riobé, *Etudes et Documents*: *Le schéma « de Missionibus »*; R. P. Greco, *Etudes et Documents*: *Le schéma « de Missionibus »*; R. P. Liege, *Initiation Théologique, Traité de la Foi.*

[*Subscripserunt*] Zoungrana, arch. Ouagadougou, Président de la Conférence; Dupont, év. de Bobo-Dioulasso; Durrieu, év. de Ouahigouya, secrét. de la Conf.; Lesourd, év. de Nouna; Bretault, év. de Koudougou; Yougbare, év. de Koupéla; Chantoux, préf. ap. de Fada N'Gourma.

76

Exc.mi PP. CONCILIARES EX UGANDA

Praenota. Antequam de singulis schematis capitibus sermo fiat, liceat quaedam praemittere A) de titulo schematis et B) de terminologia (« de novellis Ecclesiis »).

A) Titulus *de missionibus* videtur esse mutandus, quia *a*) est magis conventionalis quam theologicus, *b*) relative recens, post saec. xvi, in Ecclesia introductus, *c*) non est univocus (missio interna, missio ad lapsos, missio ad christianos non-catholicos etc.), *d*) multis non placet ex rationibus historiae recentioris et ex aliqua depretiatione in loquela communi.

Proponitur a nobis titulus *De Ecclesiae missione ad omnes gentes,* quia: *a*) sic in ipso titulo indoles ecclesiologica materiae eiusque connexio cum constitutione conciliari *de Ecclesia* indicatur. De re enim agitur ad Ecclesiam ut talem spectante; *b*) principale materiae fundamentum biblicum (*Mt.* 28, 19) iam ex ipso titulo apparet; *c*) « missionem » Ecclesiae ad gentes (i. e. ad non-baptizatos) restringit, ideoque placitis hodiernis de Oecumenismo magis correspondet; *d*) rei subiectum (totam Ecclesiam) et obiectum (non baptizatos) clare indicat.

B) De « novellis Ecclesiis » (passim in schemate, et praesertim cap. II n. 9): *a*) terminologia haec omnino retinenda esse videtur, quia vivide et perpulchre exprimit tum aspectum dynamicum et finem proximum primumque fructum operis missionariorum, tum eius aspectum inchoativum, quo nempe haec « novella germina » auxiliis adhuc indigent Ecclesiae universalis; attamen: *b*) hic terminus inadaequate tantum distinguitur a termino « missionum in genere » quae in schemate definiuntur (recte quidem) tamquam « operatio qua Ecclesia visibiliter Corpus Christi extendit » (cap. I, n. 6, pag. 9, lin. 2); *c*) ideo minus recte dicitur « indigentiam in novellis Ecclesiis eamdem non esse ac in missionibus in genere » (cap. II, n. 9, pag. 13, linn. 1-2). Ipsae enim novellae Ecclesiae formaliter et specifice remanent missionariae, usquedum, simul cum cura progredientis vitae pastoralis « ordinariae », concreditos sibi non-baptizatos in propria ditione habent; *d*) omittendum praeterea videtur incisum « indigentia (novellarum ecclesiarum) minime est defectus » etc. (cap. II, n. 9, pag. 12, linn. 35-37), utpote nimis tritum vel saltem parum realitati correspondens (defectus aetatis est verus defectus, tamen cotidie evanescens); *e*) nimis timidum apparet votum, « ut et ipsae (novellae Ecclesiae) *paulatim* missionariae evadant » (cf. supra sub litt. *c* dicta); substituatur ergo « paulatim » per verba « *magis magisque* »; *f*) arbitraria insuper videtur restrictio termini « novellarum Ecclesiarum » ad illas quibus praeest episcopus autochthona (cap. II, n. 9, pag. 12, linn. 28-29). Immo periculosum esset episcopis autochthonis et clero indigenae insinuare acsi non amplius essent missionarii (cum supra sub *c* dicta). Immo loquendo de cooperatione missionali (cap. IV) schema ne omittat Ecclesias etiam novellas et praesertim earum episcopos autochthonos alloqui et exhortari, ut missionibus indigentioribus praesertim finitimis, opem pro posse ferant. Etenim « Ecclesia tota est missionaria » (cap. I, n. 6, pag. 9, lin. 21).

Schema in genere placet substantialiter et discussioni in aula proponatur; sustinendum est tamquam schema *separatum,* quia maxime interest ut principia doctrinalia et orientativa huius materiae necnon responsabilitas collectiva totius Ecclesiae pro missionibus stabiliantur ab episcopatu universali in hoc Concilio adunato « cum Petro et sub Petro ».

Pro casu autem substantialis reductionis vel contractionis textus, proponimus: a) *Prooemii* abbreviationem, addendo tamen (lin. 13) post « materialismi », verba sequentia: « *communismi et exaggerati nationalismi necnon Islamismi* lata diffusio » etc.; b) *cap. I* reductionem ad connexionem cum constitutione *de Ecclesia,* ad fundamenta biblica, ecclesiologica, eschatologica materiae; c) *cap. II et III* reduci forsan poterunt ad « puncta » seu « vota », incorporando tamen ipsum textum schematis, sicuti nunc prostat, in Appendice, ut basim constituat pro commissione post-conciliari, pro Directorio Missionum et pro reformando Codice Iuris Canonici; d) *cap. IV,* forsan ulterius perficiendum, est omnino retinendum et in aula conciliari discutiendum.

Animadversiones ad singula: 1. N. 5 (pag. 8, linn. 29-30): ita emendetur: « Quae aedificatio... a tota Ecclesia promovetur *cui* sub ductu Romani Pontificis et episcoporum, munus a Domino *concreditum est,* Evangelium... » etc. Etenim tota Ecclesia est missionaria.

2. N. 6 (pag. 9, lin. 21): omittatur nota 38, cum ad definitionem formulandam concilium oecumenicum non indigeat auctoritate scriptoris particularis.

3. N. 8 (pag. 12, lin. 14): omittatur « liturgice » quia praedicationem verbi Dei nimis restringit.

4. N. 12 (pag. 15, linn. 11-12) amplificetur ita: « Episcopus, *sive sit saecularis sive religiosus, in missionibus non secus ac in tota Ecclesia, est* rector et centrum » etc. Et addatur nota in calce: cf. Pii XII, Allocutio diei 8-XII-1950, *A.A.S.*, 1951, p. 28.

5. N. 12 (pag. 15, lin. 19) substituatur « missionariis » vox « exteris ». Episcopi enim in terris missionum sunt aut « autochthoni » aut « exteri », ambo autem sunt missionarii (cf. etiam cap. III de missionariis exteris et localibus, i. e. autochthonis).

6. N. 12 (pag. 15, linn. 18-28): Hic passus de adaptanda Instructione S.C.P.F., diei 8-XII-1929, magni est momenti et, saltem in Appendice, omnino retinendus est. Valde autem optandum, immo necessarium videtur: *a*) ut novarum normarum *summa* in dicto Appendice exhibeatur, ita ut Patres conciliares, praesertim missionarii, observationes suas saltem in scriptis promere possint; *b*) ut Constitutiones Institutorum, qui in missionibus adlaborant, his novis normis adaptentur.

7. N. 12 (pag. 15, lin. 33) verba « maiorem autonomiam » substituantur per verba « maiorem *latitudinem* » vel « maiorem *flexibilitatem* ».

8. N. 12 (pag. 16, linn. 3-4) inseratur: « In S.C.P.F., cuius *benemerita* opera... necesse est ut, *praeter viros in re missionali apprime peritos et regionum quas respective curant cognitores,* partes etiam habeant... » etc.

9. Ad totum cap. II, v. g. ad finem n. 8, pag. 12 (« de labore missionali ») addenda sunt quaedam de *apostolatus socialis* necessitate et (saltem brevissime) principiis. Permulta enim exstant documenta quae scholarum et operum caritatis (leprosariorum etc.) momentum in missionibus extollunt, dum de operibus specifice socialibus vix, vel marginaliter tantum, sermo fit. Ex altera parte, quod usque hodie scholae et hospitalia fuerunt (fuerunt, dicimus, quia magis magisque sub ditionem auctoritatis civilis labuntur), medium nempe indirectum sed de facto principale laboris missionalis, nunc de die in diem magis de *campo sociali* valet, praesertim de efformatione novellorum christianorum in eo quod « community development » vocant (et quod passim missionarii vel neglexerunt vel potius, scholis et aliis operibus « institutionalibus » oppressi, promovere non poterant). De hac materia fit quidem sermo in cap. IV, n. 24 (pag. 23, linn. 8-16), non autem, ut videtur, proprio loco nec satis positive.

Nec omittatur, in fine n. 8, cap. II, monitum generale de duplici periculo quod hodie apostolatui missionario imminet in ordine sociali, nempe: *a*) periculum suffocandi ministerium verbi per aedificationes materiales, per meram assistentiam in ordine temporali (quod monitum fit, sed ad episcopos tantum, in cap. IV, n. 24), per obligationem multorum missionariorum attendendi ad meram administrationem scholarum, nosocomiorum etc.; *b*) periculum apparentiae « Ecclesiae divitis » in regionibus persaepe pauperrimis, quo fit ut « evangelium pauperibus annuntiandum » minus credibile apparet.

10. N. 24 (pag. 22, lin. 39) dicatur « Quam sollicitudinem *laudabiliter manifestant* » (loco « manifestare possunt » quod est nimis evidens et nimis parum).

11. In hoc cap. IV de cooperatione missionali, recolantur etiam Episcopis autochthonis quae supra (Praenota B *f*) diximus de eorum adiutorio, pro posse, ferendo « missionibus indigentioribus praesertim finitimis ». Etenim, ut dicit ipsum schema, tota Ecclesia est missionaria.

[*Subscripserunt*] Ioseph Kiwanuka, arch. Rubagaen., Metropolita; Guido Del Mestri, arch. tit. Tuscamiensis; Ioseph Greif, ep. Tororoensis; Io. Bapt. Cesana, ep. Guluensis; Io. Maria Ogez, ep. Mbararaensis; Angelus Tarantino, ep. Aruaensis; Vincentius McCauley, ep. Fort Portal; Adrianus Ddungu, ep. Masakaensis; Cyprianus Kinhangire, ep. tit. Maurensis.

77

QUIDAM EXC.MI PP. DD. EPISCOPI IAPONIAE

Pag. 5, linn. 23-24: « et multae evangelizandi opportunitates... etc. », deleantur, quia non intelligitur quid significent et quonam iure talis praedictio pessimistica fiat.

Post lin. 32, addatur: « Et quamvis munus missionarium Ecclesiae ad omnes homines in Christum non credentes extendatur, in hoc Decreto consideratur speciali modo prout respicit implantationem Ecclesiae in populis non-christianis ». *Ratio*: termini « missio » et « missionarius » vario modo adhiberi possunt et in schemate adhibentur v. g. pag. 8, linn. 2, 3 et 32 s., pag. 9, linn. 1 s. et 21. Ideo determinatio significationis praecipuae requiritur.

Pag. 7, lin. 3, post verba « quam Jesus » inseratur: « praedicatione sua annuntiavit atque... ». *Ratio*: ad munus Salvatoris pertinet etiam officium doctrinale.

Pag. 12, lin. 17: post verba « Scholarum aptati gradus » inseratur: « et altior formatio in scientiis et bonis artibus ». *Ratio*: catholici debent etiam eminere in altiori formatione scientifica et culturali, specialiter in nationibus altioris culturae.

Pag. 13, lin. 26: post verbum « missionarii » inseratur: « sub ductu episcoporum ». *Ratio*: missionarii non possunt independenter hoc agere.

Lin. 31: post verbum « valet » addatur: « Curandum tamen est ut formae externae vitae religiosae condicionibus diversis in variis populis vigentibus et horum consuetudinibus, in quantum fieri potest, adaptentur ». *Ratio*: nimis stricta conservatio formarum externarum, accidentalium, quae in Europa vel America ortae sunt, est impedimentum pro vero progressu vitae religiosae in terris Missionum.

Pag. 14, post lin. 10: hic mentio etiam facienda est recti modi agendi cum *christianis non catholicis* secundum normas in decreto *de Oecumenismo* datas, et peculiariter collaborationis in variis campis vitae culturalis et socialis. *Ratio*: quia divisio christianorum, ut dicitur in pag. 5, lin. 13, est magnum impedimentum pro propagatione fidei christianae, in terris missionum peculiari ratione urget exsecutio decreti *de Oecumenismo,* ideoque explicita mentio etiam in hoc schemate facienda est.

Lin. 31, omittatur haec citatio, quia non videtur apta et potius offendens pro hominibus non-christianis bonae voluntatis.

Lin. 37, post verba « a Sancta Sede » addatur: « et a competenti auctoritate territoriali », prout nempe statutum est in constitutione *de sacra Liturgia.*

Post lin. 38, inseratur: « Adaptatio pariter sub ductu competentis auctoritatis curanda est relate ad vestes modumque vivendi cleri et religiosorum.

Pag. 15, lin. 13, loco « solius » dicatur « semper ». *Ratio*: religiosi habent quaedam opera apostolatus ipsis propria, circa quae etiam superiores religiosi competentes sunt, etsi episcopis subiecti maneant (ut v. g. tertiorum Ordinum, certarum activitatum in scholis religiosorum, etc.).

Lin. 20, loco « qui unici sunt ordinatores totius actuositatis pastoralis in sua dioecesi » dicatur: « ad quos ordinatio totius actuositatis pastoralis in sua dioecesi spectat ». *Ratio*: modus loquendi schematis est ambiguus et erronee intelligi potest.

Linn. 32-38: (In statutis autem condendis... etc.) deleatur. *Rationes*: 1) Providetur per normas in decreto *de pastorali episcoporum munere* statutas. 2) Ea quae in schemate dicuntur tam absolute asseri non possunt de omnibus terris missionum.

Pag. 15, lin. 39 ad pag. 16, lin. 2: istae 4 lineae ita mutentur: « Sedulam curam gerant conferentiae episcopales non solum ut centra florida vitae catholicae et apostolatus in sua natione constituantur et crescant, sed insuper ut etiam illae regiones evangelizentur, quae Nuntium Evangelicum nondum receperunt ». *Ratio*: experientia docet quod expansio Ecclesiae per districtus rurales non fit fructuosa et stabilis nisi habeantur centra maiora vitae catholicae sufficienti numero et actuosa vitalitate praedita.

Pag. 16, lin. 8, addatur: « ideoque hoc sensu applicandae et ampliandae erunt normae in decreto *de pastorali episcoporum munere* de hac re statutae (cf. schema p. 3-4).

Pag. 16, lin. 3: hac occasione videri potest utrum *nomen S. C. de Propaganda Fide,* quod quibusdam in his regionibus minus placet, retinendum sit an aliud nomen (v. g. *de missionibus*) eligendum.

Pag. 18, lin. 25: loco « imprimis » dicatur: « vero ». *Ratio*: nisi habeatur simul solida formatio in pietate et in scientia, zelus potest esse immaturus et periculosus.

Post lin. 37, addatur: « Formatio practica continuanda est in paroeciis ubi parochi iuvenes sacerdotes prudenter et amanter in apostolatum introducant eisque in omnibus bonum exemplum et efficax auxilium praestare studeant.

Pro bono Ecclesiae, valde optandum est ut inter sacerdotes autochthonos formentur boni scriptores, qui per scripta sua influxum profundum in suam gentem exercere valeant ». *Ratio*: cura pro formatione cleri autochthoni non debet limitari ad seminarium et similia instituta, ut fieri videtur in schemate.

Pag. 19, linn. 15 et 17: breviter referatur ad ea quae de hoc argumento dicuntur tum in constitutione dogmatica *de Ecclesia,* tum in decreto *de apostolatu laicorum*.

Lin. 36, post verbum « liturgica » addatur: « et morali ». *Ratio*: quia catechistae saepe homines de quaestionibus moralibus magni momenti instruere debent.

Pag. 23, lin. 1: post verbum « sacerdotes » inseratur: « post debitam formationem missionalem de qua in cap. III ». *Ratio*: experientia constat ex defectu talis formationis gravia pericula et damna oriri.

Observatio generalis. Mirum est quod nihil habetur in schemate de scholis catholicis et de operibus caritatis in missionibus, quae sunt maximi momenti pro propagatione fidei.

[*Subscripserunt*] Petrus T. card. Doi, arch. Tokiensis; Paulus Y. Yamaguchi, arch. Nagasakiensis; Dominicus S. Fukahori, ep. Fukuokaensis; Paulus Y. Furuya, ep. Kyotoensis; Lucas K. Arai, ep. Yokohamaensis; Benedictus T. Tomizawa, ep. Sapporoensis; Petrus A. Kobayashi, ep. Sendaiensis; Ioseph A. Satowaki, ep. Kagoshimaensis; Laurentius S. Nagae, ep. Urawaensis; Dominicus Y. Noguchi, ep. Hiroshimaensis; Petrus S. Hirata, ep. Oitaensis; Petrus M. Matsuoka, ep. Nagoyaensis; Ioannes S. Itô, ep. Niigataensis; Franciscus E. Tanaka, ep. Takamatsuensis.

78

QUIDAM PP. DD. CONFERENTIAE EPISCOPORUM INDONESIAE

I. *Relate ad schema in genere.* Textus ut basis discussionis in Concilio accipi potest. Tamen nostra ex parte oriuntur sat multae difficultates.

1. *Titulus schematis.* Titulus nec clarus nec aptus videtur. Quare de « missionibus » in forma plurali sermo fit? Ratio videtur esse, quod agitur de regionibus missionariis, ergo in sensu geographico (cf. pag. 9, lin. 19). Sed hoc praecise minus placet. Tota Ecclesia est missionaria. Differentiae inter regiones sic dictas missionarias generatim sumptas et alias regiones sic dictas non-missionarias diminutae sunt. Insuper: terminus « missiones » in sensu geographico fere inevitabiliter impressionem facit deficientiae et minoris valoris; associatur cum tempore praeterito colonialismi! Hoc non valet pro ipsa actione missionaria Ecclesiae, si bene intelligitur. Potius ergo dicatur: de actione missionali Ecclesiae (vel: de Ecclesia missionali).

2. Cum hoc cohaeret, quod in schemate theologia actualis missionaria insufficienter adhibetur. Textus enim attendit fere unice missiones in sensu geographico et negligit indolem ipsam missionariam Ecclesiae.

3. Schema deficit in demonstrando vero et claro motivo pro activitate missionaria. Et hoc praecise nunc temporis valde necessarium videtur, praesertim et pro ipsis « missionariis », qui a Concilio veram inspirationem pro suo labore exspectare possunt.

4. Schema proficisci debet a textu schematis *de Ecclesia,* magis in concreto *a*) a Prologo et cap. I, ubi agitur de Ecclesia ut sacramento intimae unitatis generis humani, et *b*) a n. 16 (olim n. 10) cap. II, de non-christianis, et a novo textu inserto in fine cap. II, de populo Dei, nempe n. 17: « De indole missionaria Ecclesiae ».

5. Schema deficit in elaboratione praeparationis Evangelii apud omnes gentes, i. e. voluntatis Dei salvificae pro omnibus hominibus. In textu actuali motivum missionis poni videtur in facto quod praedicatio Evangelii sit unica via ad salutem (pag. 7, linn. 13, 14, 29-30). Hoc non tantum offendit homines vere religiosos extra Ecclesiam catholicam, sed etiam fundamentum ineptum ponit pro activitate missionaria Ecclesiae.

6. Ecclesia fere unice apparet ut instrumentum salutis, non ut communitas salutis. Eo precise fit, ut ratio activitatis missionariae non clare appareat.

7. Duo in hoc schemate clare dici debent. Primo quod etiam extra Ecclesiam visibilem salus vere possibilis est omnibus hominibus et quod ubique voluntas Dei salvifica adest et operatur. Secundo quod actio missionaria tendit ad communitatem et formam visibilem salutis universalem. Ecclesia implet omnem praepa-

rationem Evangelii in toto mundo et speciatim in magnis religionibus generis humani.

8. Minus placet in textu schematis, quod textus Sacrae Scripturae hic illicque inserantur. Non est verus textus fundatus in Sacra Scriptura. Textus Scripturae adhibentur potius ad illustrandum quam ad fundandum.

9. Schema alto silentio praeterit oecumenismum, quasi nihil de hac quaestione in Concilio dictum fuisset vel oecumenismus nullam specialem relationem haberet cum activitate missionaria Ecclesiae! Problema oecumenismi (cum quaestione annexa proselytismi) praecise in activitate missionaria acutius ponitur. Schema tantum loquitur de lugenda divisione christianorum ut obstaculo (pag. 5, lin. 13). Textus pag. 13, lin. 36 est ambiguus. In contextu pertinet ad vitam ipsam catholicorum.

Proponitur sequens textus: « Communi professione fidei in Deum et Iesum Christum coram gentibus atque cooperatione in re tam sociali et technica quam culturali et religiosa catholici fraterne collaborent cum fratribus a nobis seiunctis ad normas constitutionis *de Oecumenismo,* secluso omni spiritu insanae aemulationis ».

10. In schemate nihil dicitur de secretariatu pro contactu cum religionibus non christianis. Secretariatus hic contactus, praesertim officiales, Ecclesiae catholicae cum religionibus non-christianis promovere debet. Est res maximi momenti pro activitate missionaria Ecclesiae. Huic autem secretariatui magna libertas relinquatur in evolutione sui. Cooperatio necessaria est cum secretariatu pro unione inter christianos.

II. *In specie. Ad prooemium.* Nimis longum et etiam mediocris tantum valoris est, praesertim quod attinet ad linn. 7-24. Accidentalia enumerantur. Prooemium sit breve, se adaptet prologo schematis *de Ecclesia.*

Pag. 5, lin. 4: loco « Spiritus Sancti plenitudine » dicatur: Spiritu Sancto moti...

Linn. 12-13: quid significat « materialismi lata diffusio ». Sunt verba facilia!

Lin. 13: non sufficit loqui de lugenda christianorum divisione. Oecumenismus in schemate modo positivo poni debet.

Lin. 16: « etiam ad bonum » insinuat illa instrumenta plerumque ad mala tendere.

Linn. 14 ss. Inter elementa favorabilia primo loco ponatur autonomia populorum, ubi evangelizatur, factum quod tempus colonisationis praeterivit et quod catholicitas Ecclesiae hodie promovetur propria indole illorum populorum. Est res maximi momenti et a Concilio modo positivo appretianda.

Lin. 21. Textus insinuat Ecclesiam adversari augmento hominum (non christianorum) in mundo!

Lin. 27. Post verba « praesens fiat » addantur verba: « et se extendat »...

Lin. 29. Concilium non debet vestigia SS. Pontificum (temporis acti) premere, sed cum suprema auctoritate temporibus actualibus et futuris praevidere.

Cap. I. Pag. 7, lin. 2: melius dicatur: ... Spiritu Sancto vivens et crescens (sine: animatum).

Lin. 2: ad hoc nata est... Ecclesia hic tantum ut instrumentum salutis describitur, non autem ut communitas ipsa salutis. Et praecise motivum est activitatis missionariae.

Lin. 5: Ubi... Activitas missionaria Ecclesiae nimis geographice determinatur. Incipiendum potius ab ipsa Ecclesia missionaria in toto mundo.

Lin. 5: ... nondum nominatur nec fide agnoscitur. Quid faciendum in locis vel regionibus ubi Christus quidem, sed a christianis-non-catholicis nominatur et fide agnoscitur? Oecumenismus sese hic offert ut quaestio praecise in activitate missionaria inevitabilis.

Lin. 7: oportet totum textum S. Scripturae afferre. Cardo textus est proclamatio Christi Domini glorificati in toto mundo.

Lin. 8: Ecclesia ipsa est hoc sacramentum, et quidem sacramentum salutiferae unitatis generis humani (schema *de Ecclesia*). Ecclesia non tantum instrumentum salutis, sed communitas salutis est.

Lin. 13: textus sic explicandus, quod omnibus hominibus in omni religione via ad salutem aperitur. Necesse est loqui de voluntate salvifica universali Dei.

Lin. 17: « Quamvis... ». Non est « quamvis » sed econtra « quia ». Quia nempe Christus glorificatus, ideo Ecclesia est visibilis communitas salutis et sacramentum unitatis. In Ecclesia gloria Christi visibiliter sacramentaliter apparere debet. Et hoc est motivum missionariae activitatis.

Lin. 18: « noluit ». Econtra: voluit apparere in Ecclesia sua, communitate visibili salutis.

Lin. 19: « humiliter » ad rem non pertinet. Non est humilitas Christi, sed Eius gloria in populo suo peregrinante ad Dominum suum.

Lin. 21: Sacramentalitas Ecclesiae non bene explicatur. Ecclesia est sacramentum, ut in schemate *de Ecclesia* dicitur, intimae et plenae unitatis generis humani (cf. pag. 8, lin. 25).

Lin. 22: forsan « omnibus » melius omittitur.

Lin. 23: « Abiit ad Patrem » impressionem facit, quod Christus non iam in Ecclesia praesens sit. Hac praesentia Christi Ecclesia constituitur ut communitas visibilis salutis.

Linn. 26-27: quatuor motiva missionis hic enumerantur. Est iuxtapositio opinionum variarum scholarum missiologiae.

Lin. 29: hoc non est motivum verum actionis missionariae, nam etiam sine hac activitate salus attingi potest. Motivum verum ponatur in praesentia visibili salutis Christi per Ecclesiam.

Pag. 8, lin. 11: « revelando ». Ne dicatur Ecclesiam revelare! Item... « revelat ».

Linn. 11-13: quae hic dicuntur, bona quidem sunt, sed non bene elaborantur. Pertinet ad praeparationem Evangelii, de qua schema *de Ecclesia* loquitur.

Lin. 14: praedicatio Christi. Estne genitivus obiectivus vel subiectivus?

Lin. 18: sensus huius « ergo » non apparet.

Lin. 20: quid hic significant « caro et sanguis »? Suntne media naturalia sicut instrumenta communicationis? Falsum esset. Estne « mundus » in sensu peiorativo iohanneico? Textus ambiguus et periculosus.

Lin. 22: « liberat ». Hoc in contextu male sonat. Est offensivum aliis religionibus.

Lin. 22: « personas »... « populis ». Duae opiniones hic iuxtaponuntur.

Linn. 25-26: quae hic dicuntur de unitate bona sunt, sed alio modo, nempe in connexione cum sacramentalitate Ecclesiae et motivo activitatis missionariae tractanda sunt.

Lin. 28: « petrae vivae ». Imago haec in contextu fere nihil dicit.

Lin. 29: « spiritualis » intelligi potest ut invisibliis. Est potius visibile opus Spiritus Sancti.

Lin. 30: « sub ductu... ». Melius: sub ductu corporis episcoporum una cum capite suo R. P., vel: « sub ductu R. P. una cum episcopis ».

Lin. 32: « implantandi » est expressio determinatae scholae scientiae missiologicae.

Lin. 33: « vires... prae oculis habentes »!!!

Lin. 35: post « episcoporum » addatur: « aliorumque ».

Linn. 35-36: praecipuum est ipsa Ecclesia ut clare repraesentans Ecclesiam universalem missionariam. Criterium ergo est, an Ecclesia hic vere ut missionaria apparet.

Lin. 36: post « Eucharistiae » forsan addi potest: « aliisque functionibus ».

Linn. 38-39: melius: « In dies crescentes et augentes proprias vires, ab Universali Ecclesia... ».

Pag. 9, lin. 1: « paulatim missionariae evadant ». Falsum est. Ipsae enim iam missionariae, vel saltem esse debent.

Linn. 10-11: corporis... Verum quidem est, sed hic locum aptum non habet.

Lin. 14: « invisibiliter et spiritualiter » considerari potest ut falsus spiritualismus. Ecclesia visibiliter Christum repraesentat. Per verbum « invisibiliter » etiam vox « spiritualiter » false intelligitur. Agitur de actione Spiritus Sancti.

Lin. 19: quare « missiones » in forma plurali?

Linn. 20-21: quae hic dicuntur de Ecclesia ut tota missionaria non in fine sed in initio huius capitis dicenda sunt.

Lin. 20: quaenam differentia inter Ecclesiam et Corpus Christi hic insinuatur?

Lin. 24: « Illius Ecclesiae ». Est potius hierarchia Ecclesiae, Concilium, sed non Ecclesia.

Linn. 24-25: Concilii non est delineare ac determinare condiciones operis huius missionalis sed bene cognoscere et accipere illas condiciones et deinde constituere normas practicas pro activitate missionaria.

Pag. 10, nota 38, offensivum pro christianis non-catholicis est quod dicitur « acatholicas » post gentes non-christianas. Non apparet textum vere repraesentare opinionem auctoris Ohm. Proponimus ut definitionem actionis missionalis Ecclesiae: est actio Ecclesiae, ut generi humano nondum christiano communicentur bona salutaria Christi. Ecclesia hanc missionem implet imprimis eo quod seipsam tamquam visibilem communitatem salutis hominibus constituat et omnibus hominibus praesentet.

Cap. II. Pag. 11, lin. 2: loco « apostolos » melius: Ecclesiam.

Lin. 4: loco « huius... proponitur ». Eiusdem caritatis igne accensus apostolus missus ab auctoritate ecclesiastica in omnibus se servum praebeat hominum.

Lin. 7: « spirituali » melius omittitur.

Lin. 12: vox « praesertim » forsan melius omittatur, quia ubique terrarum urget et differentiae inter terras missionum et terras non-missionum magna ex parte evanescunt vel saltem minuuntur.

Lin. 23: « antequam ». Non videtur opportunum retardare nuntium Evangelii. Insuper notandum nuntium evangelicum fieri verbo *et* opere. Distinctio ergo inter praeparationem nuntii Evangelii et nuntium ipsum, vel, aliis verbis, inter apostolatum indirectum et apostolatum directum forma hic proposita nobis non placet.

Lin. 28: « in eorum magna varietate ». Varietas non est bonum in se. Potest esse bonum vel malum. Agitur potius de *propria indole*. E. g.: « eorum propriam

indolem tamquam providentialem praeparationem ad Evangelium agnoscent (reverebuntur) ».

Lin. 32: « bene dispositis ». Quid de aliis (non bene dispositis?) dicendum?

Lin. 33: vox « culturam » omittatur.

Pag. 12, lin. 3: mira consequentia videtur. Quid hic significat: « Cui primae et summariae... adhaerebit »? Et post hoc: se convertet? Quare expositio Evangelii hic tam miro modo proponitur?

Lin. 7: « liturgicis caeremoniis » omitti potest. Etiam ambiguum videtur. Estne *per* caeremonias vel *ad* caeremonias?

Lin. 8: Catechumenatus nimis intellectualiter hic intelligitur.

Lin. 14: « liturgice » omitti potest.

Lin. 18: « humanam » omittatur.

Linn. 26-27: verba haec impressionem faciunt quod opus missionariorum exterorum fere praeterivit. Laudantur pro labore praestito!

Lin. 28: hierarchia autochthona non est unicum nec praecipuum criterium novellae Ecclesiae (cf. pag. 5, lin. 8).

Lin. 30: loco « totum » dicatur « plenius ».

Lin. 31: textus S. Cypriani ad rem non clare pertinent.

Lin. 36: certe est defectus! Non habet sensum hoc negare. Sed necessitas auxiliorum Ecclesiae universalis etiam valet ubique pro multis aliis Ecclesiis.

Lin. 37: oppositio inter Ecclesiam universalem et novellas Ecclesias.

Pag. 13, lin. 1: loco « indigentia » melius: necessitates.

Lin. 2: iterum « missiones » in forma plurali. Missio in toto textu nimis geographice intelligitur.

Lin. 3: « Curent... ». Iam antea haec facienda sunt.

Lin. 8: hic instituta perfectionis evangelicae specialiter nominentur.

Lin. 17: terminus « vita supernaturalis » non placet.

Linn. 20-21: mira consequentia. Insuper quaenam differentia inter cultum divinum et vitam sacramentalem?

Lin. 26: verba « status perfectionis acquirendae » non placent. In schemate *de Ecclesia* locum non habent.

Lin. 27: constituere... per instituta iam constituta!

Lin. 36: verba de divisione et unione fraterna sunt ambigua. In contextu pertinent ad vitam christianorum tantum. Sed animo necesse est etiam oecumenismum applicare.

Ad totum n. 10. Christiani, praesertim in sic dictis novellis Ecclesiis imprimis laborare debent ad bonum societatis, pro pace, evolutione technica, sociali et culturali novellarum nationum. Hoc est res maximi momenti et a Concilio ut munus primarium christianis (laicis) proponi debet.

Pag. 14, linn. 3-6: estne haec alia res quam caritas paginae praecedentis?

Linn. 11 ss.: terminus « et problema adaptationis » non iam correspondet statui actuali activitatis missionariae nec theologiae missionariae hodiernae. Ecclesia vere incorporari (incarnari) debet in genere humano et in propria indole populorum. Haec est vera catholicitas. Terminus « adaptatio » hanc plenam incorporationem manco modo exprimit. In adaptatione attentio dirigitur ad elementa singularia, non autem ad totam vitam populorum, ad eorum indolem, spiritualitatem religiosam etc.

Lin. 37: una cum Sancta Sede hic conferentiae episcoporum nominentur.

Pag. 15, lin. 1: non tantum omnia, i. e. singula bona elementa, sed tota vita. Secus periculum oritur mixtionis et eclectismi.

Linn. 13-14: potestas episcopi hic immoderate proponitur. Laici hic aeque ac clerici episcopo subordinantur. Dici debet laicos pollere autonomia in labore suo. Hoc etiam valet suo modo pro religiosis in labore suo, qui non est stricte ecclesiasticus.

Lin. 23: ius commune ita constitui debet ut ubique in Ecclesia applicari possit. Differentiae inter terras sic dictas missionum et alias enim minuuntur. Ius commune ergo applicari debet huic novae situationi. Vere commune esse debet.

Lin. 33: haec maior autonomia nec necessaria nec utilis videtur. Praesertim enim in terris sic dictis missionum opus est cooperationis et coordinationis pastoralis.

Pag. 16, linn. 3 ss.: S.C.P.F. curam habeat pro s. d. « planning » activitatis missionariae Ecclesiae. Ad hunc finem scientiae modernae, ergo et (laici) periti in his scientiis, auxilium necessarium praestare debent.

Pag. 16, post lin. 8: forsan hic sermo fiat de Secretariatu pro contactu cum aliis religionibus.

Cap. III. Pag. 17, linn. 6 ss.: primo loco de missionariis localibus, deinde de exteris agendum est.

Linn. 6 ss.: quae hic dicuntur valent pro omni seminario. Fere nihil specificum pro « missionalibus ».

Linn. 6 ss.: in formatione missionariorum praesertim cooperatio et etiam coordinatio inter diversos Ordines, Congregationes et cetera Instituta et etiam inter haec Instituta (Ordines etc.) et Dioeceses et inter Dioecesas ipsas valde necessaria est.

Linn. 23 ss.: periculum adest ne programma formationis exaggeretur. Caveatur ne studentes prae nimia et differentiata materia ad verum studium et formationem non perveniant.

Pag. 18, lin. 13: mira combinatio inter fideles et laicos!

Linn. 24 ss.: dicendum: candidatos pro studiis ad presbyteratum aequalem (non eandem) formationem habeant ac laici bene formati. Insuper urgeri debet, clerum autochthonum in tota sua formatione homogeneum manere cum populo suo, praesertim quod attinet ad condiciones materiales, ne postea alieni sint populo suo.

Pag. 18, post n. 17: de diaconis (etiam religiosis) aliquid addendum videtur.

Pag. 19, lin. 6: verbum « vero » deleatur.

Linn. 16 et 19: quid significat « formatio apostolica et apostolatus laicorum »? Proprium opus laicorum in societate primo loco poni debet. Laici nimis considerantur ut cooperatores hierarchiae.

Lin. 26 ss.: catechistae specialem et meliorem attentionem merentur.

Cap. IV. Pag. 21: in toto cap. IV officium episcoporum et conferentiarum episcoporum attendi debet.

Lin. 12: loco « pro mundo universo » dicatur: « mundo praestare debet testimonium unitatis suae cum Christo et Ecclesia ».

Lin. 17: loco « iure primum locum » dicatur: « praecedentiae favent ».

Lin. 22: verba « sub ductu episcopi » deleantur.

Linn. 28 ss.: prout nunc dicitur, non est officium proprium. Ergo aliquid proprium addatur, nempe devotio specialis Christo et Ecclesiae.

Linn. 28 ss.: in operibus Institutorum in regionibus pauperibus ratio apostolatus semper clare apparere debet. Non ergo motiva oeconomica praevaleant. Emolumenta pro ipso populo adhibenda sunt. Secus imago Ecclesiae divitis evitari non potest.

Pag. 22, lin. 8: post « ratione suae » inserantur verba: propriae (maioris, specificae).

Lin. 17: verbum « vera » omitti potest.

Lin. 18: post « situatione religiosa » inserantur verba: « de relatione in historia universali salutis inter Ecclesiam et religiones non-christianas, de motivo activitatis missionariae » etc.

Linn. 26-27: ex tali formatione... Non proponatur ut propaganda pro vocationibus.

Lin. 30: post « una cum Romano Pontifice » (vel ante): in communione cum episcopatu totius Ecclesiae.

Pag. 23, lin. 8: « expansio Regni Dei ». Iterum nimis geographice proponitur. Melius: amplior manifestatio (provectio) Regni Dei.

Lin. 8: loco « regeneratio » dicatur: « visibilis incorporatio ».

Lin. 18: non tantum studentium, sed etiam aliorum, e. g. opificum, navigantium etc.

Linn. 24 ss.: inserendum est: in cooperatione cum aliis conferentiis episcoporum in s. d. « missionibus » et etiam cum repraesentantibus Ordinum, Congregationum et Institutorum, qui in missionibus laborant. Huius colloquii et collaborationis S.C.P.F. curam centralem habeat. Hoc specialiter valet pro s. d. gemellatione Ecclesiarum.

79

CONFERENTIA EPISCOPORUM INDONESIAE

I - *Schema in genere.* Secundum nostram opinionem multae ideae optimae proponuntur quae inveniri possunt in libris circa scientiam missiologicam. Videtur aliqua compilatio e libris et epistolis de cetero magni valoris.

Veritates et quaestiones autem absconduntur sub velamine piorum verborum.

Quapropter *primum nostrum votum*: 1) Schema rescribendum est forma breviori cum propositionibus claris et utilibus pro operatione missionali in mundo hodierno. 2) Principia et rationes activitatis missionalis non sunt repetendae sed fundandae in iis quae dicuntur in schemate *de Ecclesia.*

II - *Votum II circa prooemium.* Elementa quae favent evolutioni novellarum Ecclesiarum priore loco nominanda sint et insuper addendum sit quod initium et evolutio harum Ecclesiarum e. g. in terris Asiae et Africae sunt bases firmae pro evolutione in futuro.

III - *Cap. I,* n. 6. In schemate dicuntur « missiones » et « apostolatus missionalis » sed non datur aliqua clara circumscriptio ubi initium vel finem habet « missio » vel quae sunt « terrae missionis ». Quapropter *votum nostrum tertium*: « ut clare exponatur quae sunt terrae missionis et quid " activitates missionales " hoc in schemate ». *Ratio voti*: ut omnes instructiones et normae quae hoc in schemate proponuntur efficienter et recte possint adhiberi. (Non desideratur solutio scientifica de diversis opinionibus).

IV - *Adaptatio missionalis* (pag. 14, n. 11). Adaptatio non est res extraordinaria vel nova. Nihil aliud est quam implantatio Evangelii Christi in societate *vivente*. Praesertim adaptatio in aliqua Ecclesia incipiente in aliqua regione magis rogat attentionem. Quapropter nos proponimus (*votum quartum*): 1) Regula 32 pag. 14: « A suo exordio Ecclesia docuit et inculcavit » est aliquo modo *theoretice dictum*: Non raro in propagatione fidei principium sanae adaptationis in oblivione erat. Quod dicendum sit.

2) In regula 35 pag. 14 referuntur *aliqua elementa* vitae societatis: ars, musica et in regula 40 in genere dicuntur « omnia elementa bona ». Videtur quod nimis imprimuntur aliqua elementa, quae forsan non sunt primaria.

Maximi ponderis est adaptatio ad totam vitam societatis in omnibus eius aspectibus.

3) Quapropter proponitur ut positive et expresse exprimatur in hoc capite:

a) *Fundamentum* omnis adaptationis *est caritas et amor* erga nationem et plebem ubi unusquisque laborem suum perfecit pro Regno Dei. Haec caritas et amor semper debent firmari et extendi ad omnes partes vitae. Tendit vero ad consecrationem totius vitae.

b) *Conditio necessaria* adaptationis verae est *scientia et intelligentia totius societatis* in omnibus eius aspectibus: conditionibus socialibus et ethnologicis, cultura, religione et fide, modo cogitandi (philosophia), linguis, conditionibus oeconomicis etc. Modi vivendi societatis debent investigari et adhiberi pro posse ad aedificationem Ecclesiae.

c) Praesertim *intelligentia et aestimatio elementorum religionum* in omnibus modis et aspectibus maximi valoris sunt pro fundatione ecclesiae. Contactus et relationes cum omnibus partibus populi necessariae sunt ne Ecclesia fiat elementum externum et segregatum a societate (vide infra sub voto V quod dicitur de « secretariatu religionum non christianarum »).

V - *Cap. II,* n. 12: *votum quintum.* Votum nostrum est ut S. C. de Prop. Fide, restaurata ut proponitur in schemate, fiat: « Centrum propagationis et operationis » cum omnibus mediis modernis.

Praeter laborem qui iam conceditur Congr. de Prop. Fide debet erigi:

a) *Institutum investigationis* (Research-bureau) quod functionem habeat Cooperationis Centralis omnium missionum in investigando demographiam, ethnologiam, sociographiam, situationem religionum, statistica etc. Hoc institutum potest relationes instituere cum institutis quae adhuc praesunt in parte investigationis (Research) modernae. Forsan necessarium est erigere partes in territoriis missionum.

b) Hoc centrale Institutum non habet tantum *functionem scientificam* sed etiam *coordinandi* vires, media etc. sub condicione ut non fiat institutum potestatis sed institutum consultativum pro toto mundo.

c) Apud hoc Institutum quod habet functionem scientificam (Research) et coordinativam, erigatur *Secretariatus Religionum non christianarum,* qui potest adiuvare et instruere operationes missionales sed praesertim curam accipit pro relationibus cum religionibus non christianis earumque ducibus.

VI - *Cap. III*: *votum sextum.* Investigetur an possibile sit: invenire *terminologiam meliorem* et purificare verba « missio », « missionarius » et « missionalis » ab elementis minus acceptabilibus et ab aliqua « inferioritate » relate ad Ecclesiam civitates quae antea iam acceperunt Evangelium.

Pag. 17, r. 5, dicuntur « Missionarii exteri »; r. 24, dicuntur « Missionarii locales »: quae est differentia cum clero in Italia etc.?

Pag. 19, r. 7 « Formatio missionalis »: quid hoc significat? Nescimus terminologiam accuratam et intelligimus quod verbum « apostolatus » nimis amplum est.

N. B. Hoc votum forsan spectat ad schema in genere, cum inscriptio iam loquatur « de Missionibus ».

VII - *Cap. IV,* n. 22. Circa collaborationem Institutorum perfectionis votum nostrum est ut addatur: 1) Utinam Instituta missionalia in suis laboribus in regionibus missionum prae oculis habeant ut bonum Ecclesiae omnibus aliis praevaleat.

2) Ut missionarii religiosi sese melius operibus missionalibus incumbere possint, rogatur ut quaedam flexibilitas in Constitutionibus suis admittatur.

VIII - In nn. 24 et 25, qui elucidant cooperationem et officium episcoporum et conferentiarum episcoporum, insufficienter videntur eorum officia erga « Instituta religiosa » qui in praeterito, hoc tempore et in futuro magnam partem habent in labore missionali totius Ecclesiae.

Votum nostrum est: ut clare dicatur, officium episcoporum (eorumque conferentiarum) esse adiuvare Institutis missionalibus religiosis *et* cura episcoporum pro vocationibus his in Institutis *et* auxilio materiali et pecuniario ut haec Instituta possint perficere suum laborem.

80

Exc.mi PP. DD. PROVINCIARUM AQUENSIS ET AVENIONENSIS ET DIOECESIUM MASSILIENSIS ET MONOECENSIS

Notae generales. Praesens schema pollet hoc praesertim quod vult respectum Ecclesiae prae se ferre; nam, in primis, *Missio* orta est ex Ecclesia cui inest desiderium amoris Christi communicandi, deinde tantum, ex egestate hominum qui Eum ignorant.

Observationes. I. Et magnanimitate et providentia caret schema cum se referat ad statum praeteritum neque iam pertinentem ad statum vel ad missionem Ecclesiae realem. Immo retrocebit in quibusdam locis si ei conferuntur *Mater et Magistra, Pacem in Terris* et etiam *Fidei Donum.*

II. Schema debebat totaliter explicare statum missionum hodiernum et novum, adiunctis peculiaribus notis de nationibus christianisandis aut ad fidem revocandis et de nationibus paganis vel islamicis, tandem de migrationibus operariorum, quarum gravissimae sunt sequelae, non loquitur.

III. Schema non satis dicit quantum missionaria deberet fieri Ecclesia tota cuius testimonium « in globo » sumptum ponderis est gravissimi. E contra nimis amplificat quibus aspectibus differatur universalis Ecclesia et missionum Ecclesiae et hae quidem, quibus differantur a ceteris Ecclesiis.

IV. Dum schema revolvitur vocabulum « Missio » ambigue sumitur cum ab eo designetur vel missio generalis Ecclesia, vel missiones locales et adhuc opera peculiaria.

Sensus huius verbi delimitandus est et definiendus ut melius appareat Eccle-

siae scopus qui est non tantum ut Ecclesia radices agat veritasque doceatur sed etiam ut testimonium reddatur de caritate et de iustitia, cum christiani fiunt et usus et mores et leges.

V. Ad hoc obtinendum necesse est ut schema maius momenti tribuat iis hodiernis adiunctis quorum pondus maximum apparet; videlicet: contextus sociologicus praesertim in nationibus quae pro maiore parte carent proventibus mechanicis et intellectualibus sive in nationibus novis in quibus vita fervet.

Nihil etiam dicitur de laicis qui, hodie prompti ad Evangelium spargendum, personam habent ad fundamenta novae societatis condenda.

Neque schema loquitur de communicationibus quae existere possunt inter nos et religiones non subiectas Christo. Gravissima tandem quaestio de missionibus christianis inter se luctantibus vix apparet. Bonum esset si, in his omnibus de libertate religiosa loqueremur (cf. Cap. V schema *de Oecumenismo*).

VI. Media proposita et, praecipuo, liturgia, quam examinari oportet ut aptetur locis, non sufficiunt. Immo catechumenatus et actio catholica non numerantur.

VII. In lumen trahere debet schema quam necessaria sit formatio missionaria adaptata tam (pro) cleris, quam (pro) laicis. Item paupertas definienda est in actione missionaria sive dum ostendentur media paupertate pollentia, sive praesertim dum usus et mores suos respicient missionarii qui caritatem et socialem iustitiam quaerent. Schema tandem loqui poterat de operibus pontificalibus missionariis.

Peculiares notae. Prooemium. Pag. 5, lin. 5: « omni saeculorum decursu », non est verum, non recte triumphamus.

Linn. 10-20: *a*) litigari potest circa utilitatem huius paragraphi; *b*) non omnia numerantur.

Lin. 11: « Insufficientes » melius diceres. Linn. 20 ss. vernaculis verbis exprimuntur. Linn. 20-28: nimis numeratur; studia et conatus missionariorum non oriuntur e quodam periculo cuius conscii sunt.

Cap. I. Laudandum in genere, attamen n. 4 retrocebit si inspiciuntur verba Pii XII et Ioannis XXIII.

Pag. 7, linn. 1-4, melius « ut fructus salutis, quam Iesus morte et resurrectione sua pro omnibus hominibus operatus est, extendat ad omnes gentes decursis temporibus usque in ultimum terrae ».

Pag. 8, linn. 32 s.: cur hic non locuti sumus de laicis?

Cap. II. Pag. 11, lin. 11: etiam et hic numerandi sunt laici.

Pag. 12, lin. 17: nimis si conferas extolluntur opera quae non essentialiter pertinent ad missionem.

Pag. 13, lin. 2: quae sunt hae missiones in genere? Lin. 13: quid significat « in terris missionum »?

Pag. 14, n. 10: nihil dicimus de his quae facere possunt christiani in nationibus novis. Oportebat hoc ostendere: dum natio evangelizatur eius humanitas crescit, auxiliantibus novis christianis. N. 11: nihil dicitur de potestate collationum episcopalium circa liturgiam.

Pag. 15, lin. 35: apte disponere oportet linn. 35 ss. cum « de episcopis ».

Cap. III. Pag. 17, lin. 14: sensus nimis latet in phrasi « formatio autem moralis... ».

Pag. 18, n. 16: quae gerunt laici non tantum spectant ad quamdam personam supplentem in Ecclesia nam sua propria persona fruuntur laici (id., linn. 21-26).

Cap. IV. Hunc ordinem propono: nn. 24, 25, 23, 21, 22.

Pag. 21, lin. 5: « Ex proprio statu sacramentali » sensus non patet.

N. 21: caret referentia ad universalem vocationem ad sanctitatem quae est amor Dei simul ac amor proximi (cf. schema *de Ecclesia*).

N. 22: nihil de Institutis Missionariis stricto sensu.

81

CONFERENTIA EPISCOPORUM LINGUAE GERMANICAE ET SCANDIAE

N. B. - Singulis adnotationibus et emendationis adiunguntur sigla eorum, qui eas proposuerunt vel iis adhaerent. Significant

Augsb	= Ep. aux. *Augsburgensis,* exc. D. J. L. Zimmerman
Bamb	= Archiep. *Bambergensis,* exc. D. Ios. Schneider
Graz	= Ep. dioec. *Graz-Seckau,* exc. D. Ios. Schoiswohl
Herbip	= Ep. aux. *Herbipolensis,* exc. D. Alfonsus Kempf
Island	= Vic. apost. *Islandiae,* exc. D. Ioannes Gunnarsson
Luxb	= Ep. *Luxemburgensis,* exc. D. Léon Lommel
Nuflo	= Vic. apost. *Nuflo de Chávez* (Bolivia), exc. D. Kilian Pflaum
Rottb	= Ep. *Rottenburgensis,* exc. D. Leiprecht
Shoh	= Ep. dioec. *Shohchow* in Sinis, exc. D. Edgar A. Häring
SVD	= Curia Generalitia Societatis Verbi Divini
Trev	= Ep. dioec. *Trevirensis,* exc. D. Matthias Wehr et ep. aux. exc. D. Bernardus Stein

I - Schema *de missionibus* Patribus conciliaribus propositum in genere non placet — Augsb-Island-Nuflo-Trev —, quia sub respectu theologico non iam maturum esse videtur. In schemate *de Ecclesia* econtra assertiones bene naturam et universalem missionem Ecclesiae describunt et clare ostendunt Ecclesiam totam esse missionariam.

Qua de re timendum, ne qui schema speciale *de missionibus* proponit, opinionem eorum sustentaret, qui praxi tenent « missionem » esse accessorium quid, distinctum ab Ecclesia, vel aliquod periphericum (Nuflo).

Schema ergo superfluum, nisi materia tractanda restringitur ad quaestiones practicas vel methodicas. Hoc autem in casu iure quaeri posset, utrum tale schema necessarium evadat necnon melius esset omnes has quaestiones designare commissioni postconciliari, quae omnia in ceteris schematibus proposita coordinaret et conferentiis episcoporum regionalibus tractanda traderet (Bamb-Island).

Considerandum insuper tale schema de activitate missionaria Ecclesiae inopportunum (nisi periculosum) esse posse, cum sibi proponeret tractare coram publico, quomodo non-christiani in Ecclesiam « trahi » possent. Ab ipsis non-christianis tale schema posset intelligi ut aggressio deliberata.

Exstant ergo rationes, quae suadent, ne speciale schema *de missionibus* vel *de activitate Ecclesiae missionali* publice in Concilio discutiatur.

II - Si nihilominus schema speciale *de missionibus* proponitur, e ratio-

nibus supra expositis magis placeret schemati titulum dare « De activitate Ecclesiae missionali » vel « De ministerio Ecclesiae missionariae » (Trev-Augsb).

Cum de missioni universali Ecclesiae in schemate *de Ecclesia* tractatum iam est, proponitur *loco prooemii et cap. I* novum, quod ita sonare posset,

Prooemium. « Sacrosancta haec Synodus, quae in constitutione *de Ecclesia* de eius natura et missione universali tractare sibi proposuit (n. 1) atque ostendit ministerium fidem salutarem praedicandi originem et fundamentum habere in missione divina Ecclesiae in apostolis concredita (n. 13), simul declaravit hanc actuositatem missionalem Ecclesiae toti communem esse (n. 17) ac omnia eius membra obligare, ut pro viribus suis fidem verbo et opere diffundant (n. 24). Porro in constitutione *de Liturgia* statutum est Ecclesiae esse opus salutis, quod annuntiat, per sacrificium et sacramenta exercere simulque, quotiescumque dominicam cenam manducat, mortem Domini annuntiare, donec veniat (n. 6). Itemque Ecclesia persuasum habet in liturgia Deum ad populum suum loqui Christumque suum adhuc annuntiare Evangelium (n. 33).

« Ecclesia ergo tota est missionaria et tamquam ministra Iesu Christi apud gentes sacro ministerio fungitur annuntiandi Evangelium Dei, " ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu Sancto " (*Rom.* 15, 16) (Augsb-Herbip-Shoh-Trev).

« Quapropter illius Ecclesiae missionariae est delineare ac determinare definitas aptasque condiciones ad hoc opus missionarium apud gentes promovendum. Quod opus nostris his temporibus maxime urget, nam orbis terrarum magis magisque in unum coalescere videtur et hominum numerus in dies crescit; insuper nationes nuperrime sui iuris factae vehementi studio omnibusque modis celerrimum incrementum oeconomicum et politicum appetunt; huc accedit quod haud pauci homines, antichristianis commentis imbuti, nomen christianum oppugnant, ita ut Ecclesia hodie longius quam quovis alio tempore abesse videtur a persoluto illo mandato collustrandi omnes orbis terrarum populos luce Christi » (Augsb-Rottb).

III - Si vero schema *de missionibus* tale quale ut basis discussionis conciliaris consideratur, valde suadendum esset rem brevius et concisius praesentare.

Hoc in casu commendantur quae sequuntur. *Emendationes*:

De *titulo*: melius esset schemati titulum imponere: « De activitate Ecclesiae missionali » vel « De ministerio Ecclesiae missionariae » (Augsb-SVD-Trev).

In *prooemio* schematis typis impressi pag. 5, lin. 5: expressio « genuerunt Ecclesias » valde immediate et non motivate adhiberi videtur. Suadendum esset recurrere ad mandatum Domini (*Mt.* 28, 18-20), ut magis organice et iuxta mentem Scripturae activitas missionaria describeretur (SVD).

Lin. 7: magis placeret versio biblica « Regnum Dei omnibus populis annuntiaretur » loco « extenderetur » (Graz-Herbip).

Lin. 21: loco « Dum haec ita se habent » dicatur « Licet haec ita se habeant..., numerus tamen... » (SVD).

Cap. I (ut totum schema) abundat citationibus biblicis, quae vero saepe saepius non correspondent tenori et spiritui et vocabulo biblico. Certo certius observatores non-catholici talia menda vituperabunt et de « manipulatione » Sacrae Scripturae loquentur; cf. pag. 7, lin. 9: *Col.* 1, 27 « Christus, in *vobis* spes glo-

riae »; ib., lin. 24 citatio *Act.* 1, 9; pag. 8, lin. 20: *1 Cor.* 2, 4; pag. 9, lin. 7: *Phil.* 4, 8 non agit nisi de vita morali christianorum, etc. (Augsb-Nuflo-Rottb).

Expositio doctrinalis cap. I reapse non est biblica. Quae sola ratio iam suadet, ut cap. I supprimatur (Nuflo-Rottb). Praeterea conceptus Ecclesiae nimis anthropocentricus esse videtur, unice fere ad hominem eiusque salutem relatus. Iuxta S. Scripturam Regnum Dei et salus hominis apprime sunt magnalia a Deo peracta (Rottb).

Porro aspectus eschatologicus non satis clare apparet. Ecclesia est Ecclesia peregrinans; missio Ecclesiae considerari debet ut activitas ascensionem inter et parusiam Domini (Rottb).

Pag. 7, linn. 9-11 deleri posse videntur (Bamb-SVD). Lin. 15, deleatur « solus » (Rottb). Lin. 19, loco « humiliter » dicatur « abscondite » (Rottb) vel « invisibiliter et spiritualiter » (SVD). Linn. 31 s. deleri possunt (Bamb).

Pag. 8, linn. 1 ss., loco « revelando - revelat » melius « annuntiando - annuntiat » (Graz-Herbip).

N. 5: momentum propriorum (autochthonorum) sacerdotum et episcoporum exaggerari videtur. Ecclesiae nempe locales iam exstant, quando communitates christianae sub episcopo etsi extero iussu Summi Pontificis in dioecesim colliguntur (Nuflo-SVD).

Praeterea modus dicendi non placet. Dicto enim « munus a Domino receperunt Evangelium praedicandi et novas Ecclesias ubique implantandi », uno eodemque tenore duae res enuntiantur, ac si aequali modo a Domino mandatae essent. Inde melius videtur speciem aequivocationis evitare. Quod fieri posset dicendo:

Pag. 8, linn. 30-32: « Quae aedificatio... promovetur sub ductu Romani Pontificis et episcoporum, qui oboedientes mandato Domini praedicandi Evangelium omni creaturae officium apostolicum susceperunt novas Ecclesias ubique implantandi » (Bamb).

In n. 5 porro haec fundatio Ecclesiarum opponitur « initiali statui evangelizationis », proinde ac si iste non esset status Ecclesiae. Communitates christianae sacramentis initialibus et eucharistico cultu per missionarios exteros coadunatae videntur esse non formatae, quia non « propriorum sacerdotum et episcoporum ministerio fruantur »! Quae communitates a missionariis exteris collectae — secundum schema — tunc solummodo Ecclesiae locales (et quidem « Ecclesiae novellae »!) fiunt, quando « propriis suis episcopis... dotatae » sunt; tunc « nova pro ipsis incipit aetas »; tunc « diversitas... in unitate » fulgebit « corporis episcoporum varietate »! Quae asserta ad absurdum duci possent factis e temporibus praeteritis et hodiernis desumptis (Augsb-Nuflo).

Pag. 8, lin. 33: durus videtur sermo « omnes Ecclesiae vires... prae oculis habentes » (Bamb).

Lin. 36: locus ex Epistula S. Ignatii Antiocheni non agit de episcopis autochthonis (Rottb).

Lin. 37: quid sibi vult « propriis quoque vitae christianae mediis instructae »? (Shoh).

Lin. 38: « incipit nova aetas... », prophetice quidem sonat, historice vero exaggeratum esse videtur (SVD).

Pag. 9, linn. 16-19 deleantur (Bamb).

Lin. 20: « Ecclesia Corpus Christi *visibiliter* extendit », impossibile dictu! (Rottb).

Pag. 10, nota 38: assertio missionem in eo esse, « ut... per propagationem fidei inter gentes non-christianas (acatholicas) novi Christo Domino Salvatori discipuli... aggregentur » certo certius publicas indignationes observatorum acatholicorum provocabit, cum hac extensione obiecti missionis ad acatholicos, et orthodoxi et protestantes et aliae denominationes non-catholici paganis, mahometanis et iudaeis aequiparentur. Haec assertio certo non erat sententia cl. Thomae Ohm (Augsb-Herbip-SVD).

Cap. II: valde constringi posse videtur retentis quoad rem pag 11, linn. 12-14, 23-30, 32 s.; pag. 12, linn. 7-9, 26-29; pag. 13, linn. 15-18; pag. 14, linn. 21-26, 32-40; pag. 15, linn. 12-27, ceteris amandatis ad « Directorium conficiendum » (Bamb).

Pag. 11, lin. 15: loco « gemitum Christi » aptius diceretur « verbum Christi » (Rottb). Linn. 18-20: obscurus modus dicendi (Shoh). Linn. 20-22: melius dicatur: « ut per eorum exemplum potius quam per verba testimonium reddatur Deum omnes homines ad viam salutis hortari et invitare » (Augsb) vel: « ut per eorum exemplum non minus quam per eorum verba... » (Island).

Lin. 26: « coram gentibus » non correspondet textui allato (*Io.* 13, 35), ubi simpliciter legitur: « omnes » (Trev).

Pag. 12, lin. 7: primo loco agitur de fide (Graz), de conversione (Nuflo). Lin. 13: omittatur « liturgice proclamatum » (Rottb). Linn. 14 s.: obscure dictum! (Shoh). Linn. 19 s.: quid significat: « Varii etiam coetus et structurae gradatim instituendae et fovendae erunt »? (Shoh).

Lin. 24: assertio laborat eadem exaggeratione iam supra notata: Novellae Ecclesiae etiam per episcopum exterum in hierarchiam Ecclesiae universalis inseruntur. Deleantur verba: « et eadem... inseratur » (Trev).

Linn. 29-33: effatum celebre S. Cypriani ne verbo quidem insinuat episcopum, cui plebs adunatur, debere esse e propria gente electum. Agitur de eadem exaggeratione ut supra: Communitas christiana etiam per episcopum non ex propria gente ortum efformatur et communioni Ecclesiae inseritur.

Linn. 35 s.: phrasis: « Quae indigentia minime est defectus, sed potius signum propriae vitalitatis... » non est intelligibilis (Rottb) vel inepta mystificatio (SVD). Idem valet de

Pag. 13, linn. 1 s.: « Indigentia... in novellis Ecclesiis eadem non est ac in missionibus in genere ». Nam missiones in genere non indigebant talibus institutionibus uti seminariis, scholis catechistarum etc., secus candidati ex autochthonis fidelibus numquam ad sacerdotium provecti essent (Nuflo).

Linn. 1-12: totus passus discrimen aliquod construit novellas Ecclesias inter et missiones. Textus ita sonat, ac si missiones non starent « in intima communione cum Ecclesia universali » (Nuflo-SVD).

N. 9: deleto textu impresso dicatur: « Missionarii exteri omni vi et studio eo contendant, ut quamprimum in unaquaque missione hierarchia propria constitui valeat atque pastores indigenae populum Dei regant ac pascant. Quod summum fructum coronamque laborum suorum existiment.

Universalis autem Ecclesia Ecclesiaeque particulares novellis hisce Ecclesiis auxilia necessaria praestare debent in omnibus quibus indigent; necesse enim est,

ut in Corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, singula membra membris laborantibus succurrant.

« Pastores vero sollicite contendant, ut variae institutiones condantur, quae ad incrementum et maturitatem novellarum Ecclesiarum promovendum necessariae vel opportunae videntur. Curent igitur erectionem seminariorum... plenitudinem Christi » (pag. 12, lin. 26 ad pag. 13, lin. 4) (Trev).

Pag. 13, lin. 7: « elementa... associare », contrarium dicendum esset: elementa christiana in culturis et religionibus integrare necesse est; Ecclesia sese in culturis incarnare debent (Graz).

Lin. 26: loco « Instituta status perfectionis christianae acquirendae » dicatur « Instituta religiosorum » (Graz-Rottb-Shoh-Trev).

Linn. 32 ss.: divisio inter christianos non causatur solo defectu caritatis, sed et veritatis. Timendum est, ne dissensione in fide « nomen Domini inter gentes blasphemetur » (*Rom.* 2, 24), ita ut praedicatio Evangelii nequeat esse « in testimonium omnibus gentibus » (*Mt.* 24, 14) (Augsb-Graz-Nuflo).

Pag. 14, lin. 5: « a Sancta Sede instituenda » (cf. lin. 37: « sub patrocinio S. Sedis »): quaeritur, utrum hae formulae consentiant aliis decretis conciliaribus (SVD).

Lin. 23: textus allatus (*Phil.* 4, 8 s) non quadrat; nullo modo de culturis gentium agit, sed de moribus christianorum. Dicatur simpliciter: « quaecumque sunt bona et vera ». Cf. constit. concil. *de sacra Liturgia,* n. 37 (Herbip-Nuflo-Rottb-Trev).

Linn. 30 s.: eliminetur textus S. Augustini ad duplicem civitatem, ecclesiasticam nempe et civilem, alludens.

Linn. 32 s.: cautius formuletur, quia non consonat historicae veritati (cf. quaestio rituum popularium in Sinis et alibi) (Graz).

Deleto textu impresso dicatur tantummodo: « Quapropter Ecclesia non intermittit missionarios suos spiritum normasque sanae adaptationis docere easque inculcare ». *Ratio*: quae dicuntur, vera sint oportet; per saecula enim in re missionali recta adaptatio adhibita non est, sed ultimis tantum decenniis hac de re normae a Summis Pontificibus edita sunt (Trev).

Pag. 14, linn. 35-38: agitur de adaptatione in rebus nonnisi externis. Principia adaptationis liturgicae melius delineantur in constit. *de sacra Liturgia,* nn. 37-40, 49, 59, 65, 119, 128 (Trev).

Adaptationem seu *accommodationem* quod attinet, dicendum est eam intellegi solummodo ut methodum paedagogico-psychologicum, non vero concipi theologice ut modum incorporationis veri et boni, quod in religionibus et culturis gentium invenitur (accommodatio incorporativa). Qua de re omnia, quae de adaptatione dicuntur, praerogativam quandam occidentalem sapiunt, ita v. g. quando sermo fit de actuosa in cultu liturgico participatione, « quam missionarii suis fidelibus accommodare curabunt » (pag. 12, lin. 15), vel quando dicitur curandum esse « elementa culturae propriae traditioni Ecclesiae universalis (= latinae?) associare » (cf. pag. 13, lin. 7) (Augsb-Graz).

In sequentibus duabus paragraphis denuo construitur discrimen inter Ecclesias novellas et terras missionum.

Pag. 15, lin. 11: verbo « episcopus » addatur « sive saecularis sive religiosus » (SVD: cf. *A.A.S.,* 1951, p. 28).

Lin. 19: loco « episcopis, sive autochthonis, sive *missionariis* » dicatur rectius « sive exteris » (Shoh-SVD). *Ratio*: 1) Nihil refert ad condicionem ecclesialem, utrum episcopus ex ipsa gente sit ortus an aliunde advenerit. 2) Verbum « missionarius » hoc loco haud recte adhibetur, quia non agitur de episcopis missionariis vel non-missionariis, sed de episcopis ex ipsa gente ortis vel advenis (Trev).

Linn. 23-28: forsan melius esset dicere: « ... vix adhuc applicari possunt. Quare necesse est normas condere, quibus relationes auctoritates inter ecclesiasticam et religiosam ordinentur, auditis episcopis et superioribus religiosis missionariorum ». Vel dici posset: « In statutis autem condendis prae oculis habeatur in missionibus maiorem flexibilitatem necessariam esse eo quod adiuncta pastoralia... » (SVD).

Linn. 30 s.: loco « si in universa Ecclesia sunt perutiles, in missionibus adhuc magis sunt necessariae » melius diceretur: « in universa Ecclesia perutiles, in missionibus plane necessariae sunt » (Augsb).

Pag. 15, linn. 35-38: vix sunt intellegibilia.

Pag. 16, lin. 8: loco « apostolorum » rectius « nuntiorum Evangelii » (Augsb).

Cap. III. Integrum ad « Directorium » postconciliare, de quo supra, amandari potest (Bamb), cum quaestiones tractatae in Encyclicis sat iam enuntiatae (Nuflo).

Pag. 17, linn. 12 s.: proponitur: « Spiritualitas... apprime sit missionaria ». Lin. 15: « conscia vitae gubernatio » modus dicendi non bonus (Shoh). Linn. 16 s.: loco « apostolico more », « apostolorum more ». Lin. 25: eliminetur « etiam ».

Pag. 18, linn. 5 ss.: forsan dicatur et addatur: « in disciplinis eorum apostolatui imprimis proficuis, e. g. in theologia pastorali et liturgica, in scientiis sociologicis, linguisticis, ethnologicis. Viri hoc modo instructi episcopo vel conferentiis episcoporum regionalibus praesto esse possent, ut res urgentes in commissionibus specialibus deliberarent et tractarent ». Desiderandum, ut tales instructi praesto essent et S. C. de Propaganda Fide et Internuntiaturis vel Delegaturis (SVD).

Exc. D. arch. Bambergensis tenet hanc materiam Directorio postconciliari tradendam esse.

Linn. 6 s.: loco « Institutorum Perfectionis » ponatur « Institutorum religiosorum » (Rottb-Shoh-Trev). Linn. 13-17 hic non habent locum, sed econtra ea, quae pag. 21, linn. 21-27 dicuntur, et viceversa (Augsb). Vel deletis linn. 12-17 dicatur: « Item laici, qui... praebere volunt, solida formatione missionali instruantur, antequam hoc opus... ». *Ratio*: non quaevis formatio sufficit, sed talis necessaria est, quae adiutores missionales reapse ad opus missionarium habiles reddat (Trev).

Linn. 27 s.: quid sibi vult: « solidae ecclesiasticae institutioni inserantur etiam programmata in unaquaque regione elaboranda »? (Shoh).

Pag. 19, linn. 1-6: eodem modo corrigantur ut supra ad pag. 18, linn. 6 s. (Trev).

Linn. 15 ss.: dicatur: « formatio christiana apprime sit apostolica congruenti instructione *omni occasione* impertienda ». Lin. 21: loco « conscientia collectiva » melius diceretur « conscientia publica » (Augsb) vel « opinio publica »? Lin. 27: melius « Catechistarum... opera necessaria atque frugifera semper exstitisse... ». Linn. 30 s.: deletis verbis « laudaverunt Summi Pontifices » dicatur « Ecclesia habet » (Trev).

Cap. IV. Etiam constringi potest retentis quoad rem pag. 21, linn. 1-11, 18, 20-26; pag. 22, linn. 8-10, 21-24. Cetera cap. IV ad « Directorium », de quo supra, amandari posse videntur (Bamb).

Proposita « De cooperatione missionaria » nimis generalia et obscura et vix sunt apta, ut renovationem quandam evocent. Relationes inter Instituta missionalia et episcopos in terris tum christianis tum missionum sat iam intricatae manent.

Suadendum est, ut loco auxilii anonymi praestetur adiumentum concretum et distinctum, e. g. patrociniis dioeceses inter patrias et missionum (jumelages). Sed curandum esset, ut et S. Sedi remaneret possibilitas adiuvandi pauperes dioeceses et episcopis concederetur auxilium afferre dioecesi patrocinatae (Luxb).

Praeterea quae dicuntur, in Encyclicis iam sunt pronuntiatae (Nuflo).

Pag. 21, lin. 5: « status sacramentalis », modus dicendi inusitatus (Shoh). Lin. 14: deleatur « et suam » vel dicatur « ut suam » (Shoh). Linn. 28 s. loco « membrorum Institutorum Perfectionis » dicatur « sodalium Institutorum religiosorum » (Rottb). Lin. 30 melius diceretur: « ad perfectionem attingendam tenentur non pro seipsis solis, sed pro totius mundi salute », vel dicatur: « Sodales Institutorum religiosorum, sive votis obstricti sunt sive non, memores sint se vocatos esse non ad propriam tantum salutem assequendam, sed potius ad totius mundi salutem impetrandam et obtinendam. Ideo orationes suas... » (Trev).

Pag. 22, lin. 4: loco « perfectionis » dicatur « religiosa » (Rottb-Trev). Lin. 6: « a pluribus annis »? Non esset verius dicere « a pluribus saeculis »? An agiturne de territoriis, quae termino iuridico « Regiones missionales » vocantur? Deleantur verba « sicut iam a pluribus annis fieri solet » (Trev). Lin. 10: intelligiturne verbo « ordinantur » consecratio ordine presbyteratus an « destinatio quaedam ad »? in ultimo casu melius esset loco « ordinantur » dicere « destinantur ». Lin. 23: cur restrictio ad iuvenes? Lin. 25: deleatur « et ». Lin. 33: inter verba « *Magnum et* sanctissimum » inseratur « sane » (Trev). Lin. 34: tollatur « etiam ». Lin. 39: dicatur distinctius: « Quam sollicitudinem manifestent quosdam ex proprio clero sacerdotes ad terras missionum deputando... ».

Pag. 23, lin. 8: loco « expansio Regni Dei » ex tenore biblico dicendum esset « annuntiatio Regni Dei » (Herbip). Lin. 14: cur haec restrictio ad iuvenes? Lin. 26: « fovendum habent » loco « habere possunt ». Linn. 26 ss.: assertio non valde clara. Forsan dici posset: « De unitate et catholicitate Ecclesiae universalis in propria natione cum respondeant, etiam in bonum evangelizationis gentium, quae primum in sollicitudinibus Ecclesiae locum occupat, collaborare debent » (Augsb). Vel: « ... habent. Non enim de unitate et bono communi Ecclesiae in propria natione iis agendum est, sed et conferre debent ad bonum Ecclesiae universae et ad annuntiandum gentibus Evangelium Dei, quod... occupat » (Trev).

82

CONFERENTIA EPISCOPORUM UMBRIAE

Schema, in suo ordine generali, nimis diffusum videtur; res ab omnibus cognitae nec ab aliquo disputatae saepius repetuntur; e contra, quae ad hodiernum tempus aptissima sunt leviter innuuntur vel penitus omittuntur.

Prooemium: ad perpauca essentialia reduci potest.

Idem dicendum de *cap. I* (nn. 1-6).

Ad cap. II: Quod linn. 23-31 dicitur, etsi magni ponderis sit, omitti potest, cum idem late iteretur n. 11.

Quae n. 8 exponitur (labor missionalis) non ad specificam sed ad communem rem pastoralem spectare videntur, ideoque vel omittenda vel brevius dicenda.

N. 9: pressius exponendum est desiderium Ecclesias missionales ab infantia ad plenam maturitatem esse transeundas ope cleri indigeni, maxime si agatur de populis historia scientia arte clarioribus.

Secunda pars n. 9 (linn. 1-12) ad ordinarium pastorale officium attinet, missionale et non missionale.

Etiam n. 10 putandus esse videtur ut pars ordinarii pastoralis muneris.

N. 11 magis definitus et peculiaris et copiosus esse debet; ibi dignitas culturarum non christianarum affirmanda est; ibique adaptationem missionalem non ut « tolerantiam » proponendam esse putamus.

N. 12, linn. 8-24 inutiles videntur, quia de communi apostolatu agunt; forsitan notari potest harum rerum maior necessitas pro missionibus.

Quod linn. 26-28 dicitur, iustum videtur, idest a competenti Congregatione de Propaganda Fide novas normas esse praebendas; sed notandum videtur ad Concilium pertinere *generalia* praescripta dare.

Ad cap. III. Nn. 14, 15, 16, 17, in breviorem formam cogendi esse videntur, cum de iam notis rebus nec disputatis agant; pauca verba satis erunt etiam in n. 18; inutilis videtur par I, n. 19; e contra, magnam explicationem opportunam putamus in par. II, propter momentum et utilitatem operis laicorum in terra missionali.

In formam valde breviorem *cap. IV* cogendum est; inutile videtur quod linn. 1-21 significatur; e contra dilatandum est argumentum de auxilio laicorum, de quo in linn. 22-27; non enim sufficere videtur laudatio tantum.

In nn. 22, 23, 24 nihil novi dicitur, nec clare intelligitur quod in n. 24 scribitur, de sacerdotibus ad novellas Ecclesias mittendis; sacerdotes sollicitandi sunt? vel eis tantum permittendum est? quo mittendi sunt sacerdotes? quibuscum mittendi? Cum res magni momenti sit, necesse est aliquid amplius dicere.

In schemate deest validum studium ad mundum missionalem fovendum; nulla novitas, sed tantum suetae exhortationes repetuntur.

Nihil agitur de « terra missionali »: non est vere terra missionalis etiam dioecesis sine sacerdotibus, cuius populus ad atheismum properatur?

Opportunum videtur aliquid innuere cum civili potestate.

83

QUIDAM PATRES CONCILIARES

Prooemium. Christus Iesus, humani generis Redemptor, omnes homines in Populum Dei coadunare per Evangelii praedicationem volens,[1] Apostolos primum, et in eis Ecclesiam, ad convocandas omnes gentes misit. Apostoli igitur, Spiritus Sancti plenitudine moti ac roborati, euntes « praedicaverunt ubique »[2] et « genuerunt Ecclesias ».[3] Eodem Spiritu impulsa Ecclesia quoque, omni saeculorum decursu

nuntios misit salutis in mundum universum, per quos Regnum Dei ad omnes populos extenderetur.

Ultimis hisce temporibus divina opitulante gratia missionariorum indefesso labore in multis regionibus novellae Ecclesiae erigi potuerunt et hierarchia ecclesiastica instituta est. Plura quidem adiuncta evangelizationi et novellarum Ecclesiarum incremento favent: itinerum celeritas, instrumentorum socialis communicationis magna vis et potentia, augendae culturae et unitatis desiderium universale, et ipse denique scientiarum progressus, quo excitatae mentes hominum momentum rerum spiritualium pro pace mundi assequenda et firmanda magis attendunt.

Neque tamen obstacula operi missionali desunt. Numerus enim missionariorum nimis exiguus et copia subsidiorum valde insufficiens, materialismi lata diffusio, defectus libertatis religiosae in aliquibus civitatibus, et lugenda christianorum divisio huic operi graviter adversantur. Unde fit ut labor missionarius in non paucis regionibus vix inchoetur, dum in terris quae nomine Christi antiquitus gloriantur fides in Eum ex variis causis de corde multorum denuo evanuit. Huc accedit quod progressus demographicus in maximis nationibus nonnumquam efficit, ut numerus catholicorum, etsi crescit, relative recedat. Insuper opportunitates effundendi Evangelii lumen singulares, quae ex rerum tam politicarum et oeconomicarum quam culturalium et religiosarum universali conversione oriuntur, praevidentur brevi annorum spatio non amplius exstiturae.

Dum haec ita se habent, Ecclesia saeculo post Redemptorem natum vicesimo maeste animadvertit, quam longe a veri nominis universalitate distet, cum pluribus nationibus et communitatibus religiosis non-christianis Evangelium vix illuxerit.

Hodie ergo potissimum, si unquam alias, Dominus exit conducere operarios in vineam suam,[4] ne post progressum mirabilem novellae Ecclesiae penuria operariorum misere pereant. Evangelii praecones Dominus quaerit, quos mittat in messem suam,[5] ne hodierna opportunitate ab Ecclesia praetermissa immensae illae communitates non-christianae lumen divinum frustra exspectent. Unde Ecclesiae Dei ita renovanda est iuventus ac omnium fidelium colligenda et dirigenda auxilia, ut ipsa mater Ecclesia ubique terrarum praesens fiat in signum nationum[6] et in lucem gentium.[7]

Quapropter haec S. Synodus exoptans, ut apostolatus missionarius efficacior reddatur et cooperatio pro missionibus ubique foveatur, praecipit ut normae sapientissimae quas SS. Pontifices[8] de eodem apostolatu missionario decreverunt ab omnibus diligenter explorentur sancteque serventur. Ipsa Synodus, principiis doctrinalibus praemissis, ea tantummodo decernere et declarare sibi proponit, quae in praesens specialem disquisitionem strenuamque actionem exigunt.

---

[1] Cf. *Io.* 11, 52; *Mt.* 28, 19. [2] *Mc.* 16, 20. [3] S. AUGUSTINUS, *Enar. in Ps.* 44, 23: *PL* 36, 508; *CC* 38, 510. [4] Cf. *Mt.* 20, 1. [5] Cf. *Mt.* 9, 38; *Lc* 10, 2. [6] Cf. *Is.* 11, 12. [7] *Is.* 49, 6. [8] BENEDICTUS XV, *Maximum illud,* 1919; PIUS XI, *Rerum Ecclesiae,* 1929; PIUS XII, *Saeculo exeunte,* 1940; *Evangelii praecones,* 1951; *Fidei donum,* 1957; IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum,* 1959.

Caput I: De principiis doctrinalibus.

1. *Mandatum Christi factum Ecclesiae* (N. 2 schematis). « Deus caritas est, in hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum ut vivamus per eum ».[1] Christus vero, Apostolus et Pontifex confessionis nostrae,[2] ut Patris expleret mandatum,[3] « lavit nos a peccatis nostris in

sanguine suo et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo.[4] Exaltatus deinde in gloria, quamvis omnem habeat in caelo et in terra potestatem,[5] noluit tamen Dominus gloriae[6] visibiliter apparere, sed inter homines humiliter voluit permanere sub vultu Ecclesiae suae, ut per ipsam, quasi signum et instrumentum « seu sacramentum », sese omnibus hominibus revelaret, eosque ad seipsum attraheret et ad Patrem in Spiritu reduceret clarificans Patrem et manifestans nomen eius hominibus.[7] Unde Ecclesia, Christi Corpus vivens et crescens, a Spiritu Sancto animatum, ad hoc nata est ut salutem, quam Iesus morte et resurrectione sua operatus est, ad omnes homines extendat « usque ad consummationem saeculi ».[8] Christus enim resuscitatus priusquam abiit ad Patrem ut Spiritum Paraclitum mitteret, in cuius virtute Apostoli testimonium reddere possent « in Ierusalem et in omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae »,[9] sicut Pater miserat Eum[10] ita eos ad praedicandum Evangelium et ad Ecclesiam instituendam atque stabiliendam misit: « Euntes docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis ».[11]

2. *Debitum missionale Ecclesiae* (N. 3 schematis). Itaque Ecclesia omnibus gentibus Evangelium Christi praedicare tenetur, ut omnes ad fidem sine qua impossibile est placere Deo[12] perveniant, et per fidem vitam Christi habeant et abundantius habeant.[13]

Cum autem in Corpore Christi singuli alter alterius membra sint,[14] habentes donationes differentes,[15] unusquisque secundum gratiam Dei, quae data est ipsi,[16] in Evangelio collaborare debet.[17]

Collegium imprimis Episcoporum, cum Romano Pontifice suo Capite, Collegio Apostolorum succedens, munus praedicandi Evangelium[18] et Novas Ecclesias ubique implantandi ab ipso Domino recepit. Singuli autem Episcopi acatholicos in suis dioecesibus degentes commendatos sibi in Domino habent.[19]

In gravi hoc munere obeundo, sicut Apostoli, ita etiam successores eorum, coadiutores sibi arcessire solent quos, segregatos in opus ad quod Spiritus Sanctus adsumpsit eos,[20] et promptos ire « in omnem civitatem et locum »,[21] operarios mittunt in messem Domini.

His missionariis omnes christifideles oratione et opere sedulo assistere debent ipsique pro sua quisque opportunitate et facultate Verbum Dei evangelizare[22] et Dominum Iesum annuntiare,[23] tam verbis et scriptis quam labore et testimonio vitae.

3. *Mysterium Christi annuntiandum* (N. 1 schematis). Ecclesia, nuntians in gentibus sacramentum salutis absconditum a saeculis in Deo,[24] illud Apostoli libenter suum facit: « Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum et hunc crucifixum ».[25] Ipse est « Servus Domini »[26] qui, cum « posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum ».[27] In carne enim manifestatus exinanitione et exaltatione sua,[28] nunc, assumptus in gloria,[29] omnibus gentibus spes gloriae[30] factus est. Quapropter Ecclesia a Christo missa, nullum aliud fundamentum ponit in gentibus nisi Christum,[31] cum « non sit in alio aliquo salus, nec aliud sit nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri ».[32] Ipse solus est praedicandus, ut omnes impleantur in omnem plenitudinem Dei.[33]

4. *Christus, intima exspectatio gentium.* Ecclesia autem testimonium Christi

annuntiat [34] « non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis » [35] nec vi vel coactione,[36] sed « in virtute et in Spiritu Sancto »,[37] ita ut intimam hominis conscientiam attingat sermo Dei vivus et efficax.[38] Sub illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti Deum agnoscere et liberam Deo praestare obedientiam potest homo,[39] cuius Dominus aperit cor intendere his quae praedicantur.[40] Translatis in admirabile lumen veritatis [41] Christi apparet Deus vivus,[42] quem hactenus « promissionis spem non habentes » [43] quaesierunt [44] vel ignorantes coluerunt.[45] « Liberati a peccato » [46] veram tandem libertatem consequentur in Christo Iesu [47] « servire Deo vivo et vero ».[48]

Non tantum singulis hominibus sed populis quoque Ecclesia testificatur hanc veritatem liberatricem,[49] cum Christus sit « exspectatio gentium et Salvator earum »,[50] omniumque recapitulatio.[51] In Eo enim, in quo omnia constant,[52] nationes gentesque et totum genus humanum suam unitatem et veritatem inveniunt, aedificium spirituale constituentes, in quo homines, Christo mirabiliter in Spiritu incorporati, « lapides vivi » [53] esse possint.

5. *Aedificatio Ecclesiae.* Ecclesia igitur, quae est ministra Domini in aedificatione « domus spiritualis » [54] et Corporis Christi,[55] Evangelium praedicat verbis et signis,[56] credentes incorporat Christo per Baptisma, « sacramentum fidei »,[57] per quod membra Christi et de Corpore efficiuntur Ecclesiae; [58] baptizatos denique Spiritu Sancto confirmat ac pane vitae reficit, ut « veritatem facientes in caritate » [59] conformes fiant imaginis Filii Dei.[60]

Quae operatio apostolica Ecclesiae Universalis ad terras, quas dicunt non-christianas nequaquam coarctanda est. Frequentes enim migrationes huius temporis et defectio priorum generationum a fide christiana fecerunt ut distinctio clara et antiquitus accepta inter terras christianas et non-christianas paulatim evanescat.

Tota autem activitas apostolica, quam missionarii Ecclesiae nomine in illis regionibus navant, ubi nomen Christi adhuc ignoratur, eo tendit, ut communitas christiana ex semine Evangelii efflorescens crescat in veram et propriam Ecclesiam novellam, suo Episcopo dotatam, qui Eucharistiae praesideat.[61] Quae novellae Ecclesiae, etiam postquam S. Hierarchia in aliqua regione instituta iam est, in eodem spiritu missionali ab Universali Ecclesia adhuc adiuvandae sunt usquedum, vitae christianae mediis plene instructae, propriis viribus fideles pascere possint et iis qui foris sunt viam salutis efficaciter adnuntiare valeant.[62]

In hoc opere exsequendo Ecclesia semper et ubique caritate urgetur Christi, ut pauperes adiuvet, ignorantes doceat, miseriam sublevet, aegros curet, progressum socialem foveat, et ut per Eam omnibus hominibus appareat benignitas et humanitas Salvatoris Dei.[63]

Cum autem Ecclesia omnia omnibus fieri [64] semper parata sit, atque vim et capacitatem habeat omne quod humanum est, praeter peccatum, assumendi et in Christum transformandi, oportet ut, quaecumque sunt vera, quaecumque sancta, quaecumque amabilia [65] ipsi Christo inserantur. Dum ergo Ecclesiae novellae radices agant in gentibus, culturam antiquitus traditam lumine veritatis divinae collustrabunt, doctrinam vero et vitam christianam novo modo expriment. Tunc Ecclesiae catholicitas manifesta apparebit eo quod in ea unitas numquam offendit diversitatem et diversitas semper fulget in unitate. In ipso praesertim Collegio Episcoporum varietas in Primatus soliditate confirmatur et unitur.

Paulatim denique et ipsae Ecclesiae novellae actuositatis missionalis Ecclesiae

Universalis participes fient, auxilium quod hactenus receperunt vicissim aliis praestare incipientes et ita suo modo totam Ecclesiam locupletantes. Quo extenditur et in effectum reducitur illa communio fidei, caritatis et cultus, quae inter omnes Ecclesias intercedere debet.

6. *Essentia missionaria Ecclesiae recapitulatur.* In illa Ecclesia per Verbum, Baptismum et Eucharistiam continuo sese aedificante, Christus Dominus invisibiliter et spiritualiter adest et operatur, usque ad illum diem, quo redibit ad adimplendam exspectationem suae Ecclesiae et ad novum mundum constituendum tradens regnum Deo et Patri.[66] Dum autem in adventum Domini properat, Ecclesia abstinere nequit quin totis viribus laboret ut Ecclesiae novellae crescant similes grano sinapis, quod « crevit et factum est in arborem magnam »,[67] et ut omnes gentes quae adhuc Christum ignorant Verbum salutis audire possint. Unde missiones, quae ex Ecclesiae natura profluunt, nihil aliud sunt quam operatio qua Ecclesia Corpus Christi visibiliter extendit et perficit. Quare Ecclesia tota est missionaria et tamquam Sponsa Verbi inter gentes Deo servit in Evangelio Filii eius,[68] donec occurrant omnes « in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi ».[69]

---

[1] *1 Io.* 4, 8-9. [2] Cf. *Hebr.* 3, 1. [3] Cf. *Io.* 14, 31. [4] *Apoc.* I, 5-6. [5] Cf. *Mt.* 28, 18. [6] Cf. *1 Cor.* 2, 8. [7] Cf. *Io.* 17,4-6 [8] *Mt.* 28, 20. [9] *Act.* 1, 8. [10] Cf. *Io.* 20, 21. [11] *Mt.* 28, 19-20. [12] Cf. *Hebr.* 11, 6. [13] Cf. *Io.* 10. 10. [14] Cf. *Rom.* 12, 5. [15] Cf. *Rom.* 12, 6. [16] Cf. *1 Cor.* 3, 10. [17] Cf. *Phil.* 1, 27; 4, 3. [18] Cf. *C.I.C.*, can. 1327. [19] Cf. *C.I.C.*, can. 1350, par. 1. [20] Cf. *Act.* 13, 2. [21] *Lc.* 10, 1. [22] Cf. *Act.* 8, 4. [23] Cf. *Act.* 11, 19-21. [24] Cf. *Eph.* 3, 8. [25] *1 Cor.* 2, 2. [26] Cf. *Is.* 42, 1-9; 49, 1-6; 50, 5-11; 52, 13 - 53, 12. [27] *Is.* 53, 10. [28] Cf. *Phil.* 2, 6-11. [29] Cf. *1 Tim.* 3, 16. [30] Cf. *Col.* 1, 27. [31] Cf. *1 Cor.* 3, 11. [32] *Act.* 4, 12. [33] Cf. *Eph.* 3, 19. [34] Cf. *1 Cor.* 2, 1. [35] *1 Cor.* 2, 4. [36] Cf. *C.I.C.*, can. 1351. [37] *1 Thess.* 1, 5. [38] Cf. *Hebr.* 4, 12. [39] Cf. Conc. Araus. II, can. 7: Denz. Ed. 1963, n. 377; citatum a Conc. Vat. I, Sess. III, Const. *Dei Filius*, Cap. 3: Denz. 3010. [40] Cf. *Act.* 16, 14. [41] Cf. *1 Petr.* 2, 9 [42] Cf. *Act.* 14, 14. [43] *Eph.* 2, 12. [44] Cf. *Act.* 17, 27. [45] Cf. *Act.* 17, 23. [46] *Rom.* 7, 18. [47] Cf. *Gal.* 2, 4; *Io.* 8, 36. [48] *1 Thess.* 1, 9. [49] Cf. *Io.* 8, 32. [50] Antiphona maior ad Magnificat, die 23 dec. [51] Cf. *Eph.* 1, 10. [52] Cf. *Col.* 1, 17. [53] *1 Petr.* 2, 5. [54] *1 Petr.* 2, 5. [55] Cf. *Eph.* 2, 21; 4, 12. [56] Cf. *Rom.* 15, 18; *Mc.* 16, 20. [57] Conc. Trid. Sess. VI, Cap. 7: Denz. Ed. 1963, n. 1529. [58] Cf. Conc. Flor., Decr. *pro Armenis*: Denz. n. 1314. [59] *Eph.* 4, 15. [60] Cf. *Rom.* 8, 29. [61] Cf. Ignatius Ant., *Ep. ad Smyr.* 8, 1-2; Paulus Pp. VI, Oratio diei 29 sept. 1963. [62] Cf. *Act.* 16, 17. [63] Cf. *Tit.* 3, 4. [64] Cf. *1 Cor.* 9, 23. [65] Cf. *Phil.* 4, 8. [66] Cf. *1 Cor.* 15, 24. [67] *Lc.* 13, 19; cf. *Mc.* 4, 31. [68] Cf. *Rom.* 1, 9. [69] *Eph.* 4, 13.

Caput II: Rationes generales apostolatus missionalis.

7. Patres Concilii Vaticani II, condicionem hodiernam totius mundi considerantes, tristi animo conspiciunt ingentes fere ubique terrarum multitudines, quae Christum penitus adhuc ignorant vel in periculo imminenti versantur, ne discedendo a Deo vivo « cor malum incredulitatis » [1] acquirant.

Cum isti homines, sive ut asseclae alicuius ex magnis religionibus, sive ut fautores materialismi et atheismi, in magnos et determinatos coetus spiritualiter coalescant, Ecclesia singulos frustra saepe alloqueretur, nisi cum toto coetu dialogum iniret. Ad hunc dialogum instituendum singulae Ecclesiae locales per se solae

non pares sunt; quapropter S. Synodus ardenter exoptat ut communi omnium conamine ab Ecclesia Universali media parentur, quibus huic gravi condicioni apte provideatur.

Qua cura gravissima ad praesens breviter tantummodo memorata,[2] S. Synodus sibi proponit tradere normas quasdam de vita et ratione qua evangelizatio gentium atque novellarum Ecclesiarum aedificatio ordinatius et efficacius praestari possint.

A) *De evangelizatione*: 8. *Praeparatio evangelica.* Satores Verbi Dei[3] imprimis orent ut omnipotens et misericors Deus, cuius sapientia « attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter »,[4] aperiat sibi ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi;[5] exemplo virtutum evangelicarum animos sibi concilient; caritatem, quam Christus dedit discipulis in signum coram gentibus,[6] talem ostendant, ut omnes vel ex vita eorum sentire possint appropinquasse Regnum Dei. Populi evangelizandi linguam et mores assumant et penitus imbuantur vita ac doctrina eius.

Evangelizatio. Viis Domini paratis[7] animisque ad suscipiendum Verbum dispositis,[8] gradatim Evangelium praedicent,[9] tanquam Deo exhortante per eos;[10] annuntient Deum verum[11] et Iesum Christum Dominum Nostrum[12] (cf. supra, Cap. I, N. 3 in textu emendato), ut homines « excitati divina gratia et adiuti »[13] ex corde credentes[14] ad Dominum convertantur[15] (cf. supra, Cap. I, N. 4 in textu emendato) Christoque sincere adhaereant qui est « via et veritas et vita ».[16]

9. *De Catechumenis.* Neoconversi, liturgicis caerimoniis ad catechumenatum admissi, sacris ritibus successivis temporibus celebrandis aptaque instructione[17] et usu vitae christianae[18] profundiorem cognitionem Christi in Ecclesia hauriant clareque dignoscant, quae pro vita sua intellectuali, morali atque sociali ex fide christiana firmiter amplectenda consequantur, ut plene conscii et liberi ad Baptismum accedant.

Catechumeni, quamvis nondum « per Baptismi ianuam »[19] in Ecclesiam sint ingressi, visibiliter tamen ad ipsam pertinent publice profitenda fidem veram ac Baptismi desiderium et, non raro iam iustificati, Domino etiam intime adhaerent virtutibus fidei, spei et caritatis.[20] Statum clare definitum in Ecclesia obtineant ut, conscii, aggregatos se esse cum Populo Dei, viam ad Baptismum ardentius prosequantur, vel, quamvis obstacula Baptismo forsitan obstent, Ecclesiae fidelius dediti promptius pericula relabendi in errorem a se repellant.

10. *Post-Baptismalis ad vitam vere christianam initiatio.* Ii qui iam Christo et Ecclesiae renati sunt, divinum germen nutrire et evolvere ne cessent in communitate fidei, cultus et caritatis: fidem foveant, Dei Verbum sedulo audientes; cultum actuose participent ad normam Constitutionis de S. Liturgia; in caritate denique ambulent continuo fraternae dilectionis in Christo incremento.

Summopere congruenti instructione et exercitatione stimuletur zelus apostolicus fidelium, ut, memores vitam revera christianam necessario esse apostolicam, discant quomodo actuose cooperari debeant evangelizationi et novellarum Ecclesiarum constitutioni.

B) *De novellis Ecclesiis*: 11. *Constitutio Hierarchiae localis.* Necessariis vitae Ecclesiae institutis instructae communitates christianae suam quaeque Hierarchiam localem suosque habeant Episcopos, qui successionem Apostolorum ita suscipiunt, ut mysterium Christi, quod est Ecclesia, in illa regione totum manifestetur. Plebs

enim Episcopo adunata et pastori suo grex adhaerens[21] Ecclesiam vere repraesentat et vitali Ecclesiae Universalis communioni inseritur.

12. *Communio cum Ecclesia Universali promovenda.* Novellae Ecclesiae ad evangelizationem regionis, ad ministerium pastorale, ad institutionem seminariorum, ad disciplinam pastoralem et liturgicam sacerdotum fovendam, ad formationem iuventutis necnon catechistarum et apostolorum laicorum non raro adhuc indigent auxiliis Ecclesiae Universalis. Quae adiumenta totius Corporis Mystici libenter accipiant mutua cum observantia et caritate, ut Evangelium latius praedicetur et Ecclesia quamprimum omnibus Christi donis ubique fulgeat.

Intima ergo permaneat Ecclesiarum novellarum communio cum Ecclesia Universali. Spiritu catholico imbutae elementa culturae propriae traditioni Ecclesiae Universalis adiungant et « mutuo quodam virium effluvio »[22] vitam adaugeant Corporis Mystici.

Normae igitur quas S. Pontifices[23] et haec S. Synodus[24] statuerunt de adaptatione, fidelissime ab omnibus observentur in formatione et vita catechetica, ascetica, liturgica, philosophica, theologica, culturali. Seligantur de clero et de laicis periti culturae localis, ut in sedibus opportune constitutis adaptationis simul et unionis cum Ecclesia Universali studia provehant.[25]

13. *Incrementa vitae Christianae.* § 1. Hierarchia locali semel constituta aedificatio novellarum Ecclesiarum perficiatur profundiore in dies populi christiani formatione ad normas quas Conc. Vat. II de instauranda Ecclesiae vita condidit.[26]

§ 2. Christifideles congregentur et coalescant in varios coetus et associationes, quibus novella Ecclesia et in se firmius consistat et totam societatem humanam spiritu Evangelii perfundat.

Familiarum iugiter crescens virtus vocationes sacerdotales et religiosas abundanter producat, ex quibus quam plurimi omnis gradus ministri assumantur et inserantur vitae religiosae et sacerdotali Ecclesiae.

Ut vita christiana in tota sua plenitudine excolatur, status perfectionis acquirendae sedulo promoveatur, sive per Instituta aliunde introducenda sive per nova condenda. In his Institutis etiam vita contemplativa, quae in nonnullis locis Missionum per antiquam traditionem indoli populorum mire respondet, ultimam suam perfectionem obtinere valet.

§ 3. Christifideles « neque regione, neque sermone, neque vitae institutis a ceteris hominibus sunt distincti ».[27]

Vita tamen vere christiana testimonium fidei Christo reddant coram concivibus, ut ex bonis operibus eos considerantes glorificent Deum in die visitationis[28] et ad Christum attrahantur. Doctrina et activitate concives ad amorem iustitiae, ad fraternam caritatem, ad rectum ordinem socialem melioremque vitae cultum adiuvent.

§ 4. Communi professione fidei in Deum et Iesum Christum coram gentibus atque cooperatione in re tam sociali et technica quam culturali et religiosa catholici fraterne collaborent cum fratribus seiunctis ad normas Constitutionis de Oecumenismo,[29] secluso omni spiritu insanae aemulationis.[30]

C) *De coordinatione apostolatus missionalis*: 14. Cum Episcopis totius mundi, utpote successoribus Apostolorum, ex eorum cooptatione in Collegium Episcoporum munus incumbat, una cum Romano Pontifice, pastore universali totius gregis Christi,[31] et sub eius auctoritate, ubique terrarum fidem promovendi, eiusdem Collegii Episcoporum est apostolatum missionalem Ecclesiae Universae moderari

et dirigere. Quae moderatio fit sive per actus totius Corporis sub Capite in Concilio sollemniter congregati sive per solum Summum Pontificem, qui ut Caput Corpus plene repraesentat.

Romanus Pontifex summam suam potestatem in re missionali moderanda per S. Congregationem Fidei Propagandae exercere solet; quod eo efficacius fiet quo aptius in hoc ecclesiastico Dicasterio partem habent et quasi repraesentantur omnes illi qui in opere missionis collaborant: Episcopi totius orbis necnon Instituta Missionaria quibus apostolatus missionalis et praeparatio apostolorum commissa est. Ex omnibus his speciale Consilium constituatur, statutis temporibus (semel saltem in anno), de actuali condicione operis missionalis deliberaturum, ut proposita in proximo futuro peragenda elaboret; quae proposita a Summo Pontifice approbata ab ipsa Congregatione Fidei Propagandae executioni mandentur. Huic Consilio praesto sit Secretariatus qui, adhibitis viris peritis, cum de condicione locali variarum regionum et de modo cogitandi diversorum coetuum hominum tum de methodo missionali adhibenda opportunas informationes colligat et praestet.

Summi Pontificis ius et officium est, nomine Christi et Ecclesiae, missionarios mittere in universum mundum, sive ut singulas personas sive ut congregatos in Instituta Missionalia, committendo iis regionem aliquam, ubi Evangelium praedicent, vel destinando eos ad coetus determinatos hominum aliam ac christianam vel nullam religionem profitentium, ut eos Christo mancipent.

Episcopus localis hos missionarios in suam dioecesim libenter recipiat, et salva semper eorum peculiari missione canonica a Summo Pontifice accepta, totum apostolatum, cuius ipse in dioecesi est rector et principium unitatis, ita ordinet, ut omnes in eundem finem conspirent, qui est fidelium aedificatio in Christo et eorum qui foris sunt ad Eum conversio. Ad dirigendas relationes inter Ecclesiam localem et Instituta Missionalia et ad promovendum communem sensum atque laborem, S. Sedes pro rerum condicione imponat vel, quantum res sinit, normas Iuris communis vel normas peculiares, mutatis adiunctis tempestive accommodandas. Hodie vero necessitas novae legislationis pro Missionibus praesertim ex eo elucet quod, plurima territoria, antea Institutis missionalibus concredita, iam Clero dioecesano commissa sunt, ita ut normae hucusque vigentes vix adhuc applicari possint.[32]

---

[1] *Hebr.* 3, 12. [2] Cf. Schema 17. [3] Cf. *Lc.* 8, 11. [4] *Sap.* 8, 1. [5] Cf. *Col.* 4, 3. [6] Cf. *Io.* 13, 35. [7] Cf. *Lc.* 1, 76. [8] Cf. *Mc.* 4, 20. [9] Cf. *1 Thess.* 2, 9. [10] Cf. *2 Cor.* 5, 20. [11] Cf. *Act.* 17, 23. [12] Cf. *2 Cor.* 4, 5. [13] Conc. Trid., Sessio VI, Cap. 6: DENZ. Ed. 1963, n. 1526. [14] *Rom.* 6, 17; 11, 10. [15] Cf. *Act.* 9, 35. [16] *Io.* 14, 6. [17] Cf. Const. *de S. Liturgia,* n. 64. [18] Cf. *Io.* 7, 17. [19] Conc. Trid., Sessio XIV, Cap. 2: DENZ. 1671. [20] Cf. Conc. Trid., Sessio VI, Cap. 7: DENZ. 1530. [21] Cf. S. CYPRIANUS, *Ep.* 69, 8: *PL* 4, 406; *CV* (*Ep.* 66) 3, 2, 732. [22] PIUS XII, Nuntius radiophonicus, die Natali 1945 habitus: *A.A.S.*, 1946, p. 20; idem textus affertur a IOANNE XXIII, *Princeps Pastorum*: *A.A.S.*, 1959, p. 838. [23] Cf. PIUS XII, *Summi Pontificatus*: *A.A.S.*, 1939, pp. 428-429; *Evangelii Praecones*: *A.A.S.*, 1951, pp. 521-524; IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum*: *A.A.S.*, 1959, pp. 843-845. [24] Cf. Const. *de S. Liturgia,* nn. 37-40. [25] Cf. IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum*: *A.A.S.*, 1959, p. 845. [26] Cf. Schema *de cura animarum.* [27] *Ep. ad Diognetum,* 5: *PG* 2, 1173. [28] Cf. *1 Pt.* 2, 12. [29] Const. *de Oecum.*, cap. II, n. 10. [30] Cf. *ibidem,* cap. III, n. 17. [31] Cf. *Io.* 21, 15-17. [32] Instructio S.C.P.F., diei 8 decembris 1929, qua relationes inter Ordinarios locorum in Missionibus et Superiores religiosos ordinabantur, hodie in missionibus Institutis missionalibus seu religiosis adhuc commissis forsan adhuc applicari potest; saepe vero novis adiunctis iam non est aptata.

Caput III: De Evangelii praeconibus de eorumque formatione.

Ecclesia ministros Evangelii [1] in vineam Domini mittit ad quoscumque coetus qui ubivis terrarum Christum ignorant (cf. supra, Cap. I, N. 5); gentibus ad quas nondum extenta est visibiliter, propaginem Corporis Mystici inserit, ut ex hoc surculo organa vitae divinae et novella Ecclesia procedant.

A) *De operariis in vinea*: 15. *De operariis ab Ecclesia Universali missis.* Deus, « qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire »,[2] inde a diebus Pauli, gentium Apostoli [3] et doctoris,[4] ipsiusque adiutorum et commilitonum [5] cum eo collaborantium in Evangelio [6] suscitavit et « usque ad consummationem saeculi » [7] suscitabit in Ecclesia missionarios qui se totos dedant evangelizationi gentium et aedificationi Ecclesiae. Hi apostoli Ecclesiarum, evangelizantes pacem, evangelizantes bona, sunt gloria Christi,[8] sal terrae et lux mundi.[9]

Ad huiusmodi ministerium Supremae Auctoritati Ecclesiae praesto sunt impensa voluntate fidelique opera religiosi Ordines et Congregationes necnon Societates Missionariorum muneri missionali unice destinatae.

16. *De operariis ab Ecclesia locali operi missionali deputatis.* § 1. Episcopo, praeter operarios ab Ecclesia Universali missos, operam tribuunt sacerdotes sive dioecesi incardinati sive ad tempus arcessiti. Episcopi pro sua erga alias etiam Ecclesias sollicitudine sacerdotes suos exhortentur aut saltem libenter eis permittant ut, conventione inter Ordinarios respectivos inita, novellis Ecclesiis in tempus plus minusve longum deserviant.

§ 2. Instituta iuris dioecesani, ad opera vitae activae condita, alacriter et strenue ministerio evangelizationis et caritatis incumbant.

§ 3. Catechistae, ab amota Missionum origine, iisdem adiumentum attulerunt singulare prorsus ac necessarium tamquam praestantissimi adiutores missionariorum, eorum participantes labores allevantesque. Pro viribus augeatur eorum numerus ipsique fortiter tolerent laborem, ut munus suum praestantissimum quam aptissime et plenissime gerant ad novas communitates christianas condendas easque prosperandas.[10]

§ 4. Quamprimum ubique selecti christifideles praeparentur qui apostolatum laicorum promoveant ac dirigant, Christi doctrinam ac vitam coetibus etiam excultis proponant ac mentes omnium sensu paulatim forment christiano.

Peculiari laude digni sunt illi laici et coetus laicorum, tam virorum quam mulierum qui, longinquam dioecesim petentes, ibi sub ductu Episcopi artes suas dedunt operi missionali vel spiritu animati evangelico temporalia obeunt officia. Ordinarii locorum sollicite provideant, ut isti adiutores laici pro sua quisque condicione aequam et iustam mercedem percipiant, atque de eorum securitate sociali diligentem curam habeant. Maxime autem nitantur, ut missionarii laici spiritualibus imprimis auxiliis adiuventur et a sacerdotibus corroborentur tamquam fratres et socii laboris.

B) *De formatione « operariorum in vinea ».* Ad fecunditatem apostolatus necessariae sunt diligens apostolorum selectio et apta formatio,[11] ita ut omnes, spiritualiter et intellectualiter ad suum quisque munus praeparati, vitam apostolicam aggredi et persequi possint.

17. *Elementa formationis omnibus communia.* § 1. *Formatio spiritualis.* Quicumque animarum zelo flagrantes vitam apostolicam amplecti cupiunt, instituantur spiritualitate quae apprime sit vere catholica, apostolica, missionalis. Via positiva

et dynamica formentur ad consciam vitae gubernationem ut vocationem missionalem apostolico more in ipso mundo [12] explere possint.

Spectaculum futuri mundo et angelis et hominibus [13] seipsos tamquam boni milites et legati Christi [14] exerceant ad fidem ac pietatem [15] et sese parent ad omnia impendenda [16] et etiam ad animas tradendas [17] pro ovibus.[18]

Abdicatis saecularibus negotiis [19] et relictis omnibus[20] pauperem atque humilem suscipiant vitam, ut victu ac moribus referant vivam imaginem Christi qui propter nos factus est egenus [21] et humilis.[22] Meminerint se omnium servos [23] atque instrumenta gratiae divinae esse debere, Deum vero solum dare incrementum,[24] cum nemo possit ad Filium venire nisi Pater traxerit eum.[25]

§ 2. *Formatio intellectualis.* Qui ad apostolatum vocati sunt, gentis evangelizandae tum patrimonium religiosum et culturale tum etiam linguam et mores ediscant; in magna religionum et culturarum varietate agnoscere studeant Providentiam Dei, qui nusquam « sine testimonio semetipsum reliquit » [26] sed vias ad Evangelium ubique praeparavit.

Idcirco summi momenti est ut sub patrocinio S. Congregationis de Propaganda Fide quidam coetus missionariorum constituantur, qui studiis circa magnas religiones non-christianas enixe dent operam.

Quicumque vero ad apostolatum in iisdem terris ac fratres seiuncti exercendam se praeparant, de quaestionibus et fructibus Oecumenismi rite instruantur.[27]

Praeterea, ut melius et efficacius specialibus muneribus fungi possint, pro bono et progressu diversarum circumscriptionum missionalium, aliqui saltem ex candidatis missionariis peculiari modo praeparentur apud Institutum Missionale Scientificum aut formationem peculiarem consequantur in disciplina vel technica eorum apostolatui proficua.

18. *Quaedam elementa specialia formationis.* § 1. *De formatione laicorum excultorum.* Iuvenes catholici, qui ad superiora in civitate munera contendunt, dum variis scientiis et artibus imbuuntur, pariter recipiant formationem christianam atque apostolicam futuro vitae statui consentaneam.

§ 2. *De formatione catechistarum.* Catechistae quam plurimi in scholis specialibus tum doctrinam catholicam praesertim in re biblica et liturgica tum etiam methodum catecheticam excolant « seque in hominum vere christianorum forment mores » [28] ita ut catechumeni et christifideles ab iis tam Fidei praecepta quam « exercitationem virtutis et incensum sincerumque amorem erga Christum eiusque Ecclesiam » [29] condiscere possint.

§ 3. *De formatione sodalium Institutorum Perfectionis.* Sodales Institutorum Perfectionis vitam regularem cum apostolatu coniungere assuescant sibique persuadeant eo efficientius se Deo posse servire in Evangelio Filii eius [30] quo sanctius regularem proprii Instituti disciplinam observent.

§ 4. *De formatione Cleri dioecesani.* Studiorum curricula in seminariis aptentur gentis evangelizandae necessitatibus, sermoni necnon peculiari sentiendi agendique modo. Alumnorum mentes ita aperiantur et exacuantur, ut recte iudicare valeant illius gentis peculiarem cultum, ad philosophicas praesertim ac theologicas disciplinas quod attineat, et ut perspiciant peculiares rationes quae inter illam christianamque religionem intercedant.[31-32]

Ea opportune explanentur, quae et ad rerum missionalium historiam ac theologiam pertineant et « ad technicam etiam cognitionem earum rerum quae ad futurum illarum regionum Cleri ministerium utilia videantur ».[33]

Proinde studia peragantur, quantum fieri potest, in consuetudine et convictu cum sua cuiusque gente.[34]

Ex alumnis bonae spei seligantur qui post ordinationem sacerdotalem in Universitatibus aliisve Institutis superioribus rerum liturgicarum, pastoralium, socialium, missionalium aliarumque scientiarum sive sacrarum sive profanarum doctrina et peritia instituantur.

---

[1] Cf. *Eph.* 3, 6-7. [2] *1 Tim.* 2, 4. [3] Cf. *Rom.* 11, 13; *Gal.* 1, 15-16. [4] Cf. *1 Tim.* 2, 7. [5] Cf. *Phil.* 2, 25; 4, 3; *Col.* 4, 11; *Rom.* 24. [6] Cf. *Phil.* 4, 3. [7] *Mt.* 28, 20. [8] Cf. *2 Cor.* 8, 23; *Rom.* 10, 15. [9] Cf. *Mt.* 5, 13-14. [10] Cf. IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum*: *A.A.S.*, 1959, p. 855. [11] Cf. Decretum S. Congr. Prop. Fide, 20-5-1923: *A.A.S.*, 1923, pp. 369-372. [12] Cf. *Io.* 17, 15. [13] Cf. *1 Cor.* 4, 9. [14] Cf. *2 Tim.* 2, 3; *2 Cor.* 5, 20. [15] Cf. *1 Tim.* 4, 7. [16] Cf. *2 Cor.* 12, 15. [17] Cf. *1 Thess.* 2, 8. [18] Cf. *Io.* 10, 11. [19] Cf. *2 Tim.* 2, 4. [20] Cf. *Mt.* 19, 27. [21] Cf. *2 Cor.* 8, 9. [22] Cf. *Mt.* 11, 29. [23] Cf. *1 Cor.* 9, 19. [24] Cf. *1 Cor.* 3, 6. [25] Cf. *Io.* 6, 44. [26] *Act.* 14, 17. [27] Cf. Schema *de Oecumenismo,* cap. II, n. 8. [28] IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum*: *A.A.S.*, 1959, p. 855. [29] *Ibidem.* [30] Cf. *Rom.* 1, 9. [31] Cf. IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum*: *A.A.S.*, 1959, pp. 843-844. [32] Normae generales de latinitatis studio promovendo ita pro locorum adiunctis serventur ut debita in disciplinis philosophicis et technologicis institutio nullum detrimentum patiatur. Cf. Ordinationes ad Const. Ap. *Veterum Sapientia,* cap. VIII, par. 2: *A.A.S.*, 1962, p. 362. [33] IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum*: *A.A.S.*, 1959, p. 843. [34] Cf. Decretum S.C.P.F., 20-5-1923: *A.A.S.*, 1923, pp. 369-370.

Caput IV: *De cooperatione missionaria.*

19. Cooperatio totius Populi Dei ministris, qui nomine Ecclesiae operi evangelizationis incumbunt, maximum est incitamentum et subsidium quo carere nequeunt. Missionalis itaque actio, omnium catholicorum munus et honor, sub ductu Summae Ecclesiae Potestatis ubique enixe promoveatur et prudenter coordinetur. Huius autem actionis fundamentum unusquisque ex proprio statu sacramentali habet, et formas eius invenit in propriae vitae condicionibus et adiunctis.

20. *De cooperatione praestanda ab Episcopis.* § 1. Episcopi opus missionale in sua quisque dioecesi suscitent, promoveant, dirigant; Opera missionalia constanti prosequantur adiumento; Instituta missionalia ne sinant carere subsidiis materialibus necessariis ad opus quod pro Ecclesia Universali perficiunt;[1] studiose curent, ut apud pueros et adulescentes in scholis vel in seminariis studiis vacantes vocatio missionaria propagetur; provideant, ut alumni seminariorum condicionem generis humani religiosam discant zeloque evangelizandi totum mundum accendantur; Clerum et populum christianum admoneant, ut officio missionali satisfaciant et subsidia tam spiritualia quam materialia Missionibus et Institutis missionalibus suppeditent.

§ 2. Conferentiae Episcopales cooperationem missionalem propriae regionis coordinent et Clerum ac populum christianum constanter ad curam et adiumentum Missionum sollicitent.

Communi studio et conatu Episcopi curam habeant de iis qui studii vel laboris causa ex terris Missionum in ipsorum dioeceses ad tempus plus minusve longum immigrant, consulta, si opus fuerit, S. Congregatione de Propaganda Fide.

21. *De cooperatione praestanda a Clero.* § 1. Sacerdotes recordentur se peculiari adiuvandi Missiones obligatione teneri, cum personam Christi gerant et coo-

peratores sint Ordinis episcopalis.[2] Officium igitur divinum iugiter persolvant Missaeque Sacrificium offerant « pro totius mundi salute »; [3] sine intermissione orent et laborent, ut Corpus Christi Mysticum ubique crescat et ad plenitudinem perveniat.

§ 2. Sacerdotes, qui sive in paroeciis sive in scholis sive in associationibus apostolatus laicorum curam animarum habent, christifideles, praesertim adulescentes, ad zelum pro evangelizatione gentium excitent eosque admoneant zelum missionarium essentialiter ad vitam vere christianam pertinere; summo etiam studio curent ut vocationes missionariae quam plurimae oriantur et foveantur.

22. *De cooperatione danda ab Institutis perfectionis.* Sodales Institutorum perfectionis, memores sanctitatem sibi appetendam esse pro totius mundi salute, orationes suas et sacrificia vivificent spiritu missionali. Dominum messis ne cessent rogare, « ut mittat operarios in messem suam » [4] et augeat incrementa frugum eorum.[5]

Ii, qui vitam ducunt activam, zelum missionalem verbo et exemplo in omnes effundere conentur; ii autem qui in solitudine claustrorum vitae contemplativae se dedunt, meminerint innumerorum hominum salutem a suo pendere sanctitatis studio.

23. *De cooperatione praestanda ab omnibus fidelibus.* Universi omnes, « quicumque magno Dei miserentis munere, verae sunt Fidei compotes et innumerabilia, quae inde manant, beneficia participant » [6] attendant « quam sancta teneantur lege sacris ad infideles Missionibus opitulandi ».[7] « Suas in earum bonum industrias multiplicent, enixas Deo preces indesinenter adhibeant, ad missionalium munera vocatos adiuvent, eis necessaria auxilia pro viribus suppeditando ».[8]

Gratiam Christi, quam per Baptismum acceperunt et per Confirmationem auxerunt, vitae liturgicae actuosa participatione constanter alant et activitate sua omnibus manifestent; caritas Christi urgeat eos « aestimantes hoc quoniam pro omnibus mortuus est Christus ut et qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit ».[9]

Opera missionalia, praesertim Pontificalia, quae iure primum locum obtinent, strenue adiuventur ab omnibus.

Christifideles omni cura caritatem et exemplum vitae christianae ostendant iis, qui ex missionibus immigrant studii vel laboris causa, ne scandalis repulsi Fidem repudient.

Familiae christianae a Deo postulent, ut in suo sinu suscitet vocationes missionales, easque maximum Dei beneficium existiment.

Periti rerum historicarum vel culturalium promoveant cognitionem populorum ac religionum, ut Ecclesiae facilior pateat accessus ad populos vel coetus religiosos non-christianos.

Christifideles subsidia oeconomico-socialia liberaliter praebeant nationibus quae in rebus oeconomicis sunt minus auctae. Ne tamen obliviscantur populos imprimis indigere adiumentis Ecclesiae spiritualibus, ut supra progressum humanum ad vitam evehantur divinam.

---

[1] Dolendum prorsus est quod tot missionarii immo episcopi ianuas nonnumquam obstructas pulsare et laboriose mendicari coguntur, ut persequi possint opus quod ad totum Populum Dei pertineat. Sic mendicando absumitur nimium tempus quod ad evangelizationem et aedificationem Ecclesiae conferri oportet. [2] Cf. *Pontificale Rom.,* Ord. Presb.

[3] *Ordo Missae* ad oblationem calicis; cf. Const. *de S. Liturgia,* n. 83. [4] *Mt.* 9, 38. [5] Cf. 2 *Cor.* 9, 10. [6] BENEDICTUS XV, *Maximum illud*: *A.A.S.,* 1919, p. 451. [7] *Ibidem.* [8] PIUS XII, *Evangelii Praecones*: *A.A.S.,* 1951, p. 526; ex epistula ad card. Fumasoni-Biondi, 9-8-1950 data: *A.A.S.,* 1950, p. 527. [9] 2 *Cor.* 5, 14-15.

Rationes emendationum.

N.B. In textu emendato et in rationibus emendationum haec attendantur: *Schema de Missionibus,* Typis Polyglottis Vat. MCMLXIV; textus emendatus *Schema de Missionibus,* quod proponimus.

I. *De generali via emendandi textum. Schema de Missionibus* est fundamentum textus nostri emendati. Ordinem capitum et plurima elementa optima retinemus. Ad illustrandam similitudinem inter Schema et Textum emendatum *in Cap. I* titulo numerorum affigitur numerus respectivus schematis (ubi nullus affigitur numerus, idem est numerus Schematis ac noster »; *in Capp. II, III, IV,* in quibus plures numeri vel partes numerorum transponuntur, numeri respectivi Schematis dividuntur in *paragraphos* (*alinea*) *a, b, c, d, etc.,* ut facilius locus respectivus Schematis inveniri possit.

II. *De rationibus emendationum generalibus.* A) Aliquando introducimus *ordinem* qui melior et clarior nobis esse videtur (cf. Cap. I). E capite II ad Cap. III relegantur quaecumque pertinent ad eos qui per se incumbunt evangelizationi et aedificationi novellarum Ecclesiarum, dum caput II ad ipsam evangelizationem, ad novellas Ecclesias, necnon ad coordinationem apostolatus missionalis spectat.

B) Pluries introductae sunt quaedam ideae quae in Schemate non satis aperte exprimuntur ut sunt: *evangelizatio et Ecclesiae novellae* (loco « Missionum » quae ideam praesertim territorialem saepe insinuant); *magni coetus religiosi* (cogitari potest de buddhismo, hinduismo, islamismo, etc.), qui in mundo plurimum valent; *missio canonica* ad evangelizandos determinatos coetus religiosos.

Quae ideae magnum momentum habent, ut apostolatus ad condicionem rerum praesentem accommodetur.

C) Quoad facultas fert, *vitatur distinctio* inter sacerdotes vel episcopos « autochthones » et « exteros », inter « territoria Missionum » et « territoria sic dicta christiana ». Incrementa Ecclesiae terminis theologicis (ut sunt Ecclesia Universalis, Ecclesia localis, Episcopus localis, operarii ab Ecclesia Universali missi, operarii ab Ecclesia locali operi missionali deputati) describuntur nulla ratione stirpis vel originis habita. Ubi fieri potest (ex. gr. in Cap. IV), res ita exponitur, ut clare pateat de *Universa Ecclesia* sermonem fieri.

D) *Locos in Schemate allatos* recognovimus et pro facultate correximus (sit venia mendis quae forte irrepserint in textum emendatum!).

Ita *in Prooemio Schematis,* in nota (3) S. AUG., *Enarr. in Ps.* 44, 25 revera est *En. in Ps.* 44, 23. *In Cap. II,* in nota (11) Schematis, addidimus « cf. » cum textus S. Cypriani sit: « plebs *sacerdoti* adunata... »; locus affertur ad sensum, cum in contextu sacerdos sit episcopus. In Cap. II, in nota (30) Schematis affertur S. AUGUSTINUS, *De Civitate Dei,* XX, c. 13; textus autem revera est *De Civitate Dei,* XIX, cap. 17. *Ibidem,* in nota (31) legimus Cf. *Collectanea* I, 135: II, 1344, 1928; invenimus primum locum tantum; ceteri errore typographico corrupti sunt; attulimus pro eis litteras Encyclicas Summorum Pontificum. In Cap. II, in nota

(29) Schematis legimus « *Ed. ad Diognetum, 5* »; textum Schematis fideliorem reddidimus veritati Graecae.

Quosdam locos parum determinatos subtraximus. Sic in Prooemio Schematis, in nota (4) non potuimus invenire textum Ioannis XXIII, *Humanae Salutis.* In Cap. I nota 34 (S. AUGUSTINUS, *Confessiones*) est nimis indeterminata.

III. *De rationibus emendationum particularibus.* A) *De prooemio*: 1) Elementa faventia operi missionali anteponuntur obstaculis (paragraphi 2 et 3 textus emendati).

2) Ea quae per se manifesta esse videntur, subtrahuntur (e. g. pag. 5, lin. 16: instrumentorum socialis communicationis *etiam ad bonum procurandum* magna vis et potentia).

3) *Nova* est mentio (paragraphus 3 textus emendati) de defectu fidei in terris antiquitus christianis, de defectu libertatis religiosae in aliquibus civitatibus, de progressu demographici (e. g. in Sinis, in India, in Indonesia, in Iaponia). Nova etiam est exhortatio urgens (paragraphus 5 textus emendati) ad opus missionale et accuratior definitio scopi et methodi Schematis (paragraphus 6).

B. *De cap. I*: *De principiis doctrinalibus*: 1) *Ordo* novus clarior esse videtur: a missione Christi et a mandato, quod dedit Apostolis (N. 1), ad debitum Ecclesiae, quod inde oritur, procedimus (N. 2). Deinde mysterium annuntiandum delineatur (N. 3) et ostenditur quomodo Evangelium expectationi gentium respondeat (N. 4). Tum aedificatio Ecclesiae describitur (N. 5). Postremo caput recapitulatur (N. 6).

2) *In N. 1* (= N. 2 Schematis) textus emendatus tendit ad mandatum Domini (*Mt.* 28, 19-20) quod, utpote cardo capitis, integrum affertur ad litteram.

In N. 2 (= N. 3 Schematis) titulus mutatur, quia « necessitas », quae dicitur tam de obligatione morali quam de condicione rerum obiectiva, est ambigua.

N. 3 (= N. 1 Schematis) est brevior, quia quaedam elementa numeri 1 Schematis in Numero 1 textus emendati relicta sunt.

In N. 4 (= N. 4 Schematis) multa elementa e Schemate desumuntur. Titulus tamen mutatur, ut clarior fiat idea principalis ad quam omnia tendunt: Mysterium, quod mediis supernaturalibus annuntiari debet, respondet intimis tam singulorum quam populorum aspirationibus. Textus S. Scripturae, qui minus litterales vel disputabiles sunt supprimuntur: ita de *Gen.* 49, 10 disputatur inter doctores; sensus *Rom.* 8, 19 in contextu est activus, in Schemate autem (p. 8, linn. 23-24) passivus. Ideae theologicae quae subiacent primae sententiae Schematis (p. 8, linn. 10-14) nec clarae sunt nec ab omnibus admittuntur. Textus novi S. Scripturae adhibentur vel ad litteram vel ad sensum, qui sensui originali respondet.

In N. 5 (= N. 5 Schematis) ordo clarior fit:

5 a: de Baptismate, ianua ad Ecclesiam, simul et aliis Sacramentis initiationis christianae.

5 b: de Missione, quae non tam e territorio quam e condicione gentis religiosa existimanda est.

5 c: de fine ad quem tendit activitas apostolica.

5 d: de ministeriis socialibus quae maximum momentum habent ad manife standam caritatem Christi. Immo non raro sunt unica via evangelizationis.

5 e: de adaptationis necessitate et vi.

5 f: de novellis Ecclesiis quae missionariae esse totamque locupletare Ecclesiam debent.

In N. 6 (= N. 6 Schematis) textus parum mutatur. *Rom.* 15, 16 propter obscuritatem omittitur.

C. *De cap. II*: *Rationes generales apostolatus missionalis*: 1) Ordo Capitis paulum mutatur translatis ad Cap. III iis quae in Cap. II Schematis (N. 7 a, c, d, inde a « Gentis evangelizandae ») ad Evangelii praecones pertinent.

2) *N. 7* introducitur ut omnium animi ad statum rerum gravissimum convertantur et media ab Ecclesia Universali parentur quibus huic condicioni provideatur.

In N. 8 (= N. 7 c, d; 8 a Schematis) praeparatio evangelica (oratio, exemplum, adaptatio ad gentem evangelizandam) fusius explanatur; deinde evangelizationis et conversionis elementa essentialia tanguntur.

N. 9 (= N. 8 b Schematis): vehementer exoptandum est, ut status peculiaris catechumenorum a Concilio clare definiatur. Quot enim catechumeni Ecclesiae fideliter adhaesissent, si statum in Ecclesia definitum obtinuissent! Sentientes se esse quasi oves relictas et desertas ab Ecclesia ad Protestantismum vel ad Islamismum transierunt vel in veterem errorem relapsi sunt. Textus emendatus enumerat praecipua status catechumenorum elementa (professionem publicam fidei ac desiderii Baptismi, conversionem intimam ad Christum). Status eorum ita definiatur, ut sese ad Ecclesiam pertinere sentiant.

In N. 10 (= N. 8 c Schematis) inutile est repetere ea quae continentur in Const. de S. Liturgia. E numero 8 c Schematis quaedam elementa ad vitam novellarum Ecclesiarum (N. 13 textus emendati) transponuntur. Urgenda tamen est inde a Baptismo obligatio apostolica neophytorum.

In N. 11 (= N. 9 a Schematis) loco Hierarchiae autochthonis de Hierarchia locali consulto loquimur, ut stirpem et colorem ab Ecclesia transcendi appareat.

N. 12 (= N. 9 b, c Schematis) relationes, quae intercedunt inter Ecclesiam Universalem et Ecclesias novellas, delineat.

Ad N. 12 a e numero 9 b Schematis transferimus indigentiam quam patitur Ecclesia novella. Inde obligatio accipiendi auxilia Ecclesiae Universalis oritur. De obligatione adiuvandi novellas Ecclesias, quae Ecclesiae Universali incumbit, tractamus in Capite IV: De Cooperatione Missionaria.

N. 12 b (= N. 9 c Schematis): De communione inter omnes Ecclesias.

N. 12 c (= N. 11 Schematis): de adaptatione, de qua breviter tantum loquimur. Impossibile omnino est in Schemate Conciliari principia huius rei solide exponere. Lectorem igitur ad documenta Pontificia remittimus. De adaptatione vide etiam ea quae dicuntur de formatione Evangelii praeconum in Cap. III (N. 17 par. 2; 18 par. 4).

N. 13 (= N. 10 Schematis) complectitur solummodo ea quae peculiarem curam exigere videntur. Principia de cura animarum generalia non sunt repetenda in Schemate de Missionibus. E numeris 8 a et 11 d Schematis ad hunc numerum transferuntur ea quae ad incrementa vitae christianae pertinent. *Nova* tandem est mentio de Oecumenismo (N. 13 par. 4), ut urgeatur necessitas Oecumenismi in Missionibus.

N. 14 (N. 12 Schematis): ordo huius numeri inversus est ut clarius appareat apostolatum missionalem imprimis ad Ecclesiam Universalem pertinere, et secundo tantum loco ad Ecclesiam localem.

N. 14 a (cf. N. 24 a Schematis): quia ipsi Apostoli a Domino mandatum acceperunt totum mundum evangelizandi, successoribus eorum tum obligatio tum potestas incumbit hanc evangelizationem provehendi et moderandi. Firmiter tamen

statuendum est hanc potestatem ad Collegium Episcoporum et Summum Pontificem, non ad singulos Episcopos pertinere, nisi in quantum agatur de opere missionali in uniuscuiusque propria dioecesi. Haec summa potestas primum et fundamentale principium omnis coordinationis apostolatus esse videtur.

N. 14 b: ne tamen exercitum summae potestatis in sterilem quemdam « centralismum » degeneret, cum Schemate (N. 12 e) larga repraesentatio omium quorum interest in S. Congregatione de Propaganda Fide omnino opportuna habetur. Eadem vero Congregatio aptum instrumentum sit in manibus Summi Pontificis non tantum ad aliorum incoepta prudenter coordinanda sed imprimis ad opus missionale efficaciter promovendum et dirigendum.

N. 14 c: mittat revera per S. Congregationem de Prop. Fide ipse Summus Pontifex vel cum eo totum Collegium Episcoporum operarios *suos* in vineam. Haec *missio canonica* spectare potest regionem evangelizandam vel coetus determinatos hominum aliam ac christianam vel nullam religionem profitentium.

N. 14 d: cum Schemate (N. 12 a) libenter agnoscitur plena auctoritas Episcoporum totum apostolatum in eorum dioecesibus moderandi, sed statuitur hanc auctoritatem non esse absolutam. In exercitio potestatis Episcopus rationem habere tenetur eorum quae a Summo Pontifice in re missionali statuantur. Sicut *missio canonica* a Summo Pontifice missionariis danda pro efficaci evangelizatione totius mundi omnino est necessaria, ita requiritur ut haec missio a singulis Episcopis, in quorum dioeceses isti missionarii mittuntur, plene agnoscatur et quoad eius exercitium nullo modo impediatur. Hoc in Schemate non satis clare dici videtur. Quae autem de *Conferentiis Episcoporum* (N. 12 c, d Schematis) statuuntur, potius ad praxim quam ad principia pertinere videntur; quapropter in hoc contextu fortasse melius omittantur. De cetero exspectandum est, quaenam potestas his Conferentiis in Schemate *de Ecclesia,* ad quod haec materia pertinere videtur, tribuatur.

Principia solummodo tanguntur quod attinet ad *normas* quibus dirigendae sunt *relationes inter Ecclesiam localem et Instituta Missionalia.* Optandum est ut Ius commune, omissis regulis nimis peculiaribus, vere fiat toti Ecclesiae commune ita ut ubique terrarum applicari possit. Ipsum etiam Ius commune provideat de *Missione canonica* ad evangelizandas regiones vel coetus religiosos determinatos. Interim huiusmodi normae mutatis adiunctis tempestive accommodentur et revera imponantur, ne opus missionale detrimentum capiat, si nec lex communis nec normae peculiares observentur. Ubique iam commode fieri potest, Ius commune imponatur.

D. *De cap. III*: *De Evangelii praeconibus de eorumque formatione.* 1) Caput ita ordinatur ut Evangelii praecones enumerentur eorumque formatio describatur: A) De Operariis in Vinea; B) De Formatione « Operariorum in Vinea ».

Cap. III, ad quod nonnulla elementa e Capite Schematis transferuntur, longius est quam in Schemate. Vitatur, quantum fieri potest, distinctio inter Missionarios exteros et Missionarios locales (cf. *supra,* Rationes emendationum II, C). Pauca tamen (N. 16, par. 3; N. 18, par. 1, 2, 4) adducuntur, quae ad Missionarios autochthones pertinent peculiariter.

2) *In praefatiuncula* agitur de fine quem Missionarii persequuntur.

A) *De Operariis in Vinea*: *N. 15*: In luce ponitur vocatio apostolica specialis eorum Missionariorum qui *ab Ecclesia Universali* mittuntur, ut munus peculiare

et necessarium impleant. Plura *de eorum missione canonica* exponuntur in rationibus emendationum ad N. 14.

N. 16: enumerantur ii qui *ab Ecclesia locali* ad opus missionale deputantur.

N. 16 paragraphus 1 (N. 24 c Schematis): notandum est sacerdotes, qui ad tempus novellis Ecclesiis deserviunt, nisi agatur de operibus specialibus, post aliquos tantum annos munere pastorali perfecte fungi posse. Mittantur ergo ad tempus satis longum, ne vixdum formati in patriam redeant. Episcopus autem, qui plures sacerdotes mittere vult, conventionem cum Ordinario loci respectivo ad longius tempus ineat, ut labor eorum firmius et stabilius ordinari possit.

N. 16 par. 2: de Institutis *iuris dioecesani,* quia Instituta Iuris pontificii in numero 15 memorantur.

N. 16 par. 3 (= N. 20 a Schematis): de munere praestantissimo catechistarum. De formatione catechistarum (N. 20 b Schematis) cf. N. 18 par. 2, textus emendati.

N. 16 par. 4 (= N. 16 b; 21 d Schematis): praeter auxilia spiritualia sustentatio materialis memoratur.

B) *De Formatione « Operariorum in Vinea »*: Primo pauca dicuntur de necessitate selectionis aptaeque formationis (cf. N. 15; 16 b; 18 b, c Schematis).

N. 17: de elementis formationis quae sunt communia omnibus qui operi missionali incumbunt.

N. 17 par. 1 (= N. 7 c; 13 a, b Schematis): ea solummodo exponuntur quae ad formationem apostolicam et virtutes missionales peculiariter spectant.

N. 17 par. 2 (= N. 7 d; 14 b Schematis): quod ad formationem intellectualem attinet, cognitio gentis evangelizandae et Oecumenismi urgetur. Valde optandum esse videtur, ut coetus peritorum sub patrocinio S. Congregationis de Prop. Fide constituatur ad studium magnarum religionum non-christianarum.

N. 18: de quibusdam elementis specialibus formationis.

N. 18 par. 1 (N. 19 b Schematis): summopere interest laicos excultos doctrina et vita christiana penitus imbui.

N. 18 par. 2 (N. 20 b Schematis): de catechistis in scholis specialibus instituendis. De munere catechistarum, cf. N. 16 par. 3 textus emendati.

N. 18 par. 3: textus additur novus de coniungendis apostolatu et vita regulari in Institutis perfectionis.

N. 18 par. 4 (= N. 17 b, c Schematis): de formatione Cleri dioecesani, praesertim de necessitate accommodandi formationem ad gentem evangelizandam. In nota (32) de Ordinationibus ad Const. Ap. « Veterum Sapientia » sermo fit; S. Congr. de Prop. Fide curet, ut normae de studio latinitatis sine detrimento disciplinarum philosophicarum ac theologicarum necnon adaptationis serventur. Periculum est ne, disciplinis nimis multiplicatis, vocationes et institutio sacerdotum essentialis detrimentum patiantur. Dum alumni ad sacerdotium se praeparant, studium in seminario propriae regionis praeferendum esse videtur, ita ut alumni gentem suam penitus cognoscere possint. Studia tamen specialia post Ordinationem sacerdotalem extra patriam fieri possunt.

Haec afferri possunt argumenta contra longa studia extera ante ordinationem sacerdotalem:

a) Periculum est ne alumni a sua gente alienentur culturamque eius partim amittant.

b) Professores exteri non semper ea utuntur ratione docendi, quae his alumnis est accommodata.

c) Difficultates gravissimae oriri possunt in animarum moderamine et in solutione quaestionis de vocatione.

d) Periculum est ne quidam sacerdotes, in Europa formati, ad stationes minores in pagis sitas mitti nolint.

E. *De Cap. IV*: *De cooperatione missionaria*: 1) In Cap. IV, inverso ordine Schematis, ordinem nostri numeri 14 sequimur. Obligatione universali cooperationis praemissa (N. 19), de cooperatione Episcoporum (N. 20), Cleri (N. 21), Institutorum perfectionis (N. 22), postremo omnium fidelium (N. 23) tractamus. Caput brevius est quam in Schemate cum ea, quae ad ipsos « operarios in vinea » pertinent, ad Cap. III translata sunt.

2) *N. 19* (= Schema p. 21, linn. 1-6): totus Populus Dei *sub ductu Summae Ecclesiae Potestatis* (cf. supra, N. 14) Missionibus cooperari debet.

N. 20 (N. 24, 25 Schematis): de cooperatione praestanda ab Episcopis sive singulis (paragraphus 1) sive in Conferentias Episcopales congregatis (paragr. 2).

N. 20 par. 1 (= N. 24 d Schematis): cooperatio missionaria praesertim ab Episcopo pendet. Singillatim exsequimur praecipuas cooperationis partes de quibus Episcopus providere debet ita ut Missionibus et Institutis missionalibus subsidia tam spiritualia quam materialia suppeditentur. Quae obligatio non est coarctanda ad incoepta dioecesana (ut sunt missio aliquorum sacerdotum ad tempus plus minusve longum et subsidia certae Ecclesiae locali subministrata), sed imprimis ad Opera et Instituta Ecclesiae Universalis spectare debet, ne instrumenta Ecclesiae Universalis vocationibus vel pecunia careant.

N. 20 par. 2 (= N. 25 a, b Schematis): coordinatio cooperationis missionariae in tota natione plurimum valet ad stimulandum zelum missionalem et ad augenda subsidia. Curam de iis, qui ex terris Missionum immigrant, e N. 24 f Schematis huc transtulimus, quia ad hanc quaestionem solvendam omnes nationis Episcopi conspirare debent. Immo, propter frequentes ex alia ad aliam nationem commigrationes, coordinatio quaedam internationalis sub patrocinio S. Congregationis de Propaganda Fide optanda esse videtur.

De N. 24 a, b Schematis, cf. N. 14 textus emendati. De N. 24 c Schematis, cf. N. 16 paragraphus 1 textus emendati. De N. 24 e Schematis, cf. N. 23 textus emendati.

N. 21 (= N. 23 Schematis): sacerdotes precibus (par. 1) et ministerio pastorali (par. 2) Missionibus cooperari possunt et debent.

De N. 23 c Schematis, cf. N. 20 par. 1 textus emendati (Episcopi enim est de seminario providere).

N. 22 (= N. 22 Schematis): de *cooperatione missionaria* ab Institutis perfectionis danda. De N. 22 b, c Schematis, cf. N. 15-16 textus emendati.

N. 23 (= N. 21 Schematis): post principia generalia eae cooperationis missionariae formae enumerantur quae ad praesens maioris momenti sunt. Mentionem subsidiorum oeconomico-socialium (cf. N. 24 e Schematis) ad finem nostri numeri 23 transponimus admonentes christifideles ne populos adiumentis imprimis spiritualibus indigere obliviscantur.

[*Subscripserunt*] Van Valenberg T., ep. tit. Combensis; Vill. Van Bekkum, ep. Ruteng; H. Systermans, SS. CC.; C. Heiligers, S.M.M.; G. Lalande, C.S.C.; W. Dufault, A.A.; J. Van Kerckhoven, M.S.C.; A. Dutil, M.S.; L. Volker, P. A.; H. Mondé, S.M.A.

III

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA PROPOSITIONUM DE ACTIVITATE MISSIONALI ECCLESIAE ANTE DISCEPTATIONEM IN AULA

1

EM.MUS P. D. PETRUS TATSUO CARD. DOI
Archiepiscopus Tokiensis

1. In pag. 8, lin. 35: post « habeantur » addatur: « *quae tamen stadia* secundum diversitatem singulorum et populorum vario modo in concreto verificantur ». *Ratio*: diversitates culturae et formationis intellectualis et ipsius indolis excludunt ut unum schema pro omnibus statuatur.

2. In pag. 9, lin. 11: omittatur vox « conversi » et incipiatur simpliciter: « De pondere conversionis... ». *Ratio*: definiri nequit tempus conversionis neque excludi possunt a catechismo omnes qui non ostendunt signa clara talis conversionis, si sincere petunt instructionem catecheticam.

Cum consensu omnium episcoporum Japoniae quoad 1. Cum consensu omnium episcoporum Japoniae, uno solo excepto, quoad 2.

2

EM.MUS P. D. CLEMENS CARD. MICARA
Episcopus Veliternus

N. 1, pag. 8, linn. 5-9. Omnes, si rectae conscientiae praecepta servaverint, aeternam salutem assequi posse dicuntur, at Dei voluntas est homines iustificationem et salutem adipisci « per fidem et sacramenta ».

In primis, ergo, citatae affirmationi subesse videtur opinio perviae iustificationis salutisque aeternae sine fide (aeque ac sine sacramentis), dum sine fide impossibile est placere Deo (*Hebr.* 11, 6) et fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis (DENZ. 801).

Dein eadem affirmatio, immo integrum schema, illud efferri negligit, aeternam scilicet salutem etiam sine Ecclesiae praedicatione et sacramentis, capi quidem posse, at sine comparatione difficilius. Memoriae revocamus Pium XII, in Enc. *Mystici Corporis,* omnes qui sunt extra Ecclesiam catholicam rogare « ut ab eo statu se eripere studeant, in quo de sempiterna cuiusque propria salute securi esse non possunt; quandoquidem etiam si inscio quodam desiderio ac voto ad mysticum Redemptoris corpus ordinantur, tot tamen tantisque caelestibus muneribus adiumentis carent, quibus in catholica solummodo Ecclesia frui licet » (DENZ. 3821).

Si quis dicere omittat quanti valeat apostolicus labor pro animarum salute,

missionalium et fidelium zelum ad regnum Dei dilatandum quam maxime extenuat.

N. 3, pag. 9, linn. 22-26. Iterum ostenditur fides minus haberi in oeconomia salutis quasi iustificationem adipisci quis possit solum caritatis opera exercens, cum caritas iustificans sine fide esse non possit.

N. 5, pag. 10, linn. 8-9. Episcopi cum certitudine dicuntur pro totius mundi, prius quam pro suae cuiusque dioecesis, salute consecrari.

Talis affirmatio nititur theoria collegialitatis eamque ut probatam recipit.

3

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI
Archiepiscopus Ianuensis

Art. 1, pag. 8, linn. 5-7. Textus potest bene intelligi, sed uti edicitur, posset male intelligi, cum damno scil. veritatis de fide tenendae, circa « Necessitatem » Ecclesiae. Generaliori et tutiori modo ita textum reducerem: « Etsi ergo Ecclesia semper tenuerit Deum voluisse omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, atque omnibus gratiam sufficientem praeberi ut salvi fiant, nihilominus... ».

Art. 2, pag. 8, linn. 11-14. Textus hoc modo proponerem: « Episcopi totius mundi, non uti singuli, sed per Romanum Pontificem in unitatem redacti, cum eo et sub eius auctoritate, munus habent etc. ... ». *Ratio* propositae mutationis est duplex: *a*) in textu uti iacet, posset aliquis videre vel inde deducere, quod cum veritate Primatus Romani Pontificis non congruit; *b*) quis posset forsan deducere quandam potestatem universalem singulis episcopis collatam et inde essent confusiones innumerae.

Textus conciliaris non potest ansam dare interpretationibus deterioribus.

Art. 5, pag. 10, linn. 8-9. Quod asseritur est verum tantummodo sub aspectu, qui aspectus in textu cum non declaretur, ipse textus fit deterior. Quod dicitur praeterea multos culpabiles facit, qui tuta conscientia prius cogitant de sua Ecclesia, deinde de Ecclesiis aliorum.

4

EXC.MUS P. D. IOSEPH AMIHARE ESSUAH
Episcopus Kumasiensis

Gratias praeprimis exprimere volo commissioni conciliari pro mutatione bene acceptabili tituli huius schematis. Cum exemplar « Schematis de missionibus » accepi, mihi videbatur quod « missiones » aliam Ecclesiam designabant: nunc autem, mutato titulo, mihi clarum est « missiones » nihil aliud designare nisi opus missionarium unius catholicae et apostolicae Ecclesiae.

2. In genere, schema mihi placet; sed duo velim proposita facere. Primum, propono ut fiat distinctio inter opus missionarium in regionibus ubi Ecclesia iamdiu plantata est et idem opus in regionibus ubi Ecclesia adhuc plantatur seu est in processu plantationis. Meo iudicio huiusmodi distinctio magni est momenti. In regionibus primi generis, activitas missionaria praecipue diriguntur ad populos

re-convertendos quorum progenitores erant aliquando christiani sed qui nunc peste neo-pagana corrumpuntur. Media ad hunc finem et ad hoc opus necessaria, scil. hierarchia, clerus, religiosi utriusque sexus, laicatus simul cum mediis ordinis materialis iamdiu existerunt et existunt. Ergo omnia requisita ad opus missionarium inter neo-paganos incipiendum iam praesto sunt.

3. Aliter vero omnino res se habent in regionibus in quibus Ecclesia nunc primum plantatur. Ibi enim ubique habetur nota novitatis: hierarchia primum organizatur, clerus ut plerumque sunt advenae, et laicatus ex catholicis primae generationis componitur. Media missionaria ordinis materialis desunt ita ut nonnisi post longum tempus haberi possint ea sufficientia quae requiratur ad opus permagnum perficiendum convertendi non-christianos ad fidem christianam.

4. Hanc igitur ob rationem propono distinctionem facere inter duos hos aspectus activitatis missionalis Ecclesiae. Novae illae regiones debent tractari tanquam plantae adhuc crescentes quae opus habeant ut protegantur et adiuventur ab eis quae iam ad quamdam maturitatem pervenerunt.

5. Alterum propositum meum est de societatibus missionalibus. Volo quidem palam dicere quam magni existimo de his societatibus earumque opere iam in Africa et Asia feliciter peracto. Sine illis non fuisset possibile ut adessent in hac aula alii episcopi ac illi ex Europa et America. Labores huiusmodi societatum iam fructum faciunt, et esset quid ruinosum si aliquo modo eis suaderetur ne opus inceptum continuarent. Deprecor ergo hierarchias iam firmiter in Europa et America stabilitas ut opem suam his societatibus duplicent tum quoad personas assignandas tum quoad media materialia suppeditanda.

6. Praesentia hic episcoporum ex Africa et Asia impressionem falsam creare potest, quod scil. Ecclesia in aliis continentibus iam ad maturitatem pervenerit. Pro una dioecesi sufficit unus episcopus, sed quis conciperet dioecesim cum uno solo sacerdote et una parochia? Electio episcoporum indigenarum nonnisi initium constituit institutionis hierarchiae: et ipsi sacerdotes in dioecesibus laborantes sunt, ut plerumque, Europeani et Americani. Sacra quidem Congregatio de Propaganda Fide opem nobis fert ut aedificentur et sustententur seminaria propria — id quod sinceram nostram gratitudinem postulat erga ipsam Sacram Congregationem et directores nationales variarum associationum de Fide Propaganda in mundo catholico eorumque cooperatores. Attamen difficultas nunquam minuata est quod dum ex una parte numerus sacerdotum pro numero catholicorum etiam nunc non sufficit, ex altera parte hic numerus singulis annis crescit. E. g., in mea dioecesi numerus catholicorum crescit unoquoque anno circa decem millia ut medium, sed tribus ultimis annis solos quinque sacerdotes indigenas ordinare potui. Ut patet, paucitas sacerdotum non diminuitur sed per annos successivos aggravatur.

7. Laudandi sunt episcopi ex hierarchiis iamdiu stabilitis qui aliquos suos sacerdotes ad novas dioeceses mittant: sed periculosum est quod hae novae dioeceses unice a tali systemate talique modo sacerdotes inveniendi dependant. In uno enim anno bonus numerus sacerdotum sic forsitan suppeditari potest, sed anno sequenti fieri potest ut nullus praesto sit. Unde propositum feci ut duplicetur adiumentum societatibus missionariis praestitum. Huiusmodi societates nullum officium parochiale habent in regionibus ubi originem trahunt, ita ut omnia earum membra a novis hierarchiis adhiberi possint. Huiusmodi societates missio-

nales superfluae erunt tunc tantum quando numerus sacerdotum indigenarum adeo creverit ut opus ab iis solis perfici possit.

8. Ergo propono ut in schemate *de activitate missionali Ecclesiae* duo inserantur:

a) ut activitas missionalis aliter et aliter definiatur secundum quod agitur aut de illa quae in regionibus viget ubi Ecclesia iamdiu plantata est aut de illa quae habetur in regionibus novis ubi Ecclesia adhuc invenitur in processu plantationis;

b) ut dupliciter adiuventur societates missionales tum quoad personas eis assignandas tum quoad opem materialem eo fine ut opus earum tam necessarium in regionibus ubi Ecclesia adhuc plantatur continuetur.

5

EXC.MUS P. D. ANGELUS BARBISOTTI

Episcopus tit. Cauniensis, vic. ap. Esmeraldensis

Valde gaudeo quod, praeter ea quae in schemate *de Ecclesia* et alibi dicta sunt, expresse in proprio schemate de missionibus tractetur: praesertim ut recordemur valorem verborum Domini « Ite, docete omnes gentes » integrum stare hodie sicut fuit tempore quo Christus Dominus apostolos misit ad conversionem mundi. Hoc dicendum puto, quia, ex dictis in hac aula, et mihi et multis aliis missionariis visum est nos vires et tempus inaniter teruisse ad complendum quod putabamus esset mandatum Domini!

Attamen parcite mihi si in proposito schemate aliquid videam quod parum vel nihil operam missionalem Ecclesiae iuvabit, immo, uti censeo, gravia damna intulerit.

1. Schema, ut nobis in appendice dicitur, laboriose paratum est: et credo! Non solum tamen cohaerentia interna carere videtur, sed ad Christi Domini iniunctum opus evangelizationis adimplendum proposita offert quae entia nova potius inutiliter creant et multiplicant, quam organismos iam existentes perficiant.

2. Iam vero: sub n. 2, *a*) dicitur: « Episcopi totius orbis, una cum Romano Pontifice et sub eius auctoritate munus habent ubique terrarum fidem promovendi, etc. ». Si hoc intelligitur ita ut omnes episcopi, solliciti de salvatione orbis terrarum, libenter collaborent cum organismis a Summo Pontifice ad opus evangelizationis deputatis perficiendum, bene erit. Sed si ita intelligatur — et hoc est quod intenditur, ut ex toto schematis contextu apparet — ad exclusionem organismi iam existentis, ut est S. C. de Propaganda Fide, sub specie episcoporum iura vindicandi et urgendi, censeo hic peccari de pia praesumptione. Historia orientis et occidentis, proh dolor, luculenter probat quod, ubi solis episcopis hoc officium demandatum fuit, propter multas circumstantias, saepe utique independentes a zelo ipsorum episcoporum, opus evangelizationis, praesertim inter paganos, vix progredi visum est: immo in non paucis locis, christianitates olim floridae, sensim sine sensu evanuerunt. Nonne explosio, ut ita dicam, missionaria Ecclesiae vere coepit ex tempore institutionis S. C. de P. F., et praesertim ex eo die quo eadem Congregatio directe missionarios et vicarios apostolicos misit?

3. Item sub n. 2, *b*). Quid sibi volunt conferentiae religiosorum et religiosarum « quae omnes ad bonum totius missionis unanimiter adlaborent »? Cur organismus novus? Nonne sufficeret ut dicatur, v. g. ut « de conferentiis episcopalibus participent ii omnes quos ad concilium provinciale vocantur » vel aliquid simile? Superiores religiosi locales et saepe etiam regionales, parum vel nihil facere possunt cum est quaestio de nova domo fundanda, vel de opere novo sibi sumendo. Censeo novae conferentiae futura esse inutilia et sine necessitate, et probabiliter nomine tantum existent!

4. Sed verum et, ut opinor, gravius male infertur operi missionali si quod dicitur in n. 4 acceptatur. Ibi, sub litt. *a*) auspicatur institutio « Consilii Centralis Evangelizationis ». Possumne quaerere: quid erit hoc Consilium? Nova Congregatio? Erit quid supra Congregationem de Propaganda Fide? Aliquid intra? Extra? Pro? Contra? Nobis missionariis Congregatio de Propaganda Fide semper uti Supremum Consilium Evangelizationis visa est! Nisi mera quaestio sit de novo nomine dando ipsi Congregationi, non video eius utilitatem: immo percellit inutilitas ipsius, et deordinatio quod novum Consilium producet! Iam per fere 34 annos sub iurisdictione P. F. in variis mundi partibus Africae et Americae Latinae missionem, instructiones, consilia directivas, uti dicunt, et etiam monita accepimus, nedum sapientia et prudentia condita, sed et paterna amabilitate. Censeo nullum novum organismum hanc S. Congregationem apostolica sollicitudine et plurisaeculari experientia excedere vel substituere posse.

5. Item sub n. 4, litt. *c*), desideratur « Secretariatus Peritorum »: sed perperam puto. Qui erunt isti periti? Doctores? Valde docti, forsan, in scientiis ethnologicis geographicis et iis similibus, sed, valde timeo, ignari de opere pastorali Ecclesiae. Sed, ni fallor, iam apud S. Congregationem extant periti: immo hoc dicasterium sub quo integre pendet Universitas Catholica Urbaniana. Istos in opere suo vere peritos inveni, caritate et comprehensione sacerdotali praeditos, ex quibus saepe Delegati et Apostolici Nuntii eliguntur, qui missionibus omni cura pastorali adiuvant. Ni fallor, minutantes et consultores vocantur. Etiam hic, mihi videtur, fit simplex quaestio de nomine!

6. Ultima observatio super Sociationem Personarum et auxiliorum materialium, de qua in n. 5 schematis.

Multa bona missionibus et dioecesibus in necessitate degentibus de sociatione ista evenisse et eventura non est qui neget. Attamen liceat cavere ne totum opus missionale alicuius dioeceseos in hoc consistere faciamus!

Etiam aliis temporibus movimenta similia in Ecclesia exorta sunt, propter zelum apostolicum alicuius sancti episcopi vel sacerdotis. At fere semper, ut duraret sociatio personarum in institutum religiosum se convertit: sociatio mediorum evanuit. Hanc originem duxerunt omnia Instituta specifice missionaria, v. g., in Italia orta saeculo elapso: et multae associationes in variis dioecesibus ortae ad missiones adiuvandas post breve lapsum temporis se extinxerunt. Dum ergo grato animo sacerdotes e dioecesibus accipimus et media, caveatur ne detrimentum patiantur Instituta Religiosa, praesertim cum fine specifico missionali in vocationibus deligendis et mediis procurandis ad missiones iuvandas. Saepe saepius accidit, et in variis mundi partibus vidi, propter duos vel tres sacerdotes dioecesanos alicui missioni mutuatos, religiosos et missionarios impediri quomodo vocationes et auxilia petant: et hoc etiam in magnis dioecesibus vidi accidere. Ipsae collectae quae fiunt pro Pontificiis Operibus fortem diminutionem patiuntur. Auxilia per-

sonarum et subsidia materialia a dioecesibus praestita, etsi generosa, saltuaria sunt: dum e contra ea quae ab Institutis proveniunt, sicut et auxilia ab Operibus Pontificalibus, etsi exigua, et inadaequata, diuturna et secura sunt. Etsi ergo unum facimus, aliud ne destruamus!

6

EXC.MUS P. D. FLOYD LAURENTIUS BEGIN

Episcopus Quercopolitanus

1. Episcopi, vicarii et in quantum possibile sacerdotes in terris missionum collocati debent *domi* manere. Nimis occupati sunt in *quaestu* et rebus oeconomicis et nimis omnino peregrinantur.

2. In missionibus etiam fideles pauperrimi, et nuperrime conversi doceantur *decimas* et *primitias* solvere ut sint benedicti a Domino in spiritualibus et temporalibus.

7

EXC.MUS P. D. RENATUS BOISGUÉRIN

Episcopus Suifuanus

Ut bene schemate *de Ecclesia* nuper votato in lucem positum est, finis totius Ecclesiae est Regnum Dei a Christo in terris annuntiatum et inchoatum ubique dilatandi, i. e. finis missionalis.

In nostro schemate *de activitate missionali Ecclesiae,* animadvertitur quod « Praesentes rerum conditiones maxime postulant opus evangelizationis ita ordinari ut efficacius nostris diebus protrahi possit » (pag. 7, lin. 4).

Ad hanc efficaciorem ordinationem animadverto quod nostris temporibus rerum conditiones *maxime* pendent a diversis regionibus, *minime* vero a statu canonico Ecclesiarum localium.

Divisio inter Ecclesias locales quae a *Congregatione Consistoriali* et illas quae a *Congregatione de Propaganda Fide* reguntur obsoleta est. Quinimmo haud raro efficaciam evangelizationis minuit, quia Congregationes illae structuris, methodis et mediis differunt, et quia aliquoties iurisdictionem habent in Ecclesias ad eandem regionem pertinentes.

Propterea optor *unicum fore dicasterium ad evangelizationem promovendam.* In quo dicasterio esse poterunt *sectiones* plures secundum diversitatem regionum principalium.

In titulo dicasterii huius unici, et generatim in vocabulo missionali, opto ut in posterum verbum « Propaganda » amplius *non* inveniatur. Ratio est quod recentioribus annis vocabulum hunc in multis regionibus pessimum sensum accepit, scil. violatio conscientiarum.

Quoad Consilium Centrale Evangelizationis, de quo in n. 4 pag. 9, optor ut non tantum in secretariatu peritorum, de quo sub litt. C), sed et *in ipso Consilio,* unaquaeque regio propriam civilizationem habens repraesentetur membris a conferentiis episcopalibus electis.

8

EXC.MUS P. D. ADOLFUS BOLTE

Episcopus Fuldensis

Qui schema propositionum *de activitate missionali Ecclesiae* pervolvit, negare non poterit commisisonem laborem vere difficilem circa materiam reapse arduam perfecisse. De facto a membris commissionis bis schema *de missionibus* confectum fuit. Textus vero elaboratus ad paucas paginas reducendus erat, itaque breve schema propositionum *de activitate missionali Ecclesiae* redactum fuit. Brevitate schematis explicari forsan potest, quod multae quaestiones nonnisi tangantur, aliae simpliciter non ponuntur. Quo fit, ut multa adhuc remaneant consideranda ac deliberanda et, quamvis omnia benevole perpenduntur, desideria tamen non pauca manifestentur.

Praesertim velim adnotare varia inveniri in schemate, de quibus non una est inter theologos sententia, varia porro ei inesse, quae a missionariis nonnisi aegre ferentur. Alia iis quae in ceteris Concilii documentis de missione Ecclesiae asseruntur opponuntur. Talis diversitas et oppositio praesertim in prooemio, sed et in aliis propositionibus occurrunt.

Ita v. g. ambiguo quodam modo conditiones hodiernae activitatis missionalis describuntur, cum dicitur ubique existere non-christianos, nulla habita ratione, utrum de nondum-christianis agatur an de hominibus de-christianizatis. Hoc vero loquendi modo obiectum missionis ita distenditur, ut quasi non iam remaneat necessitas fidem ad dissitas gentium plagas dilatandi. Cum vero in fine prooemii conceptus missionis restrictior adhibeatur, cumque in n. 1 nonnisi de hominibus Christum inculpabiliter ignorantibus argumentum feratur, dicendum esse puto schema nostrum ambiguitate circa missionis conceptum laborare.

Similis ambiguitas in terminis invenitur, quando affirmatur progressum scientificum necessitatem ostendere homines attingendos esse in coetibus religiosis et culturalibus. Non bene intellegitur quid sibi velit hoc in contextu « progressus scientificus ». Si diceretur « reflexio theologica progressu scientifico stimulata » vel « experientia et praxis missionalis » vel « conscientia oecumenica, quae religiones etiam respicit », res clarius et rectius exprimeretur.

Praeterea dicendum est schema nostrum differre a schemate *de Ecclesia,* quando sermo fit de Ecclesiis localibus adiutorio Ecclesiae universalis indigentibus (pag. 7, lin. 18). Ecclesia nempe universalis *in* et *ex* Ecclesiis localibus existit. Eadem de causa neque dici potest communitates christianas spiritu apostolico animatas paulatim missionarias evadere (pag. 9, lin. 21). Tales nempe communitates christianae nonnisi in Ecclesia universali degunt, quae semper, et quidem natura sua, missionaria est (et esse debet).

A constitutione vero *de sacra Liturgia* schema nostrum discrepat, quando labor missionalis describitur (n. 3). Catechumeni per catechesim ne edoceantur solummodo, sed in vita christiana instituantur. Initiatio vero in Ecclesiam fit per sacramenta baptismi, confirmationis et Eucharistiae, quae antiquitus sacramenta initiationis christianae nominari solent. Notandum denique conversionem hominis nonnisi per sacramentum baptismi perfici et consummari, ita ut catechumeni iure nondum « conversi » vocari possint (uti in lin. 11 fit).

(Haec et alia adhuc afferri possint, quae vero hic legere nolo, sed in foliis separatis secretariatui trado). Ex omnibus autem concludendum mihi videtur, revera necessarium esse schema propositionum *de activitate missionali Ecclesiae* tali revisioni generali subiciendum esse, ut cum aliis Concilii declarationibus consonet. Secus rei missionariae non adiumento, sed damno erit.

Pag. 7, linn. 1 ss. Corrigatur ita: « Ecclesia cum *missa sit* Regnum Dei, a Christo in terris annuntiatum et inchoatum, ubique *proclamare,* ut Deus in omni loco glorificetur *necnon Ei populus in omnibus gentibus paretur,* mandato sui Fundatoris oboediens et Spiritu Sancto impulsa Evangelium omnibus temporibus praedicat ».

Pag. 7, linn. 7 ss. Ut omnis ambiguitas evitetur, proponitur sequens contractio textus: « Multa enim his ultimis temporibus evenerunt... dimensiones dederunt. Nova praeterea problemata ponunt missionariis mutatae condiciones sociales et politicae necnon conscientia oecumenica in Ecclesia. Reflexio theologica a progressu scientifico stimulata necessitatem praeterea ostendit homines attingendos esse in coetibus religiosis et culturalibus, in quibus vivunt et qui tantopere in eorum vitam influunt, ita ut non solum liceat, sed necesse est, Ecclesiae locales in terris missionum natae in unitate et caritate catholica secundum proprias notas specificas vivere valeant ».

Pag. 7, linn. 25 ss. « sive in praesenti a S. C. de P. F. pendeant sive non, in quibus *Ecclesia adhuc inchoatum aliquid praesefert et suis propriis viribus evolvi nequit* ».

Pag. 9, linn. 11 ss. Ut phrasis sub littera *c*) consonet cum constitutione *de sacra Liturgia* dicatur: « De pondere conversionis edoceantur et per catechesim ad vitam fidei, cultus et caritatis instituantur, ita ut per sacramenta baptismi, confirmationis et Eucharistiae in Ecclesiam initiari queant ».

Pag. 9, lin. 21. Eliminetur: « missionaria evadit » et dicatur: « Sic communitas christiana signum fit praesentiae Dei in mundo ».

Pag. 11, linn. 1 ss. Exprimatur, ut Constitutiones necessitatibus apostolatus ita aptentur, ut in Institutis activae vitae opera apostolica uti ministerium ab Ecclesia ipsis commissum finem vere specificum constituant (cf. schema *de religiosis,* nn. 2 et 6).

9

EXC.MUS P. D. LEOPOLDUS BRELLINGER

Episcopus Chimsciienensis

Novus titulus magis placet quam antiquus; nam cum iam centrum totius Concilii videatur esse doctrina de Ecclesia, opportunum est etiam missiones considerare in quantum sunt activitas essentialis Ecclesiae (pag. 17).

In hac nova editione tota materia tractanda bene disposita est: complete, lucide atque placide.

10

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

Pag. 8, lin. 5, dicatur: « ... semper tenuerit *ac teneat* ». Lin. 11: dicerem: « Episcopi *omnes,* una cum Romano Pontifice et sub eius auctoritate, *gravissimo officio in solidum obstringuntur* ubique terrarum etc. ». *Ratio*: textus sic melius congruit cum verbis Pii XII in Enc. *Fidei donum.*

Lin. 15, loco « in variis regionibus » dicerem « in variis *territoriis* » quia vox « regio » non habet ubique eandem significationem et extensionem.

Pag. 10, lin. 7: « nunquam in oblivionem tradant se pro totius mundi salute prius quam pro aliqua dioecesi consecratos esse ». Hoc principium, tali modo enuntiatum, mihi non videtur sustinendum neque theologice neque historice. Verba Summorum Pontificum Pii XI et Pii XII, ut de aliis taceam, non ita statuunt; ceterum, numquid episcopi, suam dioecesim gubernando, non conferunt laborem suum ad salutem totius mundi?

Pag. 11: in toto n. 8 nihil habetur de officio laicorum fovendi, iuvandi, non impediendi vocationes missionales: sive ex parte familiarum sive ex parte magistrorum et educatorum in genere.

Pag. 11, lin. 25: dicerem « ... de quaestionibus et fructibus, *nec non et de difficultatibus et periculis,* Oecumenismi etc. ».

11

EXC.MUS P. D. IACOBUS CORBOY
Episcopus Monzensis

1. Gaudens vidi n. 1 huius textus iam ita emendatum esse, ut nunc accuratius sermo sit de fidei, Ecclesiae et baptismi necessitate ad salutem. Tamen etiam in actuali redactione huius numeri invenitur assertio quaedam quae rerum obiectivae veritati minus correspondet. Dicitur nempe quod « Ecclesia semper tenuit, homines... ad fidem pervenire posse, etiamsi Evangelium non audierint ». Talis autem affirmatio veram situationem historicam non accurate describit et ideo mutanda esse videtur. Nam:

a) in primis saeculis persuasio generalis vigebat evangelium Christi iam ubique terrarum fuisse promulgatum ideoque omnes homines bonae voluntatis ex auditu Evangelii ad fidem pervenire posse. Sufficit in hoc contextu in memoriam revocare generalem interpretationem tunc vigentem textus *Rom.* 10, 18: « In omnem terram exivit sonus eorum », vel etiam recolere generalem doctrinam priorum saeculorum de descensu Christi ad inferos, quibus evangelium suum ea intentione praedicavisset ut ex auditu fidem concipientes salvari possent.

b) Sed etiam saeculis subsequentibus, immo usque ad tempus magnorum Doctorum Scholae et ultra, generalis viguit persuasio homines non salvari posse nisi fidem ex auditu evangelii hausissent. Ad cuius rei evidentiam liceat in memoriam revocare discussionem casus hac in re profecto classici, casus nempe hominis vel in insula vel in silvis viventis qui evangelium Christi simpliciter non potuerat

audire. Iamvero, agentes de possibilitate salutis huiusmodi hominum, magni Doctores Scholastici docent illos salvari quidem posse sed ideo tantum, quia hominibus bonae voluntatis, per specialem interventum Divinae Providentiae, uno aliove modo extraordinario evangelium praedicaretur, v. g. per angelum divinitus missum.

Dicere ergo possumus quod Ecclesia semper tenuit homines bonae voluntatis salvari posse, sed dicere nequaquam possumus, quod Ecclesia semper tenuit illos salvari posse, etiamsi Evangelium non audierint.

2. In eodem hoc n. 1 nostri textus activitas missionalis ex eius fine describitur, et quidem sequentibus verbis: « Activitas missionalis eo tendit ut Ecclesia ubique praesens reddatur, et media salutis ipsi a Christo commissa, omnibus pateant ».

Quamvis haec omnia omnino vera sint, tamen haec descriptio nec est sufficienter clara nec sufficienter explicita.

Christus enim evangelium praedicavit ut omnes homines salvi fieri possent, vel ut aliis verbis S. Scripturae utar, ut omnes homines vitam haberent et abundantius haberent. Praesentia Ecclesiae in toto mundo utique ad hoc requiritur, sed non ultimum finem evangelizationis constituit. Cur ergo non potius in textu dicitur: « Activitas missionalis eo tendit ut omnes homines vitam habere et abunbantius habere possint, hoc est ut Ecclesiae Christi incorporati, in fide, spe et caritate fundati et radicati atque sacris sacramentis, Eucharistiae in primis, sanctificati semper plenius in vita Christi participent et sic salventur ».

3. Proponere velim ut disertis verbis de sequentibus quoque quaestionibus agatur quae vel non vel nonnisi brevissime in actuali textu tanguntur:

a) inserantur proinde in textum aliqua saltem verba, quibus egregia activitas S. C. de Propaganda Fide, Pontificii Operis a S. Petro et Pontificii Operis a S. Infantia laudatur et gratitudinis nostrae sensus manifestatur. Etenim, hae Institutiones non solum, pro quantum possunt, nos missionarios adiuvant sed simul etiam nos adiuvant modo vere urbano et cordiali.

b) Adhuc autem magis convenit ut omnibus qui Missiones adiuvant — episcopis, sacerdotibus, religiosis, laicis — sinceras gratias agamus. Si ipsi enim non constanter et tam generose nos adiuvarent ne quidem pro tempore unius hebdomadae labores nostros exsequi valeremus.

c) Maiore etiam cum emphasi in textu schematis agatur de necessitate orationis. Nos in missionibus utique quidem plantare et rigare possumus, sed Deus incrementum dat (*1 Cor.* 3, 6). Maximopere ergo oratione omnium fidelium indigemus. Non absque ratione S. Theresia a Iesu Infante a Summo Pontifice Pio XI declarata est caelestis patrona omnium missionum, etsi ipsa numquam in missionibus labores exterioris apostolatus praestiterit.

d) Tandem necessarium id esse duco ut in textu saltem aliqua de paupertate Episcoporum missionalium dicantur. Nullibi enim discrepantia inter extremam paupertatem populi et modum vivendi episcoporum tam magna est ac in terris missionum. Si episcopus in missionibus vel minimum et miserum currum automobilem habet (et pro laboribus suis ipso necessario indiget), in multis locis ipso facto consideratur ut homo dives vel immo ut capitalista. Haec quidem inevitabilia sunt in populis qui miseria famis dure opprimuntur. Sed ab altera parte exhinc praecise seria obligatio pro nobis episcopis missionalibus oritur ut in omnibus modo revera paupere vivar .s ac nos exhibeamus.

12

EXC.MUS P. D. ANGELUS FERNANDES

Archiepiscopus tit. Neopatrensis, coad. c. i. s. Delhiensis

N. 10, p. 11: titulus huius numeri sic proponitur emendatus: loco « Formatio Culturarum Christianarum », dicendum videtur « Evangelizatio et Cultura » (seu « Activitas Missionalis et Cultura »).

In eodem n. p. 11, linn. 30-32, loco verborum: « ... sed formatione culturae christianae in omni populo sedulo curat, ut Fides catholica... Ecclesiam locupletet. », melius dicendum videtur: « ... sed omnium culturarum veros agnoscit et fovet valores, illosque assumit, christianis principiis imbuit atque elevat. Ex mutuo commercio inter religionem et culturam non tantum cultura incrementum accipit sed etiam Fides catholica profundiores radices apud unumquemque populum ponere valet et tota Ecclesia diversarum culturarum bonis locupletatur ».

Rationes: 1. Locutio « formatio culturae christianae » quae in subtitulo et in corpore n. 10 occurrit, non placet quia: *a*) Non satis servare videtur distinctionem inter religionem et culturam. *b*) Periculum adest ne illa locutio a non christianis ita intelligatur ut totalis transformatio seu absorptio illorum culturae finis activitatis missionalis Ecclesiae appareat.

2. In hoc schemate modus loquendi de Ecclesia et cultura non plane concordare videtur cum illis quae etiam de cultura dicuntur: *a*) In schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Ibi enim affirmatur: « agnita sane distinctione inter religionem et culturam » (n. 22, p. 25, linn. 4-5) et « Etsi finis religionis per se non sit cultura » (n. 22, p. 25, linn. 39-40). *b*) In Litt. Encycl, SS. PAULI VI, *Ecclesiam Suam,* legitur, in versione anglica, « We are not civilization but we promote it ». Hi modi loquendi videntur aliquomodo contradicere locutioni n. 10 « formatio culturae christianae ».

13

EXC.MUS P. D. DOMINICUS SENYEMON FUKAHORI

Episcopus Fukuokaensis

In p. 11, lin. 3: post verba « adimplere maximi faciant », addantur verba sequentia vel similia: « in unione cum episcopo loci » (vel: cum Ordinario loci).

In p. 12, lin. 5: loco verborum « doctrina catholica et in theologia pastorali », scribatur modo sequenti, vel alio modo simili: « doctrina catholica, scil. non tantum dogmatica et morali, sed etiam liturgica, catechetica et canonica, et in theologia pastorali, praesertim adaptata regioni in qua laborant... ».

In p. 9, lin. 11: Verbum « conversi » retineatur in sensu exposito.

14

EXC.MUS P. D. VICTOR GARAYGORDOBIL BERRIZBEITIA

Episcopus tit. Pudentianensis, prael. n. Fluminum

N. 5: *Debitum missionale Episcoporum.* 1. Dicitur peroptime quod « detur communio Ecclesiarum in qua ipsae sibi invicem suas necessitates aperiant, suas res communicant ». Ecclesiae dioecesanae, i. e., non episcopi, nec sacerdotes, nec laici seorsum sumpti, sed episcopi, sacerdotes et laici in unum coadunati debent hoc opus missionale quasi in solidum et serie assumere, illudque usque in finem implere. Quod, si ita fieret, ut unaquaeque Ecclesia dioecesana pro viribus suam partem concretam in hoc opere missionale quampridem assumeret, brevi tempore Ecclesia uberrimos fructus evangelizationis in omni terrarum orbis parte videret.

2. Quoad illa verba « aliquos ex suis sacerdotibus in dioeceses clero carentes destinant », haec quaerenda: quosnam ex suis sacerdotibus possit episcopus destinare ad hoc opus missionale in dioecesibus clero carentibus explendum? Quoslibet? Tantum eos qui voluntarie sese offerant? Et, si desint voluntarii, possetne destinare aliquos quos ipse iudicat aptos et sperat obedienter hanc destinationem accepturos? Et, si necessitas urgeret, v. g. vi alicuius orientationis pontificiae magni momenti, possetne etiam invitos cogere ad hoc opus missionale?

3. Possetne illos destinare in quamcumque dioecesim clero carentem, immo et in quamcumque terrarum orbis partem, ut indicari videtur in schemate *de sacerdotibus* ubi agitur de novo conceptu incardinationis et excardinationis statuendo?

4. Quoad rem notandum est quod conditiones, quas saepe solent exigere Sacerdotes ad hoc opus missionale voluntarie sese offerentes, non significare defectum spiritus sacerdotalis, nec absentiam generositatis. Si volunt adire, vel multi in unum coadunati, vel quinqueni, et quinqueni « in equipo » laborantes, vel saltem bini et bini, ad modum missionis evangelicae, ideo est ut spiritus sacerdotalis tutius servetur; ut nunquam unus solus ac tristis inveniatur; ut angustiae oeconomicae vitentur; ut in infirmitatibus et aliis necessitatibus secure et amabiliter a ceteris iuventur; et ita ipse labor evangelizandi facilior et uberior evadat.

Iis suppositis, optandum esset ut in restructuratione Iuris Canonici, quoad rem, haec prae oculis haberentur: 1. Quam maxime urgeatur ut unaquaeque Ecclesia dioecesana qua talis pro viribus suam partem concretam in hoc opere missionali assumat. 2. Ne deputentur ad hoc opus missionale in dioecesibus clero carentibus, nisi ii sacerdotes qui voluntarie sese offerant. 3. In condendis legibus ac gerendis Ecclesiae rebus vitetur omnis species absolutismi, ac locus praebeatur diversis missionandi modis.

15

EXC.MUS P. D. IOSEPH MARCUS GOPU

Archiepiscopus Hyderabadensis

Quoad n. 2, c) et d): De Evangelii Praeconibus, pag. 8, mens Concilii magis concrete exprimenda esse videtur propter has quae sequuntur rationes:

1. In regionibus missionalibus sodales Institutorum religiosorum, scilicet sacerdotes, fratres et sorores, magnopere laborant pro gloria Dei et animarum

salute. Sed ex hoc opere fructum decuplum immo centuplum colligere possent haec Instituta, si adhuc meliore sensu ecclesiali, missionali et apostolico se stimulent. Videmus enim in non paucis regionibus missionalibus non solum sorores et fratres, sed et sacerdotes religiosos, inter se magno zelo aemulari ad congregandum in magnis civitatibus quin ulla necessitas vel utilitas ipsarum civitatum ipsos ad hoc impellet. E contra, etiam enixis precibus episcoporum dioecesanorum invitati ad parvas urbes, oppidos vel pagos, invitos se monstrant ad incommodum laborem suscipiendum vel difficiles imponunt condiciones episcopo invitanti, dum levis nutus episcopi sufficeret et fundandas sumptuosas domus, ecclesias vel scholas in supradictis magnis civitatibus. Uno verbo, etiam missionarii religiosi obliviscuntur finis operis missionarii, ideoque retardatur opus extensionis regni Dei atque progressus vitae christianae.

2. Sacerdotes etiam ex clero dioecesano his diebus magis ac magis invitos se ostendunt ad petendos locos campestres, vel ad aggrediendum opus missionarium apud non-christianos et neo-conversos et ad sacrum ministerium in pagis christianis amoenitatibus carentibus exercendum. Sacerdotes gradus universitatis possidentes vel in terris exteris educati fere semper videntur sibi vindicare ius manendi in urbibus ibique vitam sat commodam cum sacro ministerio componendi, dum soli sacerdotes minus capaces vel minus eruditi praesto sunt ad locos rusticos et campestres mittendi. In dioecesibus missionalibus opus directae evangelizationis et consolidationis stationum retardatarum debet considerari maioris momenti et dignitatis quam cura paroeciarum et scholarum bene stabilitarum. Episcopi debent facilius optimos et bene eruditos sacerdotes « ad gentes » et ad ruricolas mittere posse.

Unde aliqua exhortatio addatur in fine n. 2, ut n. 2, e) his vel similibus verbis: *e*) Meminerint omnes operarii in vinea Domini, sive hi religiosi sint sive dioecesani, se non posse cum fructu praedicare salutem hominum per Crucem Christi, nisi humilitatem, paupertatem immo et passionem Christi etiam per vitam eorum mundo manifestant. Non convenit Crucem Christi aliis praedicantem delicias vitae huius pro seipso quaerere. Fideles ergo operarii evangelici magis arduum laborem, duriorem vitam difficilioremque campum laboris amplecti semper parati esse debent.

16

Rev.mus P. D. IOANNES B. JANSSENS
Praepositus generalis S.I.

Prooemium huius schematis melius ut videtur omittitur. Nil novi affert, et quaedam inaccuratius dicta continet. Ubi linn. 7-20 agit de discrimine inter « terras missionum » et ceteras, hodiedum fere sublato, causas affert quae vel vix rectae sunt vel certe non praecipuae. Praecipua causa est facilitas commeatus et commercii nuntiorum et inde secuta diffusio culturae.

Pag. 8, lin. 7: vix placet enuntiatum « Dei voluntas est per Fidem et Sacramenta... » perinde ac si esset quaedam voluntas arbitraria Dei et praeceptum mere positivum. Nonne potius dicatur: sine Fide et Sacramentis longe difficilius ad salutem aeternam accedent...?

Pag. 8, lin. 14: « et missionem canonicam eis conferendi »: crediderim hoc simpliciter falsum esse. Missionem canonicam ad evangelizandum confert aut

Summus Pontifex vel eius delegati, aut episcopus dioeceseos in qua opus evangelizationis exercendum est, minime vero episcopus ex cuius dioecesi proficiscuntur missionarii. Hic episcopus potest ut patet eis benedicere, caeremonia aliqua eis valedicere, etc., non autem conferre missionem canonicam.

Ibid. linn. 15-18: de facto eiusmodi conferentiae iam existunt in plerisque mundi partibus, ne proinde videatur Concilium aperire ianuam quae iam aperta est. Nec apparet quomodo possint hae conferentiae, per orbem sparsae, elaborare normas communes; id fiat a Curia Romana, auditis si lubet conferentiis regionalibus.

Nec bene apparet, linn. 23-24 quare ius illud debeat esse « toti Ecclesiae commune ». Ingentia sunt discrimina inter varias mundi regiones.

Pag. 9, De consilio centrali Evangelizationis, linn. 28 ss. Valde anceps haereo de utilitate eiusmodi consilii. Adeo diversae sunt conditiones in variis mundi partibus! Quid commune inter missionem in Iaponia et missionem apud nomadas Indos interioris Brasiliae? Inter missionem in Scandinavia et apud nativos insularum Oceaniae? Sinatur Congregatio de Propaganda Fide, uti iam facit, suos habere « specialistas », immo eos penitius et aptius formare. Plus quam centralisationem hodiernam Romanae Curiae timuerim centralisationem talis Consilii.

Pag. 10, lin. 8: dubito num verum sit episcopos esse consecratos « pro totius mundi salute prius quam pro aliqua dioecesi ». In asserendo (quod rectum est) episcopos esse successores apostolorum, facile omittimus notare discrimina inter episcopos et apostolos: apostoli poterant accipere a Spiritu Sancto novas revelationes: episcopi non possunt: apostoli erant singuli infallibiles in docendo; episcopi singuli non sunt; apostoli singuli auctoritatem habebant docendi, regendi per totum mundum; episcopi singuli non.

Ibid. lin. 20: vox « evangelizatio directa », qua intenditur labor ad non christianos vel « paganos » ut dicere solebamus, non est accurata. Dicatur potius « ad evangelizandos non christianos ».

Pag. 11: non accuratum et periculosum videtur enuntiatum de Oecumenismo in missionibus, linn. 20-24: non bene apparet quae esse possit illa « collaboratio » in re religiosa?

Pag. 11, lin. 33, praescribitur ut erigantur Instituta scientifica de re missionali, perinde ac si illa non existerent. Idem adverto de pag. 12, n. 13, linn. 14-17. Si dixisset schema « multiplicentur » talia Instituta; vel: plures ad ea mittantur; esto; sed textus qualis est aperit portam dudum apertam.

17

Exc.mus P. D. RUDOLFUS KOPPMANN

Episcopus tit. Dalisandensis in Pamphilia, vic. ap. Vindhoekensis

I - *Emendationes propositae de schemate in genere.*

1. *De momento schematis.* Cum activitas missionalis sit res maximi prorsus momenti pro Ecclesia in mundo huius temporis, *non placet* quod tanto operi *schema propositionum* solummodo concessum sit. *Optatur* ut pro editione finali, iussu Concilii redigenda, tractatio amplificetur, etiam et praecipue quod ad fundamenta theologica activitatis missionalis attinet, sive agatur de opere in ipsis

missionibus praestando, sive de opere extra missiones, seu de sic dicta « cooperatione missionali » sub variis eiusdem aspectibus; ex his aspectus materialis magnus quidem, sed non unicus est.

2. *De introductione thematis.* Desideratur *Prooemium,* quod schema *practicum de missionibus* cum *principiis doctrinalibus* aptius connectat seu activitati missionali congruentem inspirationem ad directionem suppeditet. Pag. 1 (7) schematis, quae prooemii locum tenet, eventus appellat, qui « activitati missionali novas dimensiones dederunt ». Sed *quinam sunt* isti eventus et novae dimensiones? Ex istis aliqui iam in schemate commissionis praeparatoriae (Series IV, p. 350 et ss.) indicati erant et in schemate conciliari necessario nominandi sunt: Communismus atheus et materialisticus, neo-nationalismus etiam « religiosus » et culturalis, disproportio incrementi populorum non christianorum, aemulatio acatholicorum, qui pericula gravissima etiam pro catholicis in missionibus adducunt, quibus *novis* modis seu methodis missionalibus, quae *totum* hominem capiant, obviandum est... Mandatum Christi Domini de evangelio praedicando urget etiam hodie...

3. *De conceptu missionis.* Loco rerum utilium saltem, quas omisit, quasi-prooemium schematis conceptum seu notionem *missionum* exhibet, qui tam a notione historica et communi eius rei aberrat quam a notione fundamentali quae in schemate *de Ecclesia* continetur, quam *activitas missionalis* logice reflectere et explicare deberet. « Ignorantia Christi et Ecclesiae » in « terris missionum » non gradu tantum differt ab eiusdem nominis ignorantia in terris et nationibus a Christo et Ecclesia iterum avulsis... Ne igitur confundantur res et adiuncta cum detrimento missionum in sensu proprio! Conceptus proprius hoc loco ponendus latior quidem vel strictior adhiberi potest, prout sensus theologicus aut iuridicus supponitur.

II - *Emendationes in singulos numeros schematis.*

N. 1. Suppleatur lacuna vel aequivocatio corrigatur de salute eorum qui Christum inculpabiliter ignorant; urgeatur « fides ex auditu ».

N. 2. Aptior praestetur descriptio « Evangelii praeconum », tum quod ad spiritum missionarium attinet, tum quoad competentiam canonicam, quae primarie est ipsius Ordinarii localis.

N. 3. Explicatio « laboris missionalis » potius ad Directorium missionale pertinere videtur quam ad decretum conciliare; praeterea modus rem tractandi sat simplex apparet et expressionibus minus aptis utitur.

N. 4. Haud facile perspicitur modus operandi eiusmodi « Consilii Centralis » *apud* S.C.P.F. Qualis erit eius competentia propria?

Nn. 5-7. *Debitum missionale* diversorum graduum vel ordinum in Ecclesia modo nimis « doctrinali » proponitur, sine demonstratione theologica sufficienti, immo cum assertis theologicis vel canonicis non omnino rectis, praesertim in n. 5 de episcopis.

N. 8. « Debitum missionale *laicorum* » sub aspectu *religioso* praeprimis exponendum esset, ut activitas missionalis distinguatur ab opere magis humano quod in campo oeconomico-sociali explicari solet. Caput de *laicis* amplius omnino tractandum esset, cum de re maxima agatur, quae consequentias adducit etiam pro vita nationali populorum missionalium. Iam hoc loco et sub ipso titulo de laicis sermo fiat *de scholis,* quae ponderosum sane activitatis missionalis instrumentum atque adiumentum sunt.

Nn. 10-13. Propositiones de *Formatione* magis completae et ordinatae deside-

rantur. Sermo imprimis fiat de *propria institutione missionariorum,* cuius fundamentum quidem est *theologicum* et adaptatione congrua indiget (cf. caput *De Studiis* in schemate praeparatorio, vel articulum *De Studiis in Seminariis Missionum rite adaptandis,* in *Euntes Docete,* 1964). Formatio missionariorum, *etiam post tempus seminarii* excolenda, rationem habeat oportet philosophiarum et religionum nativarum seu nationalium, ut congrua activitatis missionalis methodus adhiberi possit...

N. 12. *De catechistis* pro momento ipsorum in opere missionali hodierno fusius et accuratius agendum esset.

Conclusionis instar optatur ut schema *de missionibus* non tantum fideles extra terras missionum alloquatur, sed primarie de ipsis missionibus et de activitate ibi praestanda agat, et consequenter de operariis evangelicis *in missionibus.*

18

Beat.mus P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI
Patriarcha Antiochenus Maronitarum

1. Je suis pour le changement du titre « de Missionibus » en celui « de activitate missionali Ecclesiae ». L'Eglise est missionnaire essentiellement. L'activité missionnaire découle de la définition même et de la nature même de l'Eglise. Il n'y a pas à envisager les Missions en elles-mêmes, mais comme expression de la présence dynamique de l'Eglise dans une région donnée, et l'Eglise est en état de mission partout où le Nom du Christ est ignoré ou méconnu, jusqu'au retour eschatologique du Christ lui-même.

2. En effet, c'est ce que fait très bien remarquer le *Prooemium* qui affirme le fondement doctrinal des Missions et qui souligne le changement de contenu du mot « Mission »: partout il y a des non chrétiens à évangéliser, et même dans les vieux Pays de chrétienté.

3. Ce qui est à louer dans ces propositions sur l'activité missionnaire de l'Eglise, c'est l'insistance sur le fait que c'est plus que les individus, les groupes en tant que tels qui sont à évangéliser, groupes religieux ou culturels. C'est une nouvelle dimension de l'apostolat d'aujourd'hui (lignes 14, p. 7; 24, p. 7; 13, p. 8; 17, p. 12 etc.).

4. La première phrase du *Prooemium,* bien qu'elle soit claire, demande une précision: « Ecclesia cum finem habeat Regnum Dei... ubique dilatandi ».

L'opposition est nette entre *Ecclesia* et *Regnum Dei.*

La formule suivante ne serait-elle pas mieux venue: « Ecclesia cum finem habeat sese ut Regnum Dei... ubique dilatandi ».

Je sais, par-ailleurs, que *Ecclesia* et *Regnum Dei* peuvent être des termes complémentaires, si *Ecclesia* signifie *le Royaume de Dieu* in *terris* et se developpant, et *Regnum Dei,* ce *même* Royaume, envisagé dans son *Eschaton.* Tout pesé, je reviens à la formule proposée: « Ecclesia cum finem habeat sese ut Regnum Dei ubique dilatandi, ita ut... ».

C'est, d'ailleurs, ce que l'on trouve dans ces propositions elles-mêmes (par. 1, p. 8, lignes 3-4): « Quare activitas missionalis *eo* tendit "ut Ecclesia ubique praesens reddatur..." ».

5. Je ne peux pas concevoir qu'on puisse encore opposer *Eglises locales* et *Eglise universelle,* comme s'il y avait là deux réalités différentes. Les Eglises locales (autour de l'Eucharistie) sont proprement des parties naissantes et se développant de l'Eglise universelle. C'est pourquoi, il faudrait, me semble-t-il, corriger comme suit, le texte de la p. 7, lignes 17-19: « tandem in terris missionum multae natae sunt Ecclesiae locales quae ceterarum Ecclesiarum benevolentia et adiutorio indigent, ut in unitate catholica... ».

Ces Eglises locales sont aussi l'Eglise universelle, dans la mesure où elles communient avec le Collège apostolique uni à Pierre et soumis à Pierre.

C'est, d'ailleurs, ce que dit la ligne 26, p. 7: « in quibus *Ecclesia* vel nondum implantata... ». Or l'Eglise est implantée dans ces régions de Mission par les Eglises locales.

6. On a bien fait d'insister sur le sacrement du baptême dès le premier paragraphe de ces propositions (ligne 3, p. 8): ce qu'on n'avait pas fait dans le précédent Schema « de Missionibus ». Par ailleurs, ce même par. unit heureusement foi et sacrement (lignes 2-3, 7, p. 8): ce que n'avait pas fait non plus le précédent Schema, dès le début de ses développements.

Par ailleurs, ce qui est aussi à louer, ici, c'est de trouver affirmée la nécessaire et toujours actuelle mission de l'Eglise auprès de ceux qui ignorent le Christ, d'une manière non coupable. Nous ne trouvions pas de telles affirmations dans la première rédaction de la déclaration sur la liberté de la conscience.

7. Je mettrai volontiers les par. 5, 6, 7, 8, immédiatement après le par. 2. Celui-ci, en effet, parle des hérauts de l'Evangile. Il convient que vienne ensuite le dénombrement de ces hérauts: Evêques (par. 5), prêtres (par. 6), les Instituts religieux (par. 7), les laïques (par. 8). C'est alors qu'on pourrait mettre le par. 3 qui traite du travail missionnaire dont les principes s'appliquent à tous les hérauts de l'Evangile, puis le par. 4 sur le Conseil central de Missions, puis le par. 9 etc...

8. Le par. 2, lignes 16 et seq., p. 8, parle des Conférences des Superieurs religieux et de l'union des Religieuses, en affirmant que, tout en ayant l'initiative de leur action apostolique, elles doivent collaborer *fraterne* avec les Evêques.

Par ailleurs, l'on pourrait, me semble-t-il, mettre à la place de « sub ductu Episcopi » (ligne 27, par. 2, p. 8), « sub ductu Auctoritatis ecclesiasticae », ou « sub ductum Episcopi vel Patriarchae ».

9. Le par. 3, lignes 17-20, p. 9, a bien analysé le rôle de la Communauté chrétienne, en tant que telle, dans les Pays de Mission (Mission s'entend ici de toutes régions non chrétiennes, même dans les vieux Pays de chrétienté). De plus, cette Communauté est le signe de la présence de Dieu (lignes 20-21, p. 9).

10. La création du Conseil central des Missions à Rome auprés de la Congrégation de la Propagande est souhaitable, surtout si la formation en est internationale, et si le but est proprement celui décrit dans le par. 4, b, c, pp. 9-10.

11. Le par. 5, p. 10, lignes 6-9 sur la consécration épiscopale qui établit l'Evêque au service de l'Eglise tout entière avant de le faire pasteur d'un diocèse particulier, est le bienvenu: surtout que dans les lignes qui suivent, il tire les conclusions évidentes de cette vérité.

La fin du paragraphe note très bien l'inquiétude d'étendre le Royaume, et non seulement d'en défendre les limites, en s'intéressant aux non-convertis et pas seulement aux convertis.

12. Je note, dans le par. 6, plusieurs points: *a*) l'affirmation traditionnelle

excellente que « Eucharistia perfecit Ecclesiam » (par. 6, ligne 25, p. 10); *b*) l'affirmation encourageante et vraie que les prêtres participent du ministère du Christ, en étant au service de mission de l'Eglise (par. 6, lignes 22-23, 28-29, p. 10); *c*) l'importance du rôle de la famille pour l'éveil de la vocation missionnaire (par. 6, lignes 30-31, p. 10), par delà l'influence des individus comme tels.

13. L'insistance avec laquelle le par. 7 attire l'attention des Instituts religieux de devoir s'incarner dans les Pays de mission où ils vivent, en s'adaptant à la culture et aux diverses conditions de lieux, est normale. On devrait, me semble-t-il, ajouter qu'ils doivent se faire naturaliser tunisiens avec les Tunisiens, chinois chez les Chinois, si la présence chrétienne, dans les régions de mission, exige cela. Il y aurait, en tout cela, lieu, ici, d'insister encore plus sur le devoir d'adaptation, en le généralisant: tout prêtre doit le faire, comme le Christ l'a fait (« Tout à tous, pour les gagner tous » comme dit S. Paul), en épousant la psychologie de l'interlocuteur, riche, variée et mouvante: surtout la psychologie des groupes chargés de tout leur patrimoine spirituel et culturel.

14. P. 11, ligne 6, pag. 8, à la place de *viventes,* il faut mettre *viventia* ou bien garder *viventes,* mais en la mettant *avant tamquam membra.*

De même, à la place de *evolutionem socialem,* ligne 26, p. 11, par. 8, il faut mettre *evolutioni sociali.*

Ce par. 8 reprend avec bonheur trois des principales idées développées dans le Schema *de apostolatu laicorum*: apostolat spirituel des laïques, apostolat matériel et social des laïques, relations nécessaires des laïques membres de l'Eglise avec les organisations chrétiennes et internationales.

15. Le par. 9, de la page 11 est l'explicitation vague des deux mots qui se trouvent dans le *Prooemium,* p. 7, ligne 16: « conscientia oecumenica ». Faut-il le garder ou le revoir, en le repensant, pour qu'il ne soit pas une simple explicitation, mais un enrichissement par des considérations nouvelles qui y seraient développées.

16. Le par. 10 de la page 11 devrait, me semble-t-il, être fondu avec le par. 2 de la page 8, intitulé « de Evangelii Praeconibus », à un moment de son développement. Tel quel, il constitue des répétitions qui prendraient leur valeur telles quelles dans le par. 2, ou fondues avec les idées similaires de ce même par. 2.

17. Je dirai de même pour le par. 11 de la page 12. Dans le par. 2 on devrait donc fondre ce qui est dit dans les par. 10 et 11.

18. Enfin, les dernières trois lignes (18-20) de la page 12 sont à fondre aussi avec le par. 2 de la p. 8.

Si toutes ces fusions étaient faites, nous aurions un paragraphe d'ensemble sur les « herauts de l'Evangile » complet, riche et logique.

19

EXC.MUS P. D. ADOLFUS ALEXANDER NOSER
Episcopus tit. Hierpinianensis, vic. ap. Portus Alexii

Schema, in eo quod dicit, placet, sed in iis de quibus silet, non placet. Tacet enim de quibusdam quae sunt magni momenti, scil., de indigeno clero formando et curando; de religiosis, i. e. fratribus laicis et sororibus, indigenis; de catechistis, brevissime tractatur; de necessitate — valde urgente — scholarum altio-

rum ad formandos catholicos laicos duces in diversis campis, praesertim in nationibus novis exsurgentibus in terris missionum; de laicis auxiliaribus (Lay Mission-Helpers vel Lay Missionaries).

Forte dicetur quod de his omnibus tractatur in schematibus propriis, sed vix expresse et modo omnino remoto.

De laicis auxiliaribus tantum verba facio, et breviter. Loquor ex experientia propria. 1) Quid intelligitur laico auxiliari? 2) Utilitas. 3) Eorum selectio et apta formatio. 4) Necessitas alicuius instituti vel centri in diversis nationibus ad tales formandos, et postea adiuvandos dum in missionibus laborant.

20

EXC.MUS P. D. MAURITIUS PERRIN

Archiepiscopus Carthagenensis

Pag. 7, linn. 21-31 sic mutentur: « Quae cum ita sint, haec Sancta Synodus, postquam de indole missionaria et de adaptatione missionali in constitutione *de Ecclesia* egit, *suum esse* ducit quaedam principia de cooperatione missionali Ecclesiae statuere normasque designare de activitate missionali. Quae, etsi in universum valeant, specialiter tamen in illis regionibus exsequenda sunt in quibus Ecclesia vel nondum plantata est, vel non satis potest eas institutiones erigere et sustinere, sine quibus vita christiana ali augerique nequit ». Eodem sensu retento, textus clarior efficitur.

Pag. 7, lin. 32 - Pag. 8, lin. 9 sic mutentur: « (De necessitate Missionis). Ecclesia a Christo instituta est *ad salutem omnium,* ut omnes per illam ad caelestem Patrem pervenirent. *Quocirca* Evangelium omnibus hominibus proclamat, ut per praedicationem ad fidem *adducti* per Baptismum Christo incorporentur. Quare activitas missionalis eo tendit, ut media salutis Ecclesiae a Christo commissa per *universalem ipsius praesentiam* omnibus pateant. Etsi ergo Ecclesia semper tenuerit homines, qui Christum inculpabiliter ignorant, salvari posse, si *divina adiuvante gratia* conscientiae dictaminibus oboediant, Dei tamen voluntas est ut homines, *prout eorum indoli sociali convenit,* per fidem et per *fidei* sacramenta — *i. e. per visibilem insertionem in Corpus Christi, iuvantibus auxiliis innumeris quae ex illa insertione profluunt* — iustificentur et salventur ».

Necesse est ut melius manifestetur: 1) actio gratiae in conscientias hominum qui Christum inculpabiliter ignorant; 2) voluntas Dei in ratione fundata.

5. Pag. 10, lin. 5: « (*Debitum missionale Ecclesiae*). Opus missionale ad totam Ecclesiam pertinet *quae est sacramentum salutis. Lucentes « sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes* (*Phil.* 2, 15-16), *baptizati omnes tenentur, ex ipsa insertione in corpore Christi per sacramenta, testimonium Christi diffundere* ».

Priusquam loquatur de episcopis necessaria sunt verba ad debitum missionale totius populi Dei pertinentia. Mentio de Romano Pontifice fiet in paragrapho sequenti.

Pag. 10, lin. 6: « (*Debitum missionale episcoporum*). Sub ductu Romani Pontificis, episcopi totius mundi... ». Melius hic mentionem facere de Romano Pontifice.

Pag. 10, lin. 8: « se pro totius mundi salute *simul ac* pro aliqua dioecesi consecratos... ». Impossibile est controversias de hac quaestione dirimere. Ideoque *simul ac* melius est.

Pag. 10, lin. 18: « In locis missionum episcopi *activitatem missionalem* ad solos iam conversos nequaquam limitent, sed enixe curent, ut pars *sat magna* cleri necnon subsidiorum ad evangelizationem directam seligatur ». Clarius enuntiatur.

6. Pag. 10, linn. 24-25: « Cum autem ministerii eorum excellentissimus actus, ad quam ceteri omnes ordinantur, in Eucharistica celebratione consistat, qua Ecclesia perficitur et Capiti suo communicat, sacerdotes acutissime sentiant oportet quantum ipsi Christo capiti desit... ». Illa expressio clarius manifestat intentionem schematis.

8. Pag. 11, lin. 7: « ... debent. Ipsi ad evangelizationis opus collaborent, calceati pedes in praeparatione evangelii pacis (*Eph.* 6, 16), *assumentes « gladium spiritus quod est verbum Dei »* (*Eph.* 6, 17), missionemque Ecclesiae ». Laici non laborant tantum in temporalibus rebus.

In capp. 10, 11, 12, 13, melius esset ordo si: 1) Textus « Insuper... intercedant » (10, pag. 11, lin. 36) (usque ad 10, pag. 12, lin. 2) in fine cap. 11 poneretur. 2) Textus de *Instituta superiora* (13, pag. 12, lin. 14) esset cap. 11. 3) Titulus cap. 11 esset: « *de formatione Evangelii praeconum* ». 4) Ad cap. 11 adderetur: « Cum tanta sit evolutio mentalitatum in universo mundo, necesse est ut praeconum Evangelii formatio frequenter, temporibus praefinitis, renovetur ». 5) Aliqua verba de formatione religiosarum et laicorum ponerentur in fine cap. 11: « Formatio religiosarum et laicorum ad opus missionale maxime fovenda est ».

[*Subscripsit etiam*] Guy Riobé, év. Orléans.

21

Exc.mus P. D. IOSEPH ALBERTUS ROSARIO
Episcopus Amravatensis

Ad n. 5 (pag. 10, linn. 5-14). *Nuntius ad totam Ecclesiam ab episcopis missionariis directus.* Occasione dominicae missionum huiusque schematis *de activitate missionali Ecclesiae* omnes qui in territoriis missionum laborent episcopi, ex toto corde gratias agere volunt episcopis, presbyteris et laicis totius Ecclesiae, qui ipsos adiuvant ad propagandam fidem in illis regionibus in quibus post quasi viginti saecula, innumerae multitudines nondum noverunt et amant Dominum Nostrum Iesum Christum, qui tamen ad omnes homines salvandos (mortuus est et resurrexit) seipsum obtulit.

Hanc occasionem nacti, episcopi missionum peculiari modo gratum animum exhibere volunt erga S. C. de Propaganda Fide, erga omnia membra, ubique terrarum sparsa, Pontificii Operis pro Fidei Propagatione, erga Pontificiam Societatem S. Petri Apostoli pro formatione cleri autochthoni et speciali modo laudare et congratulari volunt. Congratulatur iuveniles sodales Operis Sanctae Infantiae, pro ferventibus orationibus et sacrificiis quae pro missionibus Deo offerunt.

Omnibus christianis qui missiones donis materialibus adiuvant gratias referunt, praesertim vero eis qui ipsi parum locupletantes, sicut vidua Evangelii « de penuria sua mittunt victum suum » (*Mc.* 12, 44). Sciant se per sacrificium quod ita in Christi nomine faciunt, pro missionibus copiosas gratias acquirere.

Quicumque oratione et donis se missionum amicos et benefactores exhibent, « hi accipient benedictionem a Domino » (*Ps.* 23, 5). Quam pro eis instanter impetrant missionum episcopi.

22

Exc.mus P. D. ALEXANDER SCANDAR

Episcopus Lycopolitanus

L'Eglise est une, sainte, catholique et apostolique. Ce sont ses marques essentielles. Je ne puis admettre qu'il y ait une Eglise Orientale et une Eglise Occidentale et que l'Unité est fédérale et non d'ordre divin. Il n'y a qu'une seule Eglise sans aucune division et sous un seul chef, le Pape successeur de Saint Pierre, élu par le Christ comme son Vicaire. Lorsque à Chalcédoine en 451 les Pères ont lu la lettre profession de Foi de St. Léon le Grand, définissant les deux natures du Christ en Sa Seule Personne d'une commune voix ils ont acclamé: « Pierre a parlé par la bouche de Léon ». L'Eglise Une et Unique Catholique, seule épouse du Christ est composée de plusieurs rites. Les rites actuels peuvent se multiplier selon la nécessité, mais on ne peut pas dire que le rite latin est l'Eglise Occidentale et le rite byzantin est l'Eglise Orientale. Les deux aussi bien que le Nord et le Sud sont l'Eglise Catholique (universelle). Ainsi le rite latin se trouve en Amérique du Sud, en Afrique Centrale et du Sud, aux Indes, au Japon, en Corée, en Australie... est-ce là Occident? Le rite byzantin se trouve aux Etats Unis, au Canada, au Brésil et peut s'étendre ailleurs: est-ce là l'Orient? C'est une note de l'Universalité, soit de la Catholicité dans l'Unité.

Que l'on ne dise donc pas que le rite latin se répendant partout c'est l'Occident qui dévore l'Orient, cela est inadmissible. Chaque rite, vu que l'Eglise est Apostolique, soit essentiellement missionnaire, peut avoir ses « praecones Evangelii », ses catéchumènes et néophytes embrassant son rite. Cela ne doit nuire en rien à l'Unité. Notons que l'apostolicité vraie efficace est basée sur l'Unité, comme le Christ l'a déclarée.

L'Eglise est missionnaire et il est à souhaiter que s'implantant dans un pays, elle garde autant que faire se peut les coutumes et les traditions de ce pays, c'est à dire s'adapte dans son culte et ses rites à tout ce qui ne nuit en rien à la foi, mais plutôt la favorise. Telle fut la conduite des apôtres et de leurs premiers successeurs.

Ces déchirements internes évoluant autour des rites et des préséances ne peuvent que nuire à l'action apostolique et par suite à l'extension du Royaume des cieux. Hélas! les années ne l'ont prouvé que trop.

L'Eglise par ses missionnaires doit travailler au salut des âmes, non à la diffusion d'un rite: « Elegi vos ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat ». Il faut qu'Elle soit missionnaire. « Sicut Pater me misit et ego mittam vos ». Elle est donc essentiellement missionnaire. Le Christ ne s'attache pas à

un pharisaisme exterieur, il n'a pas eu l'intention de créer des rites et de construire des églises locales pour y résider, l'Evangile est voyageur. Il veut que l'on enseigne, que l'on prêche, que l'on fasse connaître que l'adoration qu'Il exige et qui glorifie son Père soit « en Esprit et en Vérité ».

I. Les Evêques successeurs des Apôtres sont tenus de continuer l'œuvre missionnaire, ils doivent comprendre qu'ils sont le centre de toute activité religieuse. A eux revient l'enseignement, la vigilance, l'activité et le maintien de l'Unité dans le travail apostolique. Ne sont-ils pas les Pasteurs du troupeau? Tout en eux le rappelle. Les Chrétiens leur doivent soumission; religieux, séculiers et laïcs...

L'exemption des religieux et leur indépendance par rapport à l'évêque local, même s'il est d'un autre rite doit être abolie. L'Evêque responsable de la diffusion de l'Evangile et du salut des âmes qui sont sur son territoire doit pouvoir utiliser les religieux qui vivent dans son diocèse, ils lui doivent obéissance et rien n'empêche à ce qu'il contrôle leur action missionnaire. En Orient du moment qu'il y a des évêques autochtones résidentiels, bien que de rite non latin, les Vicariats Apostoliques n'ont aucune raison d'être. L'Evêque catholique suffit et on doit faire confiance à son administration.

II. Les règles que l'on lit dans les nn. 2 et 3 sont claires et il est à souhaiter qu'on les applique. Elles sont l'écho de la charité du Christ qui attire.

III. Les Missionnaires doivent se mettre au niveau du peuple et être de vrais propagateurs de l'Evangile se rappelant la parole du grand apôtre St. Paul: « Vae mihi si non evangelizavero! ». Que remarque-t-on en mission? Je parle d'une expérience de plus de quarante-deux ans. Au commencement dans les missions les missionnaires s'adonnent à l'activité et montrent du devouement, mais après un certain temps lorsqu'ils réussissent à s'installer, la simplicité et la pauvreté disparaissent et ils se confinent à la vie de routine plus ou moins statique. Ils cessent d'étudier la langue du peuple, de connaître sa psychologie, ses traditions, ils préfèrent vivre dans les grands centres plutôt que dans les lieux ou localités abandonnées en proie à la misère, à l'ignorance et aux maladies... La vie devient facile, aventureuse mais elle n'est plus celle du Christ-Missionnaire qui a parcouru la Judée, la Galilée, la Samarie, etc. à la recherche de la brebis égarée. Il faut donc la continuité tant dans l'action que dans le devouement et le sacrifice.

IV. Le n. 4 du schéma nous parle de l'apostolat. A vrai dire je ne suis pas pour la complication des œuvres et des méthodes d'apostolat ou « standard ». Sans doute, on doit profiter de l'expérience des anciens, mais le missionnaire est l'homme qui aime et à qui l'amour dicte la méthode et l'inspire. Les grands missionnaires ont eu comme méthode l'Amour du Christ. On le voit dans St. Paul, St. François Xavier, St. Pierre Claver, le Cardinal Lavigérie etc.

Ils ont su se donner sans se reprendre. Ils ont senti le feu dévorant qui les poussaient à faire connaître, à faire aimer et à faire régner le Christ. L'Amour n'a pour règle que l'abnégation totale. Il meurt dans le Christ pour vivre en Lui. Il tire sa force de l'obéissance et en premier lieu de son union avec le Christ, par l'Eucharistie, cause efficiente qui répète à l'âme: « Sine me nihil potestis facere ».

Il est à souhaiter que tout chrétien reçoive dans son éducation catéchétique une formation missionnaire imprégnée de l'amour des âmes et qu'il soit apôtre dans son milieu, porteur du Christ dans sa vie et ses exemples. A vrai dire il ne le deviendra qu'en puisant son esprit de sacrifice dans le Christ-Eucharistie.

Rien n'empêche à ce que le missionnaire pour son action efficace à ce qu'il approfondisse ses connaissances scientifiques et son savoir, car il est appelé à les exercer, comme moyens pour arriver aux âmes et les attirer au Christ. D'ailleurs il doit se souvenir que le Christ s'est nommé « Lumière du monde » et lui le représente et le porte aux âmes. La mission n'est pas seulement parmi les primitifs, mais elle s'étend aussi aux égarés et que la soi-disante science à ébloui et écarté du sein de l'Eglise et loin de la Vérité.

L'Eglise envoyée par Celui que le Père nous a envoyé doit être le phare qui guide et pousse vers le Port: Notre vocation de chrétien est d'être les flambeaux du Christ « Que votre lumière luise devant vous ».

23

Exc.mus P. D. IESUS SERRANO PASTOR

Episcopus tit. Hypselitanus, vic. ap. Darienensis

Recte n. 1 huius schematis his verbis incipit: « Ecclesia est medium universale salutis a Christo institutum, ut omnes per illud ad caelestem Patriam perveniant ».

Sed paululum post asseritur: « Etsi ergo Ecclesia semper tenuerit homines qui Christum inculpabiliter ignorant salvari posse, si conscientiae dictaminibus oboediant, nihilominus Dei voluntas est eos per Fidem et sacramenta iustificari et salvari, ac proinde evangelizationem etiam hodie summum momentum integre servare ». Quibus verbis, posteaquam dictum est omnes homines salvos fieri posse extra Ecclesiam dummodo Legi naturali oboediant, additur ut *unicum motivum* ad evangelizationem iustificandam ratio voluntatis divinae. Et, certe, haec Dei voluntas salvifica est mirabilis manifestatio suae infinitae misericordiae erga homines qui post lapsum originalem infirmi facti sunt ac mediis salutis carentes.

Videtur ergo opportunius addendum si homines bona fide extra Ecclesiam legem naturalem adimplentes salvi fiunt, difficulter tamen hanc conditionem impleri cum tales homines auxiliis specialibus Ecclesiae catholicae careant.

S. Paulus, auxiliis gratiae roboratus, expertus est magnam difficultatem in bono prosequendo maloque vitando, iuxta notissima verba *Rom.* 7, 17-25.

Si hoc S. Paulus, quid sentiet infidelis homo, qui « secundum corpus et animam in deterius commutatus fuit, ut docet Tridentinum, quique talibus auxiliis caret? (Cf. Trid. sess. V, *de peccato originali*).

Prolixum et inutile esset recordari quousque homo auxiliis supernaturalibus carens degradari possit, cum bene notum sit praecipue nobis missionariis. Haec autem infidelium debilitas fortiter urget non tantum zelum missionarium sed etiam christianorum.

Hac de causa putamus verbis « Etsi verum est... posse » addenda esse haec

alia, paululum aliqua mutando: « Quod reapse in praesenti hominum conditione difficulter evenit, unde exstat necessitas moralis evangelicae praedicationis per quam misericordia divina largitur fidem et sacramenta; ac proinde evangelizatio hodie summum momentum servat ».

24

EXC.MUS P. D. ANSGARIUS SEVRIN

Episcopus tit. Mossinensis

Prooemium: lin. 2, ponatur: « dilatare »; lin. 3, « omnibus temporibus »: verba paululum triumphalia; lin. 4, « Evangelium praedicavit »: non tantum hoc fecit, sed secundum mandatum Domini: « novasque hominum coetus sibi baptismo aggregavit ». Quod utiliter, ad realitatem historicam et theologicam plenius describendam, addetur.

2 paragraphus: illius paragraphi utilitas permanens et valor « conciliaris » in dubium vocantur. Agit de circumstantiis contingentibus. Forsan omitti potest.

Finis prooemii: ultima paragraphus valde generose describit quae, modo valde compendioso, in schemate *de Ecclesia* inveniuntur!...

N. 1. Tollatur adverbium *deinde,* quod nimis separat fidem et baptismum, et videtur baptismum tanquam « appendicem » parvi valoris considerare.

« Iustificari et salvari »: addatur: « modo pleno et normali ». Etenim voluntas (consequens saltem) Dei est, de facto, ut aliqui salventur sine sacramentis.

N. 2. *a*) Verba « de missione canonica » a collegio episcoporum impertienda sunt obscura et litigationi obnoxia. Sententia melius tolleretur. *b*) « In variis regionibus »: missionum, vel totius mundi? « Superiores religiosos »: addatur « et religiosas ». « Initiativa »: est barbarismus horribilis!

Addatur in fine: « Conferentiae sibi adiungant coetus peritorum de religionibus non-christianis et de methodis apostolicis ». Hoc videtur peropportunum.

N. 3. « Haec stadia »: verbum est nimis theoreticum et videtur imponere « calendarium evangelizationis ». Cur non diceretur simpliciter: « haec »?

e) « In salutem operetur »: ad confortationem missionariorum qui in regionibus difficilibus laborant, dicatur affirmative: « Ecclesia... efficaciter operatur, gradatim, etc. ».

N. 4. c) « cuius erit »: addatur: « conceptus et verba technica religionum non christianarum elucidare, informationes... ». Etenim, quod per prius urget et deest multum est opus ad dialogum *theologicum* solidum et clarum cum non-christianis selectis.

N. 5. « nunquam in oblivionem tradant, etc. »: formula est negativa. Melius esset: « semper memores sint ». « Pro totius mundi salute consecratus esse »: formula est vaga et sine fundamento. Proponitur: « Episcopi, ipsa sua consecratione, sacerdotii universalis Christi participes effecti, universalis Ecclesiae sollicitudinem in solido portant. Inde... ».

« Partem proprii cleri »: expressio est, ex se, iusta sed forsan non satis clara. Melius fieret enumeratio: « sacerdotum, fratrum, religiosarum ».

« Activitas sacerdotalis »: in eodem spiritu, dicatur: « activitas dioecesis ».

N. 6. « In cura pastorali »: adhibetur verbum: pastoralis in sensu restricto (i. e. ad baptizatos), et non claro. Simplicius dici potest: « in cura baptizatorum ».

N. 7. Ille passus non est valde clarus, nec bene ordinatus. Nullum datur fundamentum debiti. Proponitur nunc aliqua formula iam antea oblata et quae videtur optima: « Membra Institutorum perfectionis votis suis Deo se dedicant (non mere in propriam perfectionem attingendam sed) ut, animo magno, caritati salvificae universali Dei omnino se tradant ».

Sententia: « Si vero contemplationi » (quae est aliqua specificatio post normam generalem et post regulam pro Institutis activis) melius poneretur in fine, et initium haberet: « Quod si contemplationi... » (sine illa oppositione quam verbum « vere » inaccurate exprimit).

N. 8. Evidenter legere debemus « membra viventia ».

N. 9, b) « cum aliis coetibus religiosis »: expressio est inusitata et non clara (coetus?). Agitur « de aliis religionibus »: ille modus dicendi melior esset, quia clarior et simplicior.

N. 10. « Formatio culturarum christianarum ». Totus modus loquendi ambiguus, immo falsus videtur. Nolumus formare culturam christianam (tanquam aliquid « totum » separatum) in ullo populo (praesertim ubi sumus numerice pauci!) sed procurare cum omnibus concivibus elevationem culturae originalis regionis determinatae, in omni campo, et praesertim infundendo in eam spiritum christianum. Hoc exprimi debet. Id quod nunc dicitur erroneum videtur.

« Adaptationi »: verbum exactum esset: « acculturationi ».

« Iudicare valeant propriae gentis culturam »: scopus quidem sat ambitiosus pro iunioribus!... Forsan adhiberi possit verborum structura modestior, ut esset: « reflexionem instituere valeant de valoribus propriae culturae ».

N. 12. Paragraphus est brevissima, pro re maximi valoris. Posset addi: commendatio aliqua de sectione catechetica in Conferentiis episcopalibus.

Conclusio: loquitur unice de « sermone Dei ». Laudabiliter inseri potest verbum de Ecclesia, v. g., « in aedificationem Corporis quod est Ecclesia, usque ad adventum, etc. ».

25

Exc.mus P. D. HENRICUS TENHUMBERG

Episcopus tit. Thuburnicensis, aux. Monasteriensis

Animadversio ad n. 3, pag. 9, lin. 12. Loco « ad vitam fidei, cultus et caritatis » dicatur « ad vitam fidei, liturgiae et caritatis ». *Ratio*: terminus « cultus » iure a constitutione *de s. Liturgia* non adhibetur, quia ethymologice complectitur tantum aspectum latreuticum liturgiae, non vero sacramentalem et sanctificantem. Ceterum etiam in sensu venerationis vel adorationis christianae vitatur a Vulgata, a Patribus latinis et etiam post introductionem termini per scholasticos factam usque ad ultima decennia raro adhibetur a documentis Ecclesiae (cf. articulos *Kult* et *Liturgie* in *Handbuch theologischer Grundbegriffe,* München 1962-1963, vol. I, pp. 865-880; vol. II, pp. 75-97).

26

Exc.mus P. D. CAROLUS IOSEPH VAN MELCKEBEKE
Episcopus Nimsciianus

Pag. 7, lin. 11: post verba: « valde attenuata est », addatur: « quamvis essentialis remaneat differentia inter populos qui numquam Evangelium nuntium audierunt, et illos qui hoc nuntium iam audierunt, sed postea reiecerunt... ».

Pag. 9, lin. 32: post verba: « collaborant: episcopi... » addatur: « qui ipsi missionarii in terris missionum fuerunt... ».

Pag. 10, lin. 11: post verba: « ad dioeceses clero carentes destinant », addatur: « dummodo qualitatibus missionariis necessariis ornati sint... ».

Pag. 10, lin. 18: loco verborum: « enixe curent partem aliquam », dicatur: « enixe curent partem *maximam,* quantum fieri potest... ».

Pag. 11, lin. 33: post verba: « Quapropter Instituta erigantur scientifica », addatur: « intimum contactum cum vita missionum servantia... ».

27

CONFERENTIA EPISCOPORUM REGIONIS AFRICAE OCCIDENTALIS

1. Cf. Introduction, 1 par.: « Praesentes autem rerum condiciones », 4 ligne, p. 7. *Rédaction proposée*: « La situation actuelle rend plus urgent que jamais le travail de l'évangélisation et demande qu'il soit organisé pour se développer avec plus de rapidité et d'efficacité ».

L'Assemblée veut souligner par là le caractère d'urgence de l'œuvre d'évangélisation en Afrique, entraînant par voie de conséquence une meilleure organisation des moyens d'action apostolique.

2. Cf. Introduction, 2 par.: « Ex altera parte mutatae condiciones... », 15 ligne, p. 7. *Rédaction proposée*: « D'autre part la transformation des conditions sociales, économiques et politiques, l'accroissement démographique dans le monde, le sens œcuménique dans l'Eglise et la volonté de dialogue avec les religions non-chrétiennes, le développement du sens de la liberté religieuse ainsi que du respect des valeurs positives, posent de nouveaux problèmes aux missionnaires catholiques ». *Motif*: « Il faut bien souligner non seulement l'urgence et l'ampleur de l'Œuvre missionnaire, mais aussi toute la complexité de cette œuvre résultant de facteurs dont on a acquis une plus vive conscience ».

A l'appui de cet amendement, plusieurs membres de l'Assemblée avaient souligné la nécessité de mettre en relief l'importante incidence dans la vie de l'Eglise d'Afrique du contexte politique nouveau créé par l'accession des Etats d'Afrique à la souveraineté, et aussi de l'existence du courant d'esprit, favorisé par le Concile, tendant à découvrir dans toute communauté humaine et religieuse en Afrique les pierres d'attente susceptibles d'acheminer leurs membres vers le salut.

3. Art. 2, *a*): « Episcopi totius mundi, una cum Romano Pontifice... », 11 ligne, p. 8. *Rédaction proposée*: « Episcopi totius mundi, una cum Petro et sub Petro... ». *Motif*: « C'est une expression qui a été retenue chaque fois que l'on a parlé de la collégialité ».

4. Art. 2, *a*): « Episcopi totius mundi... missionem canonicam eis confirmandi », 11 ligne, p. 8. *Rédaction proposée* en complément à ce texte: « Mais là où la Hiérarchie est constituée, ces hérauts de l'Evangile sont mis à la disposition de l'Ordinaire du lieu qui leur donne la mission canonique ».

5. Art. 2, *b*): « Praeter conferentias episcopales... », 15 ligne, p. 8. *Rédaction proposée*: « Toute la pastorale dépend de l'Evêque. Cependant, que les Conférences épiscopales, avec les Conférences des Supérieurs et les Unions des Religieuses à constituer — qui toutes doivent collaborer au succès de l'activité missionnaire — proposent à l'approbation du Saint-Siège de nouvelles normes générales sur les relations entre les Ordinaires du lieu et les Supérieurs religieux. Ces nouvelles normes générales seront déterminées de telle sorte que l'Evêque soit le chef et le centre d'unité de l'apostolat dans le diocèse, sans pourtant porter préjudice au caractère et à la vie religieuse propres à chaque Institut missionnaire ». *Motif*: « Le " Ius commissionis " a souvent créé des équivoques dans l'apostolat missionnaire. Pour les éviter nous proposons les deux amendements précités ».

L'Assemblée, en adoptant ces deux amendements sur proposition de la Commission, demande la révision du « Ius commissionis » qui continue anachroniquement de régir les relations entre Ordinaires et Instituts missionnaires. Les textes qu'elle préconise invitent les Conférences épiscopales à proposer à l'approbation du Saint-Siège de nouvelles normes qui, d'une part, habiliteraient les Instituts missionnaires à se mettre à la disposition des Evêques, et, d'autre part, reconnaîtraient à ces derniers, comme chefs de l'apostolat diocésain, la responsabilité d'appeler le concours de ces Instituts et de leur conférer la mission canonique, s'engageant en même temps à respecter leur caractère et leur vie religieuse propres.

6. Art. 3: « Labor missionalis », 34 ligne, p. 8. *Rédaction proposée* comme texte d'introduction à cet article: « Ecclesia a Christo missa nullum aliud fundamentum ponit in Gentibus nisi Christum cum, " non sit in alio aliquo salus, nec aliud nomen sub caelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri " (*Act.* 4, 12) ». *Motif*: « Il importe de bien situer l'objectif de la mission d'Eglise qui est avant tout spirituelle et centrée sur le Christ. L'Eglise n'a aucune visée impérialiste et ne compte pas pour sa mission sur les puissances temporelles de quelque pays que ce soit ».

7. Art. 5, 1 par. « Valde desiderandum est ut conferentiae episcopales... », 14 ligne, p. 10. *Rédaction proposée*: « Il est grandement souhaitable que les Conférences épiscopales décident que chaque diocèse affectera chaque année au travail de l'évangélisation une somme proportionnée à ses ressources. Cependant l'effort de générosité animé par ces conférences n'atteindra son plein effet que dans la mesure où un dialogue s'établira entre l'Episcopat et les représentants des Eglises assistées, pour que l'aide apportée réponde parfaitement à la pastorale définie par eux ».

Cet amendement s'appuie sur une constatation partagée par l'ensemble de NN. SS. les Ordinaires et formulée avec précision par la Conférence épiscopale du Mali en ces termes:

« Des sommes considérables sont collectées par des organismes plus ou moins indépendants dans les pays d'Europe, en tout cas totalement indépendants de la Hiérarchie des pays auxquels sont destinés les fonds recueillis. Or cela pose un véritable problème de pastorale d'ensemble. Parmi les besoins à satisfaire, il y a

un ordre d'urgence à établir qui entraîne la nécessité d'une coordination. Or une masse considérable de ressources provenant de catholiques est affectée, par la volonté des organismes qui les ont collectées à des entreprises louables certes, mais qui ne sont peut-être pas les plus urgentes ou les plus judicieuses, et cela sans que la Hiérarchie locale puisse faire autre chose que de présenter des demandes et des projets, non en fonction des besoins réels, mais en fonction de normes préétablies par les organismes distributeurs.

... On a vu des sommes considérables, représentant plusieurs fois le budget annuel des œuvres d'un diocèse, investies dans des réalisations économiques qui n'ont peut-être pas la portée que l'on prétend. Il en résulte une tentation grave pour les jeunes Eglises... de se lancer dans des réalisations matérielles considérables, parallèlement voire concurrement aux entreprises gouvernementales donnant ainsi à leur Eglise un style d'action dans le temporel vraiment dépassé à l'heure actuelle.

Autre conséquence dont ne manquent pas de se plaindre d'ailleurs les Evêques d'Europe: les procédés parfois lamentables auxquels sont acculées les Sociétés missionnaires pour se procurer les ressources nécessaires à l'évangélisation proprement dite. On en est à ouvrir des stands dans les Foires commerciales, à visiter les estivants sur les plages en camionettes d'exposition-vente, à faire du commerce de bimbeloterie. Bref on vit d'expédients pour payer les voyages, soigner les malades, construire de nouvelles paroisses, payer les catéchistes, car tout cela n'entre pas dans les objectifs des organismes en question.

Il y a en tout cela la négation du droit et du devoir des évêques de décider des meilleurs moyens de pourvoir à l'évangélisation des nouvelles Eglises et la méconnaissance pour elles d'une pastorale d'ensemble que l'on reconnaît pourtant si nécessaire pour les peuples d'Europe ».

L'Assemblée, en s'associant à l'esprit de ce texte, n'entend nullement mettre en cause l'intention généreuse des catholiques d'Europe ni méconnaître la situation délicate des conférences épiscopales des pays donateurs, invitées qu'elles étaient à s'associer à l'effort d'organismes internationaux dans la lutte contre la faim. Elle souhaite du moins qu'un dialogue s'engage entre Conférences épiscopales pour aboutir à une meilleure répartition des subsides recueillis en fonction des impératifs de l'évangélisation.

8. Art. 7: « Religiosi qui operi missionali incumbunt... », 1 ligne, p. 11. *Rédaction proposée*: « Les Religieux qui s'adonnent au travail missionnaire doivent, tout en gardant l'esprit de leur fondateur et de leurs Constitutions, accomplir la tâche apostolique qui leur est confiée, conformément aux directives et aux orientations de l'Ordinaire du lieu ». *Motif*: « Cette précision a pour but de laisser à l'Evêque toute l'initiative de l'apostolat et de faciliter éventuellement une pastorale d'ensemble ».

Cet amendement rejoint les 4 et 5 amendements. Puisque les articles auxquels ils se réfèrent traitent de l'Apostolat missionnaire, il convient de souligner chaque fois le primat de l'autorité épiscopale en ce domaine, même s'il s'agit de l'activité missionnaire de religieux à vocation contemplative.

9. Art. 8: « Ipsi missionum Ecclesiae iuvant... quibus opera missionalia promovent », 7 ligne, p. 11. *Rédaction proposée* en complément à cette phrase: « Ils auront à cœur de participer sous l'autorité de la Hiérarchie à l'une des formes d'apostolat organisé qui leur est propre ».

Par cet amendement l'Assemblée a voulu combler une importante lacune du présent article: l'absence de référence à une action catholique organisée pour les laïcs en vue de l'évangélisation de leur propre milieu de vie. L'apostolat missionnaire ne peut se réduire à la coopération économico-sociale à laquelle l'article fait allusion. Des membres de l'Assemblée ont d'ailleurs signalé qu'en fait des laïcs des milieux enseignants ou d'autres milieux sociaux-professionnels accomplissaient, dans le cadre d'un mouvement apostolique approprié à leur milieu, un authentique et efficace travail missionnaire.

10. Art. 12: « Formatio catechistarum », 11 ligne, p. 12. *Rédaction proposée*: « Vu l'extrême nécessité des Catéchistes tant pour porter l'Evangile parmi les non-chrétiens que pour le service des communautés catholiques qui manquent de prêtres, l'Œuvre des Catéchistes doit être favorisée au maximum aussi bien pour leur formation que pour leur entretien matériel convenable. Ce Saint Synode estime nécessaire et demande la création en faveur des catéchistes d'une Œuvre pontificale qui porterait le nom « Œuvre de Saint Paul Apôtre ». *Motif*: « L'institution des Catéchistes a fait ses preuves. Il reste à la soutenir et à la rendre plus efficace. Seule une Œuvre pontificale peut assurer une aide sûre et régulière pour la formation et l'entretien de ces auxiliaires ».

N. B. Tous ces amendements ont été votés à l'unanimité par NN. SS. les Archevêques, Evêques et Préfets Apostoliques de l'Ouest-Africain réunis en assemblée plénière à Dakar les 3-4 et 5 juin 1964. Etaient présents les Evêques de la Côte d'Ivoire, du Dahomey, de la Guinée, de la Haute-Volta, du Mali, du Niger, du Sénégal-Mauritanie, du Togo, soient 35 Evêques et Préfets Apostoliques.

28

CONFERENTIA EPISCOPORUM AFRICAE AEQUATORIALIS ET CAMEROUN

Coetus omnium episcoporum (24) Africae Aequatorialis-Cameroun (scil. Tchad, Cameroun, Centralis Africa, Gabon, Congo-Brazz) in congregatione generali in oppido Yaounde die 10 iunii 1964 habita vota sequentia unanimiter emiserunt:

1. Cum ex una parte argumentum « de missionibus » maximi momenti sit, et cum ex altera parte res iam in magna expectatione et desiderio populi christiani revera constet, propositiones « De activitate missionali Ecclesiae » non solum suffragandae sed *antea convenienter discutiendae sint in ipsa aula conciliari.*

2. Simul cum propositionibus, quae solae discussioni publicae in aula conciliari proponentur, etiam typis mandetur libellus complectens: *a*) sicut pro aliquibus schematibus factum est, *emendationes a Patribus* propositas in schema *de missionibus* mense ianuario 1964 editum; *b*) textum emendatum schematis *de missionibus* ad mentem supradictarum animadversionum.

Proponitur « textus emendatus schematis » nuper ab exc.mo D. Van Valenberg et sociis submissus [1], sed in paucis quibusdam etiam corrigendus.

Qui textus sequentia elementa continet: pro quasi 80% textus schematis officialis servat, sed materia modo multo magis claro et organico ordinat, et

[1] Cf. pag. 902.

elementa utilia addit, praesertim profundius fundamentum biblicum et theologicum. De facto praecipuarum crisim schemati factarum rationem habet.

A commissione uno vel paucis peritis cura mandetur ut paucas emendationes quae adhuc faciendae manent ad mentem animadversionum faciant. Rationes sequentes afferuntur:

1. Amplius centum quinquaginta Patres animadversiones fecerunt, saepe multa cura elaboratas et pertinentes. Merentur ut eorum laboris ratio plenior habeatur ac in ipsis propositionibus suffragandis necnon discutiendis.

2. Necesse est doctrinam genuinam et bene fundatam de evangelizatione mundi et plantatione Ecclesiae, etsi non discussioni conciliariae, saltem reflexioni Patrum proponere.

3. Missionarii nostri ne habeant impressionem totam disceptationem de Missionibus nonnisi per summa capita factam esse.

Iam Patres interventum durante sessione ipsa tertia faciendum praeparaverunt circa necessitatem evangelizationis et officium omnium baptizatorum Ecclesiae dilatandae, ad mensuram cuiusque, quia necesse est ut res in clarius elucescat: 1) ad tollendam omnem ambiguitatem quae periculum diminutionis zeli missionalis generat; 2) et ad praebendum Ecclesiae doctrinam genuinam de necessitate evangelizationis mundi et plantationis ipsius Ecclesiae.

[*Subscripserunt*] Theophile Mbemba, arch. Brazzaville; J. Bernard; J. Coucherousset; L. Chambon; Pierre Célestin; Lambert van Heygen; A. Baud; P. Dalmais; Paul Etoga; V. Sartre; E. Verhille; Ives Plumey; H. Véniat.

29

CONFERENTIA EPISCOPORUM INDONESIAE

Omnia membra praesentia (28) dolent activitatem missionalem Ecclesiae obiectum esse aliquarum propositionum tantum. Nonne haec activitas missionalis pertinet essentialiter ad structuram intimam Ecclesiae?

Timemus ne haec Synodus det impressionem valde « clericalem », et catholicis et non catholicis, amplissimo modo loquendo de collegialitate sed stringendo ad minimales proportiones schemata de matrimonio et de missionali activitate, et insimul coarctando disceptationes de illis rebus tanti momenti.

Si autem decisio de non faciendo schemate *de activitate missionali Ecclesiae* irrevocabilis esset enixe rogamus ut saltem modus disceptandi de his propositionibus sine limitationibus fiat et instituantur disceptationes *normales* sicuti institutae sunt pro constitutione *de sacra Liturgia* et pro constitutione *de Ecclesia.* Fere dimidia pars Patrum Conciliarium sunt missionarii.

Pag. 7, lin. 2: loco dilatandi proponitur: *instaurandi.* Loco ut Deus... glorificetur etc., proponitur: ut nomen Dei in omni loco sanctificetur et Populus Dei ubique terrarum constituatur, mandato Domini sui oboediens et Spiritu Sancto compulsa omnibus temporibus Evangelium praedicat.

Pag. 7, lin. 13: loco progressus scientificus... ponatur: Reflexio theologica a progressu scientifico stimulata, praeterea, etc.

Pag. 7, lin. 18: loco quae Universalis Ecclesiae etc. ponatur: quae intra Universalem Ecclesiam speciali adiutorio aliarum Ecclesiarum adhuc indigent etc.

Pag. 7, lin. 26: verba: « vel nondum implantata est, vel »: deleantur. *Ratio*: quia termini specifici alicuius scholae missiologicae melius non adhibentur.

Pag. 7, lin. 32 ad pag. 8 lin. 9: proponitur novus textus: Christi missionem implens et Eius Spiritu vivens, Ecclesia est illa visibilis communitas salutis, qua omnes homines vocantur, ut una cum Domino, in gloria regnante et super omnes potestatem habente, unum Populum Dei efforment et ad caelestem Patrem adducuntur. Ut sacramentum unitatis intimae generis humani et universale medium salutis Christi, Ecclesia Evangelium ad omnes homines proclamat, ut per eius praedicationem ad fidem adducantur et per Baptismum et participationem Mysterii Eucharistiae Corpori Christi plene incorporentur. Quae activitas missionalis eo tendit, ut Ecclesia ut communitas salutis ubique praesens reddatur et media salutis, ipsi a Christo commissa, omnibus pateant. Sic faciendo Ecclesia manifestat et complet praeparationem Evangelii Christi, quae apud omnes gentes et in omni religione, ex voluntate salvifica universali Dei et ex dominio Christi super omnes homines, adest. *Ratio*: in textu uti iacet, Ecclesia tantum ut medium salutis et non ut communitas salutis visibilis proponitur. Vera inspiratio ad activitatem missionalem hoc tempore invenitur praecise in hac idea biblica communitatis visibilis salutis.

Pag. 8, lin. 11: una cum Romano Pontifice et sub Eius auctoritate: legatur: una cum Capite suo Romano Pontifice munus habent etc. Deleantur et sub Eius auctoritate, quia iam patet. *Ratio*: Est formula melius consonans cum Constitutione *de Ecclesia*.

Ad nn. 2 et 3: in n. 2 mutetur ordo ita ut d) pro parte ponatur in loco b); b) autem fiat c); c) fiat d). *Ratio*: a) et d) respiciunt munus et qualitates; b) et c) organizationem. Et fiat textus ut sequitur:

N. 2: *a*) Episcopi totius mundi, una cum Capite suo Romano Pontifice munus habent ubique terrarum fidem promovendi, Evangelii praecones ad quoscumque hominum non christianorum coetus mittendi. (Deleatur: et missionem etc.).

b) Evangelii praecones, ad exemplum apostolorum, Christum Iesum quem gentibus praedicant, in seipsis exprimant solido virtutum exercitio, omnium hominum ministros sese exhibentes in caritate non ficta.

Deleatur: « primum ». Sententia « Memores se etc. » ponatur in n. 3 vide infra.

c) In variis regionibus etc.

d) Instituta, quae in bonum etc, lin. 27: loco « sub ductu » ponatur *cum*.

N. 3: Ponatur e) in loco a) et a) in loco e). *Ratio*: situatio quod Christus plene evangelizari nequit videtur esse frequentior quam situatio ubi habetur dispositio ad verbum suscipiendum. Ubi adest Islam, Buddhismus, Shintoismus, Paganismus modernus, manifesta evangelizatio est impossibilis; in regionibus adhuc evolventibus maturatio spirituum saepe homines aversos reddit a susceptione Verbi propter motiva politica. *Secunda ratio*: hic apostolatus sic dictus « indirectus » ponatur in initio, ut clare indicetur hic apostolatus *vera* evangelizatio esse, licet *initialis*.

a) ponatur in fine, quia hic enumerantur quarta stadia: a) qui nondum sunt dispositi, b) qui sunt dispositi, c) conversi, d) neophyti.

Pro omnibus stadiis autem valent quae enumerantur in textu sub a). Quando ad a) in textu adiungitur sententia Memores se esse etc. ex n. 2, pag. 8, linn. 30 ss., videtur totum n. 3 a) melius ponendum esse in fine. Et ideo habetur textus ut sequitur: N. 3: In opere evangelizationis et implantationis Ecclesiae haec stadia

prae oculis habeantur: a) Ubi Christus *nondum* plene evangelizari potest, Ecclesia in salutem hominum operans, gradatim eis accessum ad Patrem patefaciat, verbis factisque testificando, secundum mensuram eorum, veritates religiosas et morales, quas Christus luce sua illustravit, eosque adiuvando ad assequendam iustificationem per caritatem erga Deum et proximum; b) Ubi invenitur dispositio ad suscipiendum Verbum etc.; c) Conversi, de pondere conversionis etc.; d) Post Baptismum in neophytis etc. (lin. 20 exprimit? *gignit*); e) In omnibus autem his stadiis enumeratis quaeri debent, praesertim in patrimonio religioso cuiusque populi, illa, quae a Divina Providentia disposita clarificationem et plenitudinem in Evangelio Christi inveniunt. Insimul monstrent Evangelii Praecones caritatem Christi, pauperes adiuvando, ignorantes docendo, miseros sublevando, aegros curando, progressum socialem fovendo ut per haec hominibus appareat benignitas et humanitas Salvatoris (*Tit.* 3, 4). Immensae multitudini pauperum evangelizantes, meminerint Evangelii Praecones se esse discipulos Christi pauperis et humilis, et ideo non solum spiritum paupertatis verbis praedicent, sed Evangelicae simplicitatis exemplum praebeant. Eadem simplicitas, locis semper accomodata, in mediis apostolatus et in aedificiis, etiam sacris, splendeat. *Ratio*: ponendi sententiam « memores se esse discipulos »... etc., non in n. 2, d), sed in n. 3, e), quia est nimis particulare pro 2 d), sed congruenter nominatur in 3 e) quo alia opera et aliae virtutes in textu posita sunt.

Pag. 9, n. 4, lin. 29: « in voto est ut »: deleatur. Lin. 33: Post Opera Missionalia Pontificalia addatur aliquid de laicis e. g.: ... necnon Instituta Missionaria, Opera Missionalia Pontificalia et *Organizationes Missionariae Laicorum.*

Pag. 10, n. 5, lin. 8: « se pro totius mundi salute »: legatur: se, ut membra corporis episcoporum collegio apostolorum succedentis, pro totius etc. *Ratio*: uti argumentatur in *de Ecclesia.*

Pag. 10, lin. 18: enixe curent partem aliquam, eamque selectam: legatur potius: enixe curent partem *notabilem* proprii cleri necnon subsidiorum. *Ratio*: valde frequenter tota activitas apostolica aut fere tota activitas ad solos iam conversos limitatur, quod proh dolor, saepe cum « argumentationibus » defenditur.

Pag. 10, n. 7, lin. 34: Institutorum Perfectionis, legatur Institutorum *Religiosorum;* idem in lin. 37: Instituta Perfectionis mutetur in Instituta *Religiosa.*

Pag. 11: inter n. 7, pag. 10 et n. 8, pag. 11, inseratur novus numerus in quo aliquid dicitur de laicis, qui missiones adeunt, sive individualiter, sive ut membra alicuius Instituti, tamquam missionarii. Hoc fieri potest etiam in initio n. 8, ut bona constructio inter debitum missionale episcoporum, debitum missionale sacerdotum etc, servetur. *Ratio*: quia inter veros Evangelii praecones dicti missionarii laici nondum sunt enumerati. Quos nominari desideramus non sunt laici qui cum aliquo munere, propria industria, pergunt ad missiones, sed illi laici, qui ut veri missionarii ex propria initiativa veniunt aut mittuntur a suo Instituto Missionario Laicali.

Pag. 11, linn. 12, 13: Clarius formuletur quia sententia est ambigua.

Pag. 11, lin. 13: confessionibus: legatur communitatibus.

Pag. 11, n. 10: textus fiat ut sequitur: Ecclesia, utpote catholica, nullibi extranea est, sed sedulo curat ut in omni populo propria cultura spiritu christiano imbuatur, quo fides catholica profundiores radices apud unumquemque populum ponere valeat, ut sic totam Ecclesiam locupletet. Quapropter Instituta erigantur scientifica, ut in ipsis periti sacerdotes et laici, collatis viribus, operam dent inte-

grationi Ecclesiae in tota vita gentium quae exigit adaptationem in formatione et vita cathechetica, ascetica, liturgica, philosophica, theologica. Insuper curent... etc. *Ratio emendationis* linn. 31 ss.: non habetur cultura christiana, sed propriae culturae, spiritu christiano imbutae. Si haberetur aliquid uti « cultura christiana », implantanda apud gentes non-christianas, omnis integratio esset impossibilis, quia missionarii semper apportarent elementa non-propria et extranea. Nostra redactio clare explicat cur Ecclesia nullibi extranea est; quia in *propriam* culturam gentium infert spiritum christianum. Quia ponitur *integratio in tota vita,* verbum « culturali » supprimi potest.

Pag. 11, n. 10, lin. 34: Post verba « operam dent » inseratur: integrationi Ecclesiae in tota vita gentium, quae exigit adaptationem in formatione etc. *Ratio*: omnis adaptatio est fere impossibilis et certe non valde utilis, quando non oritur ex integratione sociali Ecclesiae.

Pag. 12, n. 11: verba: « in propria natione, sive extra patriam », non clare indicant intentionem. « In propria natione » estne: « propria » relate ad exteros aut ad indigenas?; idem quoad « patria ». Notandum esset etiam, quod studia sacerdotum et exterorum et indigenarum ad universitates (etiam nationales) *in missione,* maximi momenti sunt.

30

QUIDAM EXC.MI PP. CONCILIARES

Infrascripti cum multis ex vobis dolent quod quaestio « De activitate missionali Ecclesiae » ad schema propositionum restringi debuit.

Confidunt hunc commentarium, quem vobis modestia qua par est subiiciunt, Patribus Conciliaribus fore utilem ad melius intelligendum « schema propositionum de activitate missionali Ecclesiae ».

Hic commentarius est magna ex parte ipsum schema *de missionibus,* quod prodiit 17-1-1964, aliquantulum mutatum ad fidelius sequenda optata et observationes a compluribus episcopis et superioribus generalibus nobis communicata. Textus insuper accommodatus est ad « schema propositionum ».

Notae ad calcem paginae se referunt ad « schema propositionum de activitate missionali Ecclesiae »; litteris crassioribus indicantur citationes a schemate propositionum desumptae.

Tarcisius van Valenberg, ep. tit. de Comba; Gregorius Garavito, ep. tit. de Ciparissia; Ioannes Gunnarson, vic. ap. Islandiae; Albertus Maria Guiot, ep. Portus Pacis; Ioannes Baptista Theunissen, arch. Blantyre; Franciscus Bruls, ep. Villavicencio; Henricus de Cocq, ep. tit. Aquae in Byzacena, vic. apost.; Paulus Ramirez Taboada, ep. Huacho; Ioannes Tielbeek, ep. tit. Tipasa in Numidia; Theodorus Eugenin, ep. tit. Gerisso; Nicolaus van der Westen, ep. Pangkal Pinang; Ioannes Ruth, vic. ap. Norvegiae Centralis; Guglielmus van Bekkem, ep. Ruteng; Lambertus van Kessel, ep. Sintang; Aemilius Socquet, arch. tit. Selimbria; Paulus Molin, ep. tit. Garba; Richardus Cleire, ep. tit. Tadamata; Petrus Leclerc, arch.-ep. Segou; Remigius Augustin, ep. Turuzi; Dominicus Desperben, praef. ap. Hainan; Renatus Landru, praef. ap. Gao; Alphonsus Cuypers, praef. ap. Vichada; Germanus Lalande, sup. gen. Congregationis a Santa Cruce; Walfridus Dufault, sup. gen. Piae Societatis Presbyterorum ab Assumptione; Ioseph

van Kerckhoven, sup. gen. Missionariorum SS. Cordis Iesu; Henricus Mondé, sup. gen. Societatis Missionariorum ad Afros; Cornelius Heiligers, sup. gen. Societatis Mariae Montfortanae; Leo Volker, sup. gen. Societatis Missionariorum Africae (Patres Albi); Henricus Systermans, sup. gen. Congregationis Sacrorum Cordium Iesu et Mariae; Theodorus Foley, sup. gen. Congregationis Clericorum SS. Crucis et Passionis D.N.I.C.; Gulielmus Gaudreau, sup. gen. Congregationis SS. Redemptoris.

Prooemium.

Christus Iesus, humani generis Redemptor, Apostolos primum, et in eis Ecclesiam, ad omnes homines in populum Dei coadunandos misit. Apostoli igitur, Spiritus Sancti plenitudine moti ac roborati, euntes « praedicaverunt ubique »[1] Evangelium et « genuerunt Ecclesias ».[2] Eodem Spiritu impulsa Ecclesia omni saeculorum decursu nuntios salutis, per quos Regnum Christi ad omnes populos extenderetur, in mundum universum misit.

Ultimis hisce temporibus divina opitulante gratia missionariorum indefesso labore in multis regionibus novellae Ecclesiae cum hierarchia ecclesiastica fundari potuerunt. Plura quidem adiuncta evangelizationi et novellarum Ecclesiarum incremento favent: itinerum celeritas, instrumentorum socialis communicationis magna vis et potentia, augendae culturae et unitatis desiderium universale et ipse denique scientiarum progressus, quo excitatae mentes hominum momentum rerum spiritualium pro pace mundi assequenda et firmanda magis attendunt. Summa enim cura cruciatur humanum genus, cuius aequilibrium et ipsa existentia in periculo versantur et cui pax vera dari non potest nisi per lumen et gratiam Christi.

Penuria tamen missionariorum et subsidiorum, materialismi et atheismi lata diffusio, defectus libertatis religiosae immo violenta christiani nominis persecutio in aliquibus civitatibus saeviens, lugenda denique christianorum divisio salutari Ecclesiae activitati graviter adversantur. Unde fit, ut labor missionalis in non paucis regionibus vix inchoetur, dum in terris, quae nomine Christi antiquitus gloriantur, fides in Eum ex variis causis de corde multorum denuo evanuit. Ceterum nemo non videt conatus missionarios Ecclesiae in multis nationibus progressui demographico valde impares esse.

Quae cum ita sint, caritas Christi omnes Ecclesiae filios conscios reddit urgentissimae obligationis qua tenentur respondere tum profundis studiis, optatis atque anxietatibus totius familiae humanae, tum afflatui miserentissimae pietatis Dei omnium corda allicientis ad unitatem et veram pacem inveniendam in Filio dilectionis suae. Omnibus ergo fidelibus maximae curae sit, ut « Sermo Dei currat et clarificetur »[3] et ut omnes homines cognoscant verum Deum et quem misit Iesum Christum.[4]

Patres quoque Concilii Vaticani II, condicionem hodiernam totius mundi considerantes, tristi animo conspiciunt ingentes fere ubique terrarum multitudines, quae Christum penitus adhuc ignorant vel in periculo imminenti versantur, ne discedendo a Deo vivo « cor malum incredulitatis »[5] acquirant. Cum isti homines, sive ut asseclae alicuius religionis, sive ut sectatores materialismi, in determinatos et magnos saepe coetus coalescant, dialogus non tantummodo cum singulis hominibus instituendus est duce episcopo, sed insuper optandum est ut communi omnium conamine ab Ecclesia Universali media parentur, quibus dialogo latiori

via aperiatur. Quae omnia magna cum prudentia fieri oportet, tum ut veritas nullum detrimentum patiatur, tum ut consulatur debitae reverentiae erga personas coetusque earum ad imitationem Dei, qui, cum sit dominator virtutis, tamen cum tranquillitate iudicat et magna reverentia disponit hominem.[6]

Quapropter haec Sancta Synodus exoptans, ut evangelizatio gentium atque novellarum Ecclesiarum aedificatio, omnibus fidelibus pro viribus cooperantibus, efficacius et ordinatius promoveantur, praecipit, ut normae sapientissimae quas SS. Pontifices[7] de activitate missionali et de cooperatione fidelium decreverunt, ab omnibus diligenter explorentur sancteque serventur. Ipsa Synodus, principiis doctrinalibus recapitulatis, ea solummodo decernere et declarare sibi proponit, quae in praesens specialem disquisitionem strenuamque actionem exigunt.

---

[1] *Mc.* 16, 20. [2] S. AUGUSTINUS, *Enar. in ps.* 44, 23: *PL* 36, 508; *CC* 38, 510. [3] 2 *Thess.* 3, 1. [4] Cf. *Io.* 17, 3. [5] *Hebr.* 3, 12. [6] Cf. *Sap.* 12, 18. [7] BENEDICTUS XV, *Maximum illud.* 1919; PIUS XI, *Rerum Ecclesiae,* 1926; PIUS XII, *Saeculo exeunte,* 1940; *Evangelii Praecones,* 1951; *Fidei donum,* 1957; IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum,* 1959.

Cap. I: *De principiis doctrinalibus.*

1. *De Dispensatione salutis.* « Deus caritas est. In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum ».[1] Christus vero, Apostolus et Pontifex confessionis nostrae,[2] ut Patris expleret mandatum,[3] « dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo ».[4] Exaltatus deinde in gloria inter homines voluit humiliter permanere sub vultu Ecclesiae suae, ut per ipsam quasi signum seu « sacramentum » amoris sui salvifici sese omnibus hominibus revelaret eosque ad seipsum traheret[5] et ad Patrem in Spiritu reduceret clarificans Patrem et manifestans nomen eius hominibus.[6]

Unde Ecclesia, Christi Corpus vivens et crescens, a Spiritu Sancto animatum, ad hoc nata est, ut salutem, quam Iesus morte et resurrectione sua peperit, ad omnes homines extendat. Christus enim resuscitatus priusquam abiit ad Patrem ut Spiritum Paraclitum mitteret, in cuius virtute Apostoli testimonium reddere possent « in Ierusalem et omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae »,[7] sicut Pater miserat Eum,[8] ita Ipse Apostolos ad annuntiandum in gentibus sacramentum salutis absconditum a saeculis in Deo[9] et ad Ecclesiam instituendam atque stabiliendam misit: « Euntes docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis »,[10] (a).

2. *De debito missionali Ecclesiae.* Itaque Ecclesia omnibus gentibus Evangelium Christi praedicare tenetur, ut omnes per praedicationem ad fidem perveniant et per sacramenta Ecclesiae vitam Christi habeant et abundantius habeant.[11]

Cum autem in Corpore Christi singuli alter alterius membra sint,[12] habentes donationes differentes,[13] unusquisque secundum gratiam Dei, quae data est ipsi,[14] in Evangelio collaborare debet.[15]

Collegium imprimis Episcoporum, cum Romano Pontifice suo Capite Collegio

---

(a) Cf. propositio 1ª de activitate missionali Ecclesiae.

Apostolorum succedens, maximum et sanctissimum munus praedicandi Evangelium [16] et Ecclesiam ubique plantandi ab ipso Domino recepit (b).

In gravissimo evangelizationis munere obeundo, sicut Apostoli, ita etiam successores eorum coadiutores sibi arcessire solent quos, segregatos in opus ad quod Spiritus Sanctus assumpsit eos,[17] et promptos ire « in omnem civitatem et locum »,[18] operarios mittunt in messem Domini (c).

His Evangelii praeconibus omnes christifideles oratione et opere sedulo assistere debent ipsique pro sua quisque opportunitate et facultate Verbum Dei evangelizare [19] et Dominum Iesum annuntiare,[20] tam verbis et scriptis quam labore et testimonio vitae.

3. *Christus, intima exspectatio gentium.* Ecclesia testimonium Christi annuntiat [21] « non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis » [22] nec vi vel coactione,[23] sed « in virtute et in Spiritu Sancto »,[24] ita ut intimam hominis conscientiam attingat sermo Dei vivus et efficax.[25] Sub illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti Deum agnoscere et liberam Deo praestare obedientiam possunt,[26] quicumque Domino corda aperiente intendunt his, quae praedicantur.[27] Translati in admirabile lumen veritatis [28] Christi, Deum inveniunt vivum,[29] quem hactenus « promissionis spem non habentes » [30] quaesierunt [31] vel ignorantes coluerunt.[32] « Liberati a peccato » [33] veram tandem libertatem consequuntur in Christo Iesu [34] « servire Deo vivo et vero ».[35]

Non tantum singulis hominibus sed populis quoque Ecclesia testificatur hanc veritatem liberatricem,[36] cum Christus sit « exspectatio gentium et Salvator earum,[37] spes gloriae [38] omniumque recapitulatio.[39] In Eo enim solo, in quo omnia constant,[40] nationes gentesque et totum genus humanum suam salutem,[41] unitatem et veritatem adipiscuntur, aedificium Ecclesiae spirituale constituentes, in quo homines, Christo mirabiliter in Spiritu incorporati, « lapides vivi » [42] esse possint.

4. *De aedificatione Ecclesiae.* Ecclesia igitur Evangelium omni creaturae [43] praedicat verbis et signis,[44] credentes incorporat Christo per Baptisma, « sacramentum fidei »,[45] per quod membra Christi et de Corpore efficiuntur Ecclesiae; [46] baptizatos denique Spiritu Sancto confirmat et in Sacrificio Eucharistico in communitatem vivam coagmentat ac pane vitae reficit, ut « veritatem facientes in caritate » [47] conformes fiant imaginis Filii Dei.[48]

Quae operatio apostolica ad terras, quas dicunt non-christianas nequequam coarctanda est. Frequentes enim migrationes huius temporis et defectio priorum generationum a fide christiana fecerunt, ut distinctio clara et antiquitus accepta inter terras christianas et non-christianas paulatim evanescat.

Tota autem activitas missionalis eo tendit, ut novae communitates christianae crescant in veras et proprias Ecclesias novellas suo episcopo commissas, qui Eucharistiae praesideat.[49] Quae Ecclesiae, etiam postquam s. hierarchia instituta iam est, in eodem spiritu missionali ab universali Ecclesia adhuc adiuvandae sunt, usquedum propriis viribus et mediis fideles pascere et iis, qui foris sunt, viam salutis efficaciter annuntiare valeant. Ipsae vero, magis magisque consortes actuositatis missionalis Ecclesiae universalis, auxilium, quod hactenus receperunt, aliis praestent et ita totam Ecclesiam locupletent. Sic communio fidei, caritatis et cultus inter omnes Ecclesias efficitur et extenditur.

(b) Cf. propositio 2ª, a.

(c) Cf. propositio 2ª, a.

In missione salutis exsequenda Ecclesia semper et ubique caritate urgetur Christi, ut pauperes adiuvet, ignorantes doceat, miseriam sublevet, aegros curet, progressum socialem foveat ita, ut per Eam omnibus hominibus appareat benignitas et humanitas Salvatoris Dei.[50]

Ecclesia, omnia omnibus fieri[51] semper parata, vim atque officium habet omne, quod humanum est, praeter peccatum, assumendi, quia, quaecumque sunt vera et bona, Christi sunt, qui « illuminat omnem hominem ».[52] Dum ergo Ecclesiae novellae radices agunt in gentibus, culturam antiquitus traditam lumine veritatis divinae purificant et collustrant, doctrinam vero et vitam christianam novo modo exprimunt. Sic Ecclesiae catholicitas manifestatur, in qua unitas non offendit diversitatem et diversitas fulget in unitate.

5. *Essentia missionaria Ecclesiae recapitulatur.* Ecclesia ergo, quae tota est missionaria et tamquam Sponsa Verbi inter gentes Deo servit in Evangelio Filii eius,[53] praedicatione integrae revelatae doctrinae atque sacramentorum administratione filios Dei dispersos unitati populi Dei visibiliter aggregat, extra autem saepta sua in universa familia humana fructus veritatis et caritatis Christi multiplicat, cum institutiones et culturas spiritu evangelico imbuat.

Unde missiones, quae ex ipsa natura Ecclesiae profluunt, nihil aliud sunt quam activitas Ecclesiae, per quam ipsa visibiliter dilatatur et aedificatur a Christo Domino, donec veniat[54] ad exspectationem Ecclesiae adimplendam et ad novum mundum Deo et Patri tradendum.[55] Quamobrem Ecclesia, dum in adventum Domini properat, totis viribus laborat, ut ubique crescat similis grano sinapis, quod « crevit et factum est in arborem magnam »,[56] et ut omnes gentes, quae Christum adhuc ignorant, Verbum salutis audire possint. Qua in missione ipsa quoque, Christi morti configurata,[57] signum est cui contradicitur[58] et pro mundi vita adimplet ea, quae desunt passionum Christi.[59]

---

[1] *1 Io.* 4, 8-9. [2] Cf. *Hebr.* 3, 1. [3] Cf. *Io.* 14, 31. [4] *Apoc.* 1, 5-6. [5] Cf. *Io.* 12, 32. [6] Cf. *Io.* 17, 4-6. [7] *Act.* 1, 8. [8] Cf. *Io.* 20, 21. [9] Cf. *Eph.* 3, 8. [10] *Mt.* 28, 19-20. [11] Cf. *Io.* 10. 10. [12] Cf. *Rom.* 12, 5. [13] Cf. *Rom.* 12, 6. [14] Cf. *1 Cor.* 3, 10. [15] Cf. *Phil.* 1, 27; 4, 3. [16] Cf. *C.I.C.*, can. 1327. [17] Cf. *Act.* 13, 2. [18] *Lc.* 10, 1. [19] Cf. *Act.* 8, 4. [20] Cf. *Act.* 11, 19-21. [21] Cf. *1 Cor.* 2, 1. [22] *1 Cor.* 2, 4. [23] Cf. *C.I.C.*, can. 1351. [24] *1 Thess.* 1, 5. [25] Cf. *Hebr.* 4, 12. [26] Cf. Conc. Araus. II, can. 7: DENZ., Ed. 1963, 377; citatum a Conc. Vat. I, sess. III, Const. *Dei Filius*, cap. 3; DENZ. 3010. [27] Cf. *Act.* 16, 14. [28] Cf. *1 Pt.* 2, 9. [29] Cf. *Act.* 14, 14. [30] *Eph.* 2, 12. [31] Cf. *Act.* 17, 27. [32] Cf. *Act.* 17, 23. [33] *Rom.* 7, 18. [34] Cf. *Gal.* 2, 4; *Io.* 8, 36. [35] *1 Thess.* 1, 9. [36] Cf. *Io.* 8, 32. [37] Antiphona maior ad *Magnificat*, die 23 dec. [38] Cf. *Col.* 1, 27. [39] Cf. *Eph.* 1, 10. [40] Cf. *Col.* 1, 17. [41] Cf. *Act.* 4, 12. [42] *1 Pt.* 2, 5. [43] Cf. *Mc.* 16, 15. [44] Cf. *Rom.* 15, 18; *Mc.* 16, 20. [45] Conc. Trid., Sess. VI, cap. 7; DENZ., Ed. 1963, 1529. [46] Cf. Conc. Flor., Decr. *pro Armenis*: DENZ., 1314. [47] *Eph.* 4, 15. [48] Cf. *Rom.* 8, 29. [49] Cf. IGNATIUS ANT., *Ep. ad Smyrn.* 8, 1-2; PAULUS VI, *Oratio* diei 29 sept. 1963. [50] Cf. *Tit.* 3, 4. [51] Cf. *1 Cor.* 9, 23. [52] *Io.* 1, 9. [53] Cf. *Rom.* 1, 9. [54] Cf. *1 Cor.* 11, 26. [55] Cf. *1 Cor.* 15, 24. [56] *Lc.* 13, 19; cf. *Mc.* 4, 31. [57] Cf. *Phil.* 3, 10. [58] Cf. *Lc.* 2, 34. [59] Cf. *Col.* 1, 24.

Cap. II: *Rationes generales activitatis missionalis.*

A. *De evangelizatione*:

6. *De parandis viis Domini.* Ad parandas vias Domini,[1] in primis orandum est, ut Deus aperiat Evangelii Praeconibus os sermonis ad loquendum mysterium Christi.[2] Virtutes evangelicae in Ecclesia fulgeant; caritas, quam Christus dedit discipulis in signum coram omnibus,[3] ita vigeat, ut omnes vel ex vita Ecclesiae sentire possint appropinquasse regnum Dei et Deum vere esse in Ecclesia,[4] (a).

Christi discipuli sedulo vitent miserandam inter causam Ecclesiae et causas temporales confusionem, quippe quae maximum impedimentum afferat diffusioni Evangelii, cum sit negatio eius transcendentiae. In universum vero omnes christiani, plane conscii communis officii Regni Christi per orbem terrarum instaurandi, totis viribus nitantur bona essentialia hominis promovere, praesertim reverentiam erga personam humanam, iustitiam, amorem fraternum universalem, concordiam, pacem, quae non implentur nisi in Christo et per Christum; praesto sint affectu et opere doloribus et angoribus hominum; semper parati sint ad cooperandum cum hominibus bonae voluntatis, quoties de dignitate et vera felicitate humana agitur, gaudentes, quod etiam per homines extra limites visibiles Ecclesiae degentes sed a Spiritu Sancto ductos viae parentur ad Evangelium, quo fit ut isti homines veniant ad Deum « non recedentes de loco suo, quia credentes in eum invenient eum in corde suo »,[5] (b).

Summi etiam momenti est, ut sub patrocinio Sacrae Congregationis de Propaganda Fide coetus peritorum constituantur, qui studiis circa praecipuas religiones et culturas non-christianas enixe dent operam (c).

In superioribus quoque studiorum Institutis periti rerum historicarum et culturalium investigationi populorum ac religionum non-christianarum incumbant, ut mutuae notitiae et benevolentiae vinculis tota familia humana arctius coniungatur ad veram amicitiam, qua veritati et caritati Christi via praeparetur ad corda hominum (d).

7. *De evangelizatione.* Sicubi animi ad suscipiendum Verbum Dei dispositi sunt,[6] Satores Verbi[7] gradatim Evangelium praedicent,[8] tamquam Deo exhortante per eos;[8-bis] annuntient Deum verum[9] et Iesum Christum Dominum Nostrum,[10] ut homines « excitati divina gratia et adiuti »[11] **ex corde credentes**[12] **ad Dominum convertatur**[13] **Christoque sincere adhaereant qui est « via et veritas et vita »,**[14] (e) culturam et spiritualem exspectationem desiderii ipsorum explens, immo infinite superans.

8. *De catechumenis.* Conversi, liturgicis caeremoniis ad catechumenatum admissi, sacris ritibus successivis temporibus celebrandis aptaque instructione[15] et usu vitae christianae[16] profundiorem cognitionem Christi in Ecclesia hauriant clareque dignoscant, quae pro vita sua intellectuali, morali atque sociali ex fide

---

(a) Cf. propositio 3, a.
(b) Cf. propositio 3, e.
(c) Cf. propositio 4, c.
(d) Cf. propositio 13.
(e) Propositio 3, b.

christiana firmiter amplectenda consequantur, ut plene conscii et liberi ad Baptismum accedant (f).

Catechumeni, quamvis nondum « per Baptismi ianuam »[17] in Ecclesiam sint ingressi, visibiliter tamen ad ipsam iam pertinent publice profitendo fidem veram ac Baptismi desiderium; insuper non raro cum Domino etiam intime coniunguntur virtutibus fidei, spei et caritatis.[18] Statum ergo clare definitum in Ecclesia obtineant, ut conscii aggregatos se esse cum Populo Dei viam ad Baptismum ardentius prosequantur vel, quamvis obstacula Baptismo forsitan obstent, Ecclesiae fidelius dediti promptius pericula relabendi in errorem a se repellant (g).

9. *De neophytis* (h). Post Baptismum neophyti catechesi accommodata ad mysteria vitae christianae plenius percipienda et participanda instituantur veramque efforment communitatem cuius aedificatio Sacrificio Eucharistico maxime perficitur.

Summopere congruenti instructione et exercitatione zelus eorum apostolicus stimuletur, ut, memores vitam revera christianam necessario esse apostolicam, discant, quomodo evangelizationi et Ecclesiae aedificationi actuose cooperari debeant.

B. *De plantatione Ecclesiae*:

10. *De incrementis vitae christianae* (i). Christifideles « in doctrina Apostolorum et in communione, in fractione panis et in orationibus »[19] perseverent. Fidem porro foveant Dei Verbum sedulo audientes; cultum actuose participent ad normam constitutionis *de sacra Liturgia*; in caritate denique ambulent continuo fraternae dilectionis in Christo incremento et fundatione operum caritatis christianae.

Congregentur et coalescant in varios coetus et associationes, quibus communitas christiana et in se firmius consistat et totam societatem humanam spiritu evangelico perfundat. Praesertim familia christiana omnibus viribus promoveatur. Educatio christiana tam in familia quam in scholis diligenter curetur.

Christifideles « neque regione, neque sermone, neque vitae institutis a ceteris hominibus sunt distincti ».[20] Luceant tamen sicut luminaria in mundo[21] et vita vera christiana testimonium fidei Christo reddant coram concivibus, ut ex bonis operibus eos considerantes glorificent Patrem, qui in caelis est,[22] et ad Christum attrahantur. Doctrina et activitate concives ad amorem iustitiae, ad fraternam caritatem, ad rectum ordinem socialem melioremque vitae cultum adiuvent.

Familiae et scholae christianae vocationes sacerdotales et religiosas producant, ex quibus quam plurimi omnis gradus ministri assumantur ad vitam religiosam et sacerdotalem Ecclesiae.

Ut vita christiana in tota plenitudine activitatis apostolicae et contemplationis, quae in nonnullis locis missionum per antiquam traditionem indoli populorum mire respondet, excolatur, status religiosus sedulo promoveatur, sive per Instituta aliunde introducenda sive per nova condenda. Forma vero vitae religiosae condicioni et consuetudinibus loci quantum fieri potest adaptetur.

(f) Cf. propositio 3, c.
(g) Cf. propositio 3, c.
(h) Cf. propositio 3, d.
(i) Cf. propositio 3, d.

Communi professione fidei in Deum et Iesum Christum coram gentibus atque cooperatione in re tam sociali et technica quam culturali et religiosa catholici fraterne collaborent cum fratribus seiunctis ad normas constitutionis « de Oecumenismo »,[23] (j), secluso omni spiritu insanae aemulationis.[24]

11. *De adaptatione et de formatione culturae christianae* (k). Ecclesia catholica nullibi extranea est, sed diligenter studet, ut Fides formatione culturae christianae profundiores in omni populo radices agat ad ornatum totius Ecclesiae.

Normae igitur, quas Summi Pontifices[25] et haec S. Synodus[26] de adaptatione statuerunt, in vita et formatione catechetica, liturgica, ascetica, philosophica, theologica, culturali ab omnibus fidelissime observentur. Instituta etiam condantur in quibus periti sacerdotes et laici collatis viribus studia adaptationis sub vigilanti Conferentiarum Episcopalium cura provehant.

C. *De novellis Ecclesiis*:

12. *De hierarchia locali.* Huiusmodi mediis ad vitam Ecclesiae necessariis praeditae communitates christianae suam quaeque hierarchiam localem suosque habeant episcopos, qui successionem Apostolorum ita suscipiunt, ut mysterium Christi, quod est Ecclesia, in illa regione totum manifestetur. Plebs enim episcopo adunata Ecclesiam vere repraesentat et vitali Ecclesiae universalis communioni inseritur.

Duce hierarchia locali aedificatio novellarum Ecclesiarum profundiore in dies populi christiani formatione perficiatur ad normas a Conc. Vat. II de instauranda Ecclesiae vita condendas.

Activitas apostolica ad solos christifideles nequaquam limitetur, sed **pars cleri subsidiorumque sat magna ad evangelizationem directam destinetur** (l).

13. *De communione cum Ecclesia universali excolenda.* Novellae Ecclesiae ad evangelizationem regionis, ad ministerium pastorale, ad institutionem seminariorum, ad disciplinam pastoralem et liturgicam sacerdotum fovendam, ad formationem iuventutis necnon catechistarum et apostolorum laicorum non raro adhuc indigent auxiliis Ecclesiae universalis. Quae adiumenta totius Corporis mystici fraternamque missionariorum exterorum collaborationem libenter accipiant mutua cum observantia et caritate, ut Evangelium latius praedicetur et Ecclesia quamprimum omnibus Christi donis ubique fulgeat.

Intima ergo permaneat Ecclesiarum novellarum communio cum Ecclesia universali, cuius traditioni elementa culturae propriae christianae adiungant, ut « mutuo quodam virium effluvio »[27] vitam adaugeant Corporis mystici.

In ipso praesertim collegio episcoporum et in gubernio Ecclesiae **varietas in Primatus soliditate firmetur et muniatur.**

D. *De coordinatione activitatis missionalis*:

14. Cum episcopis totius mundi, utpote successoribus Apostolorum, ex eorum cooptatione in collegium episcoporum munus incumbat, una cum Romano Pontifice, pastore universali totius gregis Christi,[28] et sub eius auctoritate, ubique terrarum fidem promovendi, eiusdem collegii episcoporum est activitatem Ecclе-

---

(j) Propositio 9, a.
(k) Cf. propositio 10.
(l) Propositio 5, linn. 19-20.

siae universalis missionalem moderari et dirigere. Quae moderatio fit sive per actus totius Corporis sub Capite in Concilio sollemniter congregati sive per solum Summum Pontificem, qui ut Caput Corpus plene repraesentat.

Romanus Pontifex summam suam potestatem in re missionali moderanda per S. Congregationem de Propaganda Fide exercere solet; quod eo efficacius fieri potest, quo aptius in hoc ecclesiastico Dicasterio **partem habent et quasi repraesentantur omnes illi qui in opere missionis collaborant: Episcopi totius orbis necnon Opera Missionalia Pontificia et Instituta Missionalia** (m), quibus activitas missionalis et praeparatio missionariorum ex parte commissae sunt. Ex quibus omnibus speciale Consilium constituatur, statutis temporibus (semel saltem in anno), de condicione operis missionalis, de distributione Evangelii praeconum atque subsidiorum et de cooperatione missionali deliberaturum, ut proposita proxime peragenda elaboret; quae proposita a Summo Pontifice approbata ab ipsa Congregatione de Propaganda Fide executioni mandentur (n). Huic Consilio **praesto sit Secretariatus peritorum**, qui cum **de condicione variarum regionum locali** et de modo cogitandi diversorum coetuum hominum tum **de methodo missionali adhibenda opportunas informationes colligat et ex datis socio-religiosis conclusiones pro auxilio Ecclesiis egentibus praestando et pro cooperatione missionali promovenda proponat** (o).

Summi Pontificis ius et officium est, nomine Christi et Ecclesiae, missionarios mittere in universum mundum, sive ut singulas personas sive ut congregatos in Instituta Missionalia, committendo iis regionem evangelizandam vel destinando eos ad coetus determinatos hominum aliam ac christianam vel nullam religionem profitentium (p).

Episcopus localis Instituta Missionalia in suam dioecesim libenter recipiat et, salvis eorum peculiari missione canonica (q) a Summo Pontifice accepta legitimisque Constitutionibus, totum apostolatum, cuius ipse in dioecesi est rector et principium unitatis, ita ordinet, ut omnes in eundem finem conspirent, qui est fidelium aedificatio in Christo et eorum, qui foris sunt, ad Eum conversio. Ad coordinandam activitatem missionalem et ad dirigendas relationes inter Ecclesiam localem et Instituta Missionalia in variis regionibus praeter Conferentias Episcopales constituantur etiam Conferentiae Superiorum Religiosorum et Uniones Religiosarum, quae cum Conferentiis Episcopalibus ad bonum totius missionis unanimiter collaborent. Sancta autem Sedes pro rerum condicione et consultis episcoporum ac religiosorum Conferentiis imponat vel, quantum res sinit, normas Iuris communis, vel normas peculiares, mutatis adiunctis tempestive accommodandas. Hodie enim necessitas novae pro missionibus legislationis praesertim ex eo elucet, quod complura territoria, Institutis Missionalibus antea concredita, clero dioecesano iam commissa sunt, ita ut normae hucusque vigentes vix adhuc applicari possint.[29] (r).

(m) Propositio 4, a. — In hoc documento nomine « Instituta missionalia » intelliguntur omnia Instituta (Ordines, Congregationes, Societates, etc.) quae in Missionibus laborant.

(n) Cf. propositio 4, b.

(o) Propositio 4, c.

(p) Cf. propositio 2, a.

(q) Cf. propositio 2, a, lin. 14.

(r) Cf. propositio 2, b.

[1] Cf. *Lc.* 1, 76. [2] Cf. *Col.* 4, 3. [3] Cf. *Io.* 13, 35. [4] Cf. *1 Cor.* 14, 25. [5] S. AUGUSTINUS, *De Fide rerum quae non videntur* 4, 7. [6] Cf. *Mc.* 4, 20. [7] Cf. *Lc.* 8, 11. [8] Cf. *1 Thess.* 2, 9. [8-bis] Cf. *2 Cor.* 5, 20. [9] Cf. *Act.* 17, 23. [10] Cf. *2 Cor.* 4, 5. [11] Conc. Trid., Sessio VI, cap. 6: DENZ., Ed. 1963, 1526. [12] Cf. *Rom.* 6, 17; 11, 10. [13] Cf. *Act.* 9, 35. [14] *Io.* 14, 6. [15] Cf. Const. *de S. Liturgia,* n. 64. [16] Cf. *Io.* 7, 17. [17] Conc. Trid., Sessio XIV, cap. 2: DENZ., 1671. [18] Cf. Conc. Trid., Sessio VI, cap. 7: DENZ., 1530. [19] *Act.* 2, 42 (gr.). [20] *Ep. ad Diognetum, PG* 2, 1173. [21] Cf. *Phil.* 2, 15. [22] Cf. *1 Pt.* 2, 12; *Mt.* 5, 16. [23] Cf. Schema Decreti *de Oecum.* (1964), cap. II, n. 12. [24] Cf. *ibidem,* cap. III, n. 24. [25] Cf. PIUS XII, *Summi Pontificatus*: *A.A.S.*, 1939, pp. 428-429; *Evangelii Praecones*: *A.A.S.*, 1951, pp. 521-524; IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum*: *A.A.S.*, 1959, pp. 843-845. [26] Cf. Const. *de S. Liturgia,* nn. 37-40. [27] PIUS XII, Nuntius radiophonicus, die Natali 1945 habitus: *A.A.S.*, 1946, p. 20; IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum*: *A.A.S.*, 1959, p. 838. [28] Cf. *Io.* 21, 15-17. [29] Instructio S.C.P.F., diei 8 decembris 1929, qua relationes inter Ordinarios locorum in Missionibus et Superiores religiosos ordinabantur, hodie in Missionibus Institutis Missionalibus seu Religiosis adhuc commissis forsan adhuc applicari potest; saepe vero novis adiunctis iam non est aptata.

Cap. III: *De Evangelii praeconibus de eorumque formatione.*

A) *De Evangelii praeconibus.*

15. *De operariis ab Ecclesia universali missis.* Deus, « qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire »,[1] inde a diebus Pauli, gentium Apostoli[2] et Doctoris,[3] ipsiusque adiutorum et commilitonum[4] cum eo collaborantium in Evangelio[5] suscitavit et « usque ad consummationem saeculi »[6] suscitabit in Ecclesia missionarios, qui se totos dedant evangelizationi gentium et aedificationi Ecclesiae. Hi apostoli Ecclesiarum, evangelizantes pacem, evangelizantes bona, sunt gloria Christi,[7] sal terrae et lux mundi.[8]

Ad huiusmodi ministerium supremae auctoritati Ecclesiae praesto sunt impensa voluntate fidelique Opera Religiosi Ordines et Congregationes necnon Societates Missionariorum muneri missionali unice destinatae. **Vehementer quidem optandum est, ut quam plurima Instituta religiosa magis magisque partem in evangelizatione assumant et novellis Ecclesiis adiumenta afferant, quae cum fine Instituti magis congruant** (a).

16. *De operariis ab Ecclesia locali operi missionali deputatis.* 1) Praeter operarios ab Ecclesia universali missos, alii sacerdotes sive dioecesi missionis incardinati sive ad tempus arcessiti Ordinario loci operam tribuunt.

Gravissimam considerantes penuriam sacerdotum, qua evangelizatio multarum regionum impeditur, Episcopi totius mundi, quippe qui pro orbis terrarum salute prius quam pro aliqua dioecesi sint consecrati, sacerdotibus suis libenter permittant vel ipsos ad communionem Ecclesiarum atque sociam omnium pro Missione operam significandam exhortentur, ut, conventione inter Ordinarios respectivos inita, novellis Ecclesiis in tempus plus minusve longum deserviant (b).

2) Instituta iuris dioecesani, ad opera vitae activae condita, alacriter et strenue ministerio evangelizationis et caritatis incumbant.

3) Catechistae, ab amota Missionum origine, iisdem adiumentum attulerunt singulare prorsus ac necessarium tamquam praestantissimi adiutores missionario-

(a) Propositio 7, lin. 37.
(b) Cf. propositio 5.

rum, eorum participantes labores allevantesque. Pro viribus augeatur eorum numerus ipsique fortiter tolerent laborem, ut munus suum praeclarum quam aptissime et plenissime gerant ad novas communitates christianas condendas easque prosperandas.[9]

4) Quamprimum ubique selecti christifideles praeparentur, qui apostolatum laicorum promoveant ac dirigant, Christi doctrinam ac vitam coetibus etiam excultis proponant ac mentes omnium sensu paulatim forment christiano.

Peculiari laude digni sunt illi laici vel coetus laicorum, tam virorum quam mulierum, qui procul a patria in longinqua dioecesi sub ductu Episcopi artes suas dedunt operi missionali vel spiritu animati evangelico temporalia obeunt officia.

5) Ordinarii locorum sollicite provideant, ut catechistae et adiutores laici pro sua quisque condicione aequam et iustam mercedem percipiant; de eorum securitate sociali diligentem curam habeant omnemque operam dent, ut catechistae et missionarii laici spiritualibus auxiliis adiuventur et a sacerdotibus corroborentur tamquam fratres et socii laboris (c).

B) *De formatione Evangelii praeconum.*

Ad fecunditatem apostolatus necessariae sunt diligens apostolorum selectio et apta formatio,[10] ita ut ex omni parte ad suum quisque munus accurate praeparati, vitam apostolicam aggredi et persequi possint.

17. *Elementa formationis omnibus communia.* 1) *Formatio spiritualis.* Quicumque animarum zelo flagrantes vitam apostolicam amplecti cupiunt, instituantur spiritualitate, quae apprime sit vere catholica et missionalis. Via positiva et dynamica formentur ad obedientem et consciam vitae gubernationem, ut vocationem missionalem Apostolorum more in ipso mundo [11] explere possint.

Seipsos tamquam boni milites et legati Christi [12] exerceant ad fidem ac pietatem [13] et sese parent ad omnia impendenda [14] et etiam ad animas tradendas [15] pro ovibus.[16]

Abdicatis saecularibus negotiis [17] et relictis omnibus [18] pauperem atque humilem suscipiant vitam, ut victu ac moribus referant vivam imaginem Christi, qui propter nos factus est egenus [19] et humilis.[20] Meminerint se omnium servos [21] atque instrumenta gratiae divinae esse debere, Deum vero dare incrementum,[22] cum nemo ad Filium possit venire, nisi Pater traxerit eum [23] (d).

2) *Formatio intellectualis* (e). Qui ad apostolatum vocati sunt, gentis evangelizandae tum patrimonium religiosum et culturale tum etiam linguam et mores ediscant; in magna religionum et culturarum varietate agnoscere studeant providentiam Dei, qui nusquam « sine testimonio semetipsum reliquit »,[24] sed vias ad Evangelium ubique praeparavit.

Praeterea, ut efficacius specialibus circumscriptionum muneribus fungi vel res urgentes in commissionibus dioecesanis atque regionalibus rite tractare possint, aliqui saltem e candidatis missionariis apud Instituta scientifica missionalia vel alias facultates aut Universitates praeparentur sive in theologia pastorali vel liturgica sive in scientia sociologica, linguistica, ethnologica sive in alia disciplina et technica apostolatui proficua.

(c) Cf. propositio 12.
(d) Cf. propositio 2, d.
(e) Cf. propositio 11.

Quicumque vero ad apostolatum in iisdem terris ac fratres seiuncti exercendum se praeparant, de quaestionibus et fructibus Oecumenismi rite instruantur[25] (f).

18. *Quaedam elementa specialia formationis.* 1) *De formatione cleri dioecesani.* Curent conferentiae episcopales, ut studiorum curricula in seminariis aptentur gentis evangelizandae necessitatibus, sermoni necnon peculiari sentiendi agendique modo. **Alumnorum mentes ita aperiantur et exacuantur, ut recte iudicare valeant illius gentis peculiarem cultum, ad philosophicas praesertim ac theologicas disciplinas quod attineat, et ut perspiciant peculiares rationes, quae inter illam christianamque religionem intercedant.**[26-27] (g).

Ea opportune explanentur, quae et ad rerum missionalium historiam ac theologiam pertineant et « ad technicam etiam cognitionem earum rerum, quae ad futurum illarum regionum cleri ministerium utilia videantur ».[28]

Proinde studia peragantur, quantum fieri potest, in consuetudine et convictu cum sua cuiusque gente.[29]

Ex alumnis bonae spei seligantur, qui post ordinationem sacerdotalem in Universitatibus aliisve Institutis superioribus rerum liturgicarum, pastoralium, socialium aliarumque scientiarum sive sacrarum sive profanarum doctrina et peritia instituantur (h).

2) *De formatione sodalium Institutorum missionalium.* Sodales Institutorum missionalium vitam regularem cum apostolatu coniungere assuescant sibique persuadeant eo efficientius se Deo posse servire in Evangelio Filii eius,[30] quo sanctius regularem proprii Instituti disciplinam observent et quo fidelius in spiritu fundatoris perseverent. **Quorum praesules studeant, ut vita religiosa ad culturam et condiciones loci aptetur (i).**

3) *De formatione catechistarum.* Catechistae quam plurimi in scholis dioecesanis vel regionalibus tum doctrinam catholicam praesertim in re biblica et liturgica tum etiam methodum catecheticam excolant « seque in hominum vere christianorum forment mores »[31] ita, ut catechumeni et christifideles ab iis tam Fidei praecepta quam « exercitationem virtutis et incensum sincerumque amorem erga Christum eiusque Ecclesiam »[32] condiscere possint (j).

Ad congruam catechistarum formationem et sustentationem Opus Pontificale pro Catechistis instituatur.

4) *De formatione laicorum excultorum.* Iuvenes catholici, qui ad superiora in civitate munera contendunt, dum scientiis et artibus imbuuntur, pariter recipiant formationem christianam atque apostolicam futuro vitae statui consentaneam.

---

[1] *1 Tim.* 2, 4. [2] Cf. *Rom.* 11, 13; *Gal.* 1, 15-16. [3] Cf. *1 Tim.* 2, 27. [4] Cf. *Phil.* 2, 25; 4, 3; *Col.* 4, 11; *Phm.* 24. [5] Cf. *Phil.* 4, 3. [6] *Mt.* 28, 20. [7] Cf. *2 Cor.* 8, 23; *Rom.* 10, 15. [8] Cf. *Mt.* 5, 13-14. [9] Cf. IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum*: *A.A.S.*, 1959, p. 855. [10] Cf. Decretum S.C.P.F., 20-5-1923: *A.A.S.*, 1923, pp. 369-372. [11] Cf. *Io.* 17, 15. [12] Cf. 2 *Tim.* 2, 3; *2 Cor.*

(f) Propositio 9, a, lin. 24.
(g) Propositio 10, lin. 37.
(h) Cf. propositio 11, linn. 7-10.
(i) Propositio 7, pag. 11, lin. 3.
(j) Cf. propositio 12.

5, 20. [13] Cf. *1 Tim.* 4, 7. [14] Cf. *2 Cor.* 12, 15. [15] Cf. *1 Thess.* 2, 8. [16] Cf. *Io.* 10, 11. [17] Cf. *2 Tim.* 2, 4. [18] Cf. *Mt.* 19, 27. [19] Cf. *2 Cor.* 8, 9. [20] Cf. *Mt.* 11, 29. [21] Cf. *1 Cor.* 9, 19. [22] Cf. *1 Cor.* 3, 6. [23] Cf. *Io.* 6, 44. [24] *Act.* 14, 17. [25] Cf. Schema Decreti *de Oecumenismo* (1964), cap. II, n. 10. [26] Cf. IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum*: *A.A.S.*, 1959, pp. 843-844. [27] Normae generales de latinitatis studio promovendo ita pro locorum adiunctis serventur, ut debita in disciplinis philosophicis et theologicis institutio nullum detrimentum patiatur. Cf. Ordinationes ad Const. Apost. *Veterum Sapientia,* cap. VIII, par. 2: *A.A.S.,* 1962, p. 362. [28] IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum*: *A.A.S.,* 1959, p. 843. [29] Cf. Decretum S.C.P.F., 20-5-1923: *A.A.S.,* 1923, pp. 369-370. Haec afferri possunt argumenta contra longa studia extera ante ordinationem sacerdotalem: *a*) Periculum est ne alumni a sua gente alienentur culturamque eius partim amittant. *b*) Professores exteri non semper ea utuntur ratione docendi, quae his alumnis est accommodata. *c*) Difficultates gravissimae oriri possunt in animarum moderamine et in solutione quaestionis de vocatione. *d*) Periculum est ne quidam sacerdotes, in Europa formati, ad stationes minores in pagis sitas mitti nolint. [30] Cf. *Rom.* 1, 9. [31] IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum*: *A.A.S.,* 1959, p. 855. [32] *Ibidem.*

Cap. IV: *De cooperatione missionaria.*

19. *De necessitate cooperationis missionariae totius Ecclesiae.* Cooperatio totius populi Dei ministris, qui nomine Ecclesiae evangelizationi incumbunt, maximum est incitamentum et subsidium omnino necessarium. Summopere enim dolendum est, quod tot missionarii immo episcopi ianuas nonnumquam obstructas pulsare et laboriose mendicari coguntur, ut persequi possint opus, quod ad totum populum Dei pertineat. Sic nimium tempus, quod ad evangelizationem et aedificationem Ecclesiae conferri oportet, mendicando absumitur.

Missionalis itaque actio, praecipuum Ecclesiae officium et munus atque honor omnium catholicorum, utpote qui Baptismo, Confirmatione atque Eucharistia non tantummodo ad suam vitam spiritualem colendam, sed ad totam Ecclesiam pro suae quisque vitae condicionibus et adiunctis aedificandam destinentur, sub ductu summae Ecclesiae potestatis ubique enixe promoveatur et prudenter coordinetur.

20. *De cooperatione praestanda ab episcopis* (a). 1) Episcopi opus missionale in sua quisque dioecesi suscitent, promoveant, dirigant; opera missionalia constanti prosequantur adiumento; Instituta missionaria ne sinant carere subsidiis materialibus necessariis ad opus, quod pro Ecclesia universali perficiunt; studiose curent, ut apud pueros et adulescentes in scholis vel in seminariis studiis vacantes vocatio missionaria propagetur; provideant, ut alumni seminariorum condicionem generis humani religiosam discant zeloque evangelizandi totum mundum accendantur; clerum et populum christianum saepe admoneant, ut officio missionali satisfaciant et subsidia tam spiritualia quam materialia suppeditent missionibus et Institutis missionalibus, praesertim operibus pontificiis, quae iure primum locum obtinent; debitum missionale expressis catechismi verbis inculcent et studio missionali in precibus publicis eximium locum tribuant.

2) Conferentiae episcopales cooperationem missionalem regionis coordinent et statuant, quantam redituum proportionem singulae dioeceses quotannis ad opus evangelizationis destinare debeant.

Communi studio et conatu Episcopi curam habeant de iis, qui studii vel laboris

---

(a) Cf. propositio 5.

causa ex terris missionum in ipsorum dioeceses ad tempus plus minusve longum immigrant, consulta, si opus fuerit, C. Congregatione de Propaganda Fide.

21. *De cooperatione praestanda a clero* (b). 1) Sacerdotes, cum per ministerium Eucharistiae cum Christo Capite ipsi communicent ceterosque communicare faciant, non possunt non sentire, quantum Christo desit ad Corporis complementum quantumque itaque praestandum sit, ut in dies crescat.

Proinde recordentur se peculiari missiones adiuvandi obligatione teneri, cum personam Christi gerant et cooperatores sint Ordinis Episcopalis.[1] Officium igitur divinum iugiter persolvant Missaeque Sacrificium offerant « pro totius mundi salute ».[2]

2) In cura pastorali, quam in paroeciis, in catechesi, in scholis, in associationibus apostolatus laicorum gerunt, christifideles inde ab infantia ad zelum pro evangelizatione gentium excitent eosque admoneant zelum missionarium essentialiter ad vitam vere christianam pertinere; summo etiam studio curent, ut vocationes missionariae quam plurimae oriantur et foveantur inter pueros et adulescentes.

22. *De cooperatione danda ab Institutis Religiosis* (c). Religiosi, qui se Christo pro omnium salute consecraverunt, orationes et sacrificia fecundent spiritu missionali. Dominum messis ne cessent rogare, « ut mittat operarios in messem suam »[3] et augeat incrementa frugum eorum.[4]

Ii, qui vitam ducunt activam, zelum missionalem verbo et exemplo in omnes effundere conentur; ii autem, qui in solitudine claustrorum vitae contemplativae se dedunt, meminerint innumerorum hominum salutem a suo pendere sanctitatis studio.

23. *De cooperatione praestanda ab omnibus fidelibus* (d). Universi omnes, « quicumque magno Dei miserentis munere, verae sunt Fidei compotes et innumerabilia, quae inde manant, beneficia participant »,[5] attendant, « quam sancta teneantur lege sacris ad infideles missionibus opitulandi ».[6] Tamquam membra viva Christi « suas in earum bonum industrias multiplicent, enixas Deo preces indesinenter adhibeant, ad missionalium munera vocatos adiuvent, eis necessaria auxilia pro viribus suppeditando ».[7]

Gratiam Christi, quam per Baptismum acceperunt et per Confirmationem auxerunt, vitae liturgicae actuosa participatione constanter alant et activitate sua omnibus manifestent; caritas Christi urgeat eos « aestimantes hoc quoniam pro omnibus mortuus est Christus ut et qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit ».[8]

Omni cura caritatem et exemplum vitae christianae ostendant iis, qui ex missionibus immigrant studii vel laboris causa, ne malis moribus christianorum deterriti Fidem repudient.

Familiae christianae a Deo postulent, ut in suo sinu suscitet vocationes missionales, easque maximum Dei beneficium existiment.

Quia laicis consecratio mundi peculiariter commissa est, ipsi cooperationem oeconomico-socialem populis sese evolventibus liberaliter praebeant; quae coope-

---

(b) Cf. propositio 6.
(c) Cf. propositio 7.
(d) Cf. propositio 8.

ratio eo magis laudanda est, quo magis institutiones instaurare intendit, quae structuras fundamentales vitae socialis attingunt. Cum aliis confessionibus christianis, cum religionibus non-christianis necnon cum organismis internationalibus fraterno animo collaborent (e), ut una cum illis evolutionem socialem populorum provehant. Verumtamen curent, ut « aedificatio terrenae civitatis semper in Domino fundetur ad ipsumque dirigatur ».[9]

---

[1] Cf. *Pontificale Rom.*, Ord. Presb.
[2] Ordo Missae ad oblationem calicis; cf. Const. *de S. Liturgia*, 83.
[3] *Mt.* 9, 38.
[4] Cf. *2 Cor.* 9, 10.
[5] BENEDICTUS XV, *Maximum illud*: *A.A.S.*, 1919, p. 451.
[6] *Ibidem.*
[7] PIUS XII, *Evangelii Praecones*: *A.A.S.*, 1951, p. 526 - ex epistula ad card. Fumasoni-Biondi, 9-8-1950 data: *A.A.S.*, 1950, p. 527.
[8] *2 Cor.* 5, 14-15.
[9] Schema *de Ecclesia* (1964), p. 159, linn. 4-6.

(e) Cf. propositio 9, b.

INDEX

CONGREGATIONES GENERALES

Congregatio Generalis CXII

Congregatio Generalis CXIII

Congregatio Generalis CXV

CONGREGATIO GENERALIS CXVI

Congregatio Generalis CXVII

Congregatio Generalis CXVIII

Animadversiones scripto exhibitae
Quoad schema propositionum
De activitate missionali Ecclesiae

Appendix